

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST


Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ,

in Solennitate Epiphaniæ, anno 1906.

IMPRIMATUR

Tornaci, 25a Januarii 1906.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN V LIBROS B. BOETII

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCVI





ENARRATIONES IN V LIBROS
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ
B. SEVERINI BOETII


D. DIONYSIVS CARTHVSIEN̄
DOCTOR EXTATICVS.
BENEDIC
TVS DEVS
IN SECVIA

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES SEU COMMENTARIA

IN V LIBROS

B. SEVERINI BOETII

PHILOSOPHI AC MARTYRIS

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

EX EDITIONE COLONIENSI

MELCHIORIS NOVESIANI, ANNI MDXL.

DECRETUM



PAPIEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

SEVERINO BOETIO

PHILOSOPHO MARTYRI SANCTO NUNCUPATO

ANICIUS Manlius Torquatus Severinus Boetius ex nobilissima inter Romanas Anicia familia progenitus, eximiae doctrinae laude floruit, sed multo magis Christianae pietatis studio extitit conspicuus. Divitiis affluens pauperes ac miseros liberalitate et benevolentia impense iuvit, philosophica et mathematica studia summopere coluit, theologicis quoque animum applicuit, de quibus disciplinis egregia etiam edidit volumina. Quum tot tamque insignia virtutis et ingenii argumenta praebuisset, primum a Theodorico Gothorum Rege, qui tum Italiae sortes moderabatur, in Senatorum Collegium cooptatus, dein ad supremum consulatus honorem evectus est. Hisce autem auctus honoribus Severinus Boetius, haud neglecto, quo fungebatur, munere reipublicae gubernandae, curas omnes ad bonum Ecclesiae procurandum potissimum convertit. Quare Theodoricus tanti Viri praestantiam demiratus, eum singularis benevolentiae et aestimationis signis

complecti non destitit. Verum quum Iustini senioris Imperatoris opera, res Catholica in Arianorum perniciem refloresceret, Rex Theodoricus, qui eousque Catholicos humanissime tractaverat ratus regnum suum haud stabile fore, nisi Catholicam Religionem ulterius promoveret, et iustitiam in tuto collocaret, acerrimus, uti erat, Arianae haeresis sectator, ira efferbuit, et Catholicam Fidem subdolis artibus insectandam sibi proposuit. Idcirco tres praecipuos Catholici nominis proceres perdere deliberavit, nempe Ioannem primum Summum Pontificem, Symmachum Patricium et Severinum Boetium Consulem; his enim de medio sublatis, reliquos Catholicae Fidei cultores animo facile deiectum iri arbitrabatur. Hinc Regis imperio Ioannes Summus Pontifex comprehensus et Ravennam ductus, ibi in teterrimo carcere inedia aliisque aerumnis confectus obiit; Symmachus autem capite plexus est; et demum Severinus Boetius Ticinum deportatus, ac in turri occlusus, gladio percussus occubuit. Eius vero corpus, veritus iniquus Rex ne illi a Catholicis cultus exhiberetur, uti Martyri, clam tumulari praecepit. At paulo post Theodorico e vivis erepto, cives Ticinenses corpus Severini Boetii in Basilicam Beato Petro Apostolorum Principi dicatam, et nomine ad caelum aureum distinctam transferre, et honorifico sepulchro condere curarunt. Exinde sacras hasce exuvias, non secus ac Martyris, Catholici venerari ceperunt; proindeque cultum Severino exhibitum ab eius obitu originem duxisse ex probatissimis monumentis satis evincitur.

Haec quidem iure meritoque permoverunt Ticinenses cives aliosque plurimos, praesertim doctrina praestantes, ut huiusmodi cultus, ob eam, quam praefert, nobilitatem insignemque vetustatem, ab Apostolica Sede confirmatio postularetur. Quibus tandem votis obsecundare maxime cupiens hodiernus Ticinensis Episcopus, Ordinaria potestate constructis processualibus tabulis, de immemorabili eodem cultu affirmativam iuridicam sententiam dicere minime dubitavit, eamque supremae Apostolicae Sedis iudicio de more subiecit. Hinc postquam ea, quae a sa. me. Urbani Papae VIII constitutione sancita sunt, rite praestita fuere, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die penes Vaticanas Aedes habitis, Emus et Rmus Dominus Car-

dinalis Lucidus Parocchi, Causae huius Relator, sequens proposuit Dubium : « *An sententia lata a Reverendissimo Domino Episcopo Papiensi sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur ?* »

Eminentissimi porro et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 15 Decembris 1883.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 20 iisdem Mense et Anno.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS.

L. ✠ S.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secretarius.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. ARNOLDO STRITERIO, ABBATI APUD TONGERLO, F. THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIANÆ DOMUS DICTÆ CLAUSTRUM MARIÆ ANTE CIVITATEM HILDESEMENSEM PRIOR, S. D.

MULTAS quidem præclaras in te dotes esse, Reverende in Christo Pater ac vir longe amplissime, et publico passim sermone jactatur, et ipse privatis aliquorum congressibus certo satis didici. Celebratur multiplex variaque eruditio, tum in divinis, tum in humanis : quam facile accessuram esse solerter olim augurabatur vir sagax, D. Antonius antecessor tuus, dum acriter pensatis suorum ingeniis, quæ studiis bona, quæ secus essent, te præter ceteros in Gallias, quum Lovanii philosophiæ rudimenta posuisses, gravioribus disciplinis, præsertim jurisprudentia, plenius imbuendum misit. Celebratur rerum gerendarum solertia et industria, consiliorum firmitas, in prosperis modestia, in adversis constantia, domestica frugalitas, et simul tamen in tempore honesta magnanimitas, rursus felix quædam audacia. Prædicatur ad hæc incredibile omnia (tum sacra, tum profana) vel nova excitandi vel vetera instaurandi studium. Id quod liquido constare aiunt ex amplissimis illis quæ nunc moliri diceris operibus : ex magnifica scilicet, foris intusque omni genere ornatus perquam festive honestata, æde sacra, qualem alteram vix alio ullo in monasterio inveniri prædicant; rursus, ex insigni omni genere voluminum referta bibliotheca, quod videlicet ea opus esse putare existimeris iis quos ex tuis ad functiones pastorales suo tempore adsciturus esses, quales domi tuæ plurimos videre esse perhibent, viros præter [non] mediocrem doctrinam, etiam egregia religione, ætatis maturitate, rerum peritia morumque severitate insigniter commendatos, singulos quosque, ut ex idoneis auctoribus didici, ad clarissimum istum quem tu nunc merito tuo geris honorem non inhabiles, ut si quid humani tibi accideret, ut nihil in vita stabile est, clades ea haud ægre illo ex numero posset sanari. Attamen illud præ omnibus in te commendationem habet, quod nimirum omni virium contentione neque minori solertia, monasticam disciplinam tueri perhiberis, severe continenterque (quantum fieri queat) tuos habendo, frequentibus monitis ad temperantiam, modestiam, pietatem reliquaque bonæ frugis officia concitando, si quid denique superest nondum ad amussim ex stomacho tuo exactum, paulatim (quod prudentiæ est) corrigendo. Qualia præterea multa commemorare possum quidem, nisi pudor prohiberet, vel si data opera bonaque fide in campum laudum tuarum descendisse videri vellem. Certe ob hæc et similia, quorum olim specimen dabas, antecessor tuus præ ceteris omnibus idoneum judicavit, quem sibi, etiam tum superstes, successorem designaret.

Verum hæc non eo pertinent quo in præconiis tuis pedem figam, quod palpatoris potius quam honesti hominis est, certe dum coram et in os fiat : sed quo id egregia quod laude facis, eodem exemplo, facere pergas, semper ea in parte tui victor, atque ad ulteriora ipse tibi jugiter instans, præjudicio divi Pauli, qui velut oblitus habitorum, ad nondum habita semper animum nervosque intendebat ; aut si hic monitore nihil egeas, ut alium neminem ad præsens æque idoneum occurrere mihi declarem, sub cujus auspiciis aliquid operum patris nostri Dionysii quod adhuc in obscuro squalet, lucem sortiatur, dummodo ipsum illud egregie pium sit, et ad laudatissimam istam curam magis etiam accendendam utcumque accommodum. Quod genus quum omnia pene eminentissimi hujus viri sint, tamen haud scio quomodo non infimum inter ea locum obtinere videantur, primum scholia ejus in opus Boetii de Consolatione philosophiæ, cujus argumentum ex professo versatur in persuadendo contemptu rerum omnium fluxarum, quæ primo solidum quiddam firmumque pollicentur, in recessu vero meros fucos præstigiasque exhibent : ob id omnibus sane qui opibus, honoribus, et reliquis ejusmodi plus justo tribuunt (id quod iniquus rerum censor vulgus facit), lectu necessaria, ut si non omnino ab horum studio avocentur, avocentur saltem aliquousque. Deinde sunt lucubrationes Cassiani, pulcherrimo ordine ab eo digestæ, et quasi paraphrastice traductæ, in quibus ea quæ Boetius rationibus sectanda monet, factis exemplisque priscorum Patrum sectanda monstrantur : quæ ratio longe utique nervosior est ad persuadendum, si quid persuasum velis, quam ea quæ præceptis et rationibus nititur, quippe quæ non raro aures tantum imbuat, quum illa ante oculos subjecta rerum imagine, occulta quadam vi animum fere feriat, imo penetret ; eoque quum piis omnibus, tum vero monasticæ professionis hominibus, qui ipso instituto habituque contemptionem rerum labentium præferunt, sæpenumero reputandæ. Jam vero sunt explanationes in opera Joannis Climaci, quibus animus hominis jam utcumque ab affectibus mundanis repurgati, ad amorem cœlestium instruitur, non minus sedulo revolvendæ piis omnibus atque illæ vel Cassiani vel Boetii. Sunt denique alia pleraque varii generis, egregiam auctoris tum doctrinam, tum publice bene merendi voluntatem clare protestantia, digna sane ob id quæ a bonis simul et studiosis omnibus quotidie in manibus habeantur.

Quapropter, vir amplissime, patiaris (obsecro) æquo animo vigilias has optimi Patris nomini tuo nuncupari. Dignus es profecto eo honore, non ob memoratas modo causas, verum etiam quod ad impensas chalcographiæ sustentandas munifice admodum adjumento fueris, idque tuo ipsius impetu, dum videlicet tantum forte audires propterea solum multa hujus Patris in publicum non exire, quod nervus rerum omnium pecunia in hoc non suppeteret : quo nomine jure optimo laudibus summis es vehendus. Collocant quidem plerique multiplices sumptus in ampla ædificia, in ludos theatricos, in operosa sepulcra, et ne multa, alii in aliam, prout alium alia voluptas trahit. Sed, per Deum immortalem, quid consultius quam conferre sumptus evulgandis salutaribus litterarum monumentis, unde universus pene orbis utilitatem demetitur ? Non autem loquor de nugalibus, qualia hodie innumera exeunt, scombris thurique involvendo meliora quam aliorsum ; sed de salutaribus, ad officium scilicet vitæ cultumque pietatis bonorumque morum facientibus : quod

genus procul dubio omnia sunt quæcumque sub nomine Patris hujus exstant opera. Crediderim id genus beneficentiæ longe subinde gratius esse Domino Deo, quam dilargiri sua juvandis egenis : quod non ignoro tamen majestati ejus in primis gratum esse. Etenim quod egenis datur, præsentes modo adjuvat, usum nullum apud posteros habet. Quod vero excudendis frugiferis libris impenditur, præterquam quod saluberrimo animi pastu præsentes vegetat, etiam per multa temporum volumina posteros recreat ; et rursus non intra unius aut alterius modo regionis fines fructus is includitur, verum etiam ad remotissimas nationes dimanare potest : ut mihi facinus palmarium pulcherrimique exempli pridem edidisse visus sit rex Gallorum jure christianissimus appellatus, Franciscus ejus nominis primus, qui non contentus professores bonarum artium Lutetiæ magnifico salario fisco suo fovere, insuper chalcographum peculiarem sibi constituit sub stipendio centum coronatorum, virum insignem Conradum Neobarium, qui usquequaque optimis quibusque veterum litterariis monumentis conquisitis, formis excusa evulget, uno ex singulis exemplari bibliothecæ regiæ illato, ut si qua clade aut temporum vitio alia omnia intercidant, sit ad manum unde alia denuo propagentur : quali consilio olim imperatorem Tacitum Historiam Cornelii Taciti novis quotannis exemplaribus [vulgandam] et in archivis publicis reponendam curasse, memoriæ proditum est. Quod ipsum si pari ardore a magnatibus aliis insequentibus sæculis factitatum fuisset, plurima hodie bonorum auctorum, tum sacra, tum profana, videre esset solida integraque, quæ nunc mutila truncaque conspicimus, aut ut explanatius dicam, teneremus justa bonorum auctorum corpora, quorum dumtaxat jam imagines umbrasque tenemus : nisi quod arbitror sic fato quodam evenisse, quod mortalium inertia, industria illorum auctorum indigna esset. Ut ut est, tu, vir eximie, hac in parte publicam utilitatem non mediocriter adjuvisti : ideoque istud quidquid est, nostri patris Dionysii, dedicari tibi, obsecro, clementer feras. Quod si fuerit, præterquam quod grate admodum jucundeque feceris, spero fore ut ita demum tui quoque ad lectionem Dionysii acriorem affectum induant, cum multa eorum tum fruge, tum voluptate : quod ut aliquando fiat, obsecro Deum optimum maximum, in quo Paternitatem tuam quam optime valere exopto. Coloniæ, ex cartusianorum monasterio, anno a partu virgineo MDXL, pridie calendarum Augusti.

ENARRATIONES IN LIBRUM I

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

ENARRATIONES IN LIBRUM I

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

METRUM PRIMUM

Carmina qui quondam studio florente peregi,
  Flebilis, heu ! mœstos cogor inire modos :
Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camœnæ,
  Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit pervincere terror,
  Ne nostrum comites prosequerentur iter.
Gloria felicis olim viridisque juventæ,
  Solantur mœsti nunc mea fata senis.
Venit enim properata malis inopina senectus,
  Et dolor ætatem jussit inesse suam :
Intempestivi funduntur vertice cani,
  Et tremit effeto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
  Inserit, et mœstis sæpe vocata venit.
Heu, heu ! quam surda miseros avertitur aure,
  Et flentes oculos claudere sæva negat !
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
  Pene caput tristis merserat hora meum ;
Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
  Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties jactastis, amici ?
  Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

ARTICULUS III[1]

METRI HUJUS PRIMI EXPOSITIO.

DIVISIONES multiplices quas textibus A quidam præmittunt, videntur potius obscurare quam elucidare sensum verborum; et quidquid prævolando inducunt de intelligentia litteræ atque de his quæ aguntur et continentur in ea, nec tamen ante ipsius expositionem clare intelligi valet, hoc totum ex clara et plana textus elucidatione evidenter patet atque facillime elici potest. Hinc divisionibus illis relictis, textum clarissime explanabo: per quod sine difficultate intelligetur quidquid in divisionibus expositionibusque prolixis B præmittitur.

Itaque Boetius in primo hoc metro describit ac pandit dispositionem suæ personæ in corde et corpore, in qua fuit quando hæc scripsit: primo recitans sua adversa, quatenus juxta mentis suæ conceptum, Philosophiam inducat quasi personam consolatricem, et sapientialibus suis consiliis ac doctrinis mentem ab omni irrationabili mœstitia ac dolore immoderanter gravante ac deprimente, relevantem, curantem, ac de cetero præservantem; ita ut mens de- C inceps discat et assuescat in adversitatibus, tribulationibus, persecutionibus gloriari, quemadmodum sanctus apostolus Jacobus in exordio suæ hortatur epistolæ:
Jacob. I, 2. Omne gaudium existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis. Ait ergo Boetius:

Carmina qui quondam studio florente peregi, etc. Ordo verborum est: Ego *qui quondam,* videlicet *studio florente, peregi carmina,* id est, metra jucunda dictavi, seu prosas aut libros delectabiles conscripsi, D *heu! flebilis,* id est vehementer tristis, *cogor,* id est, inducor et impellor nunc, *inire modos* loquendi *mœstos,* id est lugubres seu fletui aptos, mœrorem animi designantes. Nam teste Philosopho, ea quæ sunt in voce, id est verba vocalia, sunt notæ, id est signa, earum passionum, id est affectionum et conceptionum, quæ consistunt in anima. Propter quod asserit Plato: Ad hoc nobis datus est sermo, ut mutuæ conceptionis fiant indicia, id est, quatenus unus alteri indicet mentis suæ conceptum. Hinc Sanctis in patria post resurrectionem sermo vocalis non erit necessarius ad hunc usum. Unde dominus Guillelmus, Parisiensis episcopus, in libro suo de Universo videtur sentire, quod Sancti post diem judicii glorificati in corpore, se invicem non alloquentur vocaliter, quoniam corda sua invicem intuebuntur, et unus clare conspiciet conceptum atque affectum alterius. Porro Doctor solennis, puta Henricus de Gandavo, in suis Quodlibetis fatetur, quod alloquentur se invicem ex inæstimabili abundantia interioris lætitiæ: quod verius creditur, quia nec corda nec ora vacabunt aut cessabunt ibidem a laudibus Creatoris, ut asserit Augustinus. Denique, ut Seneca protestatur, sermo loquentis imago est mentis. Ideo homines in afflictionibus atque mœroribus gravibus constituti, in dolorosa ac tristia verba prorumpunt, sicut et hi qui jucunditate abundant interius, verba proferunt gaudiosa. Idcirco dixit Salvator: Ex abundantia cordis Matth. XII, 34.
os loquitur. Et sanctus Job in doloribus positus: Verba (inquit) mea dolore plena sunt. Job VI, 3.

[1] Ita legitur in editione Coloniensi. Unde Dionysius noster duos videtur scripsisse prævios articulos, qui perierunt sicut et Prooemium. (*Cf.* tom. I, pag. LVI, n. 46.)

At vero Boetius in adolescentia et juventute sua erat studens Athenis, floruitque ibidem flore adolescentiæ ac juventutis vigore, fama, honore, profectu, sapientia ac virtute; et tunc carmina non vana, amatoria et lasciva composuit, sed versus, sermones ac libros perutiles. Potest autem per studium ipsa studentium Universitas designari, quæ excellenter floruit tunc Athenis, quemadmodum postea diu Parisiis, præsertim quando regebant ac studebant ibi Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, Ægidius : quo tempore erant ibi (ut legitur) septuaginta millia studentium. Rursus per studium intelligi potest ipse conatus occupatioque studentis ad proficiendum : quia ut Tullius ait, studium est vehemens applicatio animi ad aliquid peragendum; et ita studendum est pro adeptione scientiæ, sapientiæ ac virtutum. Propter quod Salomon loquitur : Si sapientiam quæsieris quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis eam, tunc invenies scientiam. Fac ergo et tu quod in Ecclesiastico scriptum est de aure hominis studiosi : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Hinc corde intento et totis viribus applicato, verba lectionis adverte.

Prov. II, 4, 5.

Eccli. III, 31.

Præterea, in exordio hujus metri Boetius meminit pristinæ suæ prosperitatis, quatenus opposita juxta se posita clarius innotescant. Et quod ait, « cogor », non est accipiendum de absoluta coactione seu necessitate, quæ etiam in voluntatem non cadit, sed sicut expositum est. Sicque cogebatur Boetius inire seu aggredi tristes « modos » seu species eloquendi. — Verumtamen carmen interdum accipitur pro cantu seu metro aut eloquio mœsto (juxta illud in Ezechiele, Erant in libro scriptæ lamentationes, et carmen, et væ), communius tamen pro jucundo. Unde in Ezechiele Dominus loquitur ad ipsum Prophetam : Factus es eis quasi carmen musicum quod dulci suavique sono canitur.

Ezech. II, 9.

Ibid. XXXIII, 32.

Consequenter ostendit Boetius, sibi suppetere et esse in promptu materiam con-

A scribendi flebiles versus lugubresque sermones.

Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camœnæ. Camœna vocatur musa canens amœne, id est, suaviter sonans : sicque per Camœnas designantur hoc loco scientiæ naturales philosophicæ sive poeticæ, quæ in se delectabiles sunt et scientem delectant. Ex quibus tamen accipitur consequenter ac indirecte materia, occasio seu consideratio contristandi. Propter quod dicitur eamdem esse scientiam contrario-
B rum, et unum oppositum dicitur cognosci per alterum, ut ægrum per sanum : qui enim cognoscit quod sanitas consistit in apta contemperatione humorum et elementarium qualitatum, faciliter potest perpendere, quod ægritudo ex distemperatione et superfluitate materiæ oritur. Sic, quoniam Boetius ex scientiis atque sententiis philosophorum ac poetarum cognovit, quod bonis ac sapientibus viris debentur honor, prosperitas, promotio ac libertas (quemadmodum in libro Proverbiorum
C Salomon loquitur, Intelligens gubernacula possidebit; et rursus, Gloriam sapientes possidebunt), et nihilo minus Boetius ipse vidit se virum doctissimum, justitiæ zelatorem, in exsilium missum, incarceratum, detractionibus denigratum; habuit ex his causam tristitiæ, quæ ex adversis consurgit. Sicque præfatæ Camœnæ dictabant, id est, ministrabant et offerebant ei, « scribenda », id est materiam conscribendam, seu prosas et versus stilo tradendos prout suo competebat proposito. Quæ Camœnæ
D vocantur « laceræ », id est laceratæ, et quasi dissutæ et diminutæ seu imperfectæ, quoniam sicut musa rupta et læsa sonat inepte, sic prædictæ scientiæ ingerendo mœrorem interioribus et exterioribus Boetii auribus, quasi dolorose ac male sonabant, juxta quod in Ecclesiaste asseritur : Qui addit scientiam, addit et dolorem. Rursus Camœnæ hæ laceræ nuncupantur, quoniam naturales scientiæ ac poetarum sententiæ valde sunt imperfectæ ac debiles, imo frequenter erroneæ, respe-

Prov. I, 5.

Ibid. III, 35.

Eccle. I, 18.

ctu sententiarum theologicæ veritatis, cujus libri atque scientiæ indissolubili firmitate fulciti sunt atque fundati. Unde in Prologo super Lucam dicit Ambrosius : Mundana scientia, verborum ambitu fucata est ; sapientia vero sacræ Scripturæ, rerum veritate est magis subnixa. Est igitur sensus : « Ecce Camœnæ laceræ », id est præfatæ scientiæ, « dictant mihi scribenda », id est, administrant et præbent mihi ea quæ scribere debeam. Ex habitu namque scientiæ sciens procedit in actum, et novit quid scribere debeat et quid loqui. Hinc, ut in Ecclesiastico et Proverbiis legitur : Sapiens se ipsum in verbis amabilem facit; os vero fatuorum ebullit stultitiam. *Eccli.* XX, 13 ; *Prov.* XV, 2.

Sequitur : *Et veris elegi fletibus ora rigant.* « Elegi » nominantur cantus et versus de calamitatibus et ærumnis tractantes, quales in diversis historiis copiose habentur, etiam in divinis, sicut sunt Threni seu Lamentationes Jeremiæ prophetæ. Est itaque sensus : « Elegi », id est hujuscemodi versus, « rigant ora fletibus veris », hoc est, consideratio seu decantatio talium versuum ac verborum tam ubertim me plangere facit, quod lacrimæ ex meis oculis defluentes labia mea humectant : juxta illud in Threnis, Plorans ploravit in nocte, et lacrimæ ejus in maxillis ejus. *Thren.* I, 2.

Porro Boetius dicendo, « fletibus veris », insinuat esse et fletum falsum, dolosum, confictum. Fletus quoque dicitur verus dupliciter. Primo, quia ex justa aut rationabili oritur causa. Qui si ex caritate procedat, meritorius est vitæ æternæ : ut dum quis sic sua aut proximorum deplorat peccata, aut alia magna adversa. Sic Christus videns civitatem Jerusalem, flevit super eam. Et David rex pœnitens valde : Lavabo (inquit) per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Sic, ut in Vitaspatrum describitur, dum abbas Pastor audisset obiisse abbatem Arsenium, flevit et dixit : Beatus es, abba Arseni, quia deflevisti te ipsum in hac vita ; qui enim se ipsos in hac vita non *Luc.* XIX, 41. *Ps.* VI, 7.

A deplorant, se in futuro sæculo in æternum deflebunt. Secundo fletus dicitur verus, quia ex interno dolore seu compassione procedit : quamvis dolor ille sit forsitan inordinatus, sicut et aliqui lugent quia se vindicare non valent. Fictus vero, dolosus et falsus fletus censetur, qui arte et assuefactione seu calliditate educitur : quemadmodum in Jeremia de crudeli ac impio Ismaele narratur, qui Godolia occiso, occurrens octoginta contristatis ac miseris viris, incessit plorans et flens, quo- *Jer.* XLI, 2-7.
B usque eos perduxit ad lacum, ubi eos occidit. Sic quoque puellæ quædam ac feminæ norunt flere. De quibus dixit Ovidius :

> Neve puellarum lacrimis moveare caveto ;
> Ut flerent oculos erudiere suos.

Denique fletus Boetii fuit verus, quia ex rationabilibus causis effusus : quoniam vidit rempublicam ac fidem catholicam per impiissimum Theodoricum tyrannum in multis subverti, et se multis cladibus
C premi.

Sciendum duplex esse hominis bonum. Unum corporale ac temporale : in quo non consistit hominis salus, nec necessarium est ad spiritualem profectum. Et hoc homini invito potest auferri : ut exteriores divitiæ, et amici, ac sanitas corporis. Aliud est bonum hominis spirituale internum, ut scientiæ et virtutes : quæ ab invito nequeunt tolli. Hinc ait Boetius :

Nullus terror potuit saltem pervincere has Camœnas, *ne prosequerentur comites*
D *iter nostrum :* hoc est, nemo me ita potuit perterrere, quod prædictæ Camœnæ non « prosequerentur » tanquam sodales « iter nostrum » usque in istud exsilium. Tanquam dicat : Quamvis persecutor abstulit mihi patriam et amicos, divitias, dignitatem, honores et prosperitatem terrenam, non tamen potuit mihi auferre præfatas scientias consolatoriasque sententias, nec potuit impedire quin illæ in corde meo manerent, sicque ubique pergerent mecum. Hinc de Joseph patriarcha scriptum

Sap. x, 13, 14. est : Hæc (utpote sapientia) venditum justum non dereliquit, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Unde et quidam philosophus omnibus suis bonis exterioribus spoliatus disseruit : Sapientiam mihi auferre non potestis. Alius quoque philosophus spoliatus locutus est : Omnia bona mea mecum manserunt. Solæ namque scientiæ et virtutes sunt vera hominis bona : ideo non pervincuntur, id est, non tam perfecte vincuntur ac obruuntur invito libero arbitrio, ut tollantur. Sic et Seneca in epistola quadam refert de quodam prudente, qui omnibus rebus suis combustis, solus ab igne evadens, et interrogatus an omnia amisisset, respondit : Omnia mea habeo mecum. Si ergo gentiles illi philosophi ista carnalia et terrena taliter contempserunt, quid carnales et cupidi Christiani coram Deo sunt responsuri ?

Gloria felicis, etc. Gloria multipliciter sumitur. Primo, ut Tullius loquitur, pro frequenti seu celebri fama cum laude. Secundo, pro jucunditate. Tertio, pro eminenti repræsentatione perfectionis causæ, potissimum primæ causæ, in suo effectu, Eccli. XLII, juxta illud Ecclesiastici : Gloria Dei plenum est opus ejus. Atque his tribus modis accipi gloria potest quum dicimus : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Quarto, pro objecto seu materia gloriæ, hoc est pro re in qua et de qua quis gloriatur, ut dum Prov. x, 1. Salomon protestatur : Filius sapiens, gloria patris ; filius vero stultus, mœstitia est matris suæ. Et ita nunc sumitur ; ut sit sensus : *Gloria felicis olim viridisque juventæ,* id est, ea quæ fuerunt mihi materia, ratio et objectum consolationis et gloriæ in juventute mea prospera ac virenti, *solantur,* id est consolantur, *fata mea,* id est diffortunia et eventus mei, *nunc mœsti* ac *senis.* Boetius quippe in juventa seu juventute sua in libris ac studio, in virtutibus atque scientiis compilationibusque librorum gloriabatur : in quibus etiam in senio suo consolationem quæsivit ordinate, in Deo, non in illis, finaliter persistendo, imo ad Omnipotentis honorem ac veram beatitudinem omnia referendo. Hæc est gloriatio bona et consolatio salutaris, de qua primo Machabæorum libro Jonathas loquitur : Solatio habemus sanctos I Mach. XII, 9. libros, qui in manibus nostris sunt. Hinc in Ecclesiastico fertur : Vinum et musica Eccli. XL, 20. lætificant cor, et super utraque dilectio sapientiæ. Senibus quoque gloria et consolatio magna est, tempore juventutis ac adolescentiæ studio sapientiæ et scientiæ profectuique virtutum efficaciter studuisse. — Porro fatum multipliciter sumitur, ut infra dicetur ; nuncque improprie capitur, pro eventibus ac diffortuniis : ad quæ influentiæ cœlestes aliquo modo disponunt, ut patebit inferius, ubi de fato tractabitur.

Ex his accendaris, o studens, ad expendendum dies adolescentiæ juventutisque tuæ sapienter ac fructuose, in omni profectu scientiæ ac virtutum, ut in novissimis tuis læteris. Etenim hujus rei doctrinam atque exemplum ostendit tibi natura in minusculo animante, utpote in formica, de qua in Proverbiis inducitur : Vade ad Prov. VI, 6-8. formicam, o piger, et disce sapientiam ; quæ quum non habeat ducem nec præceptorem, parat in æstate escam sibi, et congregat in messe quod comedat. In quibus verbis, per æstatem intellige juventutem ac adolescentiæ robur ; per messem, tempus abundantis instructionis. Quemadmodum ergo formica præparat ac reponit in æstate alimenta quibus opportuno tempore sustentetur, atque in messe colligit victualia quibus vescatur in hieme ; ita et tu in adolescentia et juventute, et dum bene eruditos habes magistros, fortiter stude exuberanterque profice, opulentiam gratiæ ac virtutum in mente tua reconde, conserva, corrobora, ex quibus in senio, adversitate et ægritudine, consolationem, refectionem ac constabilitionem accipias, quum et denuo Sapiens dicat : Quæ in juventute Eccli. XXV, 5. tua non congregasti, quomodo in senectute invenies ?

Consequenter ostendit Boetius cur præ-

tacta consolatione indiguit, tangendo mala A pœnæ quæ ex suo exsilio ceterisque adversis incurrit, dicens : *Senectus enim inopina,* id est improvisa, quam non opinabar tam celeriter adipisci, *venit,* id est, jam contigit mihi, *properata malis,* id est, festinantius solito eveniens mihi ex malis pœnalibus, adversitatibus, mœroribus, quibus affligor et diu vexatus sum ; *et dolor,* id est afflictio mea in mente et corpore, *jussit,* id est, per modum potenter jubentis fecit, *suam ætatem,* id est festinatam senectutem, mihi *inesse.* Nam B *cani intempestivi,* id est albi seu grisei pili, *funduntur vertice,* id est, in superiori parte capitis mei nascuntur aut diffunduntur : qui cani dicuntur « intempestivi », id est ante naturale ac solitum tempus exorti ; *et laxa cutis,* id est cutis corporis mei jam laxata, carnibus pro magna parte consumptis, sicque evacuata et rugosa effecta, *tremit,* quoniam naturalis calor sustentans ac erigens, deficit in eadem, *corpore effeto,* id est corpore meo consueta nutritione privato : quia captivis, incarce- C ratis, principi odiosis, pretiosa, fortia, calida alimenta, quibus assuetus fui in Roma, non exhibentur, nec hic mihi concessa sunt. Effeta vero dicitur res infertilis ex defectu caloris, seu extra fetum nutritionemve posita ; estque adjectivum, et dicitur effetum, quasi extra fetum.

Pro horum intelligentia, advertendum quod senectus est duplex. Una omnino naturalis, ex solito cursu naturæ proveniens : et communiter venit in senio, naturali calore deficiente. Frigiditas namque est ma- D ter albedinis, sicut calor, nigredinis. Alia accidentalis et quodammodo violenta, ex infirmitatibus, doloribus immoderatisque curis proveniens, aut etiam ex vigiliis et studiis diuturnis, atque infrigidatione penetrante ad interiora. Hinc in Ecclesiastico
Eccli. XXX, 26. scriptum est : Cogitatus ante tempus senectam adducet ; et sequenti ibi capitulo :
Ibid. XXXI, 1. Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum. Nempe ex cogitationibus talibus de ponderosis, nocivis ac terribilibus rebus, oriuntur in appetitu sensitivo afflictivæ passiones, ut timor, tristitia, mœror, quæ fiunt cum corporali transmutatione frequenter immoderate, secundum συστολήν et διαστολήν, id est cordis constrictionem et dilatationem : sicque distemperatur complexio naturalis, humor consumitur, vis naturæ debilitatur ; unde et cutis arescit, rugatur, ac tremit. Propter quod Salomon : Spiritus *Prov.* XVII, 22.
(inquit) tristis exsiccat ossa ; itemque : Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita *Ibid.* XXV, 20.
tristitia nocet cordi. Unde et Job in afflictionibus constitutus, de his loquitur : Cu- *Job* VII, 5.
tis mea aruit et contracta est ; et alibi : Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. *Ibid.* XVI, 9.

Denique tremor causatur in corpore, eo quod spiritus vitales soliti corpus erigere, ex frigiditate perdunt vigorem, ita quod pondus membrorum sustollere nequeunt : quumque membra pondere suo tendant deorsum, spiritus autem vitales pro viribus sursum, oritur ex contrariis conatibus illis ac motibus tremor, nec solum in senibus, sed et in timentibus, sanguine recedente a membris ad cor. Unde in libro Danielis habetur, quod genua Balthasar *Dan.* V, 6.
regis præ timore collidebantur ad se invicem.

Consequenter Boetius instar hominis vehementer desolati et præ adversitatibus mori optantis, deflet suæ vitæ prolongationem in tantis miseriis. *Mors hominum felix* est, *quæ inserit,* id est immittit, *se* ipsis hominibus *non* * *dulcibus annis,* id * *nec*
est tempore adversitatis et amaritudinis, *et sæpe vocata, venit mœstis,* id est, advenit hominibus tristibus, diu optata et frequenter postulata et invitata ab ipsis.

Porro mors quum sit privatio vitæ, nec aliquid positivum in se ipsa, non est felix neque secundum se appetibilis : imo in se et secundum se, et directe ac per se, est quædam corruptio atque miseria, nocumentum et pœna ac malum pœnale. Quum enim esse et vivere sint omnibus naturaliter appetibilia per se, constat quod corruptio eorumdem sit quid malum et

abhorrendum. Idcirco, secundum Philosophum, omnium terribilium terribilissimum est mors; et sapiens quidam asserit : Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium. Ex quo patet, quod mors non est directe de intentione naturæ nec Creatoris. Propter quod subditur ibi : Creavit enim ut essent omnia. Verumtamen mors dicitur felix per accidens, in quantum est terminus calamitatis : sicque appetitur a quibusdam. Imo etiam beata et pretiosa vocatur, in quantum est quasi janua vitæ æternæ, juxta illud in Psalmo : Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Non tamen debemus adversitates et tribulationes vitæ præsentis tam moleste impatienterve ferre, ut appetat quis mortem secundum se, et malit omnino non esse quam talia sustinere, sed debet potius ea æquanimiter tolerare ex rationabilibus causis, videlicet, pro suis peccatis, pro gratiæ incremento, pro dominicæ passionis imitatione, et ut per ea evadat futura supplicia, gloriosior quoque reddatur in beatitudine sempiterna. Hinc æternam damnationem merentur qui ut evadant adversa, tædia et tormenta vitæ præsentis, occidunt se ipsos. De hoc infra plenius dicam.

(Sap. I, 13.) (Ibid. 14.) (Ps. CXV, 15.)

Denique tempus in se non est amarum aut dulce, sed quædam ipsius motus mensura. Denominationem vero sortitur ab his quæ fiunt in tempore. Imo et ea quæ fiunt in tempore, tempori adscribuntur. Unde apud Matthæum ait Salvator : Sufficit diei malitia sua; et Apostolus : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Qui nihilo minus ad Corinthios scribit : Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

(Matth. VI,) (Ephes. V,) (II Cor. VI,)

Hinc deflet Boetius quod mors miseris eam cupientibus deest nec advenit; et more poetarum fatur de morte quasi de re subsistente, habente libertatem accedendi et occidendi dilate sive indilate, et recedendi atque parcendi, et ait : *Heu, heu!* id est, proh dolor! Et repetitio confirmatio dicti est, excitatio quoque ad attendendum. *Quam surda aure,* id est per modum auris surdissimæ, mors *avertitur* (deponentaliter), id est, avertit * ac despicit, *miseros* mori optantes, differendo venire et exstinguere eos, *et* ipsa mors *sæva negat claudere oculos flentes,* id est, protrahit vita et potestate videndi privare oculos miserorum, præ tædio vitæ ac desiderio mortis plorantium!

(* evitat)

Iste est modus loquendi poeticus, quum tamen mors non sit nisi privatio vitæ, et accidens corruptivum, sequens ex naturalibus causis aut violentis. Ista etiam est querela dolentium, afflictorum, miseriis oppressorum, qui interdum magis loquuntur secundum vehementiam suæ afflictionis impetumque doloris, quam secundum rectæ judicium rationis. Juxta quem modum sanctus Job dixit, afflictionibus plenus, Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo : prout istud infra limpidius exponetur, quia de horum plena expositione, multa restant dicenda. Nihilo minus oppressi suppliciis possunt mortem laudabiliter affectare secundum sensum prætactum, tanquam januam vitæ sequentis ac melioris, et item in quantum mors est finis præsentis afflictionis : sic tamen mors non est appetenda absolute, sed sub conditione, si et in quantum complaceat Deo. Sic quippe in Ecclesiastico ait Scriptura : O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, defecto ætate, et cui cura est de omnibus. Hinc item in libro Job scribitur : Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt?

(Job III, 3.) (Eccli. XLI, 3, 4.) (Job III, 20.)

Consequenter Boetius invehitur contra fortunam, quia et ipsa instar mortis, vago et incerto provenit cursu : et sicut mors frequenter insequitur fugientes, videlicet juvenes, fortes, divites, gloriantes, terrenis prosperitatibus abundantes, et fugit eam desiderantes, utpote miseros, desolatos; ita fortuna multoties magis arridet iniquis quam justis, nulli tamen stabiliter servat fidem in omnibus, nisi forsan perpaucis.

Fortuna vero est causa per accidens : et quid realiter sit, infra patebit. Itaque ait :

Dum fortuna malefida, id est infidelis, seu fidei malæ, *faveret levibus bonis,* id est, olim mihi arrideret in temporalibus bonis ac mundi honoribus, quæ vana et levia et quasi nullius momenti sunt comparatione spiritualium æternaliumque bonorum, in quibus temporalibus aliquando abundabam, tunc *tristis hora,* id est tempus mœroris, *merserat pene,* id est, fere in terram dejecit et amputavit, *caput meum.* Nam sicut præhabitum est, quando Boetius adhuc præfuit Romæ in consulatu, Theodoricus tyrannus ex odio insidiabatur Boetio, fecitque eum adjudicari proscriptioni aut morti, et in exsilium depulit eum. Illaque hora fuit tristis, secundum quod tempus sumit denominationem eorum quæ fiunt in tempore : propter quod tempus prosperitatis dicitur lætum, et tempus adversitatis triste vocatur. *Nunc,* videlicet tempore exsilii mei, *quia* fortuna *nubila,* id est obscura et mihi molesta, *mutavit vultum fallacem,* id est respectum suum deceptorium ac incertum (nam ante respexit me blando, arridenti prosperoque respectu, jam autem contrario), *vita impia,* id est crudelis et impiis sæpe favens, *protrahit ingratas moras,* id est, durationes exsistentiæ meæ mihi non placentes, et de quibus non ago grates, prolongat in hac conversatione molesta. Hæc profert Boetius poetico more et doloris affectu, non quod hominum vita regatur fortuna aut causis fortuitis, sed omnipotentis Dei providentia certa : quamvis vita præsens fortunæ partim subjaceat quantum ad naturales et proximas causas, et quoad causas per accidens, quæ omnes divinæ providentiæ sunt subjectæ, cujus respectu nihil est casuale neque fortuitum, ut infra tractabitur.

Denique propter hunc bipartitum fortunæ respectum, antiqui eam pingebant cum duplici vultu (uno anteriori, formoso, jucundo; alio posteriori, deformi ac mœsto), et cæcam, pedibusque carentem, ac alas habentem : quia incerta est, et qui ei innituntur ac credunt, spiritualiter excæcantur atque falluntur ; ipsa quoque velut avis, volat instabilis de uno ad alium. De qua in Anticlaudiano scribit Alanus :

Hæc est inconstans, incerta, volubilis, anceps.

Hinc in persona Fortunæ quidam effatur :

En ego Fortuna : si starem sorte sub una,
Et non mutarer, nunquam fortuna vocarer.

Istud ergo expertus, Boetius subdit : *Quid me felicem toties jactastis, amici?* hoc est, o amici, incaute me sæpe reputastis et affirmastis esse beatum : non enim fui perfecte simpliciterque felix censendus, quum ad beatitudinem requiratur secura in bonis stabilitas, quæ mihi non adfuit, quia *qui cecidit* et dejectus est a bonis, propter quorum eminentiam reputatus fuit beatus, *ille non erat stabili gradu,* id est in statu firmo atque immobili : quemadmodum ego, qui propter divitias, honores, dignitates, et consimilia quædam, beatificabar a multis, destitutus sum et privatus omnibus illis, et in has redactus miserias. Juxta hunc sensum beatus Job dixit : Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. *Job* XVI, 13

Postremo, posset hoc metrum tropologice seu moraliter exponi de quocumque fideli erudito, a grandi prosperitate ad vehementem miseriam devoluto : quales in novo Testamento plures fuerunt sancti episcopi, seu alii præsidentes ac eminentes personæ, ab hæreticis, regibus impiisque tyrannis aut perversis hominibus, a suis dignitatibus, officiis possessionibusve depulsi, atque in exsilium, carcerem aut mortem detrusi; et ad hos potest hæc littera faciliter applicari.

ARTICULUS IV

DUBIORUM HUJUS PRIMI METRI PROPOSITIO ET ABSOLUTIO.

JOANNES. — Placet mihi hæc expositio litteralis; verum circa nunc introducta occurrunt mihi dubia multa.

Quæro igitur primo, utrum Boetius fuit in veritate tam desolatus ac tristis, mortemque cupiens et de prolongatione suæ vitæ Deo ingratus, sicut in verbis his suis apparet. Si dicatur quod non, videtur ista mendose scripsisse : imo et ista scribendo, videtur scandalizasse legentes ac audientes, pusillanimitatem, inconstantiam, impatientiam et immoderatam prorsus tristitiam suam omnibus reserando. Si dicatur quod sic, objicitur quod in Proverbiis Salomon contestatur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit; itemque : Vir sapiens fortis est; et vir doctus, robustus ac validus. Quum ergo Boetius fuerit homo doctissimus, imo et virtuosus, nequaquam videtur quod ita succubuerit passionibus sensualitatis ac animi motibus, sed amore justitiæ, præsertim ex caritate Dei ac desiderio salutis æternæ, pertulerit æquanimiter universa, intuendo quod ait Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Denique philosophi concorditer docuerunt, quod sapientis est motibus passionum prævalere ac dominari.

Prov. xii. — Ibid. xxiv. — Rom. viii.

DIONYSIUS. — Boetium fuisse virum sapientiæ ac virtutum confidimus; nec ex impatientia, pusillanimitate, aliave vitiosa radice, eum ut sonant verba præhabita locutum putamus. Fuit tamen in inferiori sensitivaque parte animæ ejus tentatio quædam humana, et exsurrectio primorum motuum passionum jam præfatarum tristitiæ ac doloris et tædii vitæ : ita quod quantum ad sensitivum et naturalem quemdam affectum, maluisset per mortem a tot ac tantis afflictionibus erui, quam diutius in vita hac conservari. Sicque loquebatur secundum impetum et vehementiam quamdam hujusmodi passionum, ad declarandam dispositionem quam habuit in inferiori suæ animæ portione : ut scirent fideles quam dira et gravia toleravit, utpote a tanto principatu, consulatu, honore, fama, opulentia, libertate injuste dejectus, atque in tam ærumnosam exsulationem, captivitatem, incarcerationem ejectus; sicque ejus exemplo discamus, in consimilibus, aut saltem minoribus, in adversis patientiam custodire, pensantes quod talis ac tantus vir tot et tanta pertulerit propter justitiam et propter commune bonum.

JOANNES. — Istud satis dulciter, pulchre ac favorabiliter sonat pro præconizatione et honore Boetii : sed unde id probas, quum verba ipsius evidenter aliter sonent aliudque videantur prætendere?

DIONYSIUS. — Nescis? Imo quum scias quod idem ipse Boetius qui in persona afflicti, ægri, dejecti, loquitur præinducta, in sequenti mox prosa in persona loquitur Philosophiæ, verba utique sapientiæ, et quæ superior pars animæ ejus ex deliberatione sensit ac censuit, depromens : nonne advertis quod prædicta secundum sensualitatem expressit?

JOANNES. — Adverto et fateor, sed opto id certius comprobari; et quæro an in hujusmodi motibus passionum excessit.

DIONYSIUS. — Non oportet eum a culpis venialibus excusare : et quamvis motus primo primi, eo quod sint pure naturales, omni careant culpa, etiam veniali; motus tamen secundo primi, qui scilicet ex præ-

via apprehensione seu cogitatione nascuntur, venialiter sunt culpabiles. Porro an in aliquo horum mortaliter aliquando lapsus sit, Dominus novit. Et si sic, certum est eum inde efficaciter pœnituisse : imo creditur martyr esse, ab eodem tyranno hæretico diu vexatus ac dira morte occisus, ob eamdem aut similem causam, a quo et ob quam Joannes Papa et Symmachus consularis perempti sunt.

Præterea mirari non debes Boetium taliter esse locutum, quum etiam sanctissimi viri Job ac Jeremias multo dolorosius B et (ut prima facie posset videri) immoderantius sint locuti. Scriptum est namque in libro Job : Aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et ait : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo; quia non conclusit ostia ventris qui portavit me. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Et multa his consimilia ibi leguntur. Sic et Jeremias ait : Maledicta dies in qua natus sum; maledictus vir C qui annuntiavit patri meo, dicens, Natus est tibi puer masculus; maledictus qui non interfecit me a ventre, ut fieret mihi mater mea sepulcrum.

Job III, 1-3, 10-12.

Jer. xx, 14, 15, 17.

Joannes. — Nonne tu nosti quod S. Gregorius quarto Moralium perhibet verba illa beati Job non posse ad litteram accipi et exponi, sed mystice tantum, et idem affirmat de verbis Jeremiæ prætactis?

Dionysius. — Novi, et nihilo minus S. Thomas de Aquino, doctor eximius, omnia verba illa vere ac subtiliter exponit D ad litteram.

Joannes. — Est ergo inter tantos doctores dissensio?

Dionysius. — Non, quoniam ex diversa consideratione locuti sunt. Verum est enim quod verba illa sanctorum litteraliter exponi non queant, si intelligantur quasi ex deliberata ratione prolata : et sic sumpsit ea Gregorius. Si autem accipiantur quasi ex parte sensualitatis enuntiata, ad litteram possunt exponi : et ita exposuit Tho- A mas. De hoc super Job et super Jeremiam diffusius scripsi.

Cf. t. IV, p. 340 C et s. IX, p. 166 B et s.

Joannes. — Satisfactum mihi est a te. Sed quæro circa versiculum illum,

Has saltem nullus potuit pervincere terror :

ubi dixisti, quod vera et spiritualia hominis bona, puta sapientia, scientia et virtutes, nequeant ei invito auferri. Contra quod arguo : nam unus potest sophistice arguendo seducere alium, imo et per probabilia argumenta ipsum inducere ad errores sanæ doctrinæ ac fidei virtutibusque contrarios, quemadmodum hæretici innumerabilia millia deceperunt fidelium; frequenter quoque unus trahit alium ad motus passionum prædominantes, per quos virtutes perduntur, ratio excæcatur, et sapientia salutaris amittitur.

Dionysius. — Nemo peccat nisi aliquo modo volens. Quamvis ergo unus sit alteri peccandi et errandi occasio, non tamen causa directe, nec absolute necessitas, præsertim loquendo de errore rationem peccati habente : nam invincibilis error et ignorantia facti, debita cautela adhibita, excusant totaliter a peccato. Verum in his oportet nos prolixitatem vitare.

Joannes. — Breviter, quæso, responde quid tenacius adhæreat homini, scientia an virtus.

Dionysius. — Quædam sunt virtutes infusæ quæ vel quantum ad suam essentiam, vel quantum ad suum esse formatum, amittuntur per quodcumque mortale peccatum : ut caritas, fides, spes, pœnitentia, latria, humilitas, patientia, etc. Caritas quippe cum mortali peccato inesse non valet, quia non potest esse informis. Fides vero et spes possunt esse informes, et quoad esse suum informe, sine caritate haberi; non autem quoad esse formatum, quod a caritate et actibus virtuosis sortiuntur, sine quibus fides mortua perhibetur. Similiter et spes. Idem quoque dicendum de septem donis Spiritus Sancti quod de caritate : idcirco sapientia et scientia prout inter dona hæc computantur,

Jacob. II, 17, 20, 26.

per quamcumque culpam amittuntur mortalem. Quum ergo simus proniores ad peccandum quam ad obliviscendum, constat quod hoc modo scientiæ acquisitæ firmius insint quam virtutes infusæ aut dona. Quemadmodum enim scientiæ acquisitæ multis actibus acquiruntur, ita et actibus multis successive perduntur : similiter et acquisitæ virtutes. — Si autem quæratur, quid permanentius tenaciusque inhæreat, acquisita scientia, an virtus acquisita; dicendum, quod in his potest esse excedens et excessum, et possunt quædam scientiæ acquisitæ firmius inhærere quibusdam virtutibus acquisitis, et econtra : et loquor de scientiis et virtutibus secundum conformem gradum perfectionis. Communiter tamen loquendo, scientiæ inhærent tenacius : quod non solum ratio, sed et experientia pandit. Proniores enim sumus ad vitia, magisque infecta est vis affectiva quam intellectiva; plura quoque nos incitant, tentant, inclinant ad peccandum, quam ad scientiæ oblivionem. Cernimus etiam quod boni scholares in devotione nutriti, pravis consortiis se jungentes, multo celerius atque facilius amittunt acquisitas virtutes quam scientias acquisitas; et multo majori indigemus custodia et labore ad conservandas virtutes quam ipsas scientias. Verumtamen quidam aliter dicunt, allegantes pro se Eustratium episcopum quemdam Græcorum, et Albertum ; sed nihil concludunt. Imo quum virtutes morales versentur circa actus humanos reformationesque passionum, in quibus variatio multa consistit, scientiæ vero sint immutabilium rerum ; idcirco tam ex parte objecti quam ex parte subjecti, major est permanentia firmitasque scientiæ quam virtutum moralium.

Joannes. — Quæro demum circa illud :

Mors hominum felix, quæ se non dulcibus annis*
Inserit, et mœstis sæpe vocata venit.

* nec

Videtur enim illud falsum, quia felicior vita est in adversis quam in prosperis : nam multo salubrius est in hac vita adversitatibus exerceri, desuper castigari, paterne argui, quam in divitiis, deliciis et honoribus vivere. Propter quod Dominus loquitur : Ego quos amo, arguo et castigo. *Apoc.* III, 19. Ergo multo infelicior est mors quæ in dulcibus annis seu prosperitatis tempore venit, quia tunc mori periculosius est.

Dionysius. — Sicut prætactum est, Boetius loquitur hæc ex persona hominis desolati, mœroribus pressi, terrenam prosperitatem appretiantis, oculum non habentis ad futurum Dei judicium ac præmium sempiternum. (*Cf.* p. 29 C et s.) In veritate vero expedit potius mori quam vivere in peccatis, ut etiam Aristoteles contestatur. In adversitatibus autem et castigationibus vivere patienter, sicque in præsenti purgari, præcipuum donum est Salvatoris.

Joannes. — Postremo quæro, an homo in vita hac possit felix vocari.

Dionysius. — Salvator apud Matthæum octo ponit beatitudines : Beati (inquiens) pauperes spiritu; beati mites; beati qui lugent; beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; beati misericordes; beati mundo corde; beati pacifici; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. (*Matth.* V, 3-10.) Est ergo duplex beatitudo : una viæ, alia patriæ. Beatitudo viæ est meritum, dispositio et inchoatio quædam felicitatis futuræ, quæ est præmium beatitudinis viæ. Unde in qualibet beatitudine quam in Matthæo Dominus ponit, duo tanguntur : unum ut meritum, aliud ut præmium. Itaque constat hominem in vita hac posse esse ac dici beatum beatitudine viæ, quæ est imperfecta felicitas, non beatitudine patriæ, nisi quadam participatione.

Denique quæstionem hanc movet Philosophus primo Ethicorum, recitans ibi quorumdam opinionem; et asserit hominem hic posse esse felicem secundum quid, non simpliciter. Beatitudo enim consistit in actu, imo est optima et perfectissima actio quædam, quam nemo in isto exsilio potest indesinenter et sine interruptione habere. Loquitur item Philosophus in libro Ethicorum de duplici felicitate, puta : de civi-

li, politica, exteriori, quam ponit in actu prudentiæ; atque de felicitate contemplativa, interiori, divina, quam in actu sapientiæ statuit. Quarum nulla potest in vita hac perfecte haberi : nam et in vita præsenti non cognoscimus Deum nisi per speculum in ænigmate, hoc est, per fidem et per similitudines creaturarum, atque per sapientiæ donum prout in hac vita potest haberi; nec in ulla beatitudinum harum continuitas est neque securitas, quoniam multa mala tam pœnæ quam culpæ, utrique beatitudini huic contraria, occurrunt homini in hac vita.

1 Cor. XIII, 12.

PROSA PRIMA

HÆC dum mecum tacitus ipse reputarem, querimoniamque lacrimabilem stili officio designarem, adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus et ultra communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris : quamvis ita ævi plena foret, ut nullo modo nostræ crederetur ætatis. Statura discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur : quæ quum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiumque sese hominum frustrabatur intuitus. Vestes erant tenuissimis filis, subtili artificio indissolubilique materia perfectæ : quas (uti post, eadem prodente, cognovi) suis manibus ipsa texuerat. Quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. Harum in extremo margine Π, in supremo vero Θ, legebatur intextum; atque inter utrasque litteras in scalarum modum gradus quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiori ad superius elementum esset ascensus. Eamdem tamen vestem violentorum quorumdam sciderant manus, et particulas, quas quisque potuit, abstulerant. Et dextera quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gerebat.

Quæ ubi poeticas Musas vidit nostro adsistentes toro fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper, ac torvis inflammata luminibus : Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nullis foverent remediis, verum dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim quæ infructuosis affectuum spinis, uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem profanum (uti vulgo solitum) nobis blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem : nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis enutritum... Sed abite potius, Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum Musis curandum sanandumque relinquite.

His ille chorus increpitus dejecit humi mœstior vultum, confessusque rubore verecundiam, limen tristis excessit. At ego, cujus acies lacrimis mersa caligarat, ne dignoscere possem quænam esset hæc mulier tam imperiosæ auctoritatis, obstupui,

visuque in terram defixo, quidnam deinceps esset actura, exspectare tacitus cœpi. Tum illa propius accedens, in extrema lectuli mei parte consedit; meumque intuens vultum luctu gravem atque in humum mœrore dejectum, his versibus de nostræ mentis perturbatione conquesta est.

ARTICULUS V

EXPLANATIO PROSÆ HUJUS PRIMÆ.

p. 22 B. SICUT præhabitum est, liber iste sapien- A tialis, partim philosophicus et partim theologicus, per modum dialogi est conscriptus : et sicut Boetius in prima proœmii hujus parte, videlicet metro mox præcedente, in persona ægri, valide desolati mortemque cupientis locutus est secundum naturalis et sensitivi appetitus dispositionem ; ita nunc loquitur secundum rationis deliberationem et intellectivæ partis judicium, in persona Philosophiæ, quam sub apparatu ac specie formosæ introducit atque describit puellæ seu feminæ : quam B describit, primo quantum ad ejus personam, secundo quantum ad dispositionem ejus in vultu ac oculis. Est itaque sensus et ordo verborum :

Dum ipse Boetius *reputarem tacitus mecum hæc,* id est, silenter intra me cogitarem et quasi vera esse putarem quæ in præhabito scripta sunt metro, et *designarem officio stili,* id est, scripto commendarem, *lacrimabilem querimoniam* de adversitatibus et afflictionibus meis ; *visa est,* id est apparuit, *mihi adstitisse supra* C *verticem,* id est capitis summitatem, *mulier reverendi admodum vultus,* id est femina habens maturum valde et venerabilem apparatum, *ardentibus oculis et perspicacibus,* id est oculis claris, acutis et igneis, *ultra communem hominum valentiam,* id est vigorem seu potestatem, *colore vivido,* id est, vivacem et delectabilem habens colorem, *atque* exsistens *inexhausti vigoris,* ita quod vigor ejus ac viror non videbatur consumptus neque deficiens, sed in virtute sua fortiter permanens.

Per mulierem hanc philosophia significatur. Quæ per mulierem designatur potius quam per virum. Primo, quia hoc nomen, philosophia, quum sit feminei generis, a passiva proprietate imponitur : quæ proprietas convenit feminis, quarum est concipere ac subjici viris, quemadmodum in Genesi Deus legitur dixisse ad feminam primam : Sub viri potestate eris, *Gen.* III, 16. et ipse dominabitur tui. Secundo, quoniam sicut femina desponsatur ac traditur viro, sic philosophia homini studioso et cunctis professoribus suis. Unde in libro Sapientiæ fatetur amator pudicus de sapientia ipsa : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, *Sap.* VIII, 2. et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. Tertio, quia quemadmodum mulieris est concipere, parere ac suis uberibus alere prolem, eamque pie tractare ac fovere in gremio, condolere et consolari eamdem ; sic philosophia concipit salubre propositum, parit actum laudabilem, scientiis speculativis ac practicis tanquam duobus uberibus nutrit animam studiosi. Et de hoc Plato in Phædone tractat diffuse : Philosophi, inquiens, non est in rebus sensibilibus atque carnalibus oblectari, sed divinorum considerationibus recreari ac refici. Aristoteles quoque in Ethicis : Sapiens, ait, non quærit extra se in vilibus delectari, quoniam intra se jucundis theorematibus plenus est.

A Quarto. nam sicut mulier sua dispositione, loquela, conversatione, attactu, allicit et inflammat cor viri; sic philosophia suo decore ac rhetoricali facundia, pertractatione ac studio, mentes accendit recte studentium, ita ut inde vix queant avelli. Unde dum S. Gregorius Nazianzenus adhuc adolescens studeret Athenis, adstiterunt sibi in somno quasi speciosissimæ duæ puellæ, manus super ipsum ponentes. Quas quum ille cum ingenti indignatione repelleret, dixerunt : Cur nos, o bone et caste adolescens, ita repellis, B quum simus tibi admodum familiares et caræ? Siquidem una nostrum Sapientia, alia Castitas nuncupatur. Hinc in libro *Sap.* VIII, 9, 16. Sapientiæ habetur : Scio quoniam sapientia mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei; intrans in domum meam, conquiescam cum illa.

Propterea, etiam theologia per sponsam et puellam seu feminam designatur; et sicut Boetius hunc edidit librum de Consolatione philosophiæ, C sic quidam doctores theologicæ facultatis composuerunt tractatus de Consolatione theologiæ. Ideo in Pro- *Prov.* VII, 4. verbiis Salomon exhortatur : Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca amicam.

Verum his objici potest, quia ut fertur in libro de Virtutibus philosophorum, antiqui figurabant prudentiam seu sapientiam sub persona philosophi sedentis in cathedra, temperantiam vero sub persona puellæ seu virginis. Et respondendum, non esse inconveniens eamdem rem se- D cundum diversas suas proprietates et actiones per diversa figurari et exprimi : sicut et increata ac genita Sapientia prout unigenitus Filius Dei et Verbum æternum vocatur, sponsus dicitur animarum sanctarum; atque ut Sapientia, idem ipse sponsa nominatur spirituum devotorum.

Joannes. — Quæro, an apparitio ista quam hic describit Boetius, sit ab eo conficta, vel vere habuerit eam.

Dionysius. — Ad hoc æstimo respondendum, quod istud incertum sit, et potest utrumque opinari. Verius tamen puto, quod Boetius eam excogitavit. Non tamen ob id debet dici conficta, neque figmentum : non enim intentione fallendi, sed instruendi, eam composuit, volens nunc sub persona Philosophiæ, nunc sub persona ægri, sic loqui. Sic nempe, ut in Luca legitur, Christus post resurrectionem finxit se longius ire : quod egit ad aliquid *Luc.* XXIV 28. designandum, ut sanctus exponit Gregorius. Denique super illud Job, In horrore *Job* IV, 13 16. visionis nocturnæ stetit imago coram oculis meis, etc., S. Thomas relinquit sub dubio, an visio illa fuit conficta, an vera. Lyra vero opinatur, quod fuit ficta. Verumtamen Gregorius et Albertus exponunt eam ut vere exhibitam.

Præterea, quia Boetius describit philosophiam sub nomine mulieris, hinc ea quæ ad decorem et eminentiam pertinent mulieris, adscribit imaginatæ mulieri quæ visa est ei, ad insinuandum excellentiam et pulchritudinem philosophiæ. Quæ etiam super verticem capitis Boetii stetisse describitur, ad denotandum altitudinem philosophicæ veritatis, et quod ipsa consistit in suprema vi animæ, utpote intellectu. Per reverendum vero vultum Philosophiæ, intelligitur morum venustas quam philosophia inducit ac docet; honorabilitas quoque philosophicæ facultatis : nam ut in exordio libri de Anima continetur, scien- *Aristoteles* tia est de numero bonorum honorabilium. Unde Seneca protestatur, quod nunquam in tantum convalescet vulgi malitia, quin nomen philosophi honorabile permanebit. At vero per oculos ardentes et supra communem vim hominum perspicaces, intelligi possunt intellectus agens atque possibilis, qui distinguuntur realiter; ratio quoque superior et inferior, quæ non re sed ratione distinctæ sunt; seu habitus potentiarum istarum, ut sapientia et scientia, quæ summi boni amore saltem naturali perficiuntur; contemplationes quoque

et perscrutationes philosophiæ subtiles. Vividus vero color Philosophiæ accipi potest exemplaritas ejus exterior (sicut hortatur Apostolus, Honeste ambulate ad eos qui foris sunt ; et Salvator, Luceat lux vestra coram hominibus) ; seu relucentia ejus et claritas qua fulget ad alios, quemadmodum Salomon fatetur : Sapientia prudentis lucet in facie ejus.

ess. IV. *tth.* V, *r.* XVII, *Eccle.* I.

Deinde Philosophia fertur « inexhausti vigoris », quoniam profunditatem ejus nemo potest perspicere, nec ipsam plenarie adipisci : imo, ut asserit Plato, ea quæ scimus, minima sunt respectu eorum quæ ignoramus; Aristoteles item testatur, quod sicut se habet oculus vespertilionis ad lumen solis, sic intellectus noster ad eorum notitiam quæ manifestissima sunt natura, id est, ex sua natura sunt præcipue cognoscibilia, quum ex sua natura sint potissime actualia atque formalia. Est etiam « inexhausti vigoris », id est insuperabilis firmitatis ac jugiter perseverans, quantum ad ea quæ demonstratione in ipsa probantur: sic etenim est eorum quæ aliter nequeunt se habere.

Quamvis ita ævi plena foret, etc. His verbis Boetius describit philosophiam quantum ad ejus durationem : nam ab exordio mundi cœpit philosophia. Imo revera primo parenti est concreata : infusa enim et concreata est primo homini scientia naturalis, per quam rerum naturas mox conditus novit, cunctisque animalibus imposuit nomina, ut in Genesis libro habetur. Atque ut ait Philosophus, propter admirari cœperunt homines philosophari. Imo secundum ejus opinionem, philosophia fuit ab æterno sicut et mundus : propter quod dixit easdem opiniones infinities iterari. Sed illa opinio absolute est falsa.

n. II, 19.

Itaque sensus est, quod philosophia est « inexhausti vigoris », sicut expositum est, *quamvis,* id est non obstante quod, *foret ita ævi plena,* id est perpetuæ seu antiquissimæ durationis, *ut nullo modo crederetur* esse *nostræ ætatis,* id est tam brevis durationis ut individua quæque sunt apud

A nos. Nam et philosophia in animabus permanet separatis, nec corrumpitur nisi per accidens et in particulari, non autem in universali. Potest enim corrumpi in certo subjecto ; et ut aliqui dicunt, corrumpitur ebrietate, somno, nimia interruptione, et magna infirmitate : et certum est quod ista actum philosophiæ impediunt, atque in tantum excrescere continuarique possent, quod habitum quoque auferrent. Est etiam philosophia in intelligentiis « ævi plena », id est perpetua, quoniam omnis B intelligentia plena est formis atque scientiis, ut fertur in libro de Causis.

Denique his verbis de ævo philosophiæ consonat quod de sapientia ait Scriptura, imo quod in Ecclesiastico ait Sapientia ipsa : Ab initio et ante sæcula creata sum, etc. ; in Proverbiis quoque : Dominus possedit me in initio viarum suarum. Et alibi quoque dicitur : Clara est et quæ nunquam marcescit sapientia.

Eccli. XXIV, 14. *Prov.* VIII, 22. *Sap.* VI, 13.

Consequenter ostendit staturam mulieris hujus seu Philosophiæ, hoc est spiritualem magnitudinem seu parvitatem C ipsius.

Statura discretionis ambiguæ erat : id est, certo discerni et judicari non potuit quanta esset proceritas aut pusillitas Philosophiæ. Quod consequenter declarat. *Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat,* id est, ipsa Philosophia interdum « sese cohibebat », id est, retraxit se intra se, et coaptavit se « ad communem hominum mensuram », proportionando suam doctrinam capacitati D mediocri vulgarium, docendo quæ tales satis faciliter intelligere queunt, ut quæ in libris Physicorum et Ethicorum traduntur. Sic et Apostolus suis scribit discipulis : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed tanquam carnalibus ; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non solidum cibum. *Nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur,* id est, Philosophia « videbatur » interdum « pulsare cœlum », id est, se tam alte extendere quod cœlestia corpora tangere

I *Cor.* III, 1, 2.

videbatur, tractando de astronomia, et A de naturis, motibus, viribus, influentiis orbium et planetarum ac siderum : an epicycli et eccentrici sint ponendi, an inter orbem et orbem sit aliquod intermedium corpus, an planetæ suis motibus scindant ac dividant suos orbes. Sic, inquam, cœlum pulsare seu attingere videbatur « cacumine verticis summi », id est altitudine considerationis suæ valde sublimis.

Quæ quum caput altius extulisset, id est, dum Philosophia hæc considerationem B suam adhuc ad sublimiora elevasset, *ipsum etiam cœlum penetrabat,* id est, usque ad perscrutationem et cognitionem immaterialium rerum pervenit, utputa substantiarum separatarum et intelligentiarum a quibus cœlestia corpora moveri dicuntur; *respicientiumque sese hominum frustrabatur intuitus :* id est, ipsa Philosophia se erexit et volavit tam alte quod homines suo intellectuali visu nequibant eam attingere, intelligere, penetrare ; sicque Philosophia « frustrabatur », id est, ab effe- C ctu (utpote visione sui) impedivit, mentes studentium. Hoc fit dum philosophia pertingit usque ad speculationem primæ causæ, a cujus plena notitia omnis creatura deficit infinite. Verumtamen quidam subtiliores tam profunde de ea scrutati sunt et locuti, ut major pars hominum capere nequeat.

Itaque omnia ista de sublimitate ac varietate staturæ ipsius Philosophiæ, spiritualiter sunt sumenda : ita quod philosophia asseritur se in altum et usque ad cœlos D ac supra cœlos extendere objective, in quantum versatur circa objecta magis aut minus difficilia, sublimia seu divina, ad quæ pertingit non reali aut materiali extensione, sed spirituali protensione, tanquam ad terminos considerationum suarum. Juxta quem sensum ait Salvator : Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum ; Apostolus quoque : Nostra conversatio in cœlis est. Sicque Augustinus affirmat, quod anima hominis verius est ubi amat, quam ubi animat. Sic etiam uno modo intelligi potest quod in Ecclesiastico Sapientia protestatur : Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis ; gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi. Verum hoc melius litteraliusque de Sapientia increata exponitur, quæ ibidem præmittit : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Denique, etiam juxta hunc modum loquendi, de simplicissimo, incircumscriptibili et immaterialissimo Deo in libro Job perhibetur : Excelsior cœlo est, et profundior inferno ; longior terra mensura ejus, et latior mari.

Matth. VI, 21.
Philipp. III, 20.
Eccli. XXIV, 7, 8.
Ibid. 5.
Job XI, 8, 9.

Hinc describit Boetius Philosophiæ ornatum extrinsecum, puta vestitum, dicendo : *Vestes* Philosophiæ *erant perfectæ,* id est formatæ et contextæ, *tenuissimis filis* tanquam ex remota materia, *subtili artificio,* id est perita arte texendi, sicut a causa formali formante et quodammodo efficiente, *indissolubilique materia* velut ex causa materiali proxima ; *quas* vestes *ipsa* Philosophia *texuerat manibus suis, uti post,* id est postea, *cognovi, eadem* Philosophia *prodente,* id est, mihi hoc propalante et exponente.

Per vestes Philosophiæ quidam intelligunt partes subjectivas seu species philosophiæ, videlicet septem artes liberales. Quorum expositioni objici potest, quod species philosophiæ sunt essentialiter idem cum ipsa, quum et ipsa prædicetur de illis quidditative, quemadmodum genus de speciebus ; vestes vero sunt extrinsecæ rei, nec idem cum ejus essentia. Alii per vestes Philosophiæ intelligunt philosophicos libros, in quibus philosophia tanquam in signis continetur, sicut vestitus sub vestimentis. Aptius autem per vestes Philosophiæ intelligendæ videntur laudabiles actiones, utiles exercitationes et virtutes quas docet philosophia, expositiones quoque philosophicorum librorum : quia his omnibus spiritualiter operitur philosophia ac decoratur. Nam scientia sine virtute et actibus bonis, est informis et nuda, sicut

materia sine forma. Hinc apostolus Jaco- A
cob. III, bus in sua ait Canonica : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam. Verumtamen prætacta expositio illa potest defendi. Nam species sunt extra generis intellectum, superadduntque generi essentiales perfectiones, quæ non continentur in genere nisi virtualiter atque implicite : sicque species sunt ornamenta generis sui.

Porro per tenuissima vestium harum fila, signantur subtilissimæ considerationes, ex quibus habitus scientialis genera- B
tur in intellectu, vel circumstantiæ virtuosarum actionum acute consideratæ. Artificium autem subtile, est vis instructiva, seu habitus scientiæ quo quis edocet alium quæ ad philosophicam pertinent veritatem. Indissolubilis demum materia vestium harum, sunt objecta scientiarum ac virtutum, seu potius formales rationes objectorum hujusmodi: nam et variabilium rerum rationes formales invariabiles sunt. Hinc scientia, invariabilium, perpetuorum ac necessariorum dicitur esse. Etenim, quam- C
vis homo sit corruptibilis, attamen hominem esse animal rationale, indissolubiliter verum est. Et sive homo actualiter et exsistentialiter sit, sive non, nihilo minus ratio illa hominis vera est. Unde Porphyrius dixit : Sive Socrates sit, sive non sit, Socrates semper est homo, quamvis quidam non intelligentes, id negent. Has insuper vestes philosophia propriis manibus format et texit, quoniam ipsa est ad bene agendum, ad rite exercitandum, ad vere exponendum dirigens ac inducens, secun- D
dum quod habitus est operandi principium. Manus vero philosophiæ, sunt virtus et efficacia ejus ad ista agenda; seu regulæ directivæ : ut quod occasiones peccandi vitandæ sint, quod exercitia scholastica sint indefesse continuanda, quod addiscentem oporteat credere, et consimilia.

Consequenter ostendit Boetius imperfectionem vestium Philosophiæ. *Quarum* vestium *speciem,* id est pulchritudinem, *quædam caligo neglectæ vetustatis obduxerat,* id est operuerat, *veluti* caligo *solet* obducere et fuscare *fumosas imagines,* quæ primo sunt speciosæ, sed fumo adveniente eisque adhærente obscurantur. Sic et vestium philosophiæ formositas obnubilatur caligine « vetustatis neglectæ », id est tenebris ignorantiæ, admixtione errorum, imperfectione notitiæ veterum philosophorum, quorum philosophia valde fuit imperfecta et in multis erronea, præsertim Epicureorum : quorum opiniones Aristoteles in libris suis passim narrat ac improbat, puta Democriti, Zenonis, Empedoclis et Leucippi. Philosophiam quoque Platonis in multis impugnat. Nihilo minus B. Augustinus Platonem Aristoteli præfert, libro octavo de Civitate Dei affirmans : Plato ceteris philosophis gentium longe ac recte prælatus est. Sed et Aristotelis philosophia non caret erroribus, prout in libro de Universo declarat Guillelmus Parisiensis. Rursus, vestitus et decor philosophiæ, comparatione vestium ac decoris theologiæ tenebrosus consistit.

Hic designat Boetius divisionem philosophiæ in speculativam et practicam, dignitatisque ordinem inter eas; ut sit sensus : Π Græcum, id est littera illa Π prout in Græco formatur ac scribitur, quæ ita designat scientiam practicam, vel vitam activam, *legebatur intextum,* id est exarata opere textrino, *in extremo margine,* id est infima inferiorive parte, *harum* vestium : ad designandum quod quædam partes seu species philosophiæ sunt practicæ, ut sunt, ethica, œconomica, politica, quæ et speculativis scientiis sunt inferiores. Θ *vero,* id est littera illa Θ prout in Græco sonat ac scribitur, legebatur intextum *in supremo* margine vestium præfatarum : sic quippe significat speculativam scientiam contemplativamve vitam (puta theoricam), quæ eminentiores sunt scientiis practicis et vita activa.

Atque quidam gradus, id est scalares ascensiones, *videbantur insigniti,* id est distincte dispositi eleganterque ordinati, *inter utrasque* has *litteras,* hoc est inter Π et Θ:

ad insinuandum, quod paulatim ac ordi- A nate sit ascendendum ab inferiori scientia ac vita ad superiores, videlicet ab ethica ad theoricam, atque a sensibilium scientia ad insensibilium contemplationem : ideo subditur, *in modum scalarum*, id est, sicut in scalis est distinctio et ascensus a gradu in gradum. *Quibus* gradibus *ab inferiori* littera, puta a Π, *esset ascensus ad superius elementum*, puta Θ, litteram altiorem.

Hic nil aliud designatur nisi quod philosophia in practicam et speculativam dividitur, et quod speculativa præstantior B est scientia practica, sicut et contemplatio actione, seu vita contemplativa, activa. Et hoc verum est loquendo in genere. Non enim inconveniens est quamdam scientiam practicam nobiliorem esse quadam scientia speculativa : ut ethica, œconomica et politica digniores dicuntur partibus mathematicæ quæ tractant de quantitate continua et discreta, hoc est de numero et magnitudine, ut arithmetica et geometria. Denique vitam contemplativam nobiliorem esse activa, multipliciter probat Philo- C sophus in Ethicis, rationibus multis, doctores quoque super illud in Luca : Maria optimam partem elegit. Est enim divinior, et magis continua, et circa excellentiora objecta ; sed et magis sibi sufficiens, et permanet in futuro. Idem proportionabiliter dici potest de scientia speculativa respectu practicæ : practicæ namque scientiæ sunt de operabilibus per nos, speculativæ vero de incorruptibilibus. Nec verum est, quod sola moralis sit practica (quamvis Eustratius super Ethicam, et Al- D gazel in sua Physica, sic fuerint opinati), quum et medicina sit practica : imo Avicenna medicinam in speculativam (seu theoricam) practicamque partitur.

Cf. I XXIII, p. 581 B', C'. *Luc.* X. 42.

Præterea quæritur, cur in veste Philosophiæ potius asserantur scripta fuisse Π et Θ Græca, quam Latina aut linguæ alterius. Ad quod quidam respondent, quod ideo, quoniam studium philosophiæ primo incepit in Græcia. Sed hoc falsum est aut incertum : imo ut habetur ex chronicis, et in libro de Civitate Dei inducitur, prius incepit apud Ægyptios. Unde in primo Timæi refertur, quod dum Solon ex Græcia, unus de septem sapientibus, intrasset Ægyptum atque cum sacerdotibus Mempheos contulisset, dixerunt : Non est in vobis, o Solon, ulla cana scientia. Verum octavo de Civitate Dei recitat Augustinus, quod studium philosophiæ fuit apud Græcos antequam apud Latinos. Multum etiam crevit et auctum est inter Græcos : nam et Plato et Aristoteles, philosophorum præcipui, Græci fuerunt. Et quantum ad hoc potest verificari quod primo majori volumine disseruit Priscianus : Omne eloquentiæ ac sapientiæ genus a Græcorum fontibus emanavit.

Præterea Boetius respondet objectioni qua quis sic posset arguere : Jam dixisti vestes Philosophiæ « indissolubili » esse contextas « materia ». Ergo dissolvi non queunt : cujus tamen oppositum cernimus. Itaque ait : *Manus tamen quorumdam violentorum sciderant eamdem vestem, et abstulerant particulas* vestis illius *quas quisque potuit* auferre.

« Manus » istæ « violentorum », sunt studia et conatus carnalium hominum, qui nec intenti sunt philosophiæ, nec ejus acquiescunt doctrinæ : imo bonis moribus et exercitiis philosophicis ac sapientialibus adversantur, atque pro posse impediunt ac destruunt ea, saltem in parte. Quemadmodum juvenis quidam lascivus videns unum de magnis philosophis legentem suis discipulis, irrisit ac dixit : Mallem esse inter puellas quam inter philosophos. Cui ille respondit : Nec mirum, quia et porci magis delectantur in luto et cœno quam in limpidis aquis. Violenti quoque possunt intelligi quidam curiosi et vani, qui persuasionum suarum figmentis nituntur vera documenta subvertere, et suas novitates ingerere. Quasi dicat Boetius : Quamvis vestis philosophiæ sit ex materia indissolubili facta ex parte objecti, nihilo minus potest corrumpi, scindi ac minui ex parte fragilis sui subjecti, quod decipi

potest et flecti. De talibus violentis in Pro- A
Prov. I, 22. verbiis habetur : Usquequo stulti ea quæ sibi nociva sunt cupient, et imprudentes odibunt scientiam?

Sed quæritur, cur hic singulariter dicat, « vestem eamdem », quum nunc pluraliter dixerit, « vestes erant ». Ad quod potest quis dicere, quod hoc loco per vestem intelligit vestium illarum congeriem, vel singulare ponitur pro plurali.

Et dextera ejus, scilicet Philosophiæ, *quidem,* id est pro certo, *libellos gerebat; sinistra vero* Philosophiæ gestabat *sce-* B *ptrum.* Quia ut dictum est, philosophiæ est alios informare, ad quod designandum habebat libros in dextera; et eos etiam gubernare, ad quod innuendum videbatur habere in manu sinistra sceptrum : per dexteram Philosophiæ intelligi potest vis seu efficacia instruendi; per sinistram, vis ac dignitas præsidendi. Quumque ad gubernandum primo atque potissime necessaria sit ipsa prudentia, et legum juriumque peritia, ex quibus dependet rectitudo in disponendo, regendo ac corrigendo, et C omnis fructificatio præsidentialis officii; recte asseritur Philosophia libros habuisse in dextera. Nempe princeps illitteratus, est velut asinus coronatus. Hinc scri-
Sap. VI, 23. ptum est in libro Sapientiæ : Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. Per sceptrum quoque, quod est signum regiæ dignitatis, designatur justitia auctoritasque regalis. Nam et justitia ad reges, principes ac judices præcipue spectat
Ibid. I, 1. (juxta illud libri Sapientiæ : Diligite justitiam, qui judicatis terram), quia ipsorum D est unicuique quod suum est reddere. Imo ut Aristoteles fassus est, judex debet esse quasi lex viva et animata justitia, quia ad ipsum tanquam ad medium, et velut ad quamdam justitiam legisque exsecutorem ac veritatis ministrum, confugiunt subditi. Hinc Augustino testante, ablata justitia, princeps et rex est tyrannus, et regna sunt quasi latrocinia magna.

Quæ ubi poeticas Musas vidit, etc. Jam supra descripsit Boetius Philosophiam sub similitudine mulieris, et dispositionem, originem, figurationem, staturam, vigorem, vestitum et apparatum ipsius. Hic recitat quid Philosophia egerit circa ipsum. Et per « poeticas Musas » intelliguntur carmina poetarum, in quibus continentur multa lasciva, vana, conficta, quamvis et aliqua vera includantur ibidem : ut patet de libris Ovidii aliorumque poetarum. Quæ etiam Musæ nuncupantur meretriculæ. Est igitur sensus :

Quæ Philosophia *ubi vidit poeticas Musas,* id est considerationes, delenitiones consolationesque adulatorias, quales in codicibus poetarum abundant, *adsistentes nostro toro,* id est, cubiculo nostræ mentis seu intellectus se ingerentes ad consolandum, *fletibusque meis verba dictantes,* id est, præbentes et administrantes « fletibus meis verba », id est sermones et versus congruentes lacrimis meis, seu mihi lugenti : et hoc, ad consolandum me consolatione carnali, adulatoria et inani, per hoc quod quibusdam philosophis ac poetis talia contigerunt qualia mihi, qui per hoc famam celebremque memoriam in hoc sæculo sunt sortiti; et ut in adversitatibus meis ad vanas et viles consolatiunculas me effunderem pro posse, atque in poeticis magis quam in philosophicis dictis consolationem requirerem. Hinc Philosophia *paulisper commota,* id est primo modice indignata, non subito repleta furore, *ac torvis inflammata luminibus,* id est deinde succensa iracundia grandi, quæ in vultu oculisque apparuit, ita quod distortis et ignitis oculis circumspiciendo commotionem suam ostendit : prout in libro Esther XV,
Esther de Assuero legitur rege. Oculi quo- 10.
que lumina appellantur, ut in libro Judicum, ubi Samson precatur : Domine Deus Judic. XVI,
meus, redde mihi nunc pristinam fortitudi- 28.
nem meam, ut pro duobus luminibus meis unam de multitudine expetam ultionem.

Hæc autem commotio Philosophiæ fuit ira per zelum : quæ animum non brutaliter prævenit, sed sponte assumitur, quatenus actum justitiæ mens sapientis effica-

eius exsequatur. De qua in Ecclesiaste A Eccl. vii, 4 legitur : Melior est ira risu, quoniam per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

Quis, inquit, permisit has scenicas meretriculas, id est præfatas poeticas Musas, ad lasciviam et consolationem inanem instar meretricularum trahentes, *accedere ad hunc ægrum,* puta Boetium, in persona afflicti se præsentantem spiritu talem, debilem, passionibus tristitiæ ac doloris oppressum ? prout supra fuit expositum. *Quæ non modo foverent dolores ejus nul-* B *lis remediis,* id est consolationibus vere salubribus ex sacris Scripturis, *verum insuper alerent,* id est, ultra hoc reficerent, assuefacerent, contrectarent, *dulcibus venenis,* id est consolationibus deceptoriis et adulationibus mortiferis, apparenter bonis, sed vere nocivis, juxta illud in Psalmo : Ps. xiii, 3; cxxxix, 4. Venenum aspidum sub labiis ipsorum. Dicuntur autem hæ Musæ meretriculæ scenicæ, id est theatrales sive theatricæ, a loco, quoniam scena dicitur theatri locus : quia in theatris et scenicis ludis decanta- C bantur, in quibus sacra deorum et gesta eorum plena lasciviis canebantur, ac simul cum cantilenis et cantu gesticulationibus effigiabantur corporeis, ac variis repræsentabantur motibus corporis inhonestis. Propter quod Plato asseruit tales poetas ac gesticulatores et mimos ab urbibus esse pellendos, neque in urbibus boni regiminis sustineri, ut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus.

Itaque in hac prosa torus spiritualiter sumitur, pro repausatione in qua æger D utcumque quiescit ac recreatur. Sicque alter est torus hominis spiritualis seu philosophi, et alter hominis imperfecti, passionum motibus ægri. Torus hominis spiritualis, id est virtuosi ac sapientis, est conscientia bona, pax cordis, mens devota, consideratio Scripturarum, imo et ipsa Scriptura divina, quæ vere vocatur hortus deliciarum, ut quarto libro disseruit Damascenus. De quo toro Sponsa gratulatur Cant. i, 15. in Canticis : Lectulus noster floridus. De quo et Origenes pulchre exponit quod cantat Ecclesia : Ante torum hujus virginis decantate nobis dulcia cantica dramatis. Torus vero ægroti nondum curati, vocatur proprie sensualitas, et qualiscumque recreatio ejus in rebus vanis, caducis, carnalibus : quas despicit homo jam spiritualis, juxta illud Psalmi, Renuit consolari Ps. lxxvi, 3. anima mea. Talia quippe dulcia sunt venena, quia ut ait Gregorius, dum carnem delectant, spiritum necant. In rebus namque creatis ac sensibilibus est aliquid voluptatis, decoris et amabilitatis, quo carnalium et insipientium hominum corda alliciuntur, falluntur, inficiuntur. Unde in libro Sapientiæ recte asseritur : Creaturæ Sap. xiv, 11. factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. Hinc Salomon ait : Fili mi, si te Prov. i, 10. lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

Consequenter subjungitur ratio reprobationis poeticarum Musarum, videlicet multiplex nocumentum earum. *Hæ enim,* id est præfatæ poeticæ Musæ, id est adulationes fallaces, consolationes adulterinæ, *sunt quæ necant,* id est, impediunt ac destruunt, *segetem rationis,* id est sapientiam veram, fecundationemque intellectus per considerationes salubres et illuminationes divinas : « segetem », inquam, *uberem fructibus,* id est fructuosam, quia ex habitibus virtuosis ac veris scientiis oriuntur actiones bonæ in anima, considerationes perutiles, puræ et sanctæ affectiones, ex quibus deinceps procedunt locutiones exemplares et instructivæ, correptiones justæ et caritativæ, opera quoque exteriora laudabilia, utilia, et meritoria vitæ æternæ ; *infructuosis spinis affectuum,* id est doloribus, sollicitudinibus, anxietatibus inordinatarum affectionum, videlicet cupiditatum pravarumque voluptatum atque tristitiarum. Nam et animus inordinatus, sibi ipsi gravis est. Talia etiam remorsum conscientiæ pariunt, et post se pœnitudinem amaritudinemque relinquunt. Imo in foveam trahunt damnationis perpetuæ, quemadmodum Salomon loquitur : Favus distil- Ibid. v, 3, 4.

laus labia meretricis, novissima vero ejus amara sicut absinthium. Et *assuefaciunt,* id est, assuetas efficiunt, *mentes hominum morbo,* id est infectivis ac pestiferis documentis, blanditiis, oblectamentis poeticarum narrationum, *non liberant* ab ejusmodi morbo.

Itaque, sicut unum contrariorum expellit aliud, ut nigredo albedinem ; sic stultæ doctrinæ salubria documenta, deceptio veritatem, delectatio carnalis consolationem divinam, conscientiæ bonæ tranquillitatem occupatio vitiosa. Hoc est quod apud Mar-
Marc. iv, cum ait Salvator : Ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes in cor, suffocant verbum Dei, et sine fructu efficitur. Hinc
Tim. iv, ad Timotheum scribit Apostolus : Ine-
II Tim. ii, 17. ptas et aniles fabulas et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit ; et ite-
I Cor. xv, rum : Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Nunc sequitur alia ratio confutationis poeticalium demulsionum. *At,* o poeticæ adulationes ac Musæ dulciter sed deceptorie personantes, *si vestræ blanditiæ detraherent,* id est auferrent, *nobis quem profanum,* id est aliquem sacrilegum, obstinatum, blasphemum, *uti vulgo solitum,* id est, sicut communi plebi consuetum est esse profanum ; *putarem minus moleste ferendum.* Nam talem minus diligo, et minus propinquus est mihi, et minoris est pretiositatis : imo jam periit suo demerito, quamvis damnationis inflictio sola summi Judicis misericordia differatur. Hinc Aristoteles fassus est, quod homo injustus, decies millies brutis est deterior. *Quippe,* id est pro certo, *nostræ operæ,* id est opera, studia et subsidia nostra, *nihil læderentur in eo :* hoc est, de his quæ nos damus hominibus, puta de scientiis atque virtutibus, nil in ipso destrueretur, quia nil habet de hujusmodi bonis. Idcirco non spectat ad nos de ejus amissione specialem dolorem habere : quamvis eum diligamus propter conformitatem naturæ, et

A quoniam beatitudinis capax est, hinc quoque de ejus perditione communi afficiamur dolore. Propterea et Salvator de impiis Pharisæis locutus est : Sinite illos, Matth. xv, 14.
cæci sunt et duces cæcorum. De vilitate item et contemptibilitate cujuslibet impii, in libro Sapientiæ scriptum est : Cor ini- Sap. xv, 10.
qui cinis est, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita ipsius.

Hunc vero Boetium novimus *enutritum,* id est instructum, *studiis,* id est exercitationibus atque scientiis, *Eleaticis,* id
B est Peripateticis seu Aristotelicis, *atque Academicis,* id est Platonicis. Narratur equidem, quod Plato cum quibusdam suis discipulis degere consuevit frequenter extra Athenas, in villa propinqua, Academia nomine, frequenti terræ motu tempestatibusque collapsa, in qua talia sæpe fiebant adhuc illis temporibus : quatenus in loco tam periculoso manentes, terrore circumdati carnalia facilius aspernarentur. Et quantum ad hoc, Academici nuncupantur Platonici : quamvis interdum Academici
C aliter capiantur, puta pro his qui elegerunt de omnibus dubitare, dicentes quod in hac vita nil valeamus certo scire aut noscere, ut in pluribus locis refert ac reprobat Augustinus. Quasi dicat Philosophia : Valde ægre accipimus, quod virum istum in philosophia tam Platonicorum quam Aristotelicorum tam eruditum, subvertere et nobis auferre conamini, quum sit nobis carissimus, valde propinquus, conformis, et operis nostris repletus. Similitudo namque est causa amoris, et
D quanto quid alteri est similius, tanto et carius, ceteris paribus. Sic et benefaciens naturaliter amat beneficiatum, parens prolem, causa effectum, magister discipulum, et econtrario.

Sed abite potius, Sirenes usque in exitium dulces, id est, o vos, Musæ poeticæ, instar Sirenum suaviter concinentes « usque in exitium », id est mortem advertentium cantum, recedite, *eumque,* id est virum istum Boetium, *relinquite meis Musis,* id est carminibus, consolationibus et

doctrinis, *sanandum* in corpore, et *curandum* in corde. Porro Sirenes sunt pisces marini fortes et magni, vultum virgineum præferentes, quæ navigantibus propinquantibus eis accedunt atque dulcissime cantant : quarum concentum si navigantes incaute adverterint, confestim præ suavitate cantus obdormiunt ; sicque Sirenes navem protinus evertentes, devorant navigantes : quod est unum de præcipuis maris magni periculis.

His ille chorus, id est cœtus ille poeticarum Musarum, *increpitus,* id est reprehensus, *mæstior,* id est valde tristis effectus de sua reprehensione et expulsione, *dejecit humi,* id est in terram, *vultum* suum, *confessusque rubore verecundiam,* id est, suo rubore ostendit se confusum ac verecundiam passum, ut moris est redargutis, et sic *limen tristis excessit,* id est, mœrens exivit domum.

Consequenter describit Boetius quid ipse hæc cernens ac audiens egit. *At ego* Boetius, *cujus acies,* id est extremitas acuminis oculi, *mersa* (id est circumfusa humectaque) *lacrimis caligarat,* id est, clare videre non poterat, *nec** (pro Ne, vel « nec », id est et non) *possem dignoscere quænam esset hæc mulier tam imperiosæ auctoritatis,* id est tam potentis jurisdictionis atque tam magnæ reverentiæ ac potestatis, quæ tam audacter increpavit A adulterinas consolatrices, et cui illæ mox paruerunt, *obstupui,* id est, vehementer mirabar, *visuque in terram defixo, quidnam deinceps esset actura, exspectare tacitus cœpi.*

* ne

Tum illa propius accedens, in extrema lectuli mei parte consedit ; meumque intuens vultum luctu gravem atque in humum mœrore dejectum, his versibus de mentis nostræ perturbatione conquesta est. In his nulla est difficultas. Servat quippe Boetius inchoatam metaphoram, loquens B de philosophia quasi de veneranda, pia ac sapientissima muliere, quæ ex grandi compassione accessit, et sedit in ultima parte lecti in quo Boetius tanquam infirmus (secundum istam imaginariam et excogitatam descriptionem) decubuit. Est enim consuetudo consolantium feminarum ita se applicare ægroto. Nec obstat metaphoræ, quod Boetius asserit se in lecto jacentem, dejecisse vultum in terram : nam et taliter jacens potest vultum versus terram defigere et eam inspicere. Est quoque de- C solatis ac tristibus consuetudinarium faciem declinare deorsum, sicut et mens eorum depressa est, ut exterior dejectio atque depressio interiori sit correspondens. — Porro, quod ait de oculorum caligatione et visus defixione in terram, certum est de exterioribus et interioribus visu et oculis posse exponi.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO ALLEGORICA ET ANAGOGICA PROSÆ ISTIUS.

« HÆC dum mecum tacitus ipse repu-tarem ». Quidquid in prosa hac de excellentia, pulchritudine, reverentia, apparatu, vestitu, consolatione, imperio Philosophiæ prolatum est, multo præclarius de theologia potest enuntiari. Dum ergo vir bonus ac sapiens, impiorum persecu- D tionibus aggravatus, de sua molestatione mœrens affligitur ac intra se pie conqueritur, protinus offert se ei ad consolandum sacra Scriptura, hoc est theologia, omnium scientiarum regina ac imperatrix, stans « supra verticem », id est in apice mentis humanæ, et ipsius mentis capacitatem

Ps. cxxxviii, 6. transcendens, sicut canit Psalmista : Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam.

Hæc theologicalis sapientia est tanquam mater fecundissima et virgo; incorruptaque manens, concipit intra ambitum suum ac gremium, imo in utero suo, id est in suo intellectu, universos quos appetit Deo regenerare et spiritualiter gignere, perducendo eos ad supernaturale esse gratiæ et fidei ac virtutum, sicut discipulis suis
I Cor. iv, 15. scripsit Apostolus : Per Evangelium ego
Galat. iv, 19. in Christo vos genui; itemque : Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. De hoc spirituali ventre mentis ac sapientiæ ait apud Joannem
Joann. vii, 38. Christus : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hæc sapientia, utpote theologia, innumerabiles filios parit, nutrit, confortat, et ad perfectam perducit mensuram : de quibus in Evan-
Matth. xi, 19. gelio ait Salvator, Justificata est sapientia a filiis suis. Quæ et in Ecclesiastico fate-
Eccli. xxiv, 40, 42, 44, 46. tur : Ego sapientia effudi flumina; dixi, Rigabo hortum plantationum : quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum, nec desinam in progenies usque in ævum sanctum.

Hæc theologia reverendissimi « vultus » est, quoniam ejus præsentia, gratiosa et speciosa est vehementer. Cujus oculi ardentissimi splendidissimique consistunt, videlicet sensus litteralis ac spiritualis corda legentium inflammantes, vel Scriptura novi ac veteris Testamenti. Vividus quoque color theologiæ, est exemplaritas quam causat in vita fidelium secundum tenorem præceptorum, documentorum et consiliorum evangelicæ legis, sicut prætactum est.

Quæ theologia tam « inexhausti » est « vigoris », ut in Evangelio Christus asse-
Matth. v, 18; Luc. xvi, 17. rat, Unus apex de lege non peribit; et rursus, Cœlum et terra transibunt, verba
Marc. xiii, 31. autem mea non transibunt. Certe tam inexhausti vigoris est theologia, quod nec philosophica argumenta, nec persecutiones tyrannicæ, nec magicæ artes, nec hæ-

A reticorum figmenta, neque quæcumque tormenta contra eam prævaluerint. Imo tam inexhausti insuperabilisque vigoris ac firmitatis est sacra Scriptura seu christianæ fidei theoria, ut ad Galatas dicat Apostolus : Licet nos aut angelus de cœlo, Galat. i, 8.
evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Denique vigor philosophiæ rationi innititur naturali, quæ multipliciter potest deficere et errare; vigor autem theologiæ, increatæ innititur veritati supernaturalique lumini, quibus
B nec error nec falsitas potest misceri. Hinc naturali philosophiæ multi errores sunt mixti, theologiæ vero penitus nulli.

Insuper theologia a principio fuit mundi, et supernaturalis illa scientia angelis sanctis ac primo parenti infusa fuit et concreata. Cujus « statura » diversa est, sicut de Philosophia expressum est : imo est ea multo sublimior, et de profundioribus ac incomprehensibilioribus tractans. De qua apud Baruch legitur : Quis ascendit in cœ- Baruch iii, 29-31.
lum, et accepit eam, et eduxit eam de nu-
C bibus? Quis transfretavit mare, et invenit illam, et attulit illam super aurum electum? Non est qui possit scire vias ipsius, neque qui exquirat semitas ejus.

Amplius « vestes » theologiæ vocantur ornamenta virtutum, argumenta fidei christianæ, supernaturalium decor charismatum : quibus omnibus Scriptura ornatur atque a Deo revelata ostenditur; litteralia quoque tegumenta et sensibilia signa, sub quibus veritas theologiæ celatur. Nam et de hac omnium scientiarum regina accipi
D potest illud in Psalmo, Adstitit regina a Ps. xliv, 10.
dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate; et quod in Ezechiele ac Apo- Ezech. xl-xlii; Apoc. xxi.
calypsi habetur de multiplici decore, vestitu, splendore Synagogæ atque Ecclesiæ. Verum vestium harum splendorem offuscat « neglectæ vetustatis caligo », hoc est vitiosa credentium (imo et theologorum quorumdam) vita et error : ita quod ob- Thren. iv, 1.
scuratum est aurum, et mutatus est optimus color. De quibus dixit Apostolus : Di- Tit. i, 16.
cunt se nosse Deum, factis autem negant.

Is. v. 21 Et Isaias ait : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. — Quemadmodum etiam dictum est de philosophia, quod partim sit speculativa partimque practica ; sic dici potest de theologia, cujus duæ sunt partes, videlicet cognitio credendorum et cognitio agendorum : quarum prima est speculativa, alia practica. — At vero « manus violentorum » quæ vestem Ecclesiæ scindunt, sunt hæreticorum expositiones ac studia : quorum quidam tollunt particulas vestis istius, ut impii Manichæi, dicentes vetus Testamentum non esse a Deo lucis, et Montanus, qui mendose confinxit librum Actuum Apostolorum non pertinere ad novi Testamenti scripturam.

Theologia demum in dextera sua tenet libros utriusque Testamenti, in sinistra vero « sceptrum » regale : nam ejus est cunctis scientiis imperare, ipsaque instruit universos, et regit fideles, ac omnibus ultro se offert, imo et paratissimam præbet, atque ad sui amplexum, susceptionem ac possessionem hortatur invitatque singulos. Unde in libro Proverbiorum Salomon loquitur : *Prov. I. 20. 21. 23.* Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam ; in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens : Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. Hinc et in libro Sapientiæ inducitur : *Sap. VI. 13. 14.* Sapientia facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam ; præoccupat eos qui se concupiscunt.

Quumque theologia conspexerit hominem in Scripturis eruditum ac enutritum, in suis afflictionibus, adversitatibus, tentationibus consolationem consiliumque quærentem in dictis et verbis poetarum, philosophorum, hæreticorum, potius quam in Scripturis et dictis Sanctorum ; dolet et indignatur, increpat, reprobat et expellit hujusmodi dicta : sicut et S. Hieronymus in Regula sua testatur se ab increata Sapientia increpatum direque flagellatum, eo quod in libris Platonis et Ciceronis potius quam in divinis occuparetur ac delectaretur Scripturis. Hoc attendendum ac metuendum est multis, præsertim quibusdam dialecticis ac sophistis, qui in suis sophismatibus ac curiositatibus, poesi ac vanitatibus inaniter delectantur, in tantum quod divina obliviscuntur implere præcepta. Contra quod in Ecclesiastico docetur : *Eccli. III, 22, 24.* Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper ; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus, et in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. Tales cum adinventionibus suis quasi cum gentium idolis fornicantur.

Postremo, quæ nunc dicta sunt de theologia viatorum, excellentius queunt intelligi de theologia et supernaturali sapientia comprehensorum seu Beatorum : ex cujus splendore et irradiatione angeli sancti nos viatores ipsis commissos consolantur, purgant, docent, custodiunt. Et quamvis sapientia illa clarior ineffabiliter eminentiorque consistat omni sapientia vitæ præsentis, nihilo minus etiam ipsa minima comprehendit, et de agendis nos instruit, ac per hoc mira dignatione se capacitati coaptat humanæ. Hujus sapientiæ « vestes » sunt dotes Beatorum et accidentalia præmia eorumdem, duplexque stola, de qua in Apocalypsi habetur : *Apoc. VI, 11.* Datæ sunt illis singulæ stolæ. Verumtamen vestium illarum speciem nulla obscurat « caligo », nulla unquam vetustas minuit, discolorat, deornat, nulla violentia scindere potest, nec aliquid eis auferre : quoniam Beatorum perfectio, felicitas, decor, gloria, prorsus perpetua, incorruptibilis inamissibilisque consistit. Horum sapientia seu summa theologia, ardentissima caritate ornatur, perfectissima pietate formatur, plenissima humilitate fulcitur : ideo viatoribus condolet, et insidiatoribus ac deceptoribus eos inique consolantibus indignatur, ac ipsis exclusis, salubriter intus irradiat, lætificat, roborat ac tuetur.

Hanc expositionem sufficit tetigisse : nam ex præhabitis satis elicitur.

METRUM II

Heu, quam præcipiti mersa profundo
Mens hebet, et propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta (*al.* aucta),
Crescit in immensum noxia cura!
Hic quondam cœlo liber aperto,
Suetus in æthereos ire meatus,
Cernebat rosei lumina solis,
Visebat gelidæ sidera lunæ;
Et quæcumque vagos stella recursus
Exercet, varios flexa per orbes,
Comprensam numeris victor habebat.
Quin etiam causas unde sonora
Flamina sollicitent æquora ponti,
Quis volvat stabilem spiritus orbem,
Vel cur hesperias sidus in undas
Casurum, rutilo surgat ab ortu,
Quid veris placidas temperet horas,
Ut terram roseis floribus ornet,
Quis dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari solitus, atque latentis
Naturæ varias reddere causas.
Nunc jacet effeto lumine mentis,
Et pressus gravibus colla catenis,
Declivemque gerens pondere vultum,
Cogitur (heu!) stolidam cernere terram.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO METRI HUJUS SECUNDI.

DESOLATIS ac tristibus consolatorium est, si quem videant ex corde sibi sinceriter compati, ac eorum pristinam A prosperitatem excellentiamque advertere. Hinc Philosophia primo hoc genus remedii Boetio adhibet, metrice alloquens eum.

Et appellatur hoc metrum dactylicum, eo quod dactylus prædominetur in eo, in penultimo semper positus pede. Vocatur quoque tetrametrum, quia ex quatuor pedibus constat ; et hypercatalecticum, quoniam syllaba abundat in medio, quæ nullius pedis pars dicitur. Ait ergo Philosophia :

Heu! mens hujus Boetii *mersa*, id est obruta et demersa, *profundo quam præcipiti*, id est valde celeri, impetuoso, ac præcipitante inundantia ac abundantia adversitatum, afflictionum, dolorum, *hebet*, id est, obtusa est et impedita ad considerandum veritates ac rationes philosophicæ facultatis : ex quarum consideratione posset meritoque deberet se consolari, et in adversis gaudere, aut saltem non deprimi. *Et relicta propria luce*, id est claritate naturalis ingenii, splendore sapientiæ ac lumine rationis, quæ per abundantiam adversitatum et afflictionum sunt offuscata, atque ab actuali, expedito ac libero rationis judicio impedita, *tendit ire*, id est, præparat se ad eundum, seu ire intendit, *in tenebras externas*, id est in maximas ignorantiarum, errorum ac vitiorum caligines, nisi sapientialiter revocetur. Tristitia quippe, nisi refrenetur ac moderetur, vehementer nocet animæ et corpori, præsertim ista quæ est sensitivi passio appetitus. De qua in Ecclesiastico scriptum
Eccli. xxx, 24, 25. est : Tristitiam longe expelle a te ; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Paritque tædium vitæ, ex quo tandem consequitur injectio manus sacrilegæ in se ipsum.

« Mens », inquam, *acta quoties*, id est sæpius agitata et mota hinc inde, *terrenis flatibus*, id est variis fortuitisque eventibus et mutationibus circa se factis per ablationem temporalium rerum, opulentiæ, dignitatis, honoris atque multiplicis olim habitæ prosperitatis : unde *cura noxia*, id est sollicitudo nociva, superflua de talibus recuperandis, *crescit in immensum*, id est, sine moderamine augetur, nisi per prudentiam et terrenorum contemptum frenetur. Ideo scriptum est in libro Proverbiorum : Exspectatio sollicitorum peribit ; et in Ecclesiaste : Avarus non implebitur pecunia. Hinc in Proverbiis suis disseruit Seneca : Pecuniæ imperare oportet, non servire. Pecunia avarum non satiat, sed irritat. Talis quoque est cura ambitiosi : nam sicut cupiditas, ita ambitio crescit in infinitum ; et sicut cupiditas variis curis, suspicionibus, anxietatibus torquet avarum, sic dæmoniaca ambitio ambitiosum. Prov. xi, 7. Eccle. v, 9.

Ex his docemur, quod passiones et vitia, nisi in principio vigilanter domentur et reprimantur, non solum dejiciunt, sed et præcipitant mentem a celsitudine gratiæ ac virtutum in voraginem perditionis et culpæ. De quo profundo Salomon loquitur : Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Si ab his præservari cupis periculis, noli ad transitorias opes neque ad mundanos honores immoderanter insipienterque affici. Prov. xviii, 3.

Hinc pandit Philosophia qualiter consueverit Boetius cursum, proprietates, naturas cœlestium corporum speculari, impulsiones quoque ventorum, distinctionesque temporum, et varia secreta naturæ.

Hic Boetius *quondam liber*, id est olim ab exsilio, curis, tristitiis diffortuniisque immunis, *suetus*, id est consuetus seu solitus, *ire*, id est mentis suæ considerationem extendere ac levare, *in meatus æthereos*, id est ad motus et cursus cœlestium corporum, *cernebat cœlo aperto*, id est desuper evidenter patente et a nubibus discooperto, *lumina*, id est radios, *solis rosei*, id est splendidissimi solis, instar albæ ac niveæ rosæ albescentis ac visum dulciter demulcentis, id est, quemadmodum rosa suo decore atque odore delectat videntem : juxta illud Ecclesiastæ, Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem. Eccle. xi, 7.

Visebat quoque, id est, frequenter ac desideranter videbat, *sidera gelidæ*, id est frigidæ, *lunæ*. In quibus verbis ponitur plurale pro singulari, videlicet « sidera » pro sidere, ut sit sensus : « Visebat » sidus « lunæ » (intransitive), hoc est lunam quæ

vocatur sidus, quemadmodum ceteri quoque planetæ. Vel dicit « sidera lunæ », quoniam luna sub diversis figuris apparet, nunc cornuta, nunc plena, nunc semiplena; seu propter diversitates radiorum et effectuum. Possunt item per « sidera lunæ » intelligi stellæ Pleiades, quæ cum luna communicant in humido, habentes dominium super aquas, in quibus simul cum luna causant fluxum et refluxum, ac alios varios motus et alterationes quamplures.

Et quæcumque stella exercet vagos recursus, id est incertos, multiplices, instabiles motus, gyrationes, retrogradationes, ascensiones, depressiones (quod non competit nisi stellis erraticis, quæ communiter dicuntur planetæ), *flexa,* id est revertens, *per orbes varios,* id est sphæras diversas, quas successive intrat et exit, loquendo de sphæris in ipso orbe planetæ imaginatis aut assignatis, ut mox dicetur, quum non sit fixus in suo orbe, *comprensam numeris victor habebat,* id est, ipse Boetius « victor », id est, prævalens in sua astronomica inquisitione inveniendo quod quærebat, « habebat » stellam hujusmodi « comprensam », id est limitatam et determinatam, « numeris », id est proportionibus certis quas habet respectu motuum aliorum planetarum : omnes enim in suis naturis, viribus, influentiis, motibus, sunt coordinati et comproportionati, quemadmodum species numerorum, sicut et totus ordo universi, ut ait Philosophus septimo et duodecimo Metaphysicæ.

Consequenter Philosophia insinuat Boetium aliis multis fuisse peritum. Attamen circa textum inductum aliqua inferius sunt dicenda.

Quin etiam, id est, pro certo Boetius iste consuevit videre atque inquirere, *causas unde,* id est ex quibus seu propter quas, *flamina sonora,* id est venti alte sonantes, *sollicitent,* id est, moveant et agitent, *æquora ponti,* id est aquas seu flumina maris. Solebat quoque considerare *quis spiritus volvat,* id est, circulariter mo- A veat, *stabilem orbem,* id est incorruptibilem sphæram cœlestem : hoc est, utrum sphæræ cœlestes moveantur immediate ab increato Spiritu, utputa Deo, an ab intelligentiis vel animabus nobilibus; *vel cur sidus,* id est sol, qui antonomastice dicitur « sidus », tanquam maximum astrum virtute et quantitate, *casurum* secundum apparentiam *in undas hesperias,* id est in aquas occidentales, seu in aquas Oceani versus occidentem, *surgat,* id est, oriatur mane, *ab ortu rutilo,* id est orientali parte B cœli tunc resplendente ex solis accessu. Loquitur autem Boetius more poetico, secundum vulgi opinionem : quoniam stantes in littore maris sole occidente, ex tumore seu elevatione fluctuum maris privantur intuitu radiorum solarium, sicque ipsis videtur quod sol demergatur in mari; putabantque aliqui, quod ibi lavaretur a sordibus quas ex vaporibus in aere ascendentibus circumeundo contraxit. Verum hæc ex grandi imperitia prodierunt. Sol quippe in sua permanet sphæra, quæ C inter septem sphæras planetarum, secundum Ptolemæum, est media : sicque inter mare Oceanum et solem mediant et consistunt elementa aeris et ignis, atque adhuc sphæræ tres planetarum, qui sunt, luna, Venus, Mercurius. Nec vapores transcendere possunt regionem elementarem, neque cœlestia corpora peregrinarum seu extranearum impressionum sunt susceptiva.

Præterea Boetius iste consuevit perspicere *quid temperet,* id est, quæ causa D temperatas efficiat, *horas placitas**, id est placentia et delectabilia tempora, *veris,* id est illius partis anni, *ut* ver *ornet terram roseis floribus,* id est floribus rosarum, seu et aliis floribus instar rosarum pulchris ac dulcibus : quod ver facere dicitur, quoniam fit in vere ex influentia solis et aliarum causarum. *Quis dedit pleno anno,* id est in anno perfecto; vel in « anno pleno », id est abundanti, quia tunc fructus collecti abundant; *ut fertilis autumnus,* id est quod tempus illud au-

* *placidas*

tumnale fertile, id est uber et fructuosum A multis fructibus tunc maturis, *influat uvis gravidis* (id est maturis) depurationem terrestritatis et humiditatis grossioris ineptæ. *Solitus* etiam fuit iste Boetius *rimari atque reddere*, id est perscrutari et assignare, *varias causas naturæ latentis*, id est occultarum naturalium proprietatum ac virium, actionum atque effectuum. Quibus, secundum Gilbertum libro Sex principiorum, natura operatur occulte : ex cujus sinibus rationes trahuntur et causæ nascuntur naturalium operum, secundum B Richardum libro suo de Trinitate.

Descripto statu jucundo, speculativo, scholastico, in quo Boetius antea fuit, hic subjungit Philosophia statum tristem, desolatum ac miserum, in quo eum esse conspicit ; facitque exclamationem ex vehementia compassionis, quia opposita juxta se posita evidentius cognoscuntur.

Nunc jacet, id est, Boetius qui olim tam sapienter ac speculative refloruit, jam decumbit desolatus et æger, quasi ignarus, *lumine mentis effeto*, id est, splendore sa- C pientiæ et luce scientiæ destitutus. *Et pressus colla*, id est in collo circumdatus et circumcinctus, *catenis gravibus*, id est gravantibus : quoniam moris est apud quosdam, quod captis mittitur catena in collo seu alia corporis parte. Imo, ut tangit S. Bernardus, scelerati Judæi, Christo capto, miserunt catenam in collo ipsius. In Jeremia quoque habetur : Tulit Hananias catenam de collo Jeremiæ prophetæ, et fregit eam. (*Jer.* xxviii, 10.) Simili modo in Actibus Paulus ait apostolus : Propter spem Israel catena hac circumdatus sum. (*Act.* xxviii, 20.) *Gerensque* iste Boetius *vultum pondere* tristitiæ vel ex onere catenæ *declivem*, id est pronum et declinatum ad terram, *heu! cogitur cernere*, id est inspicere, *stolidam terram*, id est inanimatam ; vel « stolidam » causaliter, id est, materialiter homines stultificantem, qui amore terrenorum sapientiam veram relinquunt, imo summum deserunt bonum, et creaturis tam vilibus magis quam Creatori inhærent : quod prorsus stultissimum est. Et de taliter stultis Salomon protestatur : Stultorum infinitus est numerus. (*Eccle.* i, 15.) In quibus puerilitatis vitium regnat, quod dono sapientiæ prorsus contrariatur. Quemadmodum enim pueri ratione nondum utentes, poma et pira præferunt auro obryzo pretiosisque gemmis ; sic excæcati miserique carnales, fœda et vilia ista carnalia ac terrena superpræstantissimo Deo ac pretiosissimis ejus donis, charismatibus gratiæ et gloriæ, stolidissimo corde præeligunt ac præponunt. Idcirco, ut Isaac Israelita philosophus protestatur, sub tristissimo orbe terræ infimæ retrudentur et concludentur, nec unquam eis ad loca amœna patebit egressus.

ARTICULUS VIII

DUBIORUM AC QUÆSTIONUM HUJUS SECUNDI METRI PROPOSITIO ET EXPEDITIO BREVIS.

JOANNES. — Circa hoc metrum multa D mihi oriuntur dubia : primum, an sol sit rosei coloris ; secundum, an luna sit frigida ; tertium, an planetæ habeant motus vagos, incertos ac plures ; quartum, an idem planeta moveatur per orbes diversos ; quintum, quid sit ventus, et de diversitate ventorum, et de causa variæ impulsionis ac vehementiæ eorum ; sextum, utrum orbes cœlestes ab aliquibus moveantur spiritibus ; septimum, quid sit causa diversitatis temporum ac variæ qualitatis eorum.

DIONYSIUS. — De his hic multa possent

A induci, quæ in libro de Cœlo et mundo, et dist. xiv, 2-5 ; xv, 1. super secundum Sententiarum, atque in libro Meteororum potius habent locum : propter quod hic ad hæc succinctim sine argumentis est respondendum.

Ex eodem quoque fundamento ad duo prima datur responsio. Nempe, ut asserit LXVIII, a. Thomas in prima parte Summæ, et super .t. XXII, 7 A' et s. secundum Sententiarum, in Summa etiam contra gentiles libro secundo ac tertio (et idem scribit Albertus in Summa, et libro de Coæquævis, tractatu de Cœlo), Plato et Socrates, imo et omnes philosophi Aristotelem præcedentes, dixerunt cœlestia corpora, utputa orbes, sidera et planetas, esse naturæ elementaris, et præsertim constare ex aqua aut igne. Juxta opinionem hujusmodi possit dici, quod qualitates elementares, ut calor et frigus, qualitates quoque secundæ ex varia primarum qualitatum commixtione resultantes, ut color, in cœlestibus consistant corporibus. Aristoteles vero primo invenit aliam viam contrariamque doctrinam, videlicet quod cœlestia corpora non sint naturæ elementaris, ita quod nec gravia sint, nec levia, nec calida, nec frigida, nec sicca, nec humida, nec colorata, nec proprie tangibilia : ideo nec alterari queunt neque corrumpi, nec peregrinam valent impressionem suscipere. Hinc nec in orbe lunæ nec super eumdem dixit Aristoteles posse accidere malum. Propter quod sensit etiam corpora illa prorsus incorruptibilia esse. Plato autem in primo Timæi, causam incorruptibilitatis eorum dixit esse voluntatem supergloriosissimi Creatoris : quod et Damascenus libro secundo fatetur. Et sicut Doctor solennis, puta Henricus, in Quodlibetis suis declarat, Plato in hoc multo melius quam Aristoteles philosophatus est. — Itaque, juxta Aristotelis viam, nec sol coloratus est roseive coloris, proprie fando, sed per similitudinem et apparentiam quamdam, quemadmodum quædam stellæ rubei esse coloris videntur ; vel nisi color sumatur extense, prout lucem includit : ut quum dicimus, quod color objectum est visus. Sic nec luna est proprie frigida. Unde communiter dicitur, quod corpora illa cœlestia sunt calida, frigida, sicca aut humida effective, non formaliter : quoniam in inferioribus causant hujusmodi qualitates, non autem in se ipsis eis afficiuntur aut informantur. Tripliciter namque vocatur aliquid tale aut quale. Primo formaliter : ut sol dicitur lucidus, et ignis calidus. Secundo effective : sic luna dicitur gelida, et vinum etiam congelatum asseritur calidum. Tertio significative : ut B urina dicitur sana.

Quocirca pensandum, quod quamvis christiani nostri philosophi, Thomas, Albertus, Bonaventura, Ægidius, Henricus, ac alii, præinductam Aristotelis doctrinam sequantur de natura cœlestium corporum ; nihilo minus sancti doctores et beatissimi Patres, tam Latini quam Græci, primam opinionem tuentur, quod scilicet naturæ sint elementaris. Hoc Augustinus super Genesim, Ambrosius in Hexaemeron, Gregorius super Job, Hieronymus, Beda, Athana- C sius, Gregorius Nazianzenus (quibus duobus nemo fuit ausus contradicere in Scripturis), Cyrillus, Theophilus, Chrysostomus, Gregoriusque Nyssenus ac Damascenus, concorditer sunt testati. Propter quorum auctoritatem, potissime quia Scriptura canonica id satis evidenter insinuare videtur, Josephus quoque clare hoc ipsum primo capitulo primi sui libri deprompsit : hinc, inquam, super secundum Sen- Cf. t. XXII, p. 60 D et s. tentiarum secutus sum hanc Sanctorum positionem. Nec Aristotelis argumenta quid- D quam contra eam concludunt, prout ibi ostendi.

Ad tertium dico, quod de hoc sunt duæ opiniones solennes. Una Aristotelis et Commentatoris, dicentium quod planetæ sunt fixi in orbibus suis, unusquisque in sphæra sua, quemadmodum stellæ in firmamento : et ita non haberent motus vagos, incertos, erraticos, ut communiter fertur, et auctor in textu sentire censetur. Alii vero, ut Ptolemæus, Albumasar, Albategni, et plures astrologi, longe aliter opi-

nantur, dicentes planetas non esse fixos in circulis suis, imo nec ascendere nec deprimi in eisdem, et in epicyclis eccentricisque moveri, et jam esse stationarios, modo retrogrados.

Joannes. — De his frequenter audivi, nec ea intelligo : ideo precor ut de his plenius eloquaris.

Dionysius. — Quamvis hoc speculationis exsistat alterius, compendiosius tamen quo potero respondebo. Itaque Bonaventura in Scripto secundi Sententiarum : De hac (inquit) quæstione controversia est inter naturales et mathematicos, puta astrologos. Mathematici namque potissime attendentes ea quæ apparent circa cœlestia corpora, ut illa queant salvari simul cum uniformitate et perpetuitate motus cœlestis, epicyclos posuerunt atque eccentricos, planetas quoque propriis motibus moveri in propriis epicyclis : sicque salva motus ipsius sphæræ uniformitate, interdum contingit planetam deprimi, aliquando elevari, secundum motum ipsius planetæ in epicyclo, et epicycli in eccentrico, atque eccentrici circa proprium centrum, quod est extra centrum mundi. Porro positio naturalium, ut Aristotelis et sequacium ejus, est quod planetæ non moventur nisi suorum orbium motu, instar clavi fixi in rota : quia (ut asserunt) corpus cœleste seu orbis scindi non valet. Ponunt quoque idem esse centrum corporum superiorum et inferiorum, videlicet centrum mundi : et hoc, propter perfectam orbium rotunditatem, qui circulariter sic moventur quod unus alterum non subintrat. Ponunt etiam velocitatem majorem et minorem in motibus orbium, atque ex hoc apparere nunc retrogradationes, nunc progressiones in planetis : quia dum unus planeta sua velocitate alium multum præcedit, retrocedere alter videtur. Quæ omnia videntur rationi consona valde : quamvis positio astrologorum secundum judicium sensuum verior videatur, quia secundum eam sensus circa cœlestium motum non fallitur. Attamen prima illa

A positio verior esse videtur. Hæc Bonaventura.

Verumtamen huic positioni plures theologi contradicunt. Ait quippe Richardus de Mediavilla super secundum Sententiarum : Stellæ quæ sunt in sphæra octava, fixæ in ea sunt. Ideo propriis motibus non moventur, sed motu tantummodo sphæræ illius seu firmamenti : quod proprio motu movetur ab occidente in orientem uno gradu in centum annis ; per motum vero nonæ sphæræ movetur motu diurno ab

B oriente in occidentem. Quilibet demum planeta, præter motum diurnum suæ sphæræ, qui est ab oriente in occidentem, et præter motum proprium illius sphæræ, qui est ab occidente in orientem, movetur etiam motu deferentis. Insuper unusquisque planeta, præter solem, ultra motus præfatos, movetur motu epicycli sui ; solusque sol inter planetas epicyclo caret. Nec putandum quod epicyclus transferatur de una parte deferentis ad aliam : sed sicut tota sphæra movetur motu circulari

C circa centrum suum, et deferens circa centrum suum ; ita et epicyclus movetur motu circulari circa suum centrum, quod habet inter convexum et concavum deferentis. De luna vero multis videtur, quod motu proprio circulariter moveatur circa centrum suum, quod habet inter epicycli concavum et convexum : quoniam macula lunæ nunquam apparet nobis opposito modo, ita ut pars maculæ quæ apparet superius, appareat interdum inferius. Hæc Richardus.

D Præterea dictis Richardi concordans Durandus : Communis (ait) opinio nunc est, quod planetæ sunt stellæ erraticæ, et non fixæ. Ideo, quanquam Aristoteles dicat secundo Cœli, quod planetæ moveantur solo suorum orbium motu, verius tamen dicunt astronomi, quod moveantur in epicyclis atque eccentricis. Quod de eccentricis patet : quoniam stella quæ movetur dumtaxat motu sphæræ, non potest quandoque magis, quandoque minus terræ appropinquare, quoniam omnes sphæræ sunt

concentricæ; planetæ autem uno tempore plus propinquant ad terram quam alio, sicut per astrologica patet experimenta. Hinc astronomi sunt coacti ponere motum planetarum in eccentricis circulis, quorum una pars maxime removetur a terra, ut aux seu elevatio ejus; altera vero magis accedit ad terram. Idem patet de epicyclis : quoniam si planetæ solum moverentur motu sphærarum, quum sphæræ planetarum moveantur ab occidente in orientem, sic si planeta aliqua nocte esset ex directione alicujus stellæ fixæ, sequenti nocte præcederet ipsam versus orientem : cujus oppositum in quibusdam planetis frequenter videmus. Ergo præter motum sphærarum, oportet in eis ponere motum retrogradationis : quod fit in epicyclis, in quibus planetæ consistunt retrogradi, stationarii vel directi. Verumtamen non dividitur sphæra planetæ. Ponitur quippe eccentricus circulus inter duas superficies sphæræ exsistens, cujus una medietas magis accedit ad superficiem sphæræ concavam, altera ad convexam; et movetur hic circulus infra sphæram, quum sit sphæræ contiguus et non continuus; et motu ejus movetur planeta, quasi sit pars ejus : planeta, inquam, habens eccentricum sine epicyclo, ut sol. Si vero habeat epicyclum cum eccentrico, tunc epicyclus poneretur moveri in eccentrico per modum quo eccentricus fertur moveri in sphæra : quoniam epicyclus est sphæricum corpus infra eccentricum comprehensum et non continuum : ideo potest in eccentrico proprium motum habere. Cujus epicycli pars est planeta. Hæc Durandus.

Joannes. — Materia ista difficilis est; confortata est, et non potero ad eam. *Ps* cxxxviii,

Dionysius. — Non solum difficilis, imo et pro magna parte certitudine carens : quod constat ex hoc quod tot magni magistri tam vehementer diversificantur in ea. Nam et S. Thomas affirmat positionem illam Ptolemæi de epicyclis atque eccentricis, demonstrativam rationem non habere, nec necessitatem concludere, sed

A interim probabiliter sic teneri, quia hucusque non est inventus aptior modus salvandi ea quæ in motibus apparent cœlestibus. Denique hoc quod ait Durandus, planetam esse epicycli partem, instantiam patitur : sic enim non posset separari ab eo, nec egredi illum. Rursus, non solum Plato in Timæo, sed etiam Ptolemæus asseruit stellas sphæræ octavæ proprio motu moveri in ea, sicut movetur piscis in aqua et avis in aere. Quæ tamen opinio non solum naturalibus rationibus, sed et auctori-

B tate Scripturæ canonicæ improbatur, quum in libro Job dicatur : Tu forsitan cum Deo fabricatus es cœlos, qui solidissimi sunt, quasi ære fusi. *Job* xxxvii, 18.

Joannes. — Si hoc de cœlis quoque seu orbibus planetarum intelligatur, apparet quod planetæ nequaquam proprio motu moveantur in sphæris suis, nec in aliquo cœlesti corpore queant ascendere, descendere, retrogradi, necnon stare (quum motus hujusmodi sine corporum illorum divisione et sectione nequeant fieri), sed in

C suis fixi sint circulis.

Dionysius. — Jam ad hoc est tacta responsio. Verum si hanc disputationem diffuse voluerimus prosequi, incidemus Oceanum. Hinc te remitto ad scripta mea super secundum Sententiarum, in quibus de omnibus his dictum est satis prolixe ex Alberto, Thoma, Guillelmo, Richardo, Petro, Scoto, Udalrico, ac aliis multis, et introducta sunt dicta Ptolemæi in Almagesti, verba Alpetragii, Albategni, Albumasar, Alfragani, ac aliorum. In quibus dist. xiv, q. 3-5; xv, q. 1.

D sunt multa vera et certa, aliqua nihilo minus incerta, ne dicam erronea. Nam et inter se discrepant sæpe, ita ut omnibus illis perlectis ac rite pensatis, non immerito fateamur nos experiri, quod vere scriptum sit in Sapientiæ libro : Difficile æstimamus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Hinc et Salomon protestatur in Ecclesiaste : Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone. *Sap.* ix, 16. *Eccle.* i, 8.

Joannes. — Ad aliorum (si placet) dubiorum solutionem procede.

Dionysius. — Quarta quæstio fuit, an idem planeta moveatur per orbes diversos. Cujus solutio ex præhabitis pendet. Non est enim putandum, quod unus planeta exeat circulum suum seu orbem principalem, atque alterius planetæ introeat sphæram, eo modo quo septem ponuntur esse orbes planetarum. Porro septem illis orbibus multi adjiciunt alios orbes plures. Unde Scotus in Scripto secundi post disputationem prolixam concludit : Oportet ponere epicyclos, qui non sunt orbes terram circumdantes, sed parvi orbes situati in determinatis partibus orbium circumdantium terram. Attamen quidquid sit de epicyclis, cœli seu orbes mobiles erunt ad minus viginti quinque. Sicque loquendo de orbibus, dicitur idem planeta moveri per orbes diversos.

Cf. t. XXII, p. 64 B et s.

Joannes. — Materia ista videtur mihi esse abyssus multa, imo pelagus infinitum ; et quo plures moveo quæstiones, eo graviores incido dubitationes, imo et admirationes. Nempe hucusque putavi, sicut et sæpius legi, non esse mobiles cœlos nisi novem, vel (ut aliqui dicunt) decem, videlicet : septem circulos planetarum, firmamentum, et nonam sphæram, quæ dicitur cœlum crystallinum ; ultra quod ponunt nonnulli decimum cœlum, quod primum mobile nominant.

Dionysius. — Qualiter hoc verificetur, ex nunc tactis elicere potes, videlicet quod septem dicantur sphæræ planetarum principales.

Joannes. — In his nihil respondes nisi recitative, aliorum videlicet responsa ponendo.

Dionysius. — Quid necesse est de incertis certo loqui, et incerta pro certis induci? Nonne, ut Aristoteles ait, ad pauca respicientes falluntur de facili? Denique, ut quod verum est fatear, ad ponendum epicyclos et eccentricos atque auges non inclinor : imo per diversitatem motorum, ac aliis modis, videntur posse salvari quæ A per epicyclos et eccentricos et auges salvantur.

Joannes. — Procedere cogimur.

Dionysius. — Quæstiones movisti secundum ordinem textus et metri, quærendo quinto loco de ventis, et sexto de cœlestium corporum motoribus. Quumque hæc quæstio sexta ad præcedentes magis dependeat, primo respondebo ad eam.

Itaque, sicut de præfatis materiis, ita de motoribus cœlestium corporum sunt multæ ac variæ opiniones. Nempe, ut in Summa sua refert Udalricus, Ptolemæus in Almagesti dicit intelligentias non movere cœlos, sed solam Creatoris voluntatem : quod et multi mathematicorum affirmant, specialiter vero Alpetragius in Scientia secretorum astronomiæ, quæ sibi asserit revelata. Dicit namque omnes cœlos immediate moveri virtute divina, et quod diversimode moventur, hoc esse propter distantiæ gradus a primo : quoniam virtus primi motoris major est in mobili immediato : ideo illud movetur velocius. Hancque posuit causam, quod stellæ videntur stantes sive retrogradi. Hæc Udalricus. Damascenus quoque videtur hujus esse positionis in aliquibus scriptis.

Cf. t. XXII, p. 67 D et s.

B

C

Porro Bonaventura in Scripto secundi Sententiarum : In hac (inquit) quæstione sunt duæ positiones probabiles, rationi ac Scripturæ concordes. Una, quod cœlum movetur a propria forma substantiali, quoniam habet quantitatem atque figuram per quam habile est ad hujusmodi motum. Habet etiam perfectionem et formam lu- D cis, quæ inter ceteras formas corporales est magis activa, et quasi medium tenens inter formas corporales ac spirituales : sicque virtute hujus formæ moventur cœlestia corpora motu orbiculari multo fortius ac sufficientius quam elementa motu recto ; nec ad motum cœlestem adhiberi oportet ministerium intelligentiæ aut animæ, quemadmodum nec ad motum elementaris naturæ. Nec obstat quod cœlum recedit ab eodem loco ad quem movetur. Cœlum namque proprie non movetur ad

locum, sed potius circa locum; nec pars exsistens in oriente movetur ad occidentem quasi situm illum determinate intendens, sed quia intendit moveri orbiculariter, qui est motus naturæ suæ conveniens. Alia positio est, quod Deus movet cœlum intelligentia seu angelo mediante, juxta congruentiam ordinis universi, quo corporalia per spiritualia moventur ac gubernantur. Unde quemadmodum congruum
Hebr. I, 14. est angelos deputari ad ministerium hominum, sic congruum est quosdam angelos deputari ad motum regimenque cœlorum. Ista positio est magnorum in theologia et philosophia, quoniam concors est fidei, pietati ac rationi. Ex præcedenti vero positione sequi videtur, quod quies esset cœlestibus corporibus innaturalis seu violenta. Tertia demum opinio est dicentium corpora cœlestia esse animata et ab animabus suis moveri. Quæ opinio est falsa : propter quod Augustinus retractat illud verbum quod dixerat in libro de Immortalitate animæ, quod mundus animatur. Hæc Bonaventura.

Sed quia prolixum est singulorum recitare opiniones, breviter dico, quod intentio Platonis ac Aristotelis fuit, corpora cœlestia esse veraciter animata, et a propriis animabus tanquam a motoribus intrinsecis et conjunctis moveri. Quod Thomas in Summa contra gentiles, tertio libro, atque in prima parte Summæ et in Scripto secundi Sententiarum idonee reprobat. Insuper, motus orbium non solum esse dixerunt ab animabus, sed etiam ab intelligentiis, ita quod animæ illæ cœlestium corporum in movendo ab intelligentiis dirigerentur, prout istud in libro de Causis exprimitur. Origenes quoque corpora cœlestia dixit animata, in libris Periarchon ac Stromatum. Quod et S. Hieronymus sensisse videtur, exponendo illud Eccle-
Eccle. I, 6. siastæ : Lustrans universa in circuitu pergit spiritus. Ubi per spiritum intellexit Salomon solem. Unde hoc exponendo ait Hieronymus : Ipsum solem Salomon spiritum nominavit, eo quod sol animal sit

A et spiret ac vigeat, ac omnes orbes suo expleat cursu. Hoc idem tenet Rabbi Moyses, et auctor libri de Causis, qui fuit Judæus philosophus, multique alii Israelitæ philosophi : quod etiam dicunt ex lege et Prophetis probari. Propter quod Rabbi Moyses loquitur, quod sunt animalia Deo obedientia et apprehensores ipsius, et cantant ei canticum grande ac laudem sublimem. At vero B. Augustinus de his in pluribus loquitur locis (ut super Genesim ad litteram, et in Enchiridio, in libro quo-
B que de Immortalitate animæ, atque in libris de Civitate Dei) dubitative magis quam assertive.

Sed S. Basilius, et Damascenus libro secundo, affirmant expresse contrarium. Hinc Albertus, Alexander, Thomas, Petrus, Bonaventura, Richardus, in suis Scriptis super secundum Sententiarum fatentur, quod absolute loquendo, cœli non sunt proprie animati. Imo, ut addit Richardus, dicere cœlestia corpora esse animata, est articulus Parisiis condemnatus : tamen,
C ut Scotus affirmat, excommunicatio illa non extendit se extra diœcesim. Itaque verius puto, quod corpora illa cœlestia non sunt vere ac proprie animata, et quod ab intelligentiis seu angelis moventur, vel a propriis formis, juxta institutionem ac jussionem omnipotentis, superdignissimi, interminabilis Dei. Hinc super secundum Sententiarum scribit Albertus : Quemadmodum asserit Damascenus, universa, divina jussione facta sunt et firmata, voluntatemque Dei et ejus consilium pro
D inconcussibili fundamento sortita sunt. Hinc Ambrosius primo libro Hexaemeron : Ego (inquit) qui profundum artis ac sapientiæ Dei comprehendere nequeo, non me disputationum libramentis committo, sed omnia in Dei potestate reposita credo, cujus voluntas fundamentum est universorum. Ideo illos suis contentionibus relinquamus, qui mutuis disputationibus se refellunt. Nobis vero satis est ad salutem non disputationum controversia, sed veritas præceptorum; nec argumentationum

astutia, sed fides mentis. Postremo sancti et devotissimi patres Gregorius, Bernardus, Beda, ac ceteri, in scriptis suis sentire videntur, quod nulla intellectualis ac rationalis creatura a Deo sit facta, nisi angelica et humana. Hieronymus etiam super Isaiam magis declinat ad hoc quod corpora cœlestia animata non sunt.

Restat jam respondendum ad quæstionem de vento, et de causa diversitatis ac vehementiæ eorumdem ventorum.

De his Damascenus libro secundo testatur : Ventus est motus aeris. Et rursus : Ventus est fluxus aeris, a permutatione seu distinctione locorum ex quibus fluit, denominationes alternans, id est, diversa nomina sumens. Verumtamen ventus non est essentialiter ipse motus seu motio aeris : qui motus est accidens successivum ; ventus autem substantia, sicut et ceteræ meteoricæ impressiones.

Seneca vero perhibuit ventum esse aerem agitatum seu motum. Quod etiam reprobatur, quum aer sit elementum, ventus autem impressio facta in aere, sumendo impressionem pro re impressa.

Hinc alii melius dicunt, quod ventus est vapor terrenus ad aeris superiora conscendens, aeremque fortiter percutiendo impellens. Ventus namque, secundum Philosophum libro Meteororum, materialiter fit ex vapore sicco, grosso, terrestri ; efficienter autem, ex calore solis elevante, non consumente, talem materiam. Hinc venti fortes præcipue sunt in autumno, sole circa autumnale æquinoctium exsistente : quia tunc sol comburendo, elementa exsiccat ; propter quod vapor elevatus, magis est siccus et terrenus. Hinc in autumno terrena complexio, utpote melancholica, dominatur, quæ est sicca et frigida instar terræ. Locus quoque generationis ventorum est media aeris regio, potissime frigida, ad quam ascendit vapor terrenus : qui quum ex natura sua sit gravis et calidus, occurrit ei frigus regionis illius, inspissans et gravans illum vaporem, faciensque illum parum descendere.

A Calor vero solis in ipso vapore inclusus, ab ipso non valet faciliter separari, quoniam calor vehementius roboratur in sicco terrestri : ideo iterum elevat eum ; sicque causatur violenta impulsio aeris, quæ ventus vocatur, ac juxta incrementum et minorationem causæ illius, est major et minor impulsio et vehementia. Hinc communiter fertur, quod ventus materialiter est exhalatio calida multum et sicca, naturaliter mota circa terram : et ita ad ventum requiritur et concurrit agitatio aeris.

B Postremo de his in compendio dicitur : Quatuor sunt venti principales, videlicet : Subsolanus ab oriente, temperatus, habens a dextris Vulturnum desiccantem, et a sinistris Eurum nubes generantem. Item a meridie est Auster calidus, qui fulmina gignit et pluvias largas, habens a dextris Africum calidum, et a sinistris Notum temperatum et pestilentias inducentem. Porro a septentrione Aquilo frigidus, habens a dextris Caurum facientem nives et grandinem, a sinistris Boream nubes con-C stringentem et pluvias prohibentem. Ab occidente autem est Zephyrus flores producens, habens a dextris Circium tempestatem et pluvias atque tonitrua producentem, a sinistris Favonium, in oriente nubila, sed serena in media parte aeris facientem. Turbo est ventus de nube egrediens, in se ipsum reflexus, vel duo venti simul lateraliter occurrentes, seseque juxta terram orbiculariter involventes. Terræ motus vero causaliter est vapor grossus de profundo terræ extractus, exire non va-D lens propter superficiei terræ soliditatem : sicque coarctatus in interioribus concavitatibus, concutit terram.

Ad septimam quæstionem, quæ est de causa diversitatis temporum ac variæ qualitatis eorum, Damascenus libro secundo breviter respondens : Per solem, inquit, id est ex motu solis ascendentis et descendentis in zodiaco, consistunt quatuor versiones, id est quatuor differentiæ seu variæ partes anni. Quarum prima est ver seu vernalis : in qua Deus mundum crea-

vit. Unde in ea nunc usque germinant flores: estque multum conveniens*, sanguinis augmentativa, calida exsistens et humida. Consequenter ortu solis elevato ad partes aquiloni proximiores, succedit versio æstivalis, sicca et calida, ac rubeam choleram causans. Cui versioni seu parti succedit autumnus, choleram nigram augmentans, quoniam medium quoddam habet frigoris et caloris, siccitatis et humiditatis. Cui hiems succedit, quæ phlegmatis est auctiva, quum frigida sit et humida. Sic igitur Conditor sapienter providit ne a summa caliditate ad maximam frigiditatem deveniamus, ut non in maximas ægritudines incidamus ex repentina permutatione contraria. Hæc Damascenus.

* *alias* contemperata

Qui eodem libro subjungit : Per ortum et occasum solis et lunæ, atque concursum planetarum ac siderum, dicunt Græci omnia quæ circa nos sunt dispensari; nos autem dicimus, quod non sunt causa eorum. Per quod Damascenus insinuat, quod non imprimunt actibus humanis fatalem necessitatem. Nihilo minus habent suos naturales effectus in inferioribus istis, non directe in superioribus viribus animæ. Unde dixit Philosophus : Oportet hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur. Propterea magnus et divinus Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, de radio solis testatur, quod ad generationem visibilium confert, et ad vitam movet, et eam auget, nutrit ac perficit. Nam et experientia pandit, quod sole accedente in circulo obliquo, puta zodiaco, omnia renovantur in terra ac elementis, et renovatur facies mundi inferioris : arbores quodammodo reviviscunt, florent, virescunt, fructificant; tellus floribus variis, herbis, graminibus decoratur, fragrat, et quasi exhilarari videtur.

Cf. t. XXII. p. 89 C et s.

At vero tempus in se unum est, quod est mensura primi motus, per quem cetera mensurantur : cujus partes habere dicuntur varias qualitates, quæ ex motu lunæ et influentia solis præsertim causantur; et inde varias denominationes sortitur, tanquam ex his quæ fiunt in eo.

ARTICULUS IX

DE SPIRITUALI ET MYSTICA EXPOSITIONE SECUNDI METRI ISTIUS.

QUEMADMODUM sol suo lumine ac vigore superat lunam, ita theologia philosophiam, theologus quoque veri nominis, ut talis, philosophum. Theologia ergo conspiciens verum theologum (id est, theologus se ipsum, aut alium in theologia rite instructum, philosophicis considerationibus assuetum, seu contemplationibus aliquando deditum, atque in vita contemplativa ac virtuosa exercitatum) adversitatibus pressum, persecutionibus fatigatum, aut certe tentationibus carnis, mundi ac dæmonum victum, in vitia lapsum, multo sublimius deflet et consolatur eumdem, dicendo :

Heu, quam præcipiti mersa profundo mens hebet! Hoc est : « Mens » hujus theologi, seu theologici, contemplativi, religiosi spiritualisve viri, « mersa » et obruta « profundo » valde « præcipiti », id est ingenti adversitate, vehementi tentatione, dolorosa afflictione, ut sunt : incarceratio, depauperatio, diffamatio, exsilium, honoris, dignitatis, prosperitatis ablatio, percussio, mutilatio, læsio, ac dira et diuturna infirmitas, criminatio falsa, oppressio violenta; imo etiam consuetæ devotionis subtractio, ariditas cordis, solitæ alacritatis atque internæ consolationis amissio, ac

spiritualis opulentiæ dispensativa minoratio A aut realis perditio : quæ interdum divinæ moderamine pietatis, interdum ex negligentia et incustodia mentis accidunt piis ac devotis personis, quæ et inde valide affliguntur, dum cœlestis Sponsi visitationibus consuetis, amplexibus interioribus, suavissimis osculis, solita gratiosa præventione, sanctæ caritatis dulci incendio infinitæque munificentiæ Dei exuberanti influxu se experiuntur destitui aut privari, atque in Deitatis obsequio tardas, desides, insipidas fieri, et in spirituali defi- B cere pugna, ita ut cum Job sancto dicere
Job xxix, 2-5. habeant : Quis mihi det ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris, quando secreto erat Altissimus in tabernaculo meo et Omnipotens mecum? Hoc est, quando devotus vir et homo vere spiritualis, seu religiosa persona desuper gratiose præventa, omnia agit cum sapore interno, cum consolatione superna, cum gaudio Spiritus C Sancti, ita quod per omnes hujuscemodi dies spirituale alleluia decantat, et festiva, imo solennia et serena sunt universa in corde ipsius, et ex sententia psallere po-
Ps. cxviii, 32. test Altissimo : Viam mandatorum tuorum cucurri, imo transilii ac volavi, dum ita dilatasti et visitasti cor meum. Tali (inquam) profundo repente aut valde præcipitanter mersa, in parte sive totaliter, mens hominis hujus, qui paulo ante stetit in sublimitate virtutum contemplationisque arce seu devotionis profectu, « he- D
Ibid. 18. bet », id est, caligat interius ad considerandum mirabilia legis divinæ, ad intuendum acute pertinentia ad salutem, ad contemplandum suaviter promissa cœlestia, quæ
Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9. nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendere plene potest.

Talis dicere potest illud Psalmographi
Ps. ci, 10, 11. in persona intime pœnitentis : Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam, a facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. Sic quippe nonnunquam supersapientissimus Deus relinquit ad tempus hominem sibi ipsi seu propriæ fragilitati et adversitati, ut se ipsum clarius noscat, profundius humiliet ac deploret, magisque anxie recurrat ad Creatorem, de cetero quoque sollicitior ac custoditior esse conetur.

Et propria luce relicta, videlicet Christo, qui ait : Ego sum lux mundi. De quo Joann. viii, 12.
in Joanne habetur : Erat lux vera quæ Ibid. i, 9.
illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc lucem omnino relinquit quicumque mortaliter peccat. Cui a Baruch dicitur : Dereliquisti fontem sapi- Baruch iii, 12.
entiæ. Unde de impiis conqueritur Deus apud Jeremiam : Me dereliquerunt fontem Jer. ii, 13.
aquæ vivæ. Qui autem in adversitatibus, correptionibus, aspernationibus aliquantulum contristatur paululumque turbatur, quamvis non prorsus succumbat, relinquit aliqualiter lucem istam, seu actualiter et complete non considerat eam, nec eam plenarie imitatur. Quam si satis sapienter adspiceret satisque fortiter sequeretur, gauderet utique in adversis sicut in omnibus divitiis, advertens et implens quod ait lux ista apud Matthæum : Beati estis quum Matth. v, 11, 12.
maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Mens ergo « relicta luce » increata, qui Christus est, et luce creata, utputa gratia ejus, seu sacræ Scripturæ doctrina, *tendit ire,* id est, disponit se cadere, *in externas tenebras,* de quibus in Evangelio loquitur Judex de unoquoque iniquo qui est rebellis lumini : Ligatis manibus ejus et pedibus, Ibid. xxii, 13.
mittite eum in tenebras exteriores.

Hoc accidit menti *quoties,* id est quam sæpe, *acta,* id est, agitata est, *terrenis flatibus,* id est fluctuationibus et inquietudinibus passionum impatientiæ et mœroris, ex adversitate terrena et temporali : unde et *noxia cura crescit* in ea *in immensum,* quum tamen dicat Salvator, Nolite solliciti Ibid. vi, 34.

Philipp. IV, 6. esse in crastinum; atque Apostolus, Nihil sollicití sitis. Hoc evenit his qui a spirituali fervore ac virtuoso profectu tepentes ac corruentes, rursus mundanis curis et sensualitatis affectibus implicantur. Quibus *Galat.* III, 3. ad Galatas ait Apostolus: Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Quorum unicuique Domi- *Apoc.* II, 4. nus ait in Apocalypsi: Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Hæc est vana sollicitudo et carnalis prudentia ejus qui non confidit in Deo. *Eccle.* XI 4. De quo in Ecclesiaste fertur: Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet.

Denique taliter lapsum et ita subversum deplangit theologia, subdendo:

Hic quondam liber a curis et vitiis istis, *aperto cœlo,* id est patefacto sibi aditu regni cœlestis seu militantis Ecclesiæ. Unde *Apoc.* IV, 1. in Apocalypsi ait Joannes: Apertum est ostium in cœlo. Et ostium est ipsemet Christus, sicut apud Joannem protestatur: *Joann.* X, 7. Ego sum ostium ovium. Qui etiam merito suæ sacratissimæ passionis aperuit nobis januam regni cœlestis. *Suetus,* id est, assuetus fuit, *ire in meatus æthereos,* id est per contemplationem ascendere ad ascensiones et descensiones supernorum spirituum, ad actiones hierarchicas tam angelicæ quam ecclesiasticæ hierarchiæ (de De Cœlest. hier. c. III, IV, VII-X, XIII, XV; de Eccl. hier. c. I, V, VI. quibus in libro de Hierarchia cœlesti et in volumine de Hierarchia ecclesiastica, divinus Dionysius cœliformiter tractat): hoc est, speculari qualiter tam in triumphanti quam militanti Ecclesia, superiorum sit purgare, illuminare, perficere inferiores; qualiter Sancti per varias species contemplationum habeant circa superpræstantissimum Deum motum circularem, rectum De Divin. nom. c. IV. et obliquum, prout magnus Dionysius docet; qualiter sidera illa empyrei cœli de *Job* XXXVIII, 4, 7. quibus ad Job Dominus ait, Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? qualiter, inquam, ad imperium Creatoris cum inæstimabili reverentia atque promptissima obedientia agant, moveantur et exsequantur quidquid placuerit illi, nec legem sibi desuper præfixam ulla ex parte unquam transgredi audeant, imo nec velint; qualiter etiam vultui ac gloriæ Conditoris ardentissime ac avidissime, inavertibiliter ac deliciosissime sint intenti. Sic item considerare solebat, qualiter vere fideles et sancti in sæculo isto, olim (præsertim in primitiva Ecclesia) Domino Salvatori suo cum omni subjectione, promptitudine et fervore huic ærumnosæ vitæ possibili, servierunt.

Cernebat insuper *lumina rosei solis.* Roseus sol est Dominus et Salvator noster: de quo per Malachiam loquitur Deus Pater, Orietur timentibus nomen meum Sol *Malach* IV, 2. justitiæ. De quo reprobi et injusti sero dicturi sunt illud in libro Sapientiæ: Erravi- *Sap.* V, 6. mus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis. « Lumina solis » hujus sunt sapientia et scientia ejus, intellectus et ratio.

Circa quod pensandum, quod Christo secundum naturam divinam atque humanam competit roseum esse solem, potissime tamen secundum divinam, qua in se ipso supersplendidissimus et superpulcherrimus est, ut in libro de Divinis nomi- cap. IV, V. nibus princeps theologorum Dionysius tractat: imo sic est candor lucis æternæ, et *Sap.* VII, 26; speculum sine macula Dei majestatis, *Hebr.* I, 3. splendor gloriæ et character substantiæ Patris, ut in libro Sapientiæ et ad Hebræos asseritur. Et quamvis hoc modo non sint in Christo lumina plura, quemadmodum nec in Patre et Spiritu Sancto, sed unum simplicissimum lumen, quod est ipse; nihilo minus pluraliter dicuntur in eo lumina propter diversitatem effectuum, sicut dicuntur in eo misericordiæ multæ. Sed et *Ps.* CXVIII, 156. lumina ejus sunt creata lumina universa ab ipso derivata, lumen naturæ, lumen gratiæ lumenque gloriæ. Amplius, secundum naturam assumptam Christus sol appellatur ineffabiliter excellentius quam quisquam Sanctorum. Nam et ita de ple- *Joann.* I, 16. nitudine ejus accepimus universi, et ipse

Joann. III, 34. non ad mensuram accepit Spiritum Sanctum, prout apud Joannem legitur. Sic *Psal.* XLIV, 3. quoque ait de eo Psalmista : Speciosus forma præ filiis hominum. Atque ut S. Dionysius contestatur, Christus non solum secundum suæ deitatis naturam, sed item secundum suam assumptam humanitatem, illuminat totam triumphantem ac militantem Ecclesiam. Sicque lumina hujus rosei solis sunt universa charismata Spiritus Sancti, omnia dona gratiæ et gloriæ, quæ eminentissime in ipso fuerunt et sunt : *Coloss.* II, 3. in quo, teste Apostolo, sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Quidquid etiam gratiæ et virtutis, quidquid sapientiæ et perfectionis est in membris ipsius, hoc totum ab ipso profluxit, et ei est *Joann.* XV, 5. adscribendum, qui ait : Sine me nihil potestis facere. *I Cor.* IV, 7. Nempe, quid habes quod non accepisti ? Et vehementer dolendum, quod homo qui aliquando adhuc spiritualis et contemplativus exsistens, conspexit per fidem et sapientiæ lucem hunc delectabilissimum solem, jam subversus jucundius inspicit aurum.

Talis quoque olim *visebat sidera gelidæ lunæ*. Per lunam designatur Ecclesia militans : quæ quantum ad iniquos et reprobos, qui multo plus in ea abundant, gelida nominatur, quia in illis exstincta est caritas, et torpor regnat ignaviæ, atque acediæ *II Tim.* III, 2, 3. frigus. De quibus dicitur : Erunt homines sine affectione ; itemque : *Matth.* XXIV, 12. Quia abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. « Sidera » hujus lunæ uno modo intelligi possunt homines litterati, quamvis iniqui et specie tenus religiosi ; prælati et clerici, quamvis carnales ac fœdi. De qualibus *Matth.* XXIII, 27, 28. loquitur Veritas : Væ vobis qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos a foris paretis hominibus justi, intus vero estis pleni hypocrisi et iniquitate. De uno hujusmodi siderum in *Apoc.* VIII, 10. Apocalypsi asseritur : Stella magna cecidit de cœlo. Quod multi exponunt de Pelagio hæresiarcha. — Rursus per lunam intelligitur Ecclesia militans, quantum ad electos et virtuosos : qui quamvis igne ferveant caritatis, tamen respectu triumphantis Ecclesiæ quasi frigidi perhibentur ; et ipsa Ecclesia militans, respectu civium supernorum est frigida. « Sidera » hujus lunæ electæ, sunt sapientes et virtuosi fideles, præsertim perfecti, atque idonei aliorum doctores, de quibus in Daniele scriptum est : Qui docti fuerint, fulgebunt quasi *Dan.* XII, 3. splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Unde hortatur Apostolus ad Philippenses : Sitis sine querela et simplices filii Dei in medio nationis perversæ, *Philipp.* II, 15. inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Hæc sidera intuemur, quoties meliores perfectioresque nobis attendimus, quatenus vitam, mores prudentiamque eorum sectemur.

Et quæcumque vagos stella recursus exercet. Per planetas non fixos, et varios motus habentes, exprimuntur prædicatores, viri cœlestes et boni prælati, ac homines misericordiæ actibus dediti : qui ad informandum, gubernandum adjuvandumque alios, hinc inde discurrunt per diversos gradus et status fidelium, tanquam per varios orbes cœli inferioris. Unde uni talium scripsit Apostolus : Prædica verbum, *II Tim.* IV, 2. insta opportune, importune ; argue, obsecra, increpa in omni patientia. Et certe unicuique animarum curam habenti, incumbit implere quod in libro Proverbiorum Salomon exhortatur : Fac, fili mi, *Prov.* VI, 3, 4. quod dico tibi, et temetipsum libera : discurre, festina, suscita proximum tuum ; ne dederis somnum oculis tuis.

Consimiliter homo talis adhuc spiritualiter vivens et contemplative conversans, intelligebat *causas unde sonora flamina*, id est ex quibus impetuosæ persecutiones et impiorum commotiones, *sollicitent æquora ponti*, id est, inquietent, infestent ac moveant plebem Dei, electos ac justos, innocentes et pauperes. Hoc quippe disponit, agit permittitque providentia Creatoris ad purgationem, profectum, salutem ele-

ctorum suorum, respectu quorum iniqui
sunt quasi flagellum et virga Dei. Hinc,
teste Gregorio, Abel esse renuit, quem
Cain malitia non exercet. Hinc in Prover-
Prov. xxviii, 15. biis inducitur : Leo rugiens et ursus esu-
riens, princeps impius super populum
pauperem. De talibus scriptum est iterum
Ibid. xxx, 14. in libro Proverbiorum : Est generatio quæ
pro dentibus gladios habet, et commandit
molaribus suis, ut comedat inopes de terra
et pauperes ex hominibus.

Contemplabatur etiam *quis spiritus vol-
vat stabilem orbem.* Stabilis orbis est Ec-
clesia militans confirmata in gratia : quia
in ea semper sunt aliqui boni ac justi, et
quamvis valeat concuti, tamen non potest
submergi. De qua Christus Petro promisit :
Matth. xvi, 18. Portæ inferi non prævalebunt adversus
eam. De qua ad Timotheum scribit Apo-
I *Tim.* iii, 15. stolus : Ecclesia Dei vivi columna est et
firmamentum veritatis. Hunc orbem vol-
vit, regit, tuetur, conservat Spiritus San-
ctus, Ecclesiam non sinens errare in fide
et moribus, saltem in toto, quamvis in
parte, imo et in parte majori, modo sit
deformata, sicut et sæpius fuit. *Vel cur
sidus in hesperias undas casurum, surgat
a rutilo ortu.* Interdum, justo Dei permit-
tente judicio, infideles et perfidi in præliis
prævalent Christianis, ita quod Sol, utpote
Christus, videtur quasi succumbere diis
seu legislatoribus perfidorum. Sed ipse ad
libitum suum apparet potentior, et præva-
let hostibus, ac reformat Ecclesiam in
parte aut toto : sicque surgit « a rutilo or-
tu », gratia coruscante.

Advertit etiam homo talis *quid veris
placidas temperet horas,* etc., hoc est,
qualiter infinita sapientia Creatoris distin-
guat ac variet tempora, et partibus anni
proprias tribuat qualitates, causalitates at-
que effectus, sicut cantamus in Hymno :

> Rector potens, verax Deus,
> Qui temperas rerum vices,
> Splendore mane instruis,
> Et ignibus meridiem.

Quemadmodum enim philosophia reducit
ista ad causas naturales, sic theologia ad
A primam et altissimam causam, quæ est
sapientia et providentia Omnipotentis. Et
ita in libro Job ipse Creator de causa na-
turalium rerum inquirit, dicendo : Quis *Job* xxxviii, 8, 12, 28.
conclusit ostiis mare, quando erumpebat
quasi de vulva procedens ? Numquid post
ortum tuum præcepisti diluculo, et osten-
disti auroræ locum suum ? Quis est plu-
viæ pater ? aut quis genuit stillas roris ?
Hinc in eodem libro opera naturæ adscri-
buntur Creatori, quum dicitur : Nonne *Ibid.* x, 10, 11.
sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me
B coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me,
ossibus et nervis compegisti me. — Deni-
que ver, æstas, autumnus et hiems spiri-
tualiter accipi possunt in anima, juxta
similitudinem proprietatum harum qua-
tuor partium anni : ut ver dicatur in ani-
ma, quando tranquilla est ab inquietudine
passionum, et fructum virtutum incipit
parturire ; æstas vero, dum fervet in Spi-
ritu Sancto; autumnus, dum seminatur
de novo semine verbi cœlestis ; hiems,
dum adversis magis afficitur.

C *Nunc jacet effeto lumine mentis :* id est,
homo iste qui aliquando talis fuit ac tan-
tus, tam sublimis in vita, tam elevatus in
contemplatione, tam divinus et proximus
Deo, modo dejectus est, et adversitatibus
tentationibusque depressus, terrenis inten-
tus, jugo subditus vitiorum, et captivitate
detentus spirituum malignorum ; et qui *Thren.* iv, 5.
nutriebatur in croceis, hæc stercora am-
plexatur. In quo illud verificatur Psalmi-
stæ : Homo quum in honore esset, non *Ps.* xlviii, 13, 21.
intellexit, comparatus est jumentis insipi-
D entibus. Contra quod in Proverbiorum li-
bro monetur : Ne des alienis honorem *Prov.* v, 9, 10.
tuum, et annos tuos crudeli, ne implean-
tur extranei viribus tuis. Quod fit dum
dæmones tentando prævalent homini, eum-
que meritis atque virtutibus suis despo-
liant, juxta illud Osee : Comederunt alieni *Osee* vii, 9.
robur ejus, et ipse ignoravit.

Dum ergo videmus hominem spiritualem
collapsum, ferventemque spiritu, tepidum
factum, et custoditum ac timoratum, dis-
solutum et negligentem effectum ; intime

condoleamus, pro ipso intime deprecemur, et ipsum pro viribus consolemur. Si autem viderimus quempiam temporali prosperitate privatum corporaliterque afflictum, in promptu est talem multipliciter consolari : quia electi Dei solent in vita hac adversitatibus visitari, paterne flagellari castigationibusque purgari, atque per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum. Act. XIV, 21.

PROSA II

SED medicinæ, inquit, potius tempus est, quam querelæ. — Tum vero totis in me intenta luminibus : Tune es ille, ait, qui nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras? Atqui talia contuleramus arma, quæ nisi prior* abjecisses, invicta te firmitate tuerentur. Agnoscisne me? Quid taces? Pudore an stupore siluisti? Mallem pudore; sed te, ut video, stupor oppressit. — Quumque me non modo tacitum, sed elinguem prorsus mutumque vidisset, admovit pectori meo leniter manum, et, Nihil (inquit) periculi est : lethargum patitur, communem illusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est ; recordabitur facile, si quidem nos ante cognoverit. Quod ut possit, paulisper lumina ejus mortalium rerum nube caligantia tergamus. — Hæc dixit, oculosque meos fletibus undantes, contracta in rugam veste siccavit.

* prius

ARTICULUS X

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS SECUNDÆ.

PROSEQUITUR Philosophia in prosa hac, inchoatam consolationem Boetii, et sub ejus persona, cujuscumque philosophici viri ex adversitatibus sibi inflictis aut subortis desolati. Nec est in prosa hac difficultas.

Sed medicinæ, inquit, potius tempus est, quam querelæ : id est, Philosophia quæ in metro jam introducto locuta est, per modum piæ querimoniæ condolendo afflictionibus meis, et ea tangendo ex quibus innotescere potest quam vehementer compatiendum sit mihi, atque ex quibus indecens visum est quod post tantam prosperitatem veni in tantam adversitatem : hæc ergo Philosophia « inquit : Sed tempus medicinæ », id est congrua hora consolandi, « est » modo, « potius quam querelæ », quæ frequenter auget dolorem, quum tamen afflicto non sit addenda afflictio, sed consolatio impendenda, juxta illud Ecclesiastici : Non desis plorantibus in consolatione. Eccli. VII, 38.

Tum vero totis in me intenta luminibus, id est, Philosophia oculis suis in me diligenter totaliterque directis, utpote oculis suis exterioribus et interioribus, ut moris est medicis piis, sollicitis ac peritis. Nam per exteriora conjiciunt medici ceterique prudentes de interiorum dispositione,

quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. *Tune es ille, ait,* id est, Philosophia ait ad me, Nonne tu es ille, *qui quondam* spiritualiter *nutritus* es *nostro* spirituali *lacte,* videlicet facilioribus scientiis bonisque moribus, quibus instrui ac refici solent studentes in exordiis studii sui? Quasi dicat Philosophia : Imo sic est. Non enim interrogatio ista ex ignorantia venit, sed ex dilectione et pietate, ad animandum et consolandum interrogatum, quatenus ipse fiducialiter reseret qualiter secum res agatur, agnita caritate Philosophiæ ad ipsum. Nam ut super Joannem asserit Augustinus, interdum quærit homo, ut discat quod nescit, aut clarius noscat quod quærit et scit; quandoque interrogat, ut sciat an ille sciat quæ quærit, vel ut eum plus instruat; aliquando, ut illius ignorantiam pandat; nonnunquam, ut juxta qualitatem responsi aliquid subjungat convenienter.

Eccli. xix, 6.

Nostris educatus alimentis, id est etiam altioribus scientiis atque virtutibus legis connaturalis, quas naturalis ratio potest docere ac obtinere : unde vocantur virtutes naturales et acquisitæ. Quas habuerunt multi gentiles atque philosophi, in tantum quod quidam eorum reputati fuerunt viri heroici, id est divini : prout in Ethicis Aristoteles refert de Hectore Trojæ, quod potius videbatur filius Dei immortalis quam viri mortalis; Labeo quoque Platonem asseruit semideum, ut in secundo de Civitate Dei recitat Augustinus. Hinc constat, quod sicut corpus, ita et anima propria habet alimenta : quæ sunt scientiæ et virtutes, et actus earum, quibus anima spiritualiter crescit, grandescit, roboratur ac delectatur. Et quo ipsæ scientiæ fuerint altiores et virtutes perfectiores, eo sunt nobiliora, delicatiora et delectabiliora animæ nutrimenta, ita quod qui talibus imbuuntur, in croceis enutriti dicuntur.

Thren. iv, 5.

In virilis animi robur evaseras, id est, infantiæ ac pueritiæ rudimenta teneritudinemque existi, pertingendo ad fortitudinem stabilis mentis, sic quod inter prospera et adversa, inter laudes et vituperia constans mansisti, a virtutum medio non corruens nec recedens, saltem ad tempus. Sic etenim virtus est quædam medietas inter vitia duo extrema : sicut liberalitas inter prodigalitatem et tenacitatem, ut ait Macrobius.

At cui talia contuleramus arma,* id est, tu o Boeti, « cui » donavimus « arma talia », id est spiritualia arma, ad prævalendum valde idonea, puta scientias et virtutes acquisitas : quas Philosophia præstitit dispositive et cooperatorie, sicut discipulo confert magister virtutes, mores, scientias : propter quod, secundum Philosophum, discipulus nequit magistro æquivalens reddere. Hinc Seneca dixit : Educatio et disciplina mores facit. Salomon quoque : Virga (ait) et correptio tribuit sapientiam. *Quæ te tuerentur,* id est, ab istis inordinatis afflictionibus cordis pœnisque corporis præservarent, *invicta firmitate,* id est inconcusso ac stabili robore (sapientia namque et virtus sunt quasi columnæ mentis, eam in Deo stabilientes ac sustentantes), *nisi abjecisses* ea *prior,* id est, si non sponte succubuisses tentationi et culpæ. Nullus etenim peccat omnino invite, nec bona animæ queunt ei auferri prorsus nolenti, quum peccatum in tantum sit voluntarium, quod nisi voluntarium esset, peccatum non esset, ut asserit Augustinus. Qui etiam in libro de Civitate Dei et alibi frequenter effatur, ea dumtaxat esse vera hominis bona, quæ ei non volenti non valent auferri, quoniam horum carentia seu privatio non caret peccato. Itaque sapientia, prudentia ac virtutes arma sunt animæ, vestes et ornamenta, munimenta, robur ac firmitas hominis interioris. Quæ nequaquam debemus abjicere, neque permittere ut hostes nostræ salutis ipsis nos spolient. Propterea scriptum est : Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est.

* Atqui

Prov. xxix, 15.

Sap. iii, 11.

Sed quum dictum jam sit, « medicinæ potius tempus est », cur Philosophia sic

adhuc reprehendit Boetium, nisi quia re- [A] prehensio ista caritativa, pia et compassiva, est medicina salubris atque purgatio medicinaque purgativa, quoniam per correptionem purgantur peccata? Propter [Job v, 17, 18.] quod fertur apud Job : Beatus homo qui corripitur a Domino, quoniam ipse vulnerat et medetur. Hinc subditur :

Agnoscisne me Philosophiam, tuam consolatricem ac dilectricem, quam tibi olim elegisti in sponsam? *Quid taces pudore?* hoc est, noli in tantum de tua dejectione et culpa verecundari, ut me advertere mi- [B] hique respondere postponas, quia hoc esset pudor immoderatus, de quo scriptum [Eccli. iv, 24, 25.] est in Ecclesiastico : Pro anima tua non confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum. *An siluisti stupore,* id est vehementi mentis admiratione, ita quod ex ea quemdam mentis stuporem seu alienationem animi incurristi? Qui stupor actum impedit rationis, [Is. xxi, 4.] juxta illud Isaiæ : Tenebræ obstupefecerunt me, et emarcuit cor meum. Ideo subditur :

Mallem pudore, id est, potius placeret mihi quod tacuisses ex erubescentia moderata, quam ex stupore præfato. Hæc quippe est erubescentia sapientialis, qua homo ex consideratione enormitatis, frequentiæ ac turpitudinis vitiorum suorum, inducitur ad detestationem, confessionem ac emendationem eorum. Unde in Eccle- [Eccli. iv, 31, 25.] siastico habetur : Non confundaris confiteri peccata tua; est enim confusio adducens gratiam et gloriam. *Sed te, ut video, stupor oppressit,* ita quod jaces velut [D] exanimis, nec lumine veritatis perfunderis, nec quæ tibi dicuntur advertis : idcirco nec consolationem suscipis ex auditis. Prædominantes namque affectiones considerationem et acumen rationis obnubilant, sicut et universaliter anima vehementer intenta et occupata in actu unius potentiæ, debilior redditur ad vacandum alterius potentiæ actioni. Unde in Threnis di- [Thren. i, 20.] citur : Subversum est cor meum, quoniam amaritudine plena sum.

Quumque me non modo tacitum, sed elinguem prorsus mutumque vidisset, id est, dum Philosophia considerasset me non solum esse silentem, sed item lingua privatum et mutum, non per corporalem linguæ abscisionem, neque per impotentiam ineptitudinemque loquendi, sed per carentiam actualis locutionis tam magnam ac si prorsus atque realiter fuissem elinguis et mutus.

Denique pudor et stupor inter se distinguuntur : quia ut ait Damascenus libro secundo, pudor seu verecundia, est timor in re turpi, hoc est timor ingloriationis ex facto aliquo inhonesto, vel quod apprehenditur ut confusibile; stupor est timor ex insolita imaginatione. Sicque utrumque species est timoris. Atque (ut tactum est) communiter dicitur, quod stupor est quædam alienatio spiritus ex admiratione seu imaginatione forti et inconsueta causata, non cito pertransiens; pudor vero celerius transit. Hinc apud Marcum legitur : Mulie- [Marc. xvi, 5.] res viderunt juvenem sedentem cooper- [C] tum stola candida (utpote angelum sanctum), et obstupuerunt. — Ponitur quoque differentia inter tacitum, elinguem et mutum. Nam tacitus dicitur, qui non faciliter loquitur nec frequenter, sed ex causa prægnanti ac raro, juxta quod in Ecclesiastico legitur : Homo sapiens tacebit usque ad [Eccli. xx, 7.] tempus; lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. Elinguis vero vocatur, qui linguam habens, officio ejus non utitur recte, vel ad loquendum vix potest induci, ut legitur de Secundo philosopho; mutus autem, qui potentia caret loquendi.

Admovit pectori meo leniter manum. Servat auctor metaphoram, loquens de philosophia tanquam de matrona benigna et medica, quæ manum solet ægrotantis pectori dulciter applicare. Quod spiritualiter est intelligendum, ita quod Philosophia « admovit leniter », id est, modeste ac dulciter applicuit, « manum », id est consolationis auxilium et doctrinam, « pectori » (id est cordi) « meo ». Sic sumitur pectus quum dicitur : triplex est pax, puta

pax temporis, pax pectoris, pax æternitatis. Hoc est pectus spirituale. Aliud est pectus corporale : de quo in Evangelio legitur, Publicanus percutiebat pectus suum. (Luc. XVIII, 13.)

Et, Nihil (inquit) periculi est, id est, Philosophia ait, Non est infirmitas ista periculosa neque mortifera. *Lethargum patitur,* id est, infirmus iste incurrit ægritudinem quamdam generalem ac pluribus consuetam, videlicet *communem illusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est* ex morbo præfato; *recordabitur facile,* id est, ad memoriam suam reducet se ipsum, *si quidem nos ante cognoverit,* id est, dummodo ante habuerit nostri notitiam.

Porro lethargia est passio ex phlegmatis abundantia in posteriori cerebri parte, ligans impediensque memoriam, cujus organum ex tali materia distemperatur, et species quæ sunt in ea confunduntur : unde mens ipsa illuditur, id est decipitur, non bene judicando de rebus aliquando notis. Ideo lethargia dicitur morbus communis « mentium illusarum ». Ex qua etiam infirmitate quidam ad tantam labuntur oblivionem, quod quasi dormiendo mori videntur. Et dicitur ἀπὸ τῆς λήθης, quod est oblivio. Unde et Lethe, juxta poetas, fluvius dicitur infernalis : de quo animæ damnatorum potare asseruntur, quatenus præteritorum obliviscentes dolorum, acrius sentiant pœnas eis præsentes. Qui morbus ex apostemate causatur phle-

A gmatico postremam capitis cellulam perturbante. Quem etiam morbum Boetius non vere et corporaliter, sed similitudinarie habuit. Phrenesis autem est passio capitis, ex abundantia choleræ nigræ seu melancholiæ nascens in parte cerebri anteriori, ligans imaginativam in eadem parte sitam; mania vero est passio causata ex abundantia sanguinis impuri, æstimativam impediens : sicut de his Galenus et Joannicius scribunt diffusius.

B *Quod ut possit,* id est, quatenus Boetius valeat hunc morbum abjicere, et expedite recolere, *paulisper lumina ejus mortalium rerum nube caligantia tergamus.* Ordo verborum est : « Paulisper tergamus », id est, mundemus, abstergamus et desiccemus, « lumina » (id est oculos) « ejus caligantia », id est cæcutientes et partim offuscatos, « nube », id est lacrimarum profluvio ac mœrore et velo, « mortalium » (id est temporalium) « rerum », hoc est causato ex amissione eorum in quibus terrena consistit prosperitas.

C *Hæc dixit* Philosophia, loquens ad se quasi ad alterum; *oculosque meos siccavit,* hoc est, Philosophia « siccavit oculos meos » interiores et exteriores, *fletibus undantes,* id est, affluentes lacrimis corporalibus seu spiritualibus, *veste contracta in rugam,* id est plicata. Et potest per vestem, pietatis compassio aut doctrinæ effusio designari : sicut et sanctus Job loquitur, Justitia indutus sum ; et alibi legitur, (Job XXIX, 14.) Induit me Dominus vestimentis salutis. (Is. LXI, 10.)

ARTICULUS XI

DE SPIRITUALI ET MYSTICA HUJUS PROSÆ SECUNDÆ INTELLIGENTIA.

THEOLOGIA visceribus caritatis ac intimæ pietatis ineffabiliter plus quam philosophia abundat : imo, ut sanctus effatur Ambrosius, Summa (id est plenitudo) to-

D tius christianæ theoriæ ac religionis, in caritate et pietate consistit. Propter quod dixit Apostolus : Plenitudo legis est dilectio ; (Rom. XIII, 10.) itemque : Pietas ad omnia utilis est. Unde (I Tim. IV, 8.)

in libro Proverbiorum Salomon protestatur, loquens de muliere forti, id est de militanti Ecclesia, de beatissima Virgine, de sacra Scriptura, id est theologia : (Prov. xxxi, 26.) Aperuit os suum sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Itaque theologia conspiciens personam catholicam eruditam, ab altitudine exercitiorum spiritualium in quamdam adversitatum, afflictionum atque tentationum abyssum dejectam (juxta il- (Ps lxviii, 3.) lud Psalmi, Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me), compatiens ait : *Medicinæ tempus est.* De qua loquitur Jeremias : (Jer. viii, 22; cf. t. IX, p. 94 B'.) Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi ? Quare ergo non ascendit sanitas plebi meæ? Talis plane medicus fuit Isaias, qui fassus est : (Is. l, 4.) Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo. (Jacob. iii, 2.) Denique, quia in multis offendimus omnes, et quotidie saltem in venialia cadimus, quæ sunt quasi vulnera parva, quemadmodum peccata mortalia sunt vulnera magna ; hinc incessabiliter « tempus medicinæ est » nobis : quemadmodum est pœnitentia de peccatis, consolatio pia et sapientialis contra tristitiam inordinatam ac deprimentem, et contra vitium unumquodque, virtus contraria et actio ejus. Non ergo vulneremus animas nostras peccando ; sed inflicta vulnera, hoc est peccata præterita, curare conemur, cordialiter pœnitendo.

Tum vero totis in me intenta luminibus. Sic utique theologia diligentissime intuetur hominem desolatum, imo unumquemque fidelium, ut provideat et succurrat cuilibet juxta capacitatem et necessitudinem ejus. *Tunc es ille qui nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras ?* Unusquisque virtuosus dum erat in statu incipientium, nutritus fuit lacte sacræ Scripturæ ac theologicæ facultatis, hoc est facilioribus documentis, et purgativæ exercitiis viæ, qualiter peccata sua deberet deplorare, confiteri, vitare, et satisfacere pro eisdem, atque in moribus se habere,

A corpus ac sensualitatem rationi subjicere. De quo lacte ait Scriptura : Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. (I Cor. iii, 1, 2.) Princeps quoque apostolici agminis in prima sua scripsit Canonica : Sicut modo geniti infantes rationabiles, (I Petr. ii, 2.) sine dolo lac concupiscite (id est sinceram simplicemque instructionem Scripturæ, ac gratiæ puritatem, et bonam institutionem in vita spirituali), ut in eo crescatis in salutem. Interdum demum lac in Scripturis in malo accipitur, utpote pro voluptate

B carnali, ut dum Isaias inducit : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? (Is. xxviii, 9.) Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, id est, eos qui a carnalibus deliciis abstinent. — Porro alimenta theologiæ sunt perfectiores doctrinæ, exercitia viæ illuminativæ ac perfectivæ, degustatio dulcedinis Dei, perfectiones virtutum. De quibus ad Hebræos asseritur: Perfectorum est solidus cibus, eorum qui (Hebr. v, 14.) pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Unde ad

C Corinthios deprompsit Apostolus : Sapientiam loquimur inter perfectos. (I Cor. ii, 6.) Quibus pretiosissimis alimentis homo mente refectus, « in virilis animi robur » surgit, in cedrum Libani crescit, et verticem mentis extendit usque ad contemplationem et amplexum Omnipotentis in throno gloriæ residentis, juxta quod ait Psalmista : Justus ut palma (Ps. xci, 13.) florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Unde per Osee Dominus testatur : Ero quasi ros, et Israel (id est vir contem- (Osee xiv, 6, 9.) plativus) germinabit ut lilium ; ego quasi

D abietem dirigam eum.

At tu *cui talia contuleramus arma,* id est, tam fortia ac solida documenta, tam præclara gratiarum charismata, tamque sublimes virtutum profectus, ecclesiastica quoque sacramenta, crucis sanctæ signaculum, orationes et lacrimas, quæ teste Ambrosio, arma sunt sacerdotum sanctorum : quibus armis armavit Christus Ecclesiam et unumquemque perfectum. *Quæ nisi prior abjecisses,* tentationibus, concupiscentiis, persecutionibus, motibus pas-

sionum, delectationibus vitiorum acquie- A
scendo et succumbendo, *invicta te firmitate*
tuerentur. Hæc quippe sunt arma fortissi-
ma, omni acie vitiorum omnique rabie
tentationum robustiora ex sua natura :
quamvis interdum vincantur, expugnentur
aut collidantur ex debilitate et fragilitate
sui subjecti, puta ex imbecillitate et verti-
bilitate rationis humanæ liberique arbitrii
proclivis ad mala : quemadmodum scri-
Gen. VIII, 21. ptum est in Genesi, Sensus et cogitatio
cordis humani prona sunt in malum ab
adolescentia sua; quemadmodum etiam B
homo fortis prosternitur ex debilitate equi
quo utitur ac defertur : nempe, ut asserit
Augustinus, liberum arbitrium comparatur
ad gratiam sicut sessor ad equum. Ad
horum assumptionem armorum hortatur
Ephes. VI, 13, 14, 16, 17. Apostolus ad Ephesios : Accipite (inquiens)
armaturam Dei, ut possitis resistere in
die malo; state induti loricam justitiæ, in
omnibus sumentes scutum fidei, in quo
possitis omnia tela nequissimi ignea ex-
stinguere; et galeam salutis assumite, et
gladium spiritus, quod est verbum Dei. — C
Amplius, arma hæc sunt etiam animarum
nostrarum vestes ac ornamenta, quibus ea-
rum tegitur nuditas et ornatur informitas,
ipsæque animæ tam cœliformiter decoran-
tur, quod cœlesti complacent Sponso, et
ad thalamum gloriæ æternalium nuptia-
rum introducuntur. De quibus vestibus in
Apoc. III, 4. Apocalypsi loquitur Sponsus ac Judex : Qui
non inquinaverunt vestimenta sua, ambu-
labunt mecum in albis, quia digni sunt.

Itaque spiritualia dona ista diversis ra-
tionibus atque respectibus appellantur ali- D
menta, lac, solidus cibus, potus, arma,
vestes ac ornamenta. Propter quod ait
Gregorius : Sacra Scriptura aliquando no-
bis cibus est, aliquando potus : cibus est
in locis obscurioribus, in quibus exponen-
dis quodammodo frangitur; potus vero in
locis apertioribus, quoniam ibi faciliter
sumitur secundum quod invenitur. Hinc
ait Hieronymus : Pinguissimus est sermo
divinus; omnes in se habet delicias :
ex Scripturis quidquid volueris nascitur,
quemadmodum manna ad uniuscujusque *Sap.* XVI, 20, 21.
sapuit voluntatem. De hoc Hugo de S. Vi-
ctore recte disseruit : Nihil in hac vita
dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, ni-
hil mentem ab amore mundi sic separat,
nihil contra tentationem animum sic con-
fortat, nihil ad omne bonum sic adjuvat,
ut Scriptura et studium ejus.

His ergo bonis homo nutritus, armatus,
vestitus, « in virilis animi robur » excre-
scit. Et vere virilis ac vir nuncupatur
(quia ut Cassiodorus fatetur, vir a viribus
nomen sortitur) qui adversa tolerando non
deficit, neque in prosperis aliqua elatione
se jactat, sed stabili corde defixus et cœle-
stium contemplatione firmatus, in omni
eventu permanet stabilitus. Hæc igitur ar-
ma nunquam abjiciamus, nulli suggestioni
iniquæ consentiamus, nec ab infernalibus
prædonibus patiamur nobis hæc ornamen-
ta auferri : imo, contra adversarios nostræ
salutis infatigabiliter præliemur, quia non II *Tim.* II, 5.
coronatur a Deo nisi legitime certans, teste
Apostolo. Non fugiamus ab hujuscemodi
prælio, quoniam Christus pollicetur in
Apocalypsi : Qui vicerit, dabo ei sedere *Apoc.* III, 21.
mecum in throno meo, sicut et ego vici,
et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Agnoscisne me? Quid taces pudore?
Ecce quam pie nos consolatur divina Scri-
ptura, et in ea ac per eam Sapientia in-
creata. Victum, aversum, confusum revo-
cat ad sui notitiam, et a pudore pravo, a
diffidentia, ab inordinata erubescentia re-
trahit eum, quatenus lumen veritatis intu-
eatur, peccata sua confiteatur, ac dignos
pœnitentiæ agat fructus, quemadmodum
per Jeremiam admonet : Revertere ad me, *Jer.* III, 12, 13.
et non avertam faciem meam; verumta-
men scito iniquitatem tuam, quoniam in
Dominum Deum tuum peccasti. Erubesce
ergo de tuarum fœditate culparum : non
tamen sic ut a confessione et imploratione
divinæ pietatis desistas; imo cum vere-
cundia bona hoc age, dicendo illud Esdræ :
Deus meus, confundor et erubesco levare I *Esdr.* IX, 6.
faciem meam ad te, quoniam iniquitates
nostræ multiplicatæ sunt super caput no-

strum, et delicta nostra creverunt usque A ad cœlum.

Sed te, ut video, stupor mentis *oppressit.* Si profunde ac lucide perpendamus mirabilia legis ac fidei christianæ, beneficia Dei in nobis et misericordiam ejus super nos, ingratitudines nostras ac scelera nostra, et qualiter homines fidem habentes audent Omnipotentem tam dire ac indesinenter offendere, non obstante vitæ præsentis incertitudine ac brevitate, divini judicii districtione, æternæ damnationis acerbitate; non immerito stupor mentis B
Ps. LIV, 6. nos opprimet, et dicemus : Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Imo quasi elingues reddemur, ignorantes quid respondere poterimus,
Job IX, 13, 14. juxta quod legitur in libro Job : Deus cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem : quantus ergo ego sum ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?

Præterea, dum theologia, seu sacra Scri-
I *Cor.* I, 24. ptura, seu Christus sapientia Patris, cernit nos taliter stupidos, admovet pectori no- C stro « manum » suæ clementiæ, infundens spem veniæ, et affirmans « nil » esse « periculi », dummodo vere converti, pœnitere et satisfacere enitamur : præsertim quo-
Rom. V, 20. niam ubi abundavit iniquitas, superabundare gratia solet.

Lethargum patitur. Hoc contingit dum homo ex consuetudine peccandi enormiter, sic induratur tamque insensibilis fit ad ea quæ Dei sunt ac suæ salutis, ut animæ suæ læsiones non sentiat, neque gravissima sibi imminentia advertat pericula, pro- D

ut in Proverbiorum libro profertur : Im- *Prov.* XVIII, 3.
pius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Talis obliviscitur sui ipsius, quoniam immemor est suæ salutis. Sicque morbus iste communis est « mentium illusarum », quia ut Salomon ait,
Stultis illudit peccatum : quoniam delecta- *Ibid.* XIV, 9.
tione, complacentia impulsioneve sua allicit, decipit et excæcat mentem ipsorum. De quibus apud Jeremiam loquitur Deus :
Induraverunt facies suas supra petram, *Jer.* V, 3.
et noluerunt reverti. Unde et in libro Sa-
pientiæ legitur : Creaturæ factæ sunt in *Sap.* XIV, 11.
muscipulam pedibus insipientium.

Recordabitur facile. Hoc aliquando accidit, ut hi qui ad tempus fuerunt devoti ac magno gratiæ culmine decorati, ex admonitione eis facta, celeriter convertantur, recolentes quales aliquando fuerint, dicen-
tes illud Threnorum : Nos inique egimus, *Thren.* III, 42, 40.
et ad iracundiam provocavimus Deum; scrutemur vias nostras, et revertamur ad Dominum. Denique, ut peccator hoc « possit » ac impleat, theologia tergit interiores oculos ejus caligantes ab inordinatis tristitiis, ac pravis affectibus circa carnalia et terrena, instruendo, ac prædicando eidem quam iniquum atque damnabile sit, rebus istis vanis ac vilibus magis quam immenso et superdignissimo Creatori essentialiter bono ac sancto adhærere ac deservire. Nec hoc potest peccator sine gratia præveniente. Propter quod deprecatus est Je-
remias : Converte nos, Domine, ad te, et *Ibid.* V, 21.
convertemur. Unde et Apostolus loquitur :
Non est volentis, neque currentis, sed mi- *Rom.* IX, 16.
serentis Dei.

METRUM III

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor :
Ut quum præcipiti glomerantur sidera Cauro
Nimbosisque polus stetit imbribus,

Sol latet, ac nondum cœlo venientibus astris,
  Desuper in terram nox funditur;
Hanc si Threicio Boreas emissus ab antro
  Verberet, et clausum reseret diem,
Emicat, et subito vibratus lumine Phœbus
  Mirantes oculos radiis ferit.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO HUJUS METRI TERTII.

Hic describit Boetius prædictæ conso- A lationis effectum. Utitur autem Boetius in hoc libro multiplici specie versuum, juxta veterem modum. Quæ species jam pro magna parte cessarunt : nam et modi quibus nunc utimur, aptiores videntur. Vocatur demum hoc metrum : Alcmanicum, ab inventore ; dactylicum, a dactylo ; tetrametrum, a τετράς, quod est quatuor, quia ex quatuor dactylis constat (attamen spondeum pro dactylo recipit); acatalecticum, quoniam sine abundantia et defectu clauditur fine legitimo. Itaque B ait :

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ, etc. Ordo ac sensus est : « Tenebræ », id est privationes lucidarum ac sapientialium considerationum, « liquerunt » (id est dereliquerunt) « me tunc », dum Philosophia me ita tractavit ac informavit ut præcedenti tangitur prosa ; « nocte », id est gravi mœrore et obscuratione mentis, « discussa », id est excussa et repulsa ab anima mea, secundum quod unum oppositorum expellit et abjicit aliud, et nox C atque caligo exterior depelluntur radio solis aerem illustrante. « Priorque vigor », id est pristina vis visiva, seu lux visualis in pupilla exsistens, per quam fit visio actualis, « rediit luminibus », id est, restitutus est oculis quantum ad usum : non enim realiter perditus fuit ille vigor, sed ab actu suo ad tempus suspensus ac impeditus. Estque modus loquendi, ut aliquid dicatur fieri aut redire, dum post cessationem ab actu, denuo operatur, aut quod latuit manifestatur : sicut quum dicimus, Iste accepit pedem suum, et trusit illum.

Qui modus loquendi etiam in Scripturis est frequens : ut dum ait Salvator, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (*Matth.* XXVIII, 18.) Quæ utique potestas non est Christo data primum post resurrectionem, quando hæc protulit verba : imo secundum naturam divinam, data est ei ab æterno per generationem divinam ad intra; secundum vero naturam assumptam, data est ei per creationem a primo incarnationis instanti, ut Damascenus testatur tertio libro. Etenim eo ipso quo Verbum æternum assumpsit naturam humanam in unitatem personæ, prætulit eam omni creaturæ, et potestatem contulit ei super universa creata, ut tertio libro docet Magister Sententiarum. (dist. XIV D.) Alexander quoque, Thomas, Bonaventura, et alii, ibi declarant, quod post Christi resurrectionem hæc potestas mox cœpit undique divulgari. (*Cf.* t. XXIII, p. 266 C, 297 D' et s.) Insuper, juxta hunc modum loquendi scriptum est in Apocalypsi : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. (*Apoc.* XI, 17.)

Apte etiam oculi lumina appellantur,

quoniam lumen est quo aliquid manife- A statur. Propter quod dixit Apostolus : Omne quod manifestatur, lumen est. (Ephes. v. 13.) Oculi autem manifestant et repræsentant homini visibilia ista. Sicque in libro Judicum Samson precatus est : Domine Deus meus, redde mihi nunc pristinam fortitudinem meam, ut pro amissione duorum luminum unam de multitudine recipiam ultionem. (Judic. xvi. 28.)

Ut quum, id est, sic contigit mihi ante hanc tenebrarum harum expulsionem, sicut quum *sidera glomerantur,* id est, copiose teguntur et obducuntur nubibus ; B *Cauro,* id est vento sic dicto, *præcipiti,* id est præcipitanter et celeriter flante ac nubes adducente. Caurus quippe hic sumitur pro vento collaterali, ad sinistram partem venti Favonii versus septentrionem magis declinans. Qui ventus adducit coacervatque nubes ac nubila. Est enim ventus iste humidus ac frigidus : cujus flatus conglomerat nubes spissas, quæ inter visum nostrum ac sidera positæ, causant obscuritatem quæ vocatur nox accidentalis, et inde fit aura nebulosa et dies umbrosus, nec C sol potest videri a nobis. *Polusque stetit,* id est, cœlum fuit, sicut communiter dicitur, Steti ibi tot annis, id est fui ; vel quasi quiescere videtur, dum motus luminarium cœli percipi nequit : *imbribus,* id est pluviis, *nimbosis,* id est densis, nebulosis, seu ventosis, ex quarum descensu cœlum videtur sic stare vel ita se habere : quo facto *sol latet* visum nostrum, *ac nox* quædam accidentalis, puta præfata obscuritas, *desuper funditur in terram, astris nondum venientibus,* id est, nec- D dum apparentibus, *cælo,* id est in cœlo stellato. Juxta quem modum scriptum est : Deus præcipit soli, et non oritur ; et stellas claudit quasi sub signaculo. (Job ix, 7.)

Hi autem naturales effectus, quos philosophia naturalibus causis adscribit, theologia, id est sacra Scriptura, Deo attribuit, ut quum dicitur per Amos : Ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam ; Dominus exercituum nomen ejus. (Amos iv, 13.) De quo in eodem Propheta dicitur : Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ. (Amos v, 8.) Apud Job quoque dicitur : Ecce Deus magnus, qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper ; si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. (Job xxxvi, 26-30.)

Hinc declarat Boetius, qualiter in mente sua incorporaliter contigit quod in exterioribus sensibiliter agitur. *Si Boreas,* id est ventus sic dictus, *emissus,* id est flans et exiens, *ab antro Threicio,* id est per foramina et cavernas regionis Threiciæ, *verberet,* id est, repellat et repercutiat, *hanc* noctem seu nubem præfatam obscuram et obscurantem, *et reseret,* id est, apparere faciat, *diem clausum,* id est claritatem solarem quæ apparere hominibus non valebat propter interpositos prædictos nebulosos vapores ; *Phœbus,* id est Titan seu sol, *emicat,* id est, clare apparet, *et vibratus,* id est quasi munitus atque exuberans *lumine* sibi inhærente, ob cujus abundantiam vibrare et suo lumine jaculare videtur, *subito ferit* (id est reverberat) *radiis* suis lucifluis *mirantes oculos,* id est visum hominum admirantium de tam repentina aeris clarificatione ac solis apparitione.

Pro horum intelligentia oportet advertere, quod Boreas dicitur ventus septentrionalis siccus et frigidus, frequentius flans circa tropicum autumnalem, quemadmodum Caurus circa tropicos hiemales. Hinc Boreas vehementer desiccat, aeremque depurat, quoniam flatu suo disgregat nubes et agitat aerem, ita quod repente clarificatur : quod simplices intuentes et causam ac modum ignorantes, mirantur. Denique Boetius loquitur hic juxta dogmata poetarum : Thracia namque est regio sita versus septentrionem, in qua sunt montes valde sublimes, ex quorum foraminibus et cavernis opinantur poetæ ventum egredi borealem. Qualiter autem et

ex quibus materiis venti in veritate nascantur, in expositione metri secundi expressum est juxta traditionem Philosophi. Cf. p. 54 C. — Quamvis etiam polus proprie nominetur pars cœli seu punctus in extremitate axis, sicque duo dicantur poli, videlicet arcticus atque antarcticus; hic tamen per synecdochen pro ipso cœlo accipitur, sicut in Hymno: Deus creator omnium, polique rector.

At vero de productione ventorum, præhabitis addi potest, quod aliqui antiquorum ac etiam modernorum affirmant, quod Creator omnipotens, videns in inferioribus sine caliditate et humiditate nil vivere posse, collocavit in medio circuli obliqui fontem caloris, videlicet solem atque planetas: propter quod ibi dicitur esse torrida zona, inter duos tropicos comprehensa. Videns quoque ignem cuncta consumere nisi humido reprimatur, constituit sub ipsa zona in terra fontem totius humoris, utpote mare, quod per medium torridæ zonæ et ex omni parte circuit terram: ex quo tam omnia particularia maria quam aquæ dulces egrediuntur, juxta illud Ecclesiastæ (Eccle. I, 7.): Omnia flumina intrant mare, et mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant. Quumque ad occidentem pervenerit mare, duas facit refluxiones, quarum una ad austrum, alia vero vertitur ad septentrionem. Conformiter in oriente duæ refluxiones ad eosdem terminos fiunt. Quæ autem tendunt ad septentrionem, una ab A oriente, alia ab occidente, dum concurrunt in medio se elidunt: et inde causatur famosa illa accessio et recessio quæ fluxus dicitur et refluxus; ibique ex ipso concursu aer impetuose motus ac pulsus generat Boream. Similiter duæ illæ refluxiones quæ vertuntur ad austrum sive meridiem. Ex hac etiam refluxione quæ ab occidente tendit ad septentrionem, fit mare nostrum Mediterraneum. Quum enim illa refluxio totam transierit Africam, inter duos montes magnos, Atlantem et Calpen, B una pars illius subtrahitur: quæ inter Hispaniam Africamque discurrens, usque ad medium terræ venit, et Mediterraneum mare vocatur, atque ex adjacentibus regionibus nomina diversa sortitur, scilicet Ionicum, Ægæum, Adriaticum. In oriente autem ex dictis maribus fit grandis motus, ex quo gignitur ventus nomine Eurus; simili modo in occidente, unde producitur Zephyrus. Quum vero præfatæ refluxiones extra prætactos terminos una aliam præveniunt, ventus generant collaterales. C Verumtamen positio Philosophi in expositione secundi metri narrata, rationabilior reputatur.

Postremo, per has metaphoricas descriptiones eorum quæ apparent aut fiunt in regione cœlestium corporum et elementorum, intendit Boetius quod pariformiter post nubilosam sui animi qualitatem, in ipso facta sit ingens serenitas ac dispositio lucida per Philosophiæ accessum.

ARTICULUS XIII

DE MYSTICO INTELLECTU TERTII METRI ISTIUS.

TUNC me discussa liquerunt nocte tenebræ. Quemadmodum theologia vehementer splendidior est, delectabilior ac dignior philosophia, sicut domina sua ancilla; sic theologiæ illuminatione radiante D in anima, mox fugantur ac fugiunt caligo ignorantiæ, nox peccati ac vetustatis antiquæ, suggestio spirituum malignorum, distractio mentis, inquietudo apprehensionis phantasticæ, ac perstrepentium tumultus

vitiorum ac passionum. Sicque « luminibus », id est oculis cordis, redit ac redditur gratiæ « vigor ». Unde dixit Apostolus : Rom. XIII, 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit ; I Thess. V, 5. et rursus : Non sumus noctis, neque tenebrarum. Hinc per theologiam illuminatis et a pristinis tenebris expurgatis Ephes. V, 8. scribit ad Ephesios : Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate. Hinc fons theologicæ veri- I Cor. I, 24. tatis Christus, Dei virtus et sapientia, apud Joann. XII, 35, 36. Joannem nos hortatur : Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant ; dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc est via salutis, semita electorum, theologiæ consolatio et doctrina, de qua in Proverbiorum Prov. IV, 18. dicitur libro : Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.

Ut quum præcipiti glomerantur sidera Cauro. Sidera cœli sunt filii militantis Ecclesiæ, quæ in Evangelio et Apocalypsi frequenter regnum cœlorum vocatur. Super hæc sidera, princeps tenebrarum, pri- Job XLI, 25. mus ille apostata, rex omnium filiorum superbiæ, sedem sui imperii nititur collocare, ipsisque præsidere ac dominari, pro- Is. XIV, 13. ut apud Isaiam præsumptuose effatur : Supra astra Dei exaltabo solium meum. Hæc sidera in hoc mundo aliquando « glomerantur » et involvuntur nebulis tentationum, caliginibus suggestionum angelorum Satanæ, inundationibus turbationum, in tantum quod « polus » stare videtur, id est Ecclesia in talibus suis membris a processu virtutum quiescere : imo et tunc « sol » justitiæ Christus Dominus eos « latet », id est, ab ipsis lucide non videtur quamdiu in tali sunt tribulatione.

Ita quoque « nox in terram funditur », id est obscuratio quædam in cordibus fidelium in hac terra degentium, in tantum quod et ipse Paulus vas electionis asse- II Cor. I, 8. ruit : Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vive- Ps. LXV, 12. re. Interdum namque oportet nos transire per ignem et aquam, antequam in-

A ducamur in refrigerium. Quod fit « astris nondum venientibus cœlo », id est, antequam ipsi fideles per contemplationem et spem cœlestium præmiorum exhilarentur, seu antequam angeli sancti, qui sunt astra triumphantis Ecclesiæ, succurrendo expugnent ac prosternant tentantes nos angelos tenebrarum : a quibus permittunt nos multoties infestari, quatenus resistendo mereamur in donis gratiæ crescere ac firmari, et diademate gloriæ felicius coronari.

B Porro hanc noctem spiritualem expellit ventus borealis siccus et frigidus, fortiter movens et impetu flans, id est afflatus et inspiratio Spiritus Sancti, qui ubi vult spi- Joann. III, 8. rat. Qui quamvis ignis et calor vocetur, attamen quoniam a calore nocivo concupiscentiæ atque profluviis desideriorum ignitorum mundi et carnis ac dæmonum siccat atque refrigerat, potest per Boream designari tam ipse quam afflatus et inspiratio ejus. De quo in Canticis dicitur : Surge, Aquilo ; et veni, Auster, perfla hor- Cant. IV, 16. C tum meum.

Denique Boreas hic exit « ab antro Threicio », id est ex vulneribus Christi, qui in hujus mundi pressuris ac pœnis tanquam in frigoribus durissimis est versatus, suaque beatissima passione nobis promeruit charismata gratiarum, juxta illud Joannis : De plenitudine ejus accepimus omnes, gra- Joann. I, 16. tiam pro gratia. Antrum rursus Threicium, est devotio sanctæ matris Ecclesiæ tribulationibus et multis frigoribus nunc subjectæ, quæ meritis suis ac precibus impetrat D filiis suis gratiosa Deitatis auxilia, ita quod a tentationibus afflictionibusque erepti saltem ad tempus, denuo cernant diem serenitatis internæ, diem gratiæ ac dulcoris, et Solem sapientiæ in se supersplendidissimum ac invisibilem, pro modulo suo per fidem illuminatam ac sapientiæ donum perlucidum dulciter contemplentur, ita ut grata mente cum Apostolo dicere queant, Nos autem revelata facie gloriam Dei spe- II Cor. III, 18. culantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a

Domini Spiritu : in tantum ut admirentur tam gratiosam ac celerem mutationem in se subito factam, dicentes, Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Cujus splendor interiores eorum reverberat oculos. De quo in libro Tobiæ fertur, quod post tempestatem tranquillum facit, et post fletum exsultationem infundit. Qui in Evangelio loquitur : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.

Ps. LXXVI. 11. *Tob.* III. 22. *Matth.* XI. 28.

A

JOANNES. — Diu subticui, et modum tuum procedendi adverti. Qui (fateor) placet mihi; sed prolixus videtur, nec pro simplicibus scholaribus videtur multum deserviens.

B

DIONYSIUS. — Expositiones talibus deservientes aliunde satis multas habes in promptu. Ista quoque ad litteram satis brevis, mediocribus apta apparet; et quæ in exordiis disciplinæ capere nequeunt, tempore procedente proficientes facilius capient. Estque expediens ut in pueritia aliquid de Scripturis ac theologicis documentis incipiant discere et assuescant audire, atque virtutibus adhærere. Nec textus in se sententiosus potest nimia brevitate clare ac plene elucidari.

JOANNES. — Juxta conceptum tuum prosequere quod cœpisti.

DIONYSIUS. — Ita agam, et nihilo minus brevitati pro posse studebo.

PROSA III

HAUD aliter tristitiæ nebulis dissolutis hausi cœlum, et ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi. Itaque, ubi in eam deduxi oculos intuitumque defixi, respicio nutricem meam, in cujus ab adolescentia laribus obversatus fueram, Philosophiam. Et quid, inquam, tu in has exsilii nostri solitudines, o omnium magistra virtutum, superno cardine delapsa venisti ? An ut tu quoque mecum rea falsis criminationibus agiteris ?

— An (illa inquit) te, o alumne, desererem, nec sarcinam quam mei nominis invidia sustulisti, communicato tecum labore partirer ? Atqui Philosophiæ fas non erat incomitatum relinquere iter innocentis. Meam scilicet criminationem vererer, et quasi novum aliquid acciderit, perhorrescerem ? Nunc enim primum censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam ? Nonne apud veteres quoque, ante nostri Platonis ætatem, magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate certavimus ? Eodemque superstite præceptor ejus Socrates injustæ victoriam mortis me adstante promeruit ? Cujus hereditatem quum deinceps Epicureum vulgus ac Stoicum ceterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem renitentemque velut in partem prædæ traherent, vestem quam meis texueram manibus disciderunt, abreptisque ab ea panniculis, totam me sibi cessisse credentes, abiere. In quibus quoniam quædam nostri habitus vestigia videbantur, meos esse familiares imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ multitudinis errore pervertit. Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, novisti ; at Canios, at Senecas, at Soranos, quorum nec per-

vetusta nec incelebris memoria est, scire potuisti : quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur. Itaque nihil est quod admireris, si in hoc vitæ salo circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est, pessimis displicere. Quorum quidem tametsi numerosus exercitus, spernendus tamen est : quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temere ac passim lymphante raptatur. Qui si quando contra nos aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit. Illi vero circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur ; at nos desuper irridemus vilissima rerum quæque rapientes, securi totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS TERTIÆ.

In hac prosa tertia primi hujus voluminis, describit Boetius qualiter inter Philosophiam et ipsum collocutio est incepta, et consolatio sibi adhibita, dicens :

Haud aliter tristitiæ nebulis dissolutis hausi cœlum : id est, ego Boetius « hausi cœlum », id est, cœlestem orbem inspexi, et habitantem in cœlo omnibus præsidentem consideravi, ac superiorum notitiam inde traxi, sicut ex puteo hauritur et trahitur aqua (contra quod in libro scriptum
Dan. XIII, 9. est Danielis de iniquis, Everterunt sensum suum ut non adspicerent cœlum), « nebulis » ignorantiæ, mœroris, erroris, « dissolutis », id est fugatis ex irradiatione luminis philosophicæ veritatis, quemadmodum nebulæ aeris effugantur ex diffusione et receptione luminis solis, « haud aliter », id est non alio modo. Nam sicut oportet secundum ordinem generationis primo declinare a vitiis, et deinde actum exercere
Ps. XXXVI, 27. virtutis (juxta illud Psalmi, Declina a malo, et fac bonum) : sic oportet primo ab errore et falsitate recedere, sicque veritatem agnoscere. *Et mentem recepi,* id est, usum seu actum intellectus assumpsi, *ad cognoscendam faciem,* id est præsentiam seu doctrinam, imo personam, *medicantis,*

A id est Philosophiæ spiritualiter me curantis et mihi in persona medicæ apparentis.

Itaque, ubi in eam deduxi oculos intuitumque defixi, id est, mox ut oculos cordis ad intuendum Philosophiam direxi, et mentis intuitum stabiliter ac intente conversum tenui in eamdem ad discernendum certo ac distincte quæ esset, *respicio nutricem meam Philosophiam,* id est, inspicere et videre me adverto ac certe scio Philosophiam, *in cujus laribus ab adolescentia obversatus fueram,* hoc est, in cujus Philo-
B sophiæ scholis seu domibus custoditus fui a magistris et pædagogis ab adolescentia : quæ ætas ad studendum et proficiendum est apta, quia tunc viget natura, et mens nondum assuefacta est aut infecta versutiis, erroribus, trufis. Hinc secundum Philosophum in Ethicis, non modicum refert sic aut sic assuefieri a juventute. Propter quod communiter dicitur : Quod nova testa capit, inveterata sapit. Salomon quoque testatur : Proverbium est, Adolescens juxta Prov. XXII, 6.
viam suam, etiam quum senuerit, non re-
C cedet ab ea. Organa etiam sensuum interiorum in adolescentia sunt satis humida adhuc ad suscipiendum faciliter similitudines rerum, et competenter siccata ad

Eccli. vi, 18. retinendum. Hinc Ecclesiasticus dixit : Fili, a juventute excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Hinc Seneca in suis fatur Proverbiis : Facile est teneros adhuc animos componere ad virtutes; et in epistola : Id sapit quisque quod didicit.

Consequenter Boetius dignitatem Philosophiæ considerans, de ejus dignatione circa se admiratur, dicens :

O tu, Philosophia, *magistra omnium virtutum, delapsa,* id est descendens atque demissa, *cardine supremo**, id est a summo ostio. Omnis namque veritas atque scientia fontaliter ac principaliter a prima causa profluxit. Unde in libro de Causis habetur : Causa prima est creans scientias. Et in libro Job habetur : Deus dedit carmina in nocte, qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos. Nam et naturale lumen mentis humanæ, quo scientiæ naturales inventæ sunt, participatio quædam est et effectus luminis increati, juxta illud Psalmistæ : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Quod autem est causa causæ, est causa causati. Atque ut dictum est supra, philosophia vera ac nulli errori permixta primo parenti desuper fuit infusa, et ita descendit a « cardine supremo », id est a primo principio, Deo altissimo, qui in cœlo supremo specialiter habitare ac esse asseritur. *Quid,* id est cur et ad quid, *venisti in has solitudines exsilii nostri,* id est in angulos istos carceris et captivitatis quibus detineor? quasi dicat : Admiranda est ista dilectio, humilitas ac dignatio tua, quæ innocens et justa esse cognosceris.

* superno

Job xxxv, 10, 11.

Ps. iv, 7.

Cf. p. 35 C.

Denique philosophia est virtutum magistra, quoniam ethica seu moralis scientia, quæ philosophiæ pars est, docet vitia evitare, virtutes acquirere, et qualiter acquirantur : ad quod etiam confert præcipue discretio, quæ est actus prudentiæ. Unde secundo Ethicorum docet Philosophus, quod ex actibus bonis ex genere sæpe reiteratis virtus generetur. Plato quoque in Phædone sublimiter docet qualiter carnalia sint spernenda, et spiritualiter

A conversandum. Hinc Seneca in libro de Copia verborum disseruit : Scio neminem vivere posse beate sine studio sapientiæ, id est philosophiæ : hæc animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat; hæc tueri nos debet; hæc te docebit ut Deum sequaris. Hæc quidam dixisse allegant Senecam in epistola ad Lucilium; sed non ibi, imo in libro nunc dicto reperi ea.

An idcirco venisti huc *ut tu quoque agiteris,* id est, multipliciter ac frequenter B accuseris ac movearis, *mecum* tanquam *rea falsis criminationibus,* id est accusationibus injustis? Loquitur autem Boetius de philosophia juxta præinductam metaphoram, quasi de honestissima domicella. Et ipsa in veritate est qualitas et accidens intellectus; et in intellectu Boetii manens, simul cum illo devenit ad loca in quibus suum subjectum. Recte demum ait Boetius ad Philosophiam : « An ut tu quoque mecum » tanquam « falsis criminationibus agiteris rea »? At quia qui peccat non solum C dehonestat se ipsum, sed et religioni et legi ac fidei, quarum professor est, contradicit; ideo sæculares videntes inexemplariter atque carnaliter vivere sacerdotes aut religiosos, interdum etiam sacerdotium ipsum contemnunt religionique detrahunt.

Consequenter prætactæ admirationi seu quæstioni Boetii Philosophia respondet, et ipsum dulciter consolatur, commemorando aliquas rationes cur injustum ac indecens esset quod ipsum relinqueret.

Prima est, quia ipsa est mater et nutrix D Boetii. Hinc sequitur : *An (illa inquit) te, o alumne, desererem?* id est : « illa », utpote Philosophia, « inquit », id est, mihi respondit : « An te desererem », id est, utrum hoc condecens esset quod ego relinquerem te, « o alumne », id est o fili atque discipule a me spiritualiter enutrite omni scientia ac virtute? *Nec,* id est et non, *partirer,* id est dividerem, *sarcinam,* id est onus adversitatis, *quam sustulisti,* id est, sustinuisti ac pertulisti, *invidia nominis mei,* id est, ex invidia tyranni qui

tibi adversitates has intulit ex rancore quem contra te concepit, eo quod veram philosophiam secutus es, quærendo ac tuendo pro posse rempublicam, veritati et æquitati firmiter adhærendo, sicut te docui. Et hoc dico, *labore communicato tecum*, id est labore isto quo fatigaris facto communi mihi et tibi, ita quod ego tecum laborem et partem sarcinæ tuæ portem, prout amicitia vera requirit : imo et ipsa justitia, quia qui scit alium propter se pati, debet illum fovere, juvare, consolari sicut se ipsum, vicem quoque et remunerationem illi rependere prout decet et valet. Hæc est amicitia atque societas virtuosorum, quorum unus alium nequaquam in adversis relinquit. Propter quod libro de Officiis Tullius loquitur : Nulla amicitiarum, nulla societatum præstantior ac firmior, quam dum boni virtutum moribus similes, familiaritate conjuncti sunt. Nihil enim amabilius, nihil copulatius quam morum similitudo bonorum in quibus eadem studia et eædem sunt voluntates : in his alter altero delectatur ut se ipso, et contristatur eidem, portans onus cum illo.

Deinde ponitur ratio secunda ad idem. *Atqui Philosophiæ fas non erat*, id est, non competebat neque licebat Philosophiæ, *incomitatum relinquere iter innocentis*, id est, viam tuam, qui innocens es quantum ad hoc quod hanc persecutionem non meruisti, deserere sine associatione mei tecum : hoc est, non decuit ut tecum non irem et tibi non adessem in isto itinere ad istud exsilium, quoniam innocenti potissime pium et rationabile est condolere, adstare, adesse. Hoc modo innocentes dicuntur omnes virtuosi qui propter justitiam patiuntur persecutionem. Quos in suis afflictionibus sapientia non relinquit, sicut ait in Psalmo : Cum ipso sum in tribulatione ; et rursus : In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos.

Matth. v, 10. *Ps.* xc, 15. *Ps.* xxxi, 8.

Subditur ad idem tertia ratio. *Meam scilicet criminationem vererer, et quasi novum aliquid acciderit, perhorrescerem ?* id est : si te innocentem relinquerem, scias hoc, quod falsam mei accusationem et diffamationem inordinate timerem, et vehementer expavescerem eam tanquam insolitum aliquid, quum tamen ab antiquis temporibus passa sim talia in professoribus meis bonis philosophis, qui ab iniquis multa perpessi sunt.

Denique fortitudo est virtus moralis inter passionem timoris atque audaciam medium servans, ita quod timorem refrenat ac moderatur, ne quis timeat ubi et in quibus timendum non est, imo amore justitiæ et pro salute æquanimiter patiatur criminationes, detractiones, rapinam, vulnera, mortem. Ideo Salomon in Proverbiis ait : Justus quasi leo confidens absque terrore erit. Et rursus Sapientia ait ibidem : Qui me audierit, absque terrore quiescet. Vile namque et miserum est, passioni timoris succumbere et undique inordinate pavere, quum hoc mentis securitatem, alacritatem libertatemque impediat, quæ multum sunt appetendæ, quum Salomon protestetur : Secura mens quasi juge convivium. Ideo Seneca loquitur : O quam miserum est metuendo fieri senem ! Hinc quoque Pythagoras docuit non esse timendum propter incerta quæ possunt provenire adversa : alioqui nunquam esset pax cordi.

Prov. xxviii, 1. *Ibid.* i, 33. *Ibid.* xv, 15.

Joannes. — Circa hæc mihi dubia oriuntur. Primo, de eo quod dictum est, philosophiam esse omnium virtutum magistram. Non enim supernaturalium virtutum est magistra : imo potius fidem christianam impugnat et expugnare conatur, ut constat ex libris et scriptis Peripateticorum (Avicennæ, Algazelis, Averrois, Alexandri, Alkindi), Platonicorum quoque (Porphyrii, Apuleii), ac aliorum, quæ contra fidem ediderunt catholicam. Et tu nosti quemadmodum in Actibus Apostolorum legatur, quod S. Paulo apostolo primo prædicante Athenis Evangelium Christi, quidam Stoici atque Epicurei dixerunt philosophi : Quid vult seminiverbius iste ?

Act. xvii, 18.

Novorum dæmoniorum videtur annuntiator
exsistere.

Secundo, de eo quod dictum est, philosophiam a summo cardine esse delapsam.
Hoc enim videtur theologiæ proprium esse, de qua sanctus apostolus Jacobus pro-
Jacob. III, 17. testatur : Desursum est sapientia. Nam
hæc per revelationem habetur ; et de
philosophia apparet dictum illud Aposto-
I *Cor.* I, 20. li : Stultam fecit Deus sapientiam hujus
mundi.

Tertio, de hoc quod Philosophia asserit se non vereri falsam sui criminationem :
quod (ni fallor) est contra illud in Eccle-
Eccli. XLI, 15. siastico scriptum : Curam habe de bono
nomine. Unde est illud Augustini : Qui negligit famam, crudelis est. Et exemplares esse tenemur : ad quod bona fama requiritur. Nam et Seneca in suis fatetur Proverbiis : Bona fama hominum tutior est pecunia ; itemque : Bona fama in tenebris proprium habet splendorem.

DIONYSIUS. — Ad primum horum respondeo, quod philosophia naturalium et acquisitarum virtutum perhibetur magistra, theologia vero supernaturalium infusarum. Rursus, sicut ex philosophia sumuntur instantiæ contra fidem, ita et persuasiones pro fide, ut ex libris theologorum ostenditur : quarum neutræ demonstrativæ consistunt.

Ad secundum respondeo, quod quamvis theologiæ eminentius competat desuper descendisse quam philosophiæ (propter quod super Joannem asserit Augustinus, Cœlum tonat, ranæ taceant), nihilo minus philosophia quoque a summo universorum principio profluxit, a quo et naturale
Cf. p. 73 B. lumen effluxit, sicut expositum est. Unde
Ibid. I, 1. in Ecclesiastico habetur : Omnis sapientia
a Domino Deo est. Sicque affirmat Ambrosius : Omnis cognitio veritatis a Spiritu Sancto est. Imo et Paulus apostolus ad Romanos primo, de philosophis loquens :
Rom. I, 19. Deus (inquit) illis revelavit.

Ad tertium respondetur, quod homo quantum in se est, ex consideratione suarum culparum et ob alias causas debet

A velle contemni ; tamen in quantum est membrum Ecclesiæ, positus in eadem ut proximis exempla præstet virtutum, debet satagere ut bonæ sit famæ ad Dei honorem, nec quempiam scandalizet, imo im-
pleat quod jubet Salvator : Sic luceat lux *Matth.* V, 16.
vestra coram hominibus, ut videant opera
vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Si autem quis mendaciter accusetur et diffametur, in tantum ut inde scandalum oriatur, potest se expurgare, nec tamen sic falsas criminationes horrere
B ut bona omittat vel mala committat.

JOANNES. — Satisfecisti quæsitis, expositionem prosequere.

Recte dixi non me horrescere « falsam criminationem quasi aliquid novum ». *Censes enim,* id est, tu ita loqueris ac si judicares, *sapientiam* philosophicam *esse lacessitam periculis,* id est molestatam adversis, *nunc primum,* id est jam primo, non antea, *apud improbos mores,* id est ab immorigeratis improbisque hominibus,
C qui contempserunt philosophos tanquam supervacue occupatos. Quasi dicat : Noli sic judicare nec ita sentire.

Nonne apud veteres quoque, ante nostri Platonis ætatem (id est, utique antequam natus est Plato, magister præcipuus) *certavimus,* id est, disputando, docendo, patientiamque servando et juste resistendo commisimus, *sæpe magnum certamen cum temeritate stultitiæ,* id est contra insipientiam hominum fatuorum carnalia et terrena præferentium studio sapientiæ ac
D virtutum ? *Eodemque superstite præceptor ejus Socrates injustæ victoriam mortis me adstante promeruit ?* Id est : nonne ipso Platone adhuc vivente in corpore, « Socrates » magister Platonis « promeruit » sua virtuositate « victoriam mortis injustæ », id est triumphum mortis sibi injuste illatæ ? Quam virtuose patienterque sustinens, vicit atque prævaluit : quoniam maluit laudabiliter mori quam vituperabiliter vivere ; atque mortem corporalem sic tolerando, vitam consecutus est melio-

rem, puta beatam, saltem secundum philosophorum opinionem. Unde et tertio Ethicorum Aristoteles fassus est : Melius est mori quam agere contra virtutem et veritatem. Primo quoque Ethicorum testatus est : In infortuniis virtus refulget. Ex quibus probatur, quod etiam naturalis ratio dictat philosophiaque docet unumquemque potius debere mortem eligere quam impie agere. Propter quod Seneca in suis deprompsit Proverbiis : Tolerabilior est qui mori quam qui male vivere jubet.

Deinde ostenditur qualiter discipuli Socratis post mortem ipsius inter se diversificati sunt, doctrinam Socratis diversimode interpretando et exponendo.

Cujus, videlicet Socratis, *hereditatem,* id est opulentam doctrinam, mortis suæ testimonio tanquam firmissimo testamento confirmatam, *quum deinceps,* hoc est post obitum ejus, *Epicureum vulgus ac Stoicum,* id est Epicurei Stoicique philosophi, instar vulgarium multi, aut etiam in multis errantes, *ceterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur,* id est, conarentur ire ad rapiendum et capiendum aliquid ex Socratis documentis, unusquisque « pro sua parte », id est pro sua opinione, ad confirmandum eam ex eloquiis Socratis, qui libros non edidit, sed vivæ vocis oraculo suos instruxit, *meque reclamantem renitentemque velut in partem prædæ traherent,* id est, tam Epicurei quam Stoici allegarent me pro suarum confirmatione opinionum, et tanquam spolium quoddam me sibi attraherent violenter, hoc est erronee et extorte, verba Socratis ac veræ philosophiæ intelligendo sinistre, « me », inquam, « reclamantem », id est, eis contradicentem, et « renitentem » falsis eorum doctrinis per auctoritates et rationes idoneas ; *vestem quam jam meis manibus texueram,* id est philosophicorum documentorum congeriem et connexionem ac seriem a me compilatam, prout supra in elucidatione prosæ pri-
Cf. p. 36 B'. mæ istud diffusius fuit expositum, *disciderunt,* id est, diversimode sciderunt ac

A diruperunt, in varios corruendo errores, *abreptisque ab ea panniculis,* id est quibusdam particularibus scientiis aut sententiis, *totam me sibi cessisse credentes, abiere,* id est, a veris meis dogmatibus recesserunt, putantes singuli quod me totam et integram obtinuissent : quoniam quælibet secta illorum putavit se solam apprehendisse veræ philosophiæ doctrinas.

In quibus philosophis *quoniam quædam vestigia nostri habitus videbantur,* id est, aliqua signa et similitudines quæ-
B dam nostræ doctrinæ ac conversationis videbantur in ipsis, quoniam aliquid veritatis et virtutis continebatur et fuit in eis, *imprudentia* hominum, id est homines imprudentes, carnales, feroces, *rata,* id est in suis perversitatibus male firma ; vel potius « rata », id est opinata seu firmiter reputans illos philosophos, *esse meos familiares,* id est veros meos discipulos, *pervertit,* id est, peremit aut decepit, *nonnullos eorum, errore profanæ multitudinis,* id est credulitate seu falsa persuasione
C imperitorum et superstitiosorum vulgarium. Quum enim similitudo sit causa seu ratio unionis, complacentiæ et amoris, dissimilitudo vero, divisionis, displicentiæ ac rancoris, ut Proclus tangit Platonicus, et ante eum Empedocles, atque post eos Anselmus ; impii illi vulgares, indocti, feroces, videntes vitam et doctrinam philosophorum suæ conversationi et traditioni prorsus esse contrarias, oderunt, detestati sunt ac persecuti non solum veros ac meliores philosophos, sed etiam illos qui ali-
D quid similitudinis habuerunt cum ipsis.

Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis tormenta novisti, id est, si non agnovisti qualiter Anaxagoras philosophus ab Athenis fugatus est, nec qualiter Socrates bibendo venenum exspiravit, nec quomodo Zeno philosophus fuit suspensus, *quoniam* hæc gesta *sunt peregrina,* id est a memoriis hominum aliena, utpote diu elapsa ; vel « peregrina », id est in terris remotis (puta in Græcia) perpetrata ; *at Canios, at Se-*

necas, at Soranos, quorum nec pervetusta A *nec incelebris memoria est, scire potuisti:* id est, tamen et utique cognoscere potuisti Canios et Senecas atque Soranos, hoc est dicta et gesta ac persecutiones istorum, qui fuerunt Italici seu Romani (intelligendo per « Canios » virum studiosum nomine Canium ac ejus discipulos, et per « Senecas » ipsum Senecam Neronis magistrum discipulosque ipsius, per « Soranos » quoque ipsum Soranum philosophum ac ejus auditores ac imitatores), « quorum memoria », id est recordatio de eisdem, « nec B est pervetusta », id est de rebus multum diu præteritis, « nec incelebris », imo celebris est et famosa. *Quos nihil aliud in cladem,* id est in persecutionem ac mortem, *detraxit,* id est, pertraxit et induxit, *nisi quod nostris moribus instituti,* id est laudabilibus moribus atque virtutibus quos docemus instructi et exercitati, *studiis improborum dissimillimi videbantur,* id est, valde dissimiles erant et apparebant conatibus ac moribus hominum inhonestorum.

De horum expositione historica et com- C pleta restant multa dicenda ; sed textum primo percurram.

Itaque nihil est quod admireris, id est, si prætacta et consimilia gesta rite perpendas, non habes causam mirandi tam vehementer, *si in hoc vitæ salo,* id est quod in mari sæculi hujus, seu in terra peregrinationis præsentis instar maris spatiosa et amara, *circumflantibus agitemur procellis,* id est, diversimode concutiamur ac impellamur adversitatibus et persecutionibus undique instar ventorum adve- D nientibus et irruentibus in nos, *quibus hoc maxime propositum est, pessimis displicere,* id est, ea loqui et agere, utpote vera, virtuosa, salubria communique bono accommoda, per quæ scimus nos displicituros obstinatis hominibus, quum et Seneca dicat : Malis displicere, est laudari. Non tamen formaliter ad hoc agimus illa, sed potius ut pessimi informentur et emendentur, suos errores ac vitia ponderando ac evitando.

Nec formidanda immoderate pessimorum offensa propter innumerabilem multitudinem eorumdem. Unde subjungitur : *Quorum quidem tametsi innumerosus* * sit *exercitus,* id est, quamvis exercitus pessimorum, id est valde pravorum ex habitu vitioso peccantium, sit tam « innumerosus », id est valde innumerabilis, sicut et Salomon contestatus est, Stultorum infinitus est numerus ; *spernendus est tamen,* non quantum ad id quod habet ex Creatore, id est non quantum ad suam naturam, sed quantum ad id quod habet ex propria voluntate et fomitis corruptione ac suggestione diaboli, hoc est quantum ad esse suæ malitiæ et peccati, penes quod incomparabiliter deteriores ac viliores sunt brutis, secundum Philosophum primo Politicorum : qui et in libro Ethicorum juxta hunc sensum disseruit, magnanimum esse aspernativum. Et de viro justo ait Psalmographus : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.

* numerosus

Eccle. I, 15.

Ps. XIV, 4.

Quoniam nullo duce regitur, id est nullo præsidente legitime dirigente, quamvis regatur tyranno atque diabolo, qui est rex omnium filiorum superbiæ, et quadam vulpina calliditate ac leonina ferocitate seu propria animositate dominatur eisdem. Ideo subditur : *sed errore tantum, temere ac passim lymphatice* * *raptatur,* id est, exercitus ille pravissimus assidue rapitur ac movetur « errore », id est ex injusta commotione, « temere », id est contra ordinationem sapientiæ, cujus est ordinare ac ordinate procedere, « ac passim lymphatice », id est communiter turbulentissime instar aquæ, quæ jugiter fluit et refluit, juxta illud Isaiæ : Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Nam impii suarum motibus passionum instabilissime circumferuntur, ut ait Psalmista : Non sic impii, non sic ; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Hinc in suis ænigmatibus dixit Pythagoras : Per publicam viam non ambules, id est, multorum errorem atque pravorum inquietudinem non sequaris. Hinc secun-

Job XLI, 25.

* lymphante

Is. LVII, 20.

Ps. I, 4.

dum Augustinum in homilia : Irrationabilium hominum multitudo non est proprie appellanda exercitus, quum non sit debite ordinata ad unum, sed turba, id est multitudo turbata.

Qui exercitus iniquorum *struens,* id est statuens, *aciem,* id est bellicum apparatum, *contra nos* sapientiæ studio virtutibusque intentos, *si quando,* id est si aliquando, *incubuerit,* id est, irruerit in nos, *valentior,* id est corporaliter fortior nobis; *nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit :* id est, ratio et sapientia nostra, qua regimur, recolligit se intra se; et in superiori parte sua, qua intendit rationibus æternis consulendis ac contemplandis (secundum Augustinum in libris de Trinitate et Civitate), congregat suas divitias suamque armaturam, id est scientias ac virtutes, ad resistendum spiritualiter ac divine. Hinc Socrates et Seneca sunt locuti : Tunc præcipue in te ipsum secede, dum cogeris esse in turba, et hominum improbitate vallaris.

Illi vero circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur, id est, injusti illi intenti sunt et inter se tractant qualiter auferant a nobis possessiunculas istas terrenas, quæ frequenter plus gravant et impediunt a salute, quam conferant. *At nos desuper irridemus vilissima rerum quæque rapientes,* id est, « nos » constituti in arce mentis « irridemus desuper », id est ex alta mentis consideratione, « rapientes quæque vilissima rerum », id est eos qui auferunt a nobis terrena, quæ comparatione spiritualium bonorum quasi nullius sunt valoris. Ipsi enim in tenebris vitiorum versantur, nos in luce sapientiæ contemplamur illorum insaniam : sicque eos irridemus, non ex superbia, sed zelo justitiæ ; imo et compatimur ex caritate animabus ipsorum, quas vitiis perimunt, perdunt et damnant. Ideo in libro Prover-
Prov. IV, 19. biorum habetur : Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruunt, id est, non advertunt quam graviter peccent ac noceant sibi ipsis, quoniam uniuscujusque malum A in proprium redundat auctorem, quemadmodum in Ecclesiaste legitur : Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. *Eccle.* X, 8.

« Nos », inquam, *securi totius furiosi tumultus,* id est tuti ac liberi exsistentes a persecutione ac rabie talium hominum passionibus iræ, impatientiæ ac furoris insanientium. Unde ait Hieronymus : Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitat stimulis, et ita ab omni ratione atque consilio efficit alienum, ut B dum irascitur, insanire credatur? Unde et
Salomon dixit : Ira in sinu stulti requiescit. Et in libro Job dicitur : Virum stultum interficit iracundia. *Eoque vallo muniti,* id est tali munitione et libertate intus circumdati, utputa contemplatione ac virtutum constantia, *quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit,* id est, ad quod vallum non liceat anhelare stultis ac impiis qui grassantur et malignantur adversus justos ac sapientes. Nam illi impii quamdiu in sua persistunt malitia, aptitudinem C nullam habent ascendendi ac pertingendi ad præfatam mentis securitatem, contemplationem atque perfectionem. Verumtamen poterunt pœnitere, quamvis id difficulter contingat, nisi quod Deus omnipotens est ad convertendum, in cujus manu sunt omnium corda, et quocumque voluerit vertit ea : aliter tales quasi incurabiles reputantur. Quibus Jeremias dicit : Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere. Unde Aristoteles quoque in Ethicis qua- D si insanabiles asserit eos qui ex habitu vitioso et ex certa malitia peccant. *Ibid.* VII, 10. *Job* V, 2. *Prov.* XXI, 1. *Jer.* XIII, 23.

Præterea aliquid nunc tangendum de gestis eorum quos in hac prosa exprimit Philosophia. Et primo de Anaxagora : qui, ut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus, ab Athenis expulsus fuit, et ab Atheniensibus prorsus abjectus, quoniam reprehendit eos de adoratione solis, perhibens solem non esse animatum, sed lampadem ardentem, id est, corpus non vivum, sed luminosum, illuminans mundum, quem-

admodum lampas domum. Legitur quoque, A quod fuit in exsilium missus. Cui quum quidam dixisset, Mortuus est filius tuus, respondit : Quid mirum aut novum, si domus antiquæ cadant, et moriantur mortales?

Porro de Socrate est nota historia, quod Athenis exsistens, jussu curiæ Atheniensium veneno interiit, eo quod dixerit idola non esse colenda, nec deos gentium adorandos : Mallem, inquiens, adorare canem, quum sit opus naturæ, quam idolum, quum sit opus artis humanæ. De hoc, octavo de B Civitate Dei, refert sic Augustinus : Civitas Atheniensium Socratem quem occidit, luxit; et unum de accusatoribus ejus occidit, alium perpetuo exsilio condemnavit. Erant enim duo sacerdotes idololatræ, qui accusaverant eum. De his in libro de Vita philosophorum multa leguntur. De hoc Socrate Apuleius Platonicus in libro de Deo Socratis ait : Propter hoc quod habuit spiritum quemdam, id est angelum sanctum, sibi familiarem et contubernalem, hoc est domesticum, qui cuncta circa Socratem C ipsum disposuit, cuncta quæ arcenda erant arcuit, cuncta cavenda præcavit, præmonenda præmonuit, et in omnibus ipsum direxit.

At vero Zeno philosophus a tyranno quodam in equuleo est suspensus : propter quod ille tyrannus a proprio populo est occisus.

Canius vero et Seneca ac Soranus fuerunt Romani. Et Senecam constat a Nerone peremptum, dicente : O magister, elige tibi genus mortis quod volueris, quoniam D te superstite, sine rubore et timore, quæ libent, agere nequeo : nam sicut te, puer exsistens, timere solebam, ita adhuc formido. Videns igitur Seneca se mortem non posse evadere, elegit in balneo phlebotomari, sicque defluente sanguine exspiravit. Canius autem et Soranus etiam injuste fuerunt occisi.

Joannes. — Duo mihi occurrunt circa præhabita. Dictum est enim, quod potius debeat homo mortem subire, quam contra justitiam agere seu peccare : ideo quæro, an homo stans in lumine naturali, nec credens animam immortalem, debeat malle mori, quam agere contra legem. Videtur quod non, quia talis non credit esse mercedem justitiæ in futuro. Oppositum vero apparet, quoniam malum culpæ incomparabiliter pejus fugibiliusque consistit quam malum pœnæ.

Secundum dubium est, an verum sit quod quidam glossantes hic scribunt, quod mortuo Socrate, dissensio inter ejus discipulos orta est in quo Socrates constituerit summum hominis bonum, quibusdam dicentibus, quod in delectatione, aliis, quod in sapientia et virtute, sicque duplex genus philosophorum esse exortum, utpote Epicureos ac Stoicos.

Dionysius. — Ad primum respondeo quemadmodum et Henricus primo Quodlibeto : Super hoc, inquiens, habemus expressam sententiam Philosophi asserentis in Ethicis, quod homo magis debeat eligere mori, quam vivere in peccato, imo et potius velle mori in actu virtutis majori, quam vivere in minori : præsertim quoniam culpa est fugibilitatis infinitæ, et incomparabiliter abominabilior omni pœna. Verumtamen Scotus in Scripto quarti tenet contrarium, dicens non esse appetendam mortem propter malum culpæ vitandum : quia sicut maximum peccatum est Deum odire, ita post hoc gravissimum est peccatum velle se non esse, seu velle se nolle esse; et rursus, quoniam velle non esse, est velle se annihilare. Quæ responsio non videtur idonea : ideo dico, quod sicut valde virtuosum meritoriumque consistit se dare in mortem temporalem pro Deo atque justitia ac fidei veritate, sic licitum est velle non esse propter evadenda æternæ damnationis supplicia. Nec Deus hoc reprobat : imo naturæ impressit abhorrere tam intolerabile malum. Denique sanctorum Patrum doctrina concorditer protestatur, quod ordo universitatis id exigit quod homo Deum super omnia toto

corde incomparabiliter diligat : idcirco de A ejus offensione, amissione, injuria, incomparabiliter debet dolere, prout vera requirit contritio, sicque malle universa naturæ dona amittere, quam Deum offendere.

Ad secundum respondeo, quod dictum illorum glossantium non videtur in toto verum. Epicurei namque philosophi cum Epicuro suo magistro, diu ante Socratem fuerunt : de quorum numero erant, Democritus, Empedocles, multique tales, quorum interdum Aristoteles in suis meminit libris. Porro Stoicorum princeps quantum B ad philosophiam moralem Socrates fuit, quantum vero ad philosophiam naturalem, Plato, ut in commentario suo super librum de Causis scribit Albertus. Quæ omnia ex dictis Augustini tertio libro de Civitate Dei possent probari. Qui et octavo libro de Civitate Dei disseruit : Aristoteles, Platonis discipulus, vir excellentis ingenii, Platoni eloquio impar, sed multos facile superans, Peripateticam condidit sectam, eo quod deambulando disputare consuevit. Verum, ut in textu innuitur, potuit esse quod Socrate jam defuncto, etiam Epicurei quidam nisi sint Socratis aliqua documenta ad confirmationem trahere suæ sectæ. Attamen certum fuit, quod Socrates vir moralissimus felicitatem hominis nequaquam constituit in voluptatibus tactus et gustus. Imo et Epicurus, quamvis tam erroneæ fuerit opinionis, nihilo minus ipsemet frugalissime vixit, id est sobrie valde, leguminibus oleribusque contentus, ut etiam sanctus narrat Hieronymus.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO MYSTICA PROSÆ EJUSDEM.

H*AUD aliter tristitiæ nebulis dissolutis hausi cœlum.* Vir christianus in Scripturis instructus, atque post prospera et theologica studia in varias adversitates, desolationes, persecutiones delapsus, omnino præclarius, efficacius, salubrius consolatur et exhilaratur a theologia, hoc est ex verbis sacræ Scripturæ, quam a philosophia. Hinc expositio ista est vehementer præstantior, divinior magisque consolativa quam præinducta.

Ait ergo vir talis : « Haud aliter tristitiæ nebulis dissolutis », id est, obscurante inordinata tristitia a corde meo ablata non aliter quam ex illuminatione theologica ac divina, et instructione Scripturæ sanctæ, quæ ait, Gaudete in Domino semper; *Philipp.* IV, 4. et denuo, Omne gaudium existimate, quum *Jacob.* I, 2. in varias tentationes incideritis. Unde et theologia per apostolum Jacobum contra inordinatam tristitiam præstans remedium, loquitur : Tristatur aliquis vestrum? *Jacob.* V, 13. Oret æquo animo, et psallat. Paulus quoque dulcissime consolatur omnem fidelem, et omnem tristitiæ nebulam pellit : Non sunt (inquiens) condignæ passiones *Rom.* VIII, 18. hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et rursus fructuositatem tribulationum vitæ præsentis atque earum modicitatem respectu consolationis futuræ æternæ in patria tangit, dicendo in secunda sua epistola ad Corinthios : Id *II Cor.* IV, 17. quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Sic demum et increata theologia, Verbum et sermo Patris altissimi (de qua ad Hebræos dicitur, Vivus est ser- *Hebr.* IV, 12. mo Dei et efficax), Christus Dominus dissolvit tristitiæ nebulas, et optime consolatur nos omnes, loquens : Et vos nunc *Joann.* XVI, 22. quidem tristitiam habetis; iterum autem

videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Non igitur æstimes te a distractionibus, perturbationibus vanisque phantasiis tui cordis eripi posse salubriter, nisi ex illuminatione sapientiæ Dei et visitatione Spiritus Sancti, quum scriptum sit in Ecclesiastico : Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi fuerit ab Altissimo visitatio emissa. (*Eccli.* XXXIV. 6.)

Sic itaque « dissolutis nebulis tristitiæ » sæcularis, quæ mortem, teste Apostolo, (II *Cor.* VII, 10.) operatur, « hausi cœlum », id est, cœlestia et divina contemplatus sum, et consolationem Spiritus Sancti ac Scripturarum adverti : ad quarum intelligentiam ac saporem mens perturbata et obscurata non est disposita. Nam ut ait Apostolus, Quæ societas luci ad tenebras? (*Ibid.* VI. 14.) In libro Sapientiæ quoque pudicus sapientiæ ait amator : Intrans in domum meam conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. (*Sap.* VIII. 16.) Si ergo vis pacem mentis habere, oportet te cogitationes vanas, inutiles, et apprehensiones phantasticas devitare, quoniam in libro Proverbiorum sapientia protestatur : Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. (*Prov.* VIII, 12.) Hinc in libro de Quatuor virtutibus hortatus est Seneca : Cogitationes vagas somnoque similes non admittas; quibus nisi ablactaveris animum, quum disposueris omnia, tristis manebis.

Et ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi. Theologia indesinenter loquitur nobis in Scripturis, et per prædicantium ac exhortantium ora ; similiter Sapientia summa per inspirationem internam. Sed mentes instabiles, extra fusæ, viliter occupatæ, non advertunt, nisi hujuscemodi nebulis dissipatis : quo facto, mentis considerationem resumunt ad advertendum doctrinam divinæ Scripturæ ac sapientiæ salutaris, quæ vulnera animæ curat salubriter, et contra unumquodque vitium apta confert remedia. Propter quod dicitur in libro Sapientiæ : Per sapientiam (*Sap.* IX, 19.) sanati sunt omnes qui tibi placuerunt, Domine, ab initio; itemque : Sapientia hos qui se observant, a doloribus liberat. (*Sap.* X, 9.)

Respicio nutricem meam. Dum Scripturam sacram advertimus, vere cognoscimus quod ipsa sit spiritualiter nutrix nostra : quæ et suis uberibus nos lactavit (sicut præhabitum est) lacte simplicium doctrinarum. (*Cf.* p. 64 D.) « In cujus laribus », id est ecclesiis, scholis, studiis, libris ac congregationibus, « ab adolescentia » nostra sumus nutriti, et custoditi seu præservati a vitiis atque periculis multis. Hinc magnus ille theologus Paulus Thessalonicensibus scripsit : Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita volebamus tradere vobis non solum Evangelium Christi, sed etiam animas nostras. (I *Thess.* II, 7, 8.) De his laribus Sapientia monet in Ecclesiastico : Congregate vos in domum disciplinæ. (*Eccli.* LI, 31.)

Et quid tu, inquam, o theologia, *venisti in has solitudines exsilii nostri, o omnium virtutum magistra, supremo* cardine delapsa?* (* superno) Tu enim vere ex ore prodisti Altissimi, de qua scriptum est in epistola S. Jacobi : (*Ibid.* XXIV, 5.) Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei. (*Jacob.* I, 5.) Nempe, ut idem Sanctus denuo contestatur, Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. (*Ibid.* 17.) Theologia vero omnium virtutum est magistra vehementer præclarius quam philosophia. Docet namque non solum virtutes naturales (quibus non convenit perfecte ratio ipsa virtutis, quia non faciunt hominem Deo acceptum ac meritorie operantem : imo simul stant cum peccato mortali, quum et ab infidelibus possint haberi), sed etiam docet supernaturales virtutes formatas, perfectam beatitudinem promerentes. Hæc theologicalis sapientia suos non deserit amatores : imo assidue in adversitatibus visitat eos, docens in adversis gloriandum, Deoque gratias agere in omni eventu, sicut ad Romanos hortatur Apostolus, Spe gaudentes, in tribulationibus patientes. (*Rom.* XII, 12.) De qua adsistentia sapientiæ

scriptum est copiose in libro Sapientiæ, A ubi inter cetera legitur : Descendit cum (Sap. x, 13, 14.) justo in foveam (puta in carcerem), et in vinculis non dereliquit eum. Denique hoc super omnia omni admiratione gratiarumque actione condignum, quod virtus et sapientia Dei Patris Christus Dominus in (I Cor. i, 24.) hanc vallem lacrimarum exsilii nostri descendere dignatus est, ex sinu Patris descendens in uterum sacratissimæ Virginis.

An ut tu quoque mecum tanquam *rea falsis criminationibus agiteris?* Certe increata Sapientia ad hoc ad homines venit, ut pro eis verbera, blasphemias, opprobria crucemque perferret ; cui multas falsas criminationes, non solum tempore passionis, sed et ante, objecerunt Judæi, dicentes : Insanit, dæmonium habet, homo vorax, seducit turbas. (Joann. x, 20 ; viii, 48 ; Matth. xi, 19 ; Joann. vii, 12.) Sapientia quoque quam in Evangelio et Scripturis edocuit, non solum a perfidis, sed a multis quoque carnalibus excæcatis fidelibus irridetur, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Quam aspera nimis est indoctis hominibus (Eccli. vi, 21.) sapientia ! Hinc ad Corinthios ait Apostolus : Verbum crucis pereuntibus stultitia (I Cor. i, 18.) est ; et rursus : Carnalis homo non percipit (Ibid. ii, 14.) ea quæ sunt Spiritus Dei ; stultitia enim est illi. O quanta est perversitas impiorum ! Nam et in quarto Regum libro describitur quemadmodum principes Israel dixerunt ad Jehu de adolescente discipulo Prophetarum : Quid venit insanus iste (IV Reg. ix, 11.) ad te ? Sic et nunc quidam insensatissimi viros devotos tanquam insipientes derident, qui in die judicii sunt dicturi : Nos (Sap. v, 4.) insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.

An, inquit illa, videlicet sapientia salutaris, ego *te, o alumne, desererem ?* Quanto theologia, præsertim increata Sapientia, dignior eminentiorque consistit quam philosophia, tanto fidelius atque salubrius suis adsistit discipulis et alumnis, sarcinamque afflictionum quas pro ipsa patiuntur, portat cum eis : imo sibi fieri arbitratur quod suis membris infertur. Unde ad Paulum nondum conversum dixit : Quid me persequeris? (Act. ix, 4.) Et per Zachariam effatur : Qui tetigerit vos, tanget pupillam (Zach. ii, 8.) oculi mei. Quibus item spopondit : Ecce (Matth. xxviii, 20.) ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi ; itemque : Ego (Luc. xxi, 15.) dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Hinc orat vir sapiens : Da (Sap. ix, 4, 10.) mihi, Domine, sedium tuarum adsistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret. *Et quasi novum aliquid acciderit, perhorrescerem ?* Sapientia in suis pro- B fessoribus non veretur quamcumque pati adversitatem, tanquam insolitum aliquid contingat : imo ab exordio mundi derisi et passi sunt electi ac justi a reprobis et iniquis, ut Abel a Cain. (Gen. iv, 8.) Propter quod in prima sua Canonica beatissimus princeps Apostolorum hortatur : Carissimi, nolite (I Petr. iv, 12.) peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat.

Nunc enim primum censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sa- C *pientiam ?* hoc est, o tu, Christifidelis afflicte ac tribulate, noli mœstus et pusillanimis esse, nec ita dejiciaris quibuscumque adversis, quasi putes jam primo veram et salubrem sapientiam virosque sapientes ac virtuosos irrideri, contemni impugnarique ab insipientibus et malignis : imo percurrendo Scripturas atque historias, scias hoc a mundi principio tam in lege naturæ quam lege scripta ita fuisse, quemadmodum ad Hebræos de Sanctis veteris Testamenti ait Apostolus : Alii (Hebr. xi, 35-37.) D distenti sunt ; alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Denique quam immanissima supplicia præclarissimi septem fratres Machabæi pertulerunt, in secundo libro Machabæorum scribitur. (II Mach. vii.) Verum in evangelica lege de hoc innumerabilia gesta leguntur : et constat in primis quam ignominiosissimam ac amarissimam pro mundi salute sustinuit passionem ac mortem omnium Dominus et Salvator, de-

inde gloriosi Apostoli ac martyres benedicti, imo (quod mirabilius est) etiam puellæ tenerrimæ, ceteri quoque Sancti, de quibus communiter verum est, quod quanto fuerint Deo cariores, tanto plura et duriora perpessi sunt.

Horum facta et documenta, martyria, virtutes ac præmia, incomparabiliter efficaciora sunt ad instruendum, consolandum, confortandum, accendendum unumquemque credentem afflictum, tentatum, pusillanimem, contristatum, quam persecutiones et gesta philosophorum quæ in littera exprimuntur : qui fide carentes, nullam a Deo beatitudinem sunt sortiti, sed potius condemnati (nisi fidem ante obitum habuisse dicantur, sine qua nemo unquam placuit Deo), quamvis in memoriis hominum aliquid famæ retineant. Quantum vero honorem, præconium et triumphum, quam ineffabilem gratiam et gloriam, quantam supernaturalium divinorum exuberantiam excellentiamque charismatum in hoc sæculo et futuro præfati Sancti adepti sint, nulla valet lingua exprimere, nulla mens capere. Horum ergo consideratione, omnem tribulationem et adversitatem, spoliationem, contemptum, conculcationem, cum ingenti alacritate et gaudio perferamus, certi quia si compatimur, et conregnabimus, et si socii sumus temporalium (imo modicarum et brevium) passionum, socii erimus æternalium inæstimabiliter grandium gaudiorum. Ad hanc consolationem, nullius momenti est omnis consolatio philosophiæ hic tradita. Hinc admiror quod Boetius, vir catholicus et magnus theologus, ad sui ipsius ac aliorum consolationem non potius introduxit theologiam se consolantem.

Hebr. XI, 6. — Rom. VIII, 17; II Tim. II, 12. — II Cor. I, 7.

Cujus hereditatem quum deinceps Epicureum vulgus ac Stoicum, etc. Quemadmodum defuncto Socrate discipuli ejus documenta ipsius diversimode interpretati sunt, atque in plures sectas divisi et magis aut minus decepti; ita post Christi resurrectionem ejus evangelium diversi diversimode exposuerunt : quidam catholice, qui omnes in fidei unitate manserunt; alii hæretice, qui per diversas hæreses sunt partiti, neque ad invicem neque catholice concordantes, ut Manichæi, Ariani, Sabelliani, et alii multi. Contra quos clamavit theologia per sanctos doctores Ecclesiæ : quos illi audire spernentes, vestem theologiæ sciderunt, ut supra quoque expositum est. Præterea tantus fuit persecutorum rancor et rabies in Christum et Christianos, quod non solum catholicos, sed et multos occiderunt hæreticos, eo quod aliquid christianæ religionis ac fidei in ipsis consistere videbatur.

Quod si nec Anaxagoræ fugam, etc. Juxta expositionem præhabitam potest theologia hoc dicere suis alumnis hoc modo : Si ignoras persecutiones atque martyrium electorum qui fuerunt ac passi sunt in lege naturali ac scripta, attamen gesta et immanissima tormenta ac gloriosissima præmia Sanctorum evangelicæ legis nosti : quorum innumerabilia millia in sola Roma sunt coronata, non ob aliud nisi quoniam evangelicis disciplinis moribusque imbuti, dissimillimi erant paganis, de quibus Christus prædixit : Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Unde Petrus asserit : Ambulaverunt in luxuriis, vinolentiis, desideriis, comessationibus; in quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem. Sic et in libro Sapientiæ impii leguntur dixisse de Christo : Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius; tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis : contumeliis et tormentis interrogemus eum, et morte turpissima condemnemus eum.

Matth. XXIV, 9. — I Petr. IV, 3, 4. — Sap. II, 15, 16, 19, 20.

Itaque nihil est quod admireris, si in hoc vitæ salo circumflantibus agitemur procellis. Interdum pusilli et in Scripturis nondum exercitati mirantur non modice, et sua imperita admiratione quasi dejiciuntur, dum cernunt sapientes, justos et timoratos, in hoc sæculo nequam tanquam in procellosissimo mari a pravissimis op-

primi, diffamari, irrideri, spoliari, atrociterque occidi : non advertentes quoniam paterne ac misericordissime omnipotens supersapientissimus Deus in hoc agat cum suis electis, quos per adversa hujusmodi a suis purgat peccatis, ac potioribus implet gratiæ donis, atque a purgatorii pœnis ineffabiliter gravioribus ac diuturnioribus præservat et eruit, Christi etiam passioni conformat, et pleniori felicitate in æternum coronat. Hinc recte dixit Gregorius : Quamvis mirabilia videantur Dei judicia dum electis et bonis in hac vita contingunt adversa, reprobis et impiis prospera; multo tamen mirabiliora sunt quando econtrario electis et justis in hoc mundo accidunt prospera, reprobis vero adversa. Hinc in Actibus asserit Paulus : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. (*Act.* XIV, 21.) Judith quoque notabiliter dixit : Pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est ; sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses et omnes qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles. (*Judith* VIII, 22. 23.)

Quorum quidem tametsi innumerosus * est *exercitus*, etc. Sicut enim in Evangelio ait Salvator, multi sunt vocati, pauci vero electi. (*Matth.* XX. 16; XXII. 14.) Imo in tantum excedit numerus reproborum numerum electorum, ut alibi dixerit ipse Judex : Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. (*Luc* XII, 32.) Non tamen inordinate timenda est tanta malignantium turba, quum dicat Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. (*Matth.* X. 28.) Imo spernendi sunt in quantum iniqui et violenti. Unde et sanctus Job ait : Si expavi ad multitudinem nimiam ; (*Job* XXXI, 34.) et Psalmista : Non timebo millia populi circumdantis me. (*Ps.* III, 7.) Nam et iniquorum turba « nullo regitur duce » : non quod semper careat præsidente, sed quoniam duces eorum communiter non sunt veri nominis rectores ac duces, neque pastores, sed potius seductores ac lupi rapaces, se ipsos ac subditos in foveam infernalis perditionis præcipitantes. (*Matth.* VII, 15; *Act.* XX, 29.) Idcirco dum aciem producunt contra electos ac justos, ipsi justi desuper illustrati atque a Spiritu Sancto adjuti, spiritualiter se armantes, miserantur illorum insaniam, rabiemque derident, certi quod iniqui flagellum sint et virga Dei per illorum persecutionem corrigentis ac salvantis suos electos. Sic gloriosissimi martyres utriusque sexus, Dionysius, Laurentius, Vincentius, Catharina, Barbara, Agatha, in immanissimis suis tormentis deriserunt tyrannos, assumpti a Spiritu Sancto in arcem libertatis, ac rore consolationis divinæ perfusi, lumine quoque sapientiæ Dei gratiosissima largitate repleti, in quo actualiter ac dulciter contemplabantur quam indicibiliter persecutores sibi ipsis nocuerunt et eis profuerunt. Etenim sibi ipsis gravissima æternæ damnationis supplicia, martyribus vero compendiosissimum regni cœlestis ingressum martyriique aureolam et salutem plenissimam æternaliter permansuram procurarunt.

* *numerosus*

METRUM IV

Quisquis composito serenus ævo
Fatum sub pedibus dedit superbum,
Fortunamque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum :
Non illum rabies minæque ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Vesevus ignes,

Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.
Quid tantum miseri feros tyrannos
Mirantur sine viribus furentes ?
Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaveris impotentis iram ;
At quisquis trepidus pavet vel optat,
Quod non sit stabilis suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus,
Nectit qua valeat trahi catenam.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO METRI HUJUS QUARTI.

IN hoc hujus primi codicis metro Philosophia planius docet atque prosequitur qualiter verus philosophus inter sæculi hujus procellas, tanquam inter inquietissimi maris fluctus et undas, possit ac debeat tranquillus persistere. Itaque ait :

Quisquis, id est quicumque vir bonus et sapiens, *serenus,* id est tranquillus, *ævo composito,* id est ætate sua tranquille disposita, ita quod in duratione et cursu vitæ suæ non fuit variis modis mente turbatus, sed tranquille conversans (quamvis interdum habuit quosdam motus turbationum aliquantularum non prædominantes, sine quibus non agitur vita præsens), *dedit,* id est, subegit et calcavit *sub pedibus* suis, *fatum superbum,* id est eventum quemcumque prosperum ad superbiam occasionaliter excitantem (qui fato seu fatali influentiæ solet adscribi), ita quod ex tali eventu non fuit superbiens ; *rectusque,* id est mente ad Deum erectus et firmus, *tuens,* id est intuens, seu a peccato præservans, *utramque fortunam,* id est se ipsum in utroque effectu fortuito, puta in prosperis et adversis, sic quod nec in prosperis superbivit, neque in adversis dejectus, mœstus aut pusillanimis fuit. Talis utique *potuit tenere vultum invictum,* id est uniformiter dispositum, ita quod non est innaturaliter alteratus nec male dispositus ex inordinatis motibus apprehensionum ac passionum : sicut qui intra se portant passionem invidiæ, habent in-
A convenientem dispositionem in vultu et oculis ; similiter qui irascuntur aut plurimum timent.

Rabies, id est furor seu tyrannis hominum iniquorum, *non movebit illum,* id est, non perterrebit nec dejiciet eum ; *minæque ponti,* id est comminationes fluctusque perstrepentes maris, *excitantis,* id est commoventis, *æstum,* id est ebullitionem et aquæ fervorem, *funditus,* id est a fundo, *versum,* id est ascendentem et tractum superius, quia a fundo erumpunt
B tales commotiones : supple, non movebunt talem. *Nec Vesevus,* id est mons sic appellatus, *quoties,* id est quam sæpe, *torquet,* id est, exsufflat seu emittit ex se, *ignes fumificos,* id est flammas quasi fumosas seu fumo admixtas, *vagus,* id est instabilis in talibus emissionibus ignium, et hoc *ruptis caminis,* id est apertis in ipso monte quibusdam foraminibus, per quæ tanquam per os camini seu fornacis ipsa flamma egreditur ; *aut via,* id est descensus, *fulminis ardentis soliti ferire,*
C id est lædere aut incendere, *turres celsas,* id est sublimes : hæc, inquam, non movebunt nec dejicient mentem hujusmodi hominis.

Oportet scire, quod per rabiem designatur ira, indignatio persecutioque tyrannica principum et magnatum ac omnium superborum, aut etiam ferocia bestiarum, qui irrationabili impetu tanquam rabie quadam aguntur. Propter quod Salomon

Prov. xxvii, 4. loquitur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor : et impetum concitati spiritus sufferre quis poterit? Per minas ponti accipitur comminatio violentorum, et injuriatio omnium qui ex amaritudine animi ad vindicandum sunt proni. Contra quos Ecclesiasticus inducit : Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? (*Eccli.* xxviii, 3-5.) In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur Altissimum? Ipse quum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius?

Per Vesevum, Campaniæ montem, exprimitur concupiscentiæ ardor, omnia spiritualia bona consumens, et per verba oris libidinosa erumpens, et per foramina oculorum (de quibus in Ecclesiaste legitur, Tenebrescent videntes per foramina) (*Eccle.* xii, 3.), atque per alia signa. Qui ignis prorsus fumosus et fœtidus est, sicut ignis sulfureus quem Dominus Deus omnipotens pluit super Pentapolim (*Gen.* xix, 24, 25; *Sap.* x, 6.). Inde in Osee fertur : Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente (*Osee* vii, 4.).

Per fulmen autem intelligi potest repentina tentatio suggestioque diaboli, seu quæcumque invasio spirituum malignorum, de quibus ad Ephesios scribit Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* vi, 12.). Nam et fulmen de cœlo aerio venit, atque ex sicca et calida exhalatione sursum levata causatur, et ex incussu deorsum deprimitur, atque venti impulsu in obliquum movetur. De his infra dicetur.

Consequenter Philosophia imperfectos passionibus subditos, præfata tranquillitate carentes, increpat, instruit et hortatur, subinferens : *Quid,* id est cur, seu ad quid, *miseri,* id est homines infelices, miseriis culpæ ac pœnæ subjecti, *mirantur,* id est, in cordibus suis magnificant, seu mirando inspiciunt, *tantum,* id est tam multum, *feros tyrannos,* id est principes seu superiores feroces, *furentes* commotione iræ, indignationis, impatientiæ (juxta illud Osee

A prophetæ, Cœperunt principes furere a vino) (*Osee* vii, 5.), *sine viribus,* quoniam instar aliorum ex sua natura sunt imbecilles ac fragiles, nec potestatem habent nisi ab alio, et frequenter attentant præsumuntque agere quod nequeunt adimplere. Propter quod loquitur Augustinus : Quid se extendit in honore inflatior potestas, in carne æqualis infirmitas?

Sed contra istud subjungitur aptum remedium et congruum documentum. *Nec speres aliquid,* id est, tu Boeti, seu qui-

B cumque catholice, non cupias aliquid adipisci ab illis, nisi ad quod obtinendum jus habeas, *nec extimescas,* id est, nec inordinate paveas illos. Nihilo minus, quamdiu in officiis sunt et jurisdictione utuntur, obediendum est ipsis in licitis et honestis in quantum se extendit eorum auctoritas, quum in prima Petri epistola dicatur : Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis (I *Petr.* ii, 18.). Ex quibus verbis ostenditur, quod etiam sint timendi

C ordinato timore, hoc est per respectum ad Deum, cujus aliquo modo ministri vicariique consistunt, ut ad Romanos docet Apostolus (*Rom.* xiii, 1-7.). *Exarmareris,* id est, si sic egeris, exarmas, id est, armis suis privas, *iram impotentis,* id est ipsum tyrannum pronum ad iram impotentem, juxta sensum jam tactum. Tyrannus quippe contra bonos armatur non ratione neque virtutibus, sed motibus passionum. Quos qui non metuit immoderate, armatus fortitudine animi atque constantia, fortior est

D tyranno, imo et dominus dominorum illius : nempe, ut dixit Diogenes, passiones et vitia sunt domini iniquorum, quoniam prævalent rationi ipsorum ; et impii passionibus ac vitiis obsequuntur, sapientes vero ac virtuosi vitiis et passionibus dominantur.

At quisquis trepidus pavet vel optat, id est, quicumque inordinata, carnali, mundana formidine metuit tyrannos aut alios, aut optat eorum favorem etiam contra justitiam, vel terrenam prosperitatem, *quod*

non sit stabilis, id est, eo quod non sit firmus in judicio rationis medioque vir-
Eccli. v, 12 tutis (juxta illud Ecclesiastici, Esto firmus in via Domini et in veritate sensus tui), *suique juris,* id est, tyrannidi subjectus sit, ac jugo iniquitatis aut dæmonum subditus, non juri divino sibi præfixo et legi naturali sibi impressæ, *abjecit clypeum,* id est, propria voluntate deseruit seu dejecit armaturam virtutum præfatam, per quam contra vitia homo munitur et tentamentis renititur. Potest quoque per clypeum patientia specialiter designari, de qua ad
Hebr. x, 36. Hebræos scribitur : Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Motusque loco,* id est a loco animæ suæ detrusus, hoc est a sede et tranquillitate rationis, imo ab incorporatione, congregatione et societate justorum : unde in Ecclesiaste Salomon
Eccle. x, 4. loquitur, Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, tu locum tuum ne dimiseris ; *nectit,* id est, construit et componit, *catenam qua valeat trahi,* id est vitiorum congeriem seu nexuram, videlicet inordinatum timorem et carnalem sui ipsius amorem, ex quo nascuntur desiderium favoris aliorum ad se et spes proprii commodi ac honoris : ex quibus deinceps innumerabilia oriuntur peccata, quibus infelix innectitur, captivatur et trahitur ad infernum, sicut et Salomon
Prov. vii, 22. protestatur : Statim sequitur eam quasi bos ductus ad victimam, et nescit stultus quod ad vincula trahatur. Hinc in libro
Ibid. v, 22. Proverbiorum dicitur : Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Hæc catena est rete perditionis : de quo et Plato disseruit in Phædone, quod anima illo irretita et voluptatibus fœdis capta, trahitur in Avernum.

In hoc metro Philosophia ad litteram, spiritualiter vero theologia, specialiter nos hortatur ad grandem perfectionem, ad inconcussam mentis constantiam, ad fortitudinem cordis invictam, ut in omni eventu perseveremus in lumine rationis, in sapi-
A entia salutari, in divino amore, in immobili spe in Deo, in sanctæ humilitatis radice, in sincerissimo zelo justitiæ, parati semper ad mortem, nec mortis pericula viliter formidantes, quum et Varro doctissimus Romanorum testatus sit : Qui moleste fert mori, litigat cum natura. Ad hoc totum hortatur Apostolus : Stabiles (inquiens) et immobiles estote, abundantes in opere Domini semper. I Cor. xv, 58.

Præterea, circa illos duos versiculos, *Quid tantum miseri,* etc., advertendum
B quod miseria duplex est. Una culpæ : cui miseriæ opponitur beatitudo virtutis. Unde in libro Proverbiorum legitur : Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. Prov. xiv, 34. Alia est miseria pœnæ, secundum illud Jacobi : Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Jacob. v, 1. Docemur quoque ex eisdem versiculis, eos miseros esse, qui mundanam prosperitatem, terrenum principatum, tyrannorum præsidentiam appretiantur atque magnificant in cordibus suis, quum talia sint
C spernenda tanquam itinera ad gehennam. Idcirco qui talia reputat et tanquam magnalia arbitratur, dono caret scientiæ, quo per connaturalitatem affectus veraciter judicamus transitoria et caduca in se ipsis esse inania et vilipendenda, tanquam æternæ beatitudinis impeditiva, sicque illud Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, ex corde proferimus. Eccle. i, 2. Porro qui per donum sapientiæ ad contemplationem attigit, et summum illud prorsus incomparabile donum, Deum incircumscriptibilem
D et immensum, assuetus est contemplari, omnia vana hæc aspernatur ut stercora. Ideo sanctus vir ait : Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi, et ecce non erat ; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. Ps. xxxvi, 35, 36. Dicuntur demum tyranni « sine viribus », quia potestas eorum sita est in subjectione voluntaria subditorum et adjuvantium eos, sine quibus non plus possunt quam subditi, ut in libro de Trinitate Guillelmus ait Parisiensis.

At vero fatum vocatur « superbum », ut tactum est, quum sit superbiendi incitamentum atque occasio. Nam ut Seneca dixit, Prosperitas fovet iram, opulentia elationem. Propter quod Innocentius Valeriusque fatentur : Dives in superfluitatem resolvitur, jactantia effrenatur, currit ad libitum, corruit ad illicitum. Recte er-
I Tim. vi, 9. go ait Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli. Quod ne accidat nobis, sic utramque tueamur ac moderemur fortunam ut vultum teneamus invictum, qualis fuit sanctissimus ille Martinus : quem teste Sulpicio, nemo unquam vidit ridentem, nec dissolutum, nec tristem, aut desolatum ; sed jugiter uno eodemque apparatu quasi angelicam dispositionem monstravit. Talis fuit et Anna, cujus vultus non sunt
I Reg. i, 18. amplius in diversa mutati, ut legitur primo Regum. Talis quoque est unusquisque qui (juxta Gregorium) inter biformes fortunæ adspectus inoffenso graditur pede, nec prosperis elevatur, nec adversis deprimitur; qui in omni eventu in Dei persistit timore, in mentis custodia, in gratiarum actione assidua.

Amplius, ad intelligenda hæc plenius, possent hic plura induci de timore multiplici. Est etenim timor naturalis, qui in se nec laudatur nec vituperatur : qui etiam
Marc. xiv, 33. fuit in Christo, qui passione instante cœpit pavere et tædere. Alius est, timor humanus seu carnalis, quo incommoda carnis et naturæ immoderanter horrentur. De
Is. li, 12. quo in Isaia habetur : Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui
Matth. x, 28. quasi fœnum arescet ? Et Christus : Nolite (inquit) timere eos qui corpus occidunt. Tertius est, timor mundanus, quo excessive quis refugit temporalia damna, et propriæ amissionem excellentiæ ac honoris. Qui timor viget in ambitiosis et cupidis. Hi duo timores sunt vitiosi : de quibus loquitur hic Philosophia. Quartus est, timor servilis, quo culpa vitatur non amore justitiæ, sed formidine pœnæ. Qui timor est bonus (in quantum timor, non in quantum servilis), ut tertio libro Sententiarum ait Magister. Quintus est, timor initialis, quo vitatur peccatum partim horrore supplicii, partim (imo et principaliter) affectu virtutis. Et de utroque isto timore verificatur illud primæ Joannis : Perfecta caritas foras mittit timorem ; et rursus, Qui timet, non est perfectus in caritate. dist. 34 D. I Joann. iv, 18. Ibidem.

Postremo, juxta nunc introducta, stet inflexibilis mentis nostræ status, nec propter injurias contristemur, neque de nostris honoribus extollamur. Per filialem timorem stemus fixi in Deo : quia (ut Salomon ait) qui timet Deum, nihil negligit ; qui autem timet hominem (humano aut mundano timore, et non in Deo, nec propter Deum), cito corruet. Hinc et Seneca est locutus : Tutissima res est nil timere præter Deum. Eccle. vii, 19. Prov. xxix, 25.

Joannes. — Dubitatio mihi oritur circa nunc dicta : an scilicet homo ex documentis philosophiæ ad nunc tactam valeat perfectionem attingere. Et videtur quod non : quia philosophia non nisi naturales docet virtutes, quæ non sufficiunt ad salutem, nec potest homo ex philosophia et naturalibus vitare peccata mortalia.

Dionysius. — Philosophia nisi per theologiam perficiatur, est imperfecta atque in quibusdam erronea, putans hominem ex naturalibus posse fieri veraciter virtuosum, nec hominem esse creatum ad supernaturalem felicitatem. Hinc majores et meliores philosophi docuerunt et in scriptis suis reliquerunt, hominem ex exercitiis et studiis naturalibus fieri posse non solum virtuosum, sed etiam heroicum, id est divinum atque perfectum, imo et tantæ perfectionis ut de cetero aut vix aut non possit peccare, ut constat ex dictis Macrobii Platonici super Somnium Scipionis, ubi de virtutibus purgati animi tractans, asserit mentem humanam virtutibus illis ornatam, non posse a Deo deflecti : Prudentiæ, dicens, purgati animi defæcatique et ab omni mundi hujus adspergine

pure detersi, est sola divina nosse, et ea A tanquam nihil sit aliud intueri; temperantiæ vero talis animi est terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus oblivisci; fortitudinis, passiones ignorare, non vincere; justitiæ, ita cum superna divinaque mente sociari, ut servet cum ea fœdus perpetuum. Et ita scripsit Plotinus, inter philosophiæ professores cum Platone princeps. Sic et Seneca dixit, virum esse beatum qui eo usque profecit, ut jam non solum non velit sed etiam non possit peccare. Verumtamen in his dictis, philo- B sophi isti, quamvis in suo genere magni, graviter tamen noscuntur decepti. Nec enim simpliciter loquendo verum est, aliquem ex solis naturalibus posse hujusmodi fieri, nisi forsan per figurativum et tropicum modum loquendi, præsertim per hyperbolen, et loquendo solum de virtutibus et vitiis quæ naturalis ratio sine fidei lumine novit. Sacratissima autem theologia de his multo verius multoque altius docet, et supernaturales ponit virtutes ac vitia illis contraria : de quibus puri phi- C losophi nil noverunt. Hinc sicut in Quodlibetis suis Henricus, et Alexander ac alii tradunt, quamvis homo ad aliquantulum tempus, non tamen diu, sine gratia gratum faciente potest vivere sine peccato mortali; attamen sine gratia valde præcipua, qualis in Apostolis fuit, nemo in vita hac fit ita perfectus ut sit absolute in gratia confirmatus, ita quod peccare non queat mortaliter.

JOANNES. — Multa hic pulchra protulisti : tamen, ut dixi, expositio ista multum fuit prolixa. Cf. p. 71 B, A'.

DIONYSIUS. — Quid de prolixitate causaris? Ego hæc pro religiosis virisque eruditis potius quam pro scholaribus pueris scribo : nam et in studiis privilegiatis iste liber Boetii extraordinarie legi solet.

JOANNES. — Non expressisti quale sit metrum istud.

DIONYSIUS. — Nec multum confert hoc dicere. Vocatur autem Phalæcium, ab inventore; pentametrum, quia ex quinque pedibus constat, primo spondeo, secundoque dactylo, et ultimis tribus trochæis : hinc appellatur trochaicum, a trochæo prædominante in ipso.

PROSA IV

SENTISNE (inquit) hæc, atque animo illabuntur tuo? Esne ὄνος πρὸς λύραν? Quid fles? Quid lacrimis manas? Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ. Si operam medicantis exspectas, oportet ut vulnus detegas tuum.

— Tum ego collecto in vires animo : Anne adhuc eget admonitione nec per se satis eminet fortunæ in nos sævientis asperitas? Nihilne te ipsa loci facies movet? Hæccine est bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras, in qua mecum sæpe residens, de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas? Talis habitus talisque vultus erat, quum tecum naturæ secreta rimarer. quum mihi siderum vias radio describeres, quum mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar formares? Hæccine præmia referimus, tibi obsequentes? Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti : beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus capessendæ reipublicæ necessariam

causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent. Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicæ administrationis optavi. Tu mihi et qui te sapientium mentibus inseruit Deus, estis conscii nullum me ad magistratum nisi commune bonorum omnium studium detulisse. Inde cum improbis graves inexorabilesque discordiæ fuere, et (quod conscientiæ libertas habet) pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi? Quoties Triguillam regiæ præpositum domus ab incepta et perpetrata jam prorsus injuria dejeci? Quoties miseros quos infinitis calumniis impunita barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi? Nunquam me a jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quam qui patiebantur indolui. Quum acerbæ famis tempore, gravis atque inexplicabilis indicta coemptio profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversus præfectum prætorii, communis commodi ratione suscepi, rege cognoscente contendi, et ne coemptio exigeretur evici. Paulinum consularem virum, cujus opes palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus extraxi. Ne Albinum consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias? Sed esse apud ceteros tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil apud aulicos, quo magis essem tutior, reservavi.

Quibus autem deferentibus perculsi sumus? Quorum Basilius, olim regio ministerio depulsus, in delationem nostri nominis alieni æris necessitate compulsus est. Opilionem vero atque Gaudentium quum ob innumeras atque multiplices fraudes ire in exsilium regia censura decrevisset, quumque illi parere nolentes, sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque id regi foret, edixit ut nisi intra præscriptum diem Ravenna urbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur. Quid huic severitati posse adstrui videtur? Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? Nostræne artes ita meruerunt? An illos accusatores justos fecit præmissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis?

At cujus criminis arguimur summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse. Modum desideras? Delatorem ne documenta deferret quibus senatum læsæ majestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, o magistra, censes? Infitiabimur crimen, ne tibi pudori simus? At volui, nec unquam velle desistam. Fatebimur? Sed impediendi delatoris opera cessabit. An optasse illius ordinis salutem nefas vocabo? Ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat. Sed sibi semper mentiens imprudentia, rerum merita non potest immutare; nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium. Verum id quoquo modo sit, tuo sapientiumque judicio æstimandum relinquo : cujus rei seriem atque veritatem, ne latere posteros queat, stilo etiam

memoriæque mandavi. Nam de compositis falso litteris quibus libertatem arguor sperasse Romanam, quid attinet dicere? Quarum fraus aperte patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum (quod in omnibus negotiis maximas vires habet) uti licuisset. Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Atque utinam posset ulla. Respondissem Canii verbo, qui quum a Caio Cæsare Germanici filio conscius contra se factæ conjurationis fuisse diceretur : Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. Qua in re non ita sensus nostros mœror hebetavit, ut impios scelerata contra virtutem querar molitos ; sed quæ speraverint, effecisse vehementer admiror. Nam deteriora velle, nostri fuerit fortasse defectus ; perficere autem posse contra innocentiam quæ sceleratus quisque conceperit, inspectante Deo, monstri simile est. Unde haud injuria tuorum quidam familiarium quæsivit : Si quidem Deus (inquit) est, unde mala ? Bona vero unde, si non est ?

Sed fas fuerit nefarios homines, qui bonorum omnium totiusque senatus sanguinem petunt, nos etiam, quos propugnare bonis senatuique viderant, perditum ire voluisse. Sed num idem de patribus quoque merebamur ? Meministi, ut opinor, quod me dicturum quid facturumve præsens semper ipsa dirigebas. Meministi, inquam, Veronæ quum rex avidus exitii communis, majestatis crimen in Albinum delatum ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur, universi innocentiam senatus quanta mei securitate periculi defenderim. Scis me hæc et vera proferre, et in nulla unquam mei laude jactasse. Minuit enim quodammodo se probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum, recipit famæ pretium. Sed innocentiam nostram quis exceperit eventus, vides : pro veræ virtutis præmiis, falsi sceleris pœnas subimus. Et cujus unquam facinoris manifesta confessio ita judices habuit in severitate concordes, ut non aliquos vel ipse ingenii error humani, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta, submitteret ? Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio jugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentem tamen sententia confessum convictumve punisset. Nunc vero quingentis fere passuum millibus procul moti, atque indefensi, ob studium propensius in senatum, morti proscriptionique damnamur.

O meritos de simili crimine neminem posse convinci ! Cujus dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere viderunt. Quam uti alicujus sceleris admixtione fuscarent, ob ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam meam polluisse mentiti sunt. Atqui et tu insita nobis, omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas ; et sub tuis oculis sacrilegio locum esse fas non erat. Instillabas enim auribus cogitationibusque meis quotidie Pythagoricum illud : Ἕπου Θεῷ. Nec conveniebat vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. Præterea penetral innocens domus, honestissimorumque cœtus amicorum, socer etiam sanctus et æquo actu ipse * reverendus, ab omni nos hujus criminis suspicione defendunt. Sed, o nefas ! illi vero de te tanti criminis capiunt fidem ; atque hoc ipso videmur affines fuisse maleficio, quod tuis instituti moribus, tuis imbuti disciplinis sumus. Ita non est

* æque ac tu ipsa

satis nihil mihi profuisse tuam reverentiam, nisi ultro tu mea potius offensione lacereris.

At vero hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum, non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum, eaque tantum judicat esse provisa, quæ felicitas commendaverit : quo fit ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quam dissonæ multiplicesque sententiæ, piget reminisci. Hoc tantum dixerim, ultimam esse adversæ fortunæ sarcinam, quod dum
* affingitur miseris aliquod crimen affligitur *, quæ perferunt, meruisse creduntur. Et ego qui-
* si quidem dem * bonis omnibus pulsus, dignitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium supplicium tuli. Videre autem videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiaque fluitantes, perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem, jacere bonos nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari, insontes autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare.

ARTICULUS XVII

DECLARATIO PROSÆ HUJUS QUARTÆ.

HÆC est prosa quarta primi istius libri : in qua Philosophia diligentius atque distinctius perscrutatur Boetii mentem et causas suæ mœstitiæ. Ponuntur autem hic aliqua verba Græca, quorum significatio in aliquibus libris inseritur textui. Itaque Philosophia inquit :

O Boeti, *sentisne hæc?* id est, utrum ista intelligis? *atque illabuntur animo tuo?* id est, an sensus horum verborum cadit in intellectum tuum? Græcum vero quod subditur : *Esne ὄνος πρὸς λύραν?* tantum valet : Esne ad lyram asinus? Hoc apud Græcos fuit proverbium, dum aliquid legebatur aut dicebatur alicui præ alia occupatione aut distractione non advertenti, aut præ hebetudine mentis non intelligenti. Ut sit sensus : An habes te ad ea quæ dico sicut asinus habet se ad lyram aut citharam, ita quod sicut asinus audit sonum musici instrumenti, harmoniam vero consonantiamque non advertit nec capit, nec delectatur in ea, ita nec tu

A verborum meorum sententiam advertis, intelligis, nec mentem tuam sensus eorum oblectat?

Quid fles? Quid lacrimis manas? id est, cur immoderate tristaris et luges, qua- *Mich.* IV, 9.
si consiliarius non sit tibi nec consolator? Porro verba Græca, Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, taliter exponuntur : Confitearis mihi, id est, causam tuæ ægritudinis non occultes. Quæ verba in quibusdam textibus sunt inserta. Unde subjungitur : *Si operam medicantis exspectas,* id est, si sapienter et
B fructuose præstolaris tibi impendi medicinale remedium a me, *oportet ut vulnus tuum,* id est interiorem indispositionem te lædentem, præsertim tristitiam, *detegas,* utpote qualis sit, et ex quibus causis sit orta. Quæ sicut tinea nocet vestimento *Prov.* XXV, 20.
et vermis ligno, sic ipsa nocet cordi : imo (ut patuit) multos occidit. Nam et Galenus *Cf.* p. 46 C.
fatetur, quod dolor et fœtor sunt de numero maxime corrumpentium et prosternentium vitam.

Denique certum est, quod sicut corporali medico necesse sit corporalia vulnera pandere, si debeant ab eo curari, et indiscretum esset ex verecundia ea non velle monstrare, quamvis in locis et membris essent pudibundis ac circa ; sic spirituali medico oportet interiora ac spiritualia vulnera reserare ac plene ostendere, si per eum curabuntur. Nempe secundum diversitatem differentiamque morborum, specialia sunt medicamina adhibenda, estque necesse cognitionem præcedere curam. *Job* XXXIV. 17. Propter quod in libro Job asseritur : Numquid qui non amat judicium (id est discretionem) sanari potest ? Et Seneca loquitur : Hoc ipsum argumentum est animi in melius commutati, quod vitia sua quæ antea non pensavit nec prodidit, nunc ponderat et fatetur ; et rursus in Proverbiis suis : Proximum innocentiæ locum habet verecunda peccati confessio.

Consequenter subditur Boetii responsio. *Tum ego* dixi, *collecto in vires animo,* id est intellectu meo recollecto ad utendum viribus et habitibus suis, per quos ea quæ ante habitualiter novit, nunc actualiter cœpit attendere. Unde et Seneca ait : Rem maximam promittit tibi sapientia, ut reducat te tibi. Nam ut testatur Philosophus libro de Somno et vigilia : Motus majores impediunt minores. Ideo homo vehementer afflictus, non est bene idoneus ad considerandum in actu quæ novit per habitum. *Anne* (id est utrum) *asperitas fortunæ sævientis in nos,* id est incarceratio et vinculatio mea in carcere, quæ violenter et injuste inflicta est mihi, et a multis reputatur quasi casus fortuitus, quamvis revera ex providentia Dei processerit, saltem permissive, imo et aliquo modo effective, ut infra dicetur, *adhuc eget admonitione,* id est inquisitione, ut probetur esse res digna mœrore ac lacrimis, *nec eminet,* id est, clare videtur ac innotescit, *satis per se,* quum sit effectus exterior apertissime differens et valde contrarius a statu meo priori ?

Nihilne te ipsa loci facies movet ? id A est, nonne exterior dispositio, apparatus et apparentia principalis, carceris hujus horror, squalor, caligo ipsius, te incitat ad pensandum cur lugeo, atque ad compassionem mei, quem scis ista non meruisse ? *Hæccine est bibliotheca,* id est, estne locus iste repositorium librorum, *quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras,* id est, tu « ipsa » elegeras ad tuam quietem in « sedem » cathedralem « in laribus », id est in habitaculis (vel, ut aliqui textus habent, *in* B *laboribus,* id est studiis) « nostris » ? *In qua* sede seu bibliotheca *mecum sæpe residens,* id est, in corde meo quiescens, *de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas,* id est, eloquenter tractabas de notitiis Dei et intelligentiarum ac hominum, rerumque et actuum ad ipsos spectantium.

Talis habitus talisque vultus erat, id est, numquid ita fui in vultu dispositus ac corpore vestitus, aut in domo hujusmodi degens, *quum tecum naturæ secreta rimarer,* C id est, dum a te et tecum teque instruente, inquirerem et scrutarer occultas rerum proprietates, differentias, vires, habitudines, actiones ? *Quum mihi siderum vias,* id est cursus, incessus, choreas stellarum, *radio describeres,* id est cum instrumento astrologorum sic dicto, hoc est per mathematicas ostensiones etiam in rebus materiisque depictas : sicque sumitur radius pro virgula astronomorum, qua talia linearum protractione figurabant atque monstrabant. Potest quoque per radium D designari claritas solis per foramina transiens tabularum in hujuscemodi instrumentis. Per sidera etiam videntur hic potissime planetæ accipiendi, quorum via est zodiacus seu lineæ processionum in eo.

Quum mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar formares, id est, dum describeres ac doceres qualiter virtutes, mores actusque hominum et ordinatio vitæ eorum dirigi debeant, regulari ac regi juxta exemplarem formam gubernationis cœlestium corpo-

rum : quatenus sicut illa convenienter, A obedienter ac prompte moventur a suis motoribus, intelligentiis seu angelis, et inter se proportionem perpetuæ servant concordiæ, et agunt ac influunt in inferiora lumine, motu multiplicique influxu, non ob suam indigentiam aut ad perfectionem adipiscendam, imo potius ut suas bonitates inferioribus rebus communicent : sic in hominibus corpora juxta imperium rationis spirituumque bonorum sunt regenda, et animæ ab angelis, subditi a prælatis ; ad invicem etiam debent pa- B cifice conversari, atque a sole sapientiæ Christo omnes et singuli illustrari, quemadmodum omnia astra a sole materiali. Istud adhuc sublimius potest exponi, sicut patebit in expositione spirituali ac mystica.

Istud quoque ex Platone sumptum videtur, dicente : Ad exemplar siderum mores ac rationem vitæ humanæ Sapientia summa instituit ac formavit. Hinc et ad Job
Job XXXVIII, 33. loquitur Deus : Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ? C Hinc, ut Tullius contestatur, Natura illa altissima universa naturans, homini dedit staturam erectam, ut contemplans cœlestia. inde erudiatur ad ordinem vitæ ac mores venustos. Hoc est quod de oculorum utilitate disseruit Plato : Ad hoc in hominibus elevati sunt oculi, quatenus motus cœlestium intuentes, redigerent eos in usum imitationemque mentis.

Nonne in cœlestibus omnia ordinatissime progrediuntur ? Nec est ibi malum culpæ nec pœnæ ; et quamvis in elementis D variæ fiant tempestates, impressiones, compugnationes et corruptiones, in cœlestibus tamen corporibus perpetua manet tranquillitas. Ita esse debet in nobis, ut quamvis in sensualitate et carne inferiorique animæ parte varii oriantur motus passionum et inquietudinum ac rebellionum adversus rectæ rationis judicium, imo et legis divinæ imperium, nihilo minus superior pars animæ, in qua superbeatissimæ Trinitatis resplendet imago, permanere debet quieta, Creatori subjecta, et inferioribus dominans, non succumbens. Postremo, ex hoc quod cernimus maxima illa cœlestia corpora ad supergloriosissimi Conditoris præceptum indesinenter moveri celerrime, instrui nos pusillos oportet, quam prompte, perseveranter concorditerque exsequi debeamus quidquid nobis desuper est injunctum. Ad quam considerationem salubrem movemur per Isaiam dicentem : Levate in excelsum oculos ve- *Is.* XL, 26.
stros, et videte quis creavit hæc, qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis suæ.

Hæccine præmia referimus, tibi obsequentes ? id est, o Philosophia, est ista merces et gratia quas reportavimus pro actibus studiosis quibus tibi obtemperando intenti fuimus ? Quasi dicat : Non videtur hæc remuneratio decens. Ergo nec mirum quod lugeo : præsertim quum agnoscam rempublicam male regi, et tyrannum in Italia præsidere, regem Theodoricum hæreticum et ferocem. Hinc subditur :

Atqui, id est certe, *tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti,* id est, confirmasti ac tanti philosophi auctoritate corroborasti, utpote *beatas fore respublicas,* id est communitates seu politias, *si eas vel studiosi sapientiæ regerent,* id est, hi qui studiose vacant sapientiæ, juxta ejus censuram judicando ac gubernando procederent, *vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.* Tales namque rectores intendunt, quærunt et pro posse procurant utilitates communes, non proprias ; vitia exstirpare conantur, et cives ad virtutes inducere, ac pacem in communitate servare : sicque subditi superiorum suorum exemplis ad virtutes trahuntur ; quumque voluntati superiorum se soleant conformare et eam implere, fiunt tales quales sunt ipsi rectores. Propter quod scriptum est in Ecclesiastico : Principatus sensati stabilis erit. *Eccli.* X, 1.
Et subditur ibi : Secundum judicem po- *Ibid.* 2.
puli, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea.

Sapientis quippe est ordinare, instruere et ad optimum finem deducere.

Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus capessendæ reipublicæ necessariam causam esse monuisti, id est, « tu », Philosophia, insinuasti « ore ejusdem » Platonis « hanc esse necessariam causam reipublicæ capessendæ », id est assumendæ seu affectuose et frequenter capiendæ, « sapientibus », id est ab ipsis sapientibus viris, ita quod ipsi assumunt curam et officium regendi rempublicam ob hanc causam, *ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula,* id est ne regimina civitatum dimissa et commissa immorigeratis et vitiosis oppidanis, *pestem bonis ac perniciem inferrent,* id est, inducerent corruptionem morum, infectiva exempla ac gravia damna bonis hominibus, qui frequenter falluntur, opprimuntur nocumentaque patiuntur ab iniquis qui præsunt.

Hanc igitur auctoritatem secutus, consentiendo ei et secundum eam agendo, *quod a te inter secreta otia didiceram,* id est tempore studii scientialis, quo in locis quietis et abstractis, ab exterioribus eram vacans et cessans, *transferre in actum publicæ administrationis optavi,* id est, opere adimplere cupiebam, regendo ac disponendo communitatem. *Tu mihi et qui te sapientium mentibus inseruit Deus,* id est, « tu », o Philosophia, « et Deus, qui te inseruit », id est, contulit et impressit, « mentibus sapientium », quia ab ipso originaliter tanquam a prima fontalique causa, est omnis sapientia, imo et omnis cognitio veritatis mediate aut immediate, *conscii estis,* id est, cognoscitis et testes mihi estis, *nullum,* id est nullam rem, *detulisse,* id est excitasse et duxisse, *me ad magistratum,* id est gubernativum officium ratione reipublicæ, *nisi studium commune omnium bonorum,* id est conatus mentis quo cupiebam bonum commune in omnibus promovere et cunctis hominibus bonis prodesse ac deservire, non meum quærens honorem, sed illorum profectum. Hinc boni rectores sunt subdito-

A rum ministri, quia eorum præsidentia ad inferiorum ordinatur commodum ac salutem; et qui aliter præest, censetur tyrannus, et recte vocatur ambitiosus.

Denique doctrina ista concernens rempublicam et ejus rectores, ab Aristotele quoque et Tullio ac Seneca est prolata. Nam in Rhetorica scribit Philosophus : Felix est civitas in qua philosophus præsidet. Imo et tertio Politicorum fatetur : Melius est civitatem regi optimo viro, quam optima lege. Etenim jure divino ac
B naturali, vere sapientibus, id est eruditis et virtuosis, qui animo ac passionibus dominantur, qui morigerati et exemplares consistunt, convenit aliis præfici ac præesse. Unde primo Politicorum Aristoteles loquitur : Homines ratione et intellectu vigentes, naturaliter aliorum sunt domini ac rectores. Idem libro de Officiis Tullius docet, ubi et addit : In hoc naturam ducem sequi debemus, ut communes utilitates afferamus in medium; primum justitiæ fundamentum est nulli nocere, deinde
C communi utilitati servire. In prologo quoque suæ Rhetoricæ ait : Reipublicæ commoda plura proveniunt, si moderatrix omnium sapientia eis adsit : etenim hinc ipsis sapientibus laus, honor et dignitas confluit, et amicis eorum certissimum tutissimumque refugium comparatur.

Verum hæc omnia Salomon in Ecclesiaste diu ante præallegatos philosophos compendio protulit : Væ (inquiens) tibi, terra *Eccle.* x, 16, 17.
cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt; beata terra cujus rex nobi-
D lis est (id est sapientia et virtutibus nobilitatus), et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. Idcirco et in Sapientiæ libro asseritur : Rex sapiens populi stabilimentum est; *Sap.* VI, 26.
itemque, Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. *Ibidem.*

Deinde ostendit Boetius quantas persecutiones et tribulationes ex zelo suæ justitiæ sit perpessus. *Inde,* id est ex prædicto zelo justitiæ, *cum improbis,* id est contra iniquos et flagitiosos, *graves inexorabiles-*

quæ discordiæ fuere, id est, magnæ et A implacabiles dissensiones fuerunt inter me et illos : quia nec illi acquiescere aut cedere voluerunt justitiæ meæ, utpote obstinati ; nec ego eis volui assentire aut deferre in derogationem veritatis et æquita-
Eccli. IV, 33. tis, implens illud Ecclesiastici : Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te. *Et (quod conscientiæ libertas habet) pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio,* id est, offensionem seu indignationem et iram magnatum ac regis B semper parvi pendi seu non curavi « pro tuendo jure », id est, quatenus ipsum jus defensarem, « quod libertas conscientiæ habet », id est requirit. Quæ libertas consistit in hoc, ut homo, præsertim qui præest, nullo timore, nulla cupiditate, nulla persuasione contra conscientiam agat : quidquid enim contra conscientiam agitur, ædificat ad gehennam. Hæc est libertas salubris et optima, a servitute peccati et subjugatione diaboli libera. Un-
Joann. VIII, 34, 36. de apud Joannem Filius Dei testatur : Qui C facit peccatum, servus est peccati ; si autem Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

Ex his innotescit quam magnanimus, constans et justus fuerit iste sanctus Boetius, in magistratu præsidentiæ suæ implens illud quod in Ecclesiastico scriptum
Eccli. VII, 6. est : Non extimescas faciem potentis. Verumtamen vitanda est potentiorum offensa et metuenda ira regum et principum, ubi justitia non requirit oppositum, quum et Seneca protestetur : Inimicitiæ potentium D graves sunt ; et rursus : Fulmen est, ubi cum potestate habitat ira. Unde et Salo-
Prov. XX, 2. mon in libro Proverbiorum dixit : Rugitus leonis terror regis ; qui provocat eum, peccat in animam suam. Attamen pro tuenda republica, pro conservanda justitia, abjiciendus est timor carnalis, et potentium ira spernenda, sicut et Tullius loquitur : Quanto indignius rem honestissimam atque rectissimam violat improborum temeritas cum summo reipublicæ detrimento, eo studiosius illis est resistendum atque reipublicæ consulendum.

Consequenter Boetius ad laudem et gloriam Dei ædificationemque proximorum, recitat quædam sua gesta magnifice virtuosa.

Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi ? id est, « ego » Boetius valde sæpe « excepi obvius », id est, renitens occurri, atque a mali propositi exsecutione impedivi, « Conigastum », id est virum sic nuncupatum, Theodorici regis officiatum, « facientem impetum in fortunas », id est contra prosperos eventus, « cujusque imbecillis », id est cujuscumque pauperis et infirmi. Iste quippe fuit unus de ministris impiissimi illius tyranni, vexans et spolians sæpe pauperes in Italia, quando arridente fortuna aliquid habuerunt.

Quoties Triguillam regiæ præpositum domus ab incepta et perpetrata jam prorsus injuria dejeci ? id est, valde frequenter per viam juris convici « Triguillam præpositum regiæ domus », id est aulæ seu palatii Theodorici, compescendo præpositum illum ab inchoata violentia in inferiores, eumque juridice compellendo ad restituendum ablata atque ad satisfaciendum pro illata injuria. In his Boetius imitatus est Deum, de quo fertur in libro Job : Deus dissipat cogitationes malignorum, ne *Job* V, 12.
possint implere manus eorum quæ cœperant. Implevit quoque quod apud Isaiam Dominus jussit : Subvenite oppresso, judi- *Is.* I, 17.
cate pupillo, defendite viduam.

Quoties miseros quos infinitis calumniis impunita barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi ? id est : valde sæpe « protexi miseros », id est pauperes et oppressos, « auctoritate » mea « objecta periculis », id est, me ipsum auctoritatem consularem habentem exponens incommodis quæ incurri, puta exsilio, incarcerationi, etc. ; « quos avaritia barbarorum », puta Gothorum, « impunita », quoniam impius ille Theodoricus, avarus et ferox, non punivit

ministrorum suorum avaritias et rapinas (in quo impletum est quod Salomon in
rov. xxix, Proverbiis asserit, Rex impius omnes ministros habet iniquos), « vexabat calumniis infinitis », id est multis et magnis supra modum, de qualibus per Michæam Domi-
ich. iii,3. nus loquitur : Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt. Porro, barbari appellantur omnes gentes præter tres linguas, videlicet præter Hebræos, Græcos, Latinos ; solentque barbari esse crudeles, et tales præcipue exstiterunt Hunni, Vandali, Gothi.

Nunquam me a jure ad injuriam detraxit quisquam, id est, nemo me unquam trahere quivit aut traxit ab observatione juris et æquitatis ad transgressionem juris atque justitiæ. Ecce verbum abbreviatum maximam continens perfectionem Boetii, qui in tanta potestate tam immobiliter mansit in omnibus constans et justus. Potest tamen verbum istud dupliciter accipi. Primo, quod nemo traxerit Boetium tempore sui officii ad agendum contra leges civiles. Secundo, quod toto vitæ suæ tempore ad agendum contra jus divinum, id est contra Dei præcepta, nunquam detractus sit. Quo dato, nunquam peccasset mortaliter : quod prorsus incertum est. Ideo primam expositionem æstimo veriorem. Triplex quippe est jus, utpote naturale et divinum ac positivum. Quod transgrediuntur iniqui, juxta illud Isaiæ :
xxiv, 5. Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Ex verbo demum jam tacto videtur Boetius comparari posse Moysi, qui de se ipso in Nu-
um. xvi, meris ait ad Dominum, Tu scis quod nec asellum quidem acceperim unquam ab eis, nec afflixerim quemquam illorum ; Samueli quoque, qui primo Regum libro
eg. xii,3. de se loquitur filiis Israel : Loquimini de me utrum bovem alterius tulerim aut asinum ; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi.

Consequenter testatur Boetius se visceribus misericordiæ abundasse.

A *Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quam qui patiebantur indolui :* id est, ego Boetius intime dolui « fortunas », id est lucra, merces, et similia temporalia quæ subjacent fortunæ, « provincialium », id est hominum commorantium in provinciis in circuitu Romæ, « pessumdari », id est, suppeditari, auferri, diminui, « tum rapinis privatis », quas satellites regis exercebant occulte pro propriis usibus et expensis, « tum publicis
B vectigalibus », quæ ex commissione regis exigebantur a subditis, tamen immoderate et cupide, « non aliter quam qui patiebantur », id est, non minus dolorose sustinui quam ipsi quibus hæc auferebantur tam violenter. Sicque Boetius cum sancto Job dicere potuit : Flebam super eo qui Job xxx,25. afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Dicitur autem vectigal, pretium seu pecunia quæ exigitur pro vectura ; pedagium, quod exigitur a peditibus ; tributum, quod a subjectis in recognitionem
C subjugationis ; telonium, quod pro vectura navium. Quæ omnia sunt solvenda, quando legitime instituuntur et moderate exiguntur, juxta illud Apostoli ad Romanos : Reddite omnibus debita ; cui tri- Rom. xiii,7. butum, tributum ; cui vectigal, vectigal. Theodoricus vero tyrannus insatiabiliter avarus, ista prorsus immoderanter auxit, petivit et extorsit, quærens commoda sua sine compassione, sicut subjungitur.

Quum acerbæ famis tempore, gravis atque inexplicabilis indicta coemptio pro-
D *fligatura inopia Campaniam provinciam videretur :* id est, dum « tempore » quodam « famis acerbæ », id est amaræ caristiæ, « coemptio », id est emptio bladorum a dispensatoribus regis, « gravis atque inexplicabilis », id est molesta valde pauperibus et ineffabili crudelitate ac pessima practica cupiditatis concepta, « indicta », id est jussa ac confirmata a rege illo pravissimo, « videretur profligatura inopia », id est multum afflictura per majoris inopiæ inductionem, « Campaniam provin-

ciam », ubi tunc major fuit caristia. Nempe impius ille tyrannus cupiens provinciales in suam redigere servitutem, instante caristia fecit pro se undique emi blada atque in horreis suis reponi, præcipiens non emi blada nisi a suis, quatenus tandem necessitate compulsi, se ipsos traderent pro necessariis vitæ in regis servitutem. *Certamen adversus præfectum prætorii, communis commodi ratione suscepi, rege cognoscente contendi, et ne coemptio exigeretur evici.* Ordo verborum est : « Suscepi certamen », id est, assumpsi litem, id est conflictum in jure, « adversus præfectum prætorii », id est judicem tribunalis seu domus in qua prætores seu præceptores sedebant ad disponendum ac judicandum, « ratione », id est causa atque intuitu, « commodi », id est utilitatis, « communis », ne vulgus totaliter opprimeretur ; et « contendi », id est, disceptavi via juris contra præfectum, « rege cognoscente », ita quod nec timore regis sævissimi hoc dimisi amore boni communis, « et evici », id est, in jure prævalui, atque obtinui « ne coemptio » illa præfata « exigeretur » a plebe, sed unusquisque procuraret et emeret necessaria prout commodius posset. Forsan Theodoricus iste sumpsit practicæ hujus occasionem ex his quæ leguntur in Genesi de Pharaone rege Ægypti, qui cognita imminente caristia, fecit emi frumenta pro se et condi sua sub potestate, etc. (*Gen.* XLI.)

Deinceps describit Boetius qualiter et alios duos viros sublimes adjuvit et protexit.

Paulinum consularem virum, cujus opes palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus extraxi. « Extraxi », inquam, id est, eripui et redemi, « Paulinum virum consularem », id est consulem Romanorum, « ab ipsis faucibus », id est ore, « hiantium », id est regis et servorum ipsius cupientium occidere eum et bona ejus consumere : « cujus opes palatini canes », id est servi in palatio regis versantes, instar canum callidi ad nocendum ac devorandum, vel blandi adulantesque regi, secundum quod canes masculi solent dominis suis blandiri (aliqui autem habent et legunt *canes palatinæ,* quoniam canes femellæ nequiores dicuntur, ferventiores et proniores ad malum quam canes masculi, sicut et feminæ quædam truculentiores sunt viris), « devorassent », id est, gulose consumpsissent, « jam spe » impunitatis, quia pro hoc non timebant puniri a rege suo iniquo ac fraudulento, « atque ambitione », id est desiderio majoris honoris, quem consequi cupiebant per divitias ipsius Paulini, vel quia opprimendo Paulinum virum bonum, putabant se a rege suo amplius promovendos.

Hinc constat, quod stantes in regum principumque palatiis communiter sunt injusti, aut sectando justitiam displicent et offensam occurrunt. Propter quod Seneca in suis scripsit Proverbiis : Si in clientelam potentis aut principis perveneris, aut veritas aut amicitia est perdenda. Rursus, sicut canes latrando repellunt ignotos a domini sui ingressu, nisi aliquid cibi projecerint ipsis ; sic familiares domestici principum alienos ab introitu aulæ accessuque principis arcent, nisi per munera attrahantur.

Sequitur aliud factum pietate et æquitate conspicuum. *Ne Albinum consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui :* hoc est, ex zelo justitiæ « opposui me » et restiti « odiis », id est rancorosis machinationibus, « Cypriani delatoris », id est falsi accusatoris, « ne pœna accusationis præjudicatæ », id est in veritatis præjudicium factæ, « corriperet », id est, tanquam reum affligeret, « Albinum virum consularem », quem Cyprianus ille unus satellitum Theodorici accusavit mendose ; vel, « me opposui », id est, exposui et objeci, « odiis Cypriani », qui ex resistentia mea concepit odium contra me.

Ex his infert Boetius : *Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias?* id

est, o Philosophia, nonne constat ex dictis, quod « videor », id est, vere agnoscor, « exacerbasse », id est cum exacerbatione et amaritudine provocasse, « in me », id est adversum me, « discordias magnas » regis ac principum ejus, quibus sic restiti? Ex quibus probatur, quod magis dilexi æquitatem et veritatem quam propriam vitam, et bonum commune quam mei ipsius divitias et honores.

Sed esse apud ceteros tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil apud aulicos, quo magis essem tutior, reservavi : id est, ego Boetius « debui esse tutior », id est a periculis adversitatibusque securior, « apud ceteros », id est apud oppidanos et senatores ac consules, quorum iram contra me non excitavi, imo pro quorum libertate et prosperitate laboravi contra tyrannum ac ejus ministros, « qui amore justitiæ », quam prætuli vitæ meæ, præsertim amore increatæ justitiæ, quæ est Deus, « nihil mihi reservavi », id est, nullum favorem aut gratiam obtinere curavi, « apud aulicos », id est domesticos regis in ejus aula atque palatio conversantes seu bene visos, « quo », id est per quod, « essem tutior » ab adversis « magis » quam sum, si talia procurare curassem. Per quæ verba tangit Boetius, quod nec illi sibi fideles et grati fuerunt quibus beneficia multa et magna impendit, a quibus non fuit defensus.

Deinde declarat quam viles et omni fide indigni fuerunt a quibus ipse est accusatus.

Quibus autem deferentibus, id est quam malignis hominibus accusantibus et testificantibus, *perculsi sumus,* id est diffamati, traditi, captivati? Tu, o Philosophia, agnoscis. Et exclamatorie dico, « Quibus »? id est a qualibus? quasi dicam, A valde injustis.

Quorum unus nomine *Basilius, olim* a *regio ministerio depulsus,* id est a rege privatus officio, quo præfuit quibusdam negotiis regis, *in delationem nostri nominis alieni æris necessitate compulsus est,* id est, coactus est « necessitate alieni

A æris », id est necessitate solvendi pecunias quas debuit aliis, « in delationem nominis nostri », id est ad proferendum accusationem contra nostram personam. Iste quippe Basilius sumptuose vivens et pessimi exsistens regiminis, fuit multum indebitatus : propter quod quum satisfacere non valeret, et aliunde criminosus exsisteret, a rege est suo officio destitutus. Qui videns se non melius posse regi reconciliari nisi criminando hunc regis adversarium, accusavit Boetium, quem noverat regi odiosum.

B *Opilionem vero atque Gaudentium quum ob innumeras atque multiplices fraudes ire in exsilium regia censura decrevisset,* id est, « quum » rex per suam censuram seu proprio suo judicio « decrevisset Opilionem atque Gaudentium », qui (ut fertur) fuerunt præfecti urbis Ravennæ, « ire in exsilium, ob innumeras atque multiplices » suas « fraudes », id est dolos, injurias, injustitias, quibus tam regi quam civibus nocuerunt : sicque doli illi fuerunt

C innumerabiles numero, et multiplices specie; *quumque illi parere nolentes, sacrarum sese ædium defensione tuerentur,* id est, dum Opilio et Gaudentius non volentes « parere », id est obedire decreto regis præfati, « tuerentur sese defensione ædium sacrarum », id est ecclesiarum in quas fugerunt, quarum privilegio putabant se ibi esse securos, *compertumque id regi foret,* id est, dum hoc regi innotuisset, *edixit,* id est jussit, *ut nisi intra præscriptum diem,* id est infra diem eis præde-

D terminatum, *Ravenna urbe,* id est ab illa civitate, *decederent, notas insigniti frontibus pellerentur,* id est, expellerentur violenter, non obstante ecclesiæ libertate, « insigniti frontibus », id est in frontibus suis characterizati et usti, « notas », id est per quasdam figuras quæ frontibus imprimebantur per applicationem ferri igniti : per quas figuras ita notati agnoscebantur scelerati ubicumque veniebant ac videbantur, quemadmodum nunc fures per auris abscisionem. *Quid huic severitati pos-*

se adstrui videtur ? id est, « quid videtur posse adstrui », id est addi, « severitati huic » ?

Consequenter probat Boetius immanitatem sceleris, quod scilicet tam criminose admissi sunt ad ejus accusationem. *Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est :* hoc est, « atqui », id est pro certo, « delatio nominis nostri », id est accusatio nostræ personæ
Eccli. XLI, 15. vel famæ nostræ (juxta illud, Curam habe de bono nomine), facta ab impiis illis, « suscepta est », id est accepta a rege, « eodem die » quo erant signandi in frontibus nisi exissent, « deferentibus », id est, accusantibus nos, « eisdem ». Quod fuit contra leges civiles, secundum quas assignantur septem proprietates requisitæ ad idoneitatem testificandi de alio, præsertim in causa et crimine capitali. Quæ tanguntur his versibus :

Ætas, conditio, sexus, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Primo ergo requiritur ætas sufficiens et adulta, in qua homo bene sit compos mentis. Secundo, conditio libera, non servilis. Tertio, sexus virilis. Quarto, discretio, id est expeditus usus rationis, exclusis omni dementia, phrenesi alienationeque animi. Quinto, bona fama : quæ defuit istis duobus, qui fuerunt infames, proscripti exsilioque damnati. Sexto, fortuna, id est sufficientia rerum : nam pauperes præ inopia corrumpi faciliter possent pecunia. Septimo, fides. Infideles namque et hæretici contra Catholicos non recipiuntur in testes. Et forsan isti, sicut et Theodoricus, fuerunt Ariani.

Denique aliqui per Ravennam dicunt hic intelligi Romam, quam asserunt olim appellatam Ravennam : quod non recolo alibi me legisse. Et si recurratur ad nominis interpretationem, quia Ravenna dicitur quasi rodens omnia (quemadmodum
I Petr. V, 13. in prima beatissimi Petri epistola Roma dicitur Babylon, quia vitiis prorsus confusa : Babylon namque interpretatur confusio), adhuc non habet apparentiam magnam, quia præhabitum est, quod absente Boetio, Theodoricus apud senatores accusaverit eum primo.

Ex præinductis exclamat Boetius, tanquam evidenter atque enormiter injuriam passus : *Quid igitur ?* id est, quid hic videtur dicendum in tanto abusu ? *Nostræne artes,* id est utrumne doctrinæ et scientiæ nostræ, non informes, sed virtutibus et actibus justis formatæ, *ita meruerunt* tractari ? Non utique. Scientia tamen informis sæpe gravat peccatum, quum scriptum sit : Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit, plagis vapulabit multis. *Luc.* XII, 47.

An illos accusatores justos fecit præmissa damnatio ? id est : « damnatio » qua duo « accusatores » præfati fuerunt a rege exsilio adjudicati, non « fecit » nec ostendit eos esse « justos », et ad accusandum quemquam idoneos, imo potius econtrario fecit eos inidoneos ad hoc ; nec etiam « præmissa », id est prædicta, « damnatio » qua ipsi me damnarunt, id est, damnatione dignum esse testati sunt, constituit eos dignos, sed gravius criminosos et prævaricatores divini præcepti illius : Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. *Exod.* XX, 16.

Itane fortunam nihil puduit ? id est, utrumne ipsa fortuna non inde erubuit quod ego talis ita tractatus sum ? Ex quo putari posset, quod ipsa fortuna sit prorsus injusta. Loquitur autem Boetius, instar afflicti, de fortuna quasi de ente rationalis naturæ, in quo solo est proprie pudor. *Ad* minus accusatæ innocentiæ :* id est, si fortunam non puduit de eo quod dictum est, saltem ad minus debuit ei esse pudor de ipsa innocentia tam inclementer confusa crudeliterque afflicta ; *at* saltem *accusantium vilitatis,* id est sceleratæ indignitatis ad accusandum virum tam litteratum ac virtuosum, supple, debuisset pudere de sua perversitate. Ipsa quoque fortuna debuit inde pudorem habere, juxta sensum prætactum. Et loquitur hic Boe-

* *Si*

tius juxta modum loquendi eorum qui in magnis affectionibus aut doloribus sunt constituti, in quibus affectionis seu doloris excessus verba abrumpit, sicque defectiva et quasi truncata locutione utuntur : ut dum Christus in Evangelio loquitur civitati Jerusalem, Quia si cognovisses (*Luc.* xix, 42.) (supple, ea quæ imminent tibi adversa), et tu, supple, fleres; similiter dum Sponsa ait in Canticis : Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi. (*Cant.* vi, 2.)

Consequenter accedit Boetius ad respondendum formaliter prætactæ quæstioni Philosophiæ, quæ diligentissime investigavit causam originalem doloris ac mœroris Boetii.

At cujus criminis arguimur summam quæris? id est, si tu, o Philosophia, « quæris summam », id est brevem atque summariam seu sententiosam narrationem ac responsionem, « cujus criminis arguimur », id est, de quo crimine reprehendamur, respondeo : *Senatum dicimur salvum esse voluisse,* id est, fertur de nobis et pro culpa nobis a rege imponitur, quod collegium senatorum voluimus ab infestatione et regis reprobatione præservare. Quod quamvis non fuisset protinus malum secundum quod sonat, tamen prout hoc nobis a rege imponitur, reprehensibile foret. Ideo subditur :

Modum desideras? id est, scire cupis per quem modum nobis id imputatur? Respondeo : *Delatorem ne documenta deferret quibus senatum læsæ majestatis reum faceret, impedisse criminamur :* id est, accusamur et false nobis imponitur, « impedisse », id est impedivisse, « delatorem », id est nuntium litterarum, « ne deferret » ad regem « documenta », id est litteras continentes causas et probationes, « quibus faceret », id est declararet, « senatum », id est cœtum senatorum, « reum læsæ majestatis », id est reum criminis læsæ majestatis, ita quod senatus in Theodoricum regem dire peccasset. Hic namque delator redegit in scriptis aut in scriptis redacta habebat aliqua verba et facta senatorum

A derogantia regi, quæ voluit regi ostendere, eumque contra senatores accendere.

Quid igitur, o magistra, censes? id est, quid judicas de his, o Philosophia mea magistra? *Infitiabimur crimen,* id est, an negabimus culpam nobis impositam, *ne tibi pudori simus,* id est, ne tu confundaris in nobis, eo quod tam culpabilem habeas professorem, discipulum et alumnum? quoniam culpa discipuli interdum in magistrum redundat, ut supra expositum est. (*Cf.* p. 73 C.) Et ad istud responsio sequitur :

B *At volui,* id est, utique volui salutem senatus, *nec unquam velle desistam* hoc ipsum. *Fatebimur* hoc ita se habere? *Sed impediendi delatoris opera cessabit,* id est, taceatur in me fuisse operam, id est diligentiam et conatum, « delatoris impediendi », id est ad impediendum ipsum delatorem ac nuntium ab exsecutione deportandi litteras suas ad regem.

An optasse illius ordinis salutem nefas vocabo? id est, nequaquam fatebor hoc esse « nefas » seu crimen, « optasse salutem

C illius ordinis », id est prosperitatem senatorum. *Ille quidem,* videlicet ordo senatorum; vel, ut alii exponunt, « ille », utpote rex, et redit sensus in idem ; *suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat,* id est, « decretis » seu sententiis « suis » contra me editis « effecerat », id est, determinavit et judicavit, « uti hoc esset nefas », id est, ac si esset illicitum optasse senatus salutem : id est, id quod ego in veritate optavi prosperitatem senatorum, hoc rex ille dixit et determinavit me inor-

D dinate fecisse, utpote impediendo nuntium ejus a deportatione litterarum ad ipsum. Idem quoque rex sua calliditate sic circumvenit, quod ipse senatus determinavit primo in generali, quod ille qui hoc fecisset, proscriptionem aut exsilium mortemve meruisset : quo prolato, mox produxit rex testes protestantes me hoc ipsum egisse; tumque senatus suam nequivit sententiam revocare, ut supra circa principium hujus libri expressum est. Sed in hoc consolor me ipsum his verbis :

Sed sibi semper mentiens imprudentia, id est, versutia, confictio, falsitas se ipsam et suum auctorem peccando ac mentiendo decipiens, *rerum merita non potest immutare,* id est, opera bene gesta non valet falsificare, neque a debita mercede evacuare : imo actui virtuoso mendaciter reprobato duplex præmium tribuetur, dum et ipse et patientia ei adjuncta simul plenarie remunerabuntur. *Nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror,* id est, hoc « arbitror » seu judico ex decreto Socratis, quod mihi fas non est, *vel occuluisse,* id est celasse, *veritatem,* loco et tempore opportuno, *vel concessisse,* id est tacendo approbasse seu consensisse, *mendacium :* nam horum utrumque Socrates decrevit et docuit esse illicitum.

Verum id quoquo modo sit, id est, qualitercumque id se habeat quod mihi objicitur, *tuo sapientiumque judicio æstimandum,* id est judicandum, *relinquo,* ne videar immoderate justificare me ipsum, et propriam causam tueri, quia commune verbum est et communiter ita se habet, quod homo in propria causa non est idoneus judex, quemadmodum nec in causa adversarii sui : quoniam nimis afficitur ad se ipsum et adversarium detestatur ; amor autem et odium pervertunt judicium. Verumtamen istud de homine animali adhuc passionabili veritatem sortitur, in quo impetus passionum lumen obruunt rationis ; I Cor. II. 15. spiritualis autem homo, teste Apostolo, omnia judicat, neque inordinate se diligit, sed in Deo. Denique hoc ipsum est bonæ conscientiæ ac innocentiæ, vel saltem veræ ac magnæ pœnitentiæ signum, quod accusatus committit causæ suæ judicium sapientiæ atque cuilibet sapienti. Nempe, secundum Philosophum, virtus consistit in medio, prout determinat sapiens. Qui vero subterfugit judicium, suspectum se reddit de crimine. Propter quod Seneca in Proverbiis suis, Tulliusque libro de Officiis, fassi sunt : Crimen fatetur qui fugit judicium. Hinc in libro Job asseritur : Numquid qui non amat judicium sanari potest? Job XXXIV. 17.

Cujus rei seriem atque veritatem, ne latere posteros queat, stilo etiam memoriæque mandari : id est, accusationis meæ modum ac ordinem idcirco describo tam diligenter, ut posteris innotescat, et mei exemplo ad Dei honorem animentur ad patientiæ firmitatem, et ne scandalizentur in me, æstimando tantæ famæ atque prudentiæ virum fuisse clam practicum, callidum et iniquum. Hac etenim ratione potest se homo (imo et debet) expurgare de falsa criminatione, quum scriptum sit : Curam habe de bono nomine. Augustinoque teste, qui negligit famam suam, crudelis est : nam quantum in se est, alios scandalizat et perimit. Quod de gravibus culpis veritatem sortitur. Hinc consequenter se purgat Boetius de falsis objectis. Eccli. XLI. 15.

Nam de compositis falso litteris quibus libertatem arguor sperasse Romanam, quid attinet dicere? id est, non multum pertinet ad propositum respondere ad hoc quod mihi objicitur de epistolis falsis, quod scilicet scripserim et miserim secrete epistolas Græcis contra Theodoricum « quibus », id est ex quibus epistolis, « arguor », id est reprehendor, « sperasse libertatem Romanam », id est civium Romanorum. Ut enim dictum est circa libri hujus exordium, Theodoricus tyrannus imputavit Boetio, quod ipse Boetius composuisset in Græco epistolas, asserens in eisdem, quod Theodoricus tyrannice devastaret Italiam, atque Romanam læderet libertatem ; has quoque epistolas destinasset cuidam potenti Græcorum principi, hortans atque rogans illum quatenus cum exercitu veniens intraret Italiam et expugnaret Theodoricum Romanis odibilem, certus quod Romani reciperent adjuvarentque eum, et ita expugnato Theodorico, Romani libertatem recuperarent. Verum epistolas has ipse impius Theodoricus fecit sub persona Boetii in Græco dictari et sophisticato ejus sigillo signari, quia sciebat Boetium Græcæ linguæ peritum. Quarum litterarum falsitatem ac fraudem faciliter probasset Boetius, si præsens fuisset et testes seorsum

examinare potuisset, dum Theodoricus litteras præsentavit senatui et testes falsos adduxit. Hinc subditur :

Quarum, videlicet litterarum, *fraus aperte patuisset,* id est, aperte probassem litteras fuisse fraudulentas, *si nobis ipsorum confessione delatorum (quod in omnibus negotiis maximas vires habet) uti licuisset,* id est, si mihi fuisset concessum « uti confessione », id est attestatione, « ipsorum delatorum », id est testium accusantium, « quod », id est quæ examinatio testium, « habet in omnibus negotiis maximas vires » ad agnoscendum utrum verum sit testimonium eorumdem, an scilicet concordant in circumstantiis rei, quantum ad locum et tempus, et in consimilibus. Sic quippe Daniel sanctus convicit senes pravissimos falsum protulisse testimonium contra Susannam. Sic examinandi sunt testes seorsum a judice in præsentia aliquorum, dum judici constat quod accusatus sit innocens, aut æstimat hoc. Accusatus quoque potest talem testium examinationem expetere.

Dan. XIII, 9 et seq.

Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Hoc interrogative prolatum est, ut sit sensus : Jam tanta mala exsurgunt, et Romanum imperium in tantum declinat, ut potius metuenda sit major depressio et in servitutem redactio, quam major libertas. Ideo subditur : *Atque utinam posset ulla,* supple, major libertas sperari in Romano imperio. Quasi dicat : Vix potest. Nam et cito post Boetium fuit B. Gregorius Papa, cujus tempore cœpit imperare Heraclius, sub quo cœpit insurgere dolosissimus Mahometus, qui vehementius ceteris expugnavit Romanorum imperium.

Respondissem Canii verbo, id est, respondendo pro me usus fuissem eloquio cujusdam philosophi nomine Canii, *qui quum a Caio Cæsare Germanici filio conscius contra se factæ conjurationis fuisse diceretur,* id est, « qui » Canius « quum diceretur », id est accusaretur, « a Caio Cæsare filio Germanici », id est viri sic appellati vel cognominati a Germanis, quos

A fertur vicisse, « conscius fuisse », id est, quod reus et conscius esset, « conjurationis contra se », id est contra Caium ipsum, « factæ ». Qui etiam Caius ob suas crudelitates legitur occisus a senatu. Est autem conjuratio, conspiratio aliquorum in mortem alicujus magni, concordi consensu firmata, quemadmodum secundo Regum habetur : Facta est contra David conjuratio valida. *Si ego (inquit) scissem, tu nescisses.* Hoc est verbum responsivum Canii subtiliter dictum. « Inquit », id est, Canius dixit : o Caie, « si ego scissem », id est, aliquid cognovissem de conjuratione contra te facta, ut dicis, tanquam auctor et conscius conspirationis hujusmodi, « tu nescisses », id est, tam secrete et callide hoc egissem, quod non pervenisset ad tuam notitiam.

II *Reg.* XV, 12.

B

Consequenter Boetius in persona pusillorum exponit suæ mentis fluctuationem et admirationem ex consideratione divini judicii, quod Deus frequenter impios prævalere permittat adversus justos ac sapientes, ac implere quod pessime conceperunt.

C

Qua in re, id est in ista adversitate et causa, *non ita sensus nostros mœror hebetavit,* id est, tristitia non tam intense offuscavit « sensus nostros » interiores, videlicet intellectum speculativum et practicum, seu intellectum et rationem, vel habitus scientiales, *ut impios scelerata contra virtutem querar molitos,* id est, « ut querar », id est, causer et conquerar, « impios » esse « molitos », id est mente conatos ac animo concepisse aut perpetrasse, « scelerata contra virtutem », id est oppressiones justorum contrarias actibus habitibusque virtutum. *Sed quæ speraverint, effecisse vehementer admiror,* id est, valde obstupeo quod impleverunt hæc ipsa, et quod permisit Deus ordinans hæc omnia, ipsos tam pessimas voluntates effectibus mancipare, præsertim quum omnis effectus causæ secundæ atque creatæ principaliter originaliterque sit effectus causæ primæ : imo, ut in exordio libri de Causis habetur, Prima causa in omni ef-

D

fectu plus influit quam quæcumque causa secunda. Omnis quoque causalitas et potestas causæ secundæ est a causa prima : ergo secunda causa non agit nisi virtute primæ causæ. Ergo videtur causa prima cooperari vitiose agentibus : quod quum impie sonet, merito miror quod iniqui implent et implere sinuntur « quæ speraverint », id est prava opera quæ optaverunt.

Nam deteriora velle, nostri fuerit fortasse defectus, id est, ex voluntate humana, in quantum est defectiva, fragilis et creata, procedit mala et pejora optare. *Perficere autem posse contra innocentiam quæ sceleratus quisque conceperit, inspectante Deo, monstri simile est,* id est, inconveniens valde et divina providentia indecens esse apparet, quod sceleratus quisque potest opere perpetrare quæ contra innocentem ac innocentiam excogitavit : ita quod sicut monstrum est peccatum in naturam, et effectus suæ inconveniens speciei ; sic istud videtur esse peccatum in Providentiam, et opus deturpans efficientiam primæ causæ. *Unde haud injuria,* id est non injuriose nec ex injuriosa seu irrationabili causa, *tuorum quidam familiarium,* (Carneades.) id est unus philosophorum tibi familiariter cognitorum atque carorum, *quæsivit : Si quidem est Deus, inquit, unde mala?* id est, « si » pro Certo « est Deus », qui omnis boni est causa ut universorum providentiam habens, « unde mala »? id est, ex qua causa et qualiter proveniunt mala culpæ? *Bona vero unde, si non est?* id est, « si non est » verus et summus Deus, « unde » fluxerunt et sunt « bona » tam multa et magna, in quibus est multiplex ordo?

Ad ista infra plenarie respondetur. Et nunc paulisper tangendo, sciendum quod Boetius in persona imperfectorum seu infirmorum hæc profert, et argumentatio sua per propriam imperitiam confundit se ipsam. Nempe, quum interior actio vere sit actio, et ex positiva virtute seu reali potestate procedens, eadem est difficultas de actione interiori et opere exteriori, qualiter fiant aut fieri possint Deo spectante et cooperante. Ideo advertendum, quod in actu vitioso, tam interiori quam exteriori, sunt duo. Unum materiale, quod est substantia actus : et hoc est a Deo, et a causa secunda in virtute Dei agente ; estque a Deo etiam effective, et a virtute creata, in quantum est quædam participatio ac quidam effectus potestatis increatæ. Aliud est formale, quod est deordinatio ipsa et aversio a summo bono : et hoc est a Deo permissive, qui justo judicio permittit rationalem creaturam errare, deficere et peccare ; est quoque a voluntate et potestate creata, in quantum ex nihilo est, et defectuosa ac labilis. Et istud doctores in diversis locis concorditer asserunt in Scriptis suis super primum, secundum ac tertium Sententiarum, Augustinus quoque in libro de Civitate Dei, id est de Ecclesia militanti, quamvis et inibi aliqua tangat de Ecclesia triumphanti. (*Cf.* t. XX, p. 424 A ; XXI, p. 241 C, 242 C ; XXII, p. 497 A' et s., 581 B' et s.)

Denique, quamvis Boetius multum miretur, quod Deus omnia cernens, tam multa et magna permittat fieri mala, tamen de hoc in Scripturis copiosæ et rationabilissimæ causæ traduntur. Et summe mirandum, quod Pater æternus unigenitum Filium suum permisit a sceleratissimis sic tractari, deinde sanctos Apostolos et electissimos martyres. Nec istud est simile monstro, referendo totum hoc ad providentiam Creatoris, quamvis in se et secundum se sumptum videatur mirabile. Siquidem electos et pios Deus omnipotens exercet et purgat, ditat, sublimat, probat et salvat per reprobos.

Amplius, sicut Boetius in persona pusillorum movet hanc opinionem, ita et sancti Prophetæ eam frequenter moverunt, ut dum Jeremias ait : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur ? (*Jer.* XII, 1.) Et Habacuc : Usquequo clamabo, Domine, et non exaudies ? Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se ? Quia impius præ- (*Habac.* I, 2-4. *Cf.* t. X, p. 538 A'.)

valet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. De his infra multa dicentur.

Consequenter ostendit Boetius suarum tribulationum acerbitatem ex hoc quod etiam ab amicis, propinquis, familiaribus et beneficiatis a se, id est, quibus ipse exhibuit multa bona, perpessus est.

Sed fas fuerit, id est, si licuit, et dato quod licuisset, *nefarios homines,* id est Theodoricum tyrannum et ejus ministros, *qui bonorum omnium totiusque senatus sanguinem petunt,* id est, optant et exquirunt effusionem sanguinis universorum justorum et catholicorum, ut Ariani præfati, *nos etiam, quos propugnare bonis senatuique viderant, perditum ire voluisse,* id est, « voluisse etiam ire perditum », id est perire atque interfici, « nos » Boetium, « quos viderant propugnare », id est instar propugnatorum defensionem impendere ac prodesse, « bonis » hominibus atque « senatui ». *Sed num idem de patribus quoque merebamur?* id est, non meruimus a senioribus ac senatoribus dijudicari; nec etiam senatores fecerunt hoc ex proposito et scienter, sed ex circumventione tyranni et in generali, ut patuit. Cf. p. 101 D'. Attamen si imo voluissent, bene potuissent suum judicium incaute prolatum cognito ejus errore revocasse: quod ex timore tyranni facere omiserunt.

Meministi, o Philosophia, *ut opinor,* id est, probabiliter puto, *quod me dicturum quid facturumve præsens semper ipsa dirigebas,* id est, quia tu mihi « semper præsens » fuisti et direxisti « me dicturum quid » et « facturum », id est, dum aliquid eram dicturus aut facturus.

Meministi, inquam, Veronæ quum rex avidus exitii communis, id est, memor es « quum rex » Theodoricus, exsistens « Veronæ », id est in Verona urbe Italiæ, « avidus », id est cupidus, « exitii communis », id est generalis occisionis omnium senatorum, *majestatis crimen,* id est « crimen » læsæ « majestatis », *in Albinum delatum,* id est Albino senatori false impositum, ut

A patuit in hac prosa, *ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur,* Cf. p. 98 C'. id est, conaretur imponere senatoribus universis inter se ordinatis, ordinemque seu habitudinem habentibus tam ad superiores eis Papam et imperatorem, quam ad inferiores, *universi innocentiam senatus quanta mei securitate periculi defenderim,* id est, cum quanta intimiditate de meo periculo, « defenderim », id est comprobaverim, « innocentiam universi senatus », id est omnium senatorum, quantum ad crimen

B læsæ majestatis, quod tyrannus eis imponere nitebatur, qui sapientiæ et sermonibus Boetii resistere non valebat. Sciebat enim Boetius sibi ex his imminere periculum mortis apud tyrannum hæreticum: nihilo minus timorem mortis fortitudine animi reprimens, amore virtutum cum mentis securitate defendit justitiam, innocentes excusans, et implens quod Salomon dixit: Justus quasi leo confidens absque terrore erit. Prov. xxviii, 1.

Scis me hæc et vera proferre, id est, tu,

C o Philosophia, scis vera esse ista quæ profero, ita quod non solum scis me ista proferre, sed etiam scis vera esse quæ profero, *et in nulla unquam mei laude jactasse,* id est, in laudibus quas de me scripsi, seu in operibus laudabilibus quæ peregi, nunquam me quæsisse aut intendisse mei ipsius publicationem, vanamve gloriam aut extollentiam in me ipso. Et si Boetius intendit asserere quod nunquam in tota vita sua jactavit se ipsum, præclarum valde hoc fuit: potest tamen exponi coarctando

D ad istam materiam, ita quod in horum descriptione nullam vanitatem quæsivit.

Minuit enim quodammodo se probantis conscientiæ secretum, id est, occultum judicium « conscientiæ probantis se », id est, approbantis et collaudantis se ipsam inaniter seu jactanter, « minuit quodammodo » meritum suum, *quoties ostentando quis factum,* id est inaniter publicando opus suum bonum, *recipit famæ pretium,* id est, pro mercede sua consequitur ab hominibus famam pretiosam seu magnam.

Imo talis publicatio seu jactatio proprii operis meritorii, frequenter non solum minuit, sed et totaliter tollit et perimit meritum ac præmium boni operis præcedentis, insuperque meretur damnationem æternam, quando videlicet tanta est quod plus quæritur laus humana quam honor Dei, et fama temporalis quam gloria æternalis : quod directe repugnat caritati et æquitati. Idcirco de talibus Christus in *Matth.* VI, 2, 5, 16. Evangelio sæpe testatus est : Amen, amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Joann.* XII, 43. Et rursus : Dilexerunt hominum gloriam magis quam gloriam Dei. Si autem quæratur propria fama aut laus humana citra Dei honorem et gloriam, hoc est minus quam honor Dei et salus æterna, veniale peccatum est, et minuit meritum ac præmium operis virtuosi : et hoc veniale est valde vitandum, quia stultitia quædam est, et dispositio ad mortale.

Sed innocentiam nostram quis exceperit eventus, vides, id est, o tu, Philosophia, « vides », id est cognoscis, « quis eventus », id est qualis casus seu merces, « exceperit », id est, concomitatus sit et remuneraverit, « innocentiam nostram », id est immunitatem a sceleribus nobis impositis. Et hoc possit sic planius exprimi : Vides qualem retributionem accepit innocentia nostra. *Pro veræ virtutis præmiis,* id est pro mercedibus actuum vere virtuosorum, *falsi criminis* pœnas subimus,* id est, recipimus exsilium, incarcerationem, confusionem, diffamationem criminum nobis mendaciter impositorum : quæ scilicet pœnæ debentur criminibus vere commissis, quæ nobis imputantur mendose.

* *sceleris*

Ista loquitur Boetius more hominum valide afflictorum : qui interdum, impellente dolore, loquuntur aliqualiter excessive et satis extreme. Non enim in vita hac est merces finalis ac principalis actuum meritoriorum; nec mirum quod electi in sæculo isto propter justitiam persecutiones sustineant. Et tamen juxta hunc modum loquendi etiam sanctus Job frequenter locutus est in diversis libri sui locis : Ad Omnipotentem (inquiens) loquar, *Job* XIII, 3. et cum Deo disputare cupio. Saltem nunc *Ibid.* XIX, 6. intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. Numquid contra hominem disputatio mea, *Ibid.* XXI, 4. ut merito non debeam contristari ? Exspectabam bona, et venerunt mihi mala; præ- *Ibid.* XXX, 26. stolabar lucem, et eruperunt tenebræ. Juxta hunc modum etiam loquitur Jeremias : Exspectavimus pacem, et non venit ; quæ- *Jer.* XIV, 19. sivimus bona, et ecce turbatio.

Consequenter Boetius tangit quasi incomparabilem atrocitatem et adversitatem sibi inflictam. *Et cujus unquam facinoris manifesta confessio ita judices habuit in severitate concordes,* hoc est, « cujus facinoris », id est enormis iniquitatis, « manifesta confessio », id est evidens propalatio facta ab ipso facinoroso, « habuit unquam judices ita concordes in severitate », id est, quod crimen aperte confessum ab ipso reo, unquam tam crudeliter a judicibus est punitum, *ut non aliquos vel ipse ingenii error humani, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta, submitteret,* hoc est, « ut vel ipse error », id est ignorantia seu oblivio vel deceptio, « humani ingenii, vel conditio », id est proprietas seu varietas, « fortunæ incerta cunctis mortalibus », id est dubiosa hominibus omnibus, « non submitteret », id est, ad clementiam non moveret, vel discordantes non faceret, « aliquos », id est quosdam ex ipsis judicibus ? quasi dicat : Raro aut nunquam id accidit. Diversa etenim capita communiter in talibus diversimode sentiunt ; et ut ait Apostolus, Unusquisque in suo sensu abundat ; et *Rom.* XIV, 5. nunc istud, nunc illud aliquem judicum flectit ad pietatem. Et tamen in Boetio non est taliter factum, quia tyrannus et judices ei assidentes, unanimiter crudelissimi in Boetium exstiterunt.

Verumtamen istud Boetius dicit juxta consuetudinem graviter afflictorum, quorum unicuique solet videri quod afflictio, id est adversitas sua, sit maxima. Attamen constat quod multi martyres sancti, etiam

absque suo demerito, multo graviora sunt passi quam venerabilis et electus iste Boetius : qui nihilo minus, si rite pensetur, valde multa et magna perpessus est, quia quum esset litteratissimus et famosissimus omnium consulum Romanorum, omni suo honore, et opulentia rerum, prosperitate terrena, præcipua societate, bonæ atque carissimæ contoralis clarissimorumque filiorum sine demerito suo privatus est, incarceratus, et voluntati crudelissimi adversarii traditus, ac tandem ab eo occisus. Et certe, ut Seneca loquitur, Bis mori est, arbitrio alterius mori : quanto magis arbitrio hostis? Hoc itidem auxit non parum ejus dolorem, quod patres et senatores Romani, quibus ipse tot bona impendit, eum sic judicaverunt, reliquerunt, nec repetere ausi fuerunt, recognoscendo se sententiasse incaute, nec diligentius testes examinando, imo cedendo humano timori. Huic Boetio dici potuit illud Job sancti : Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies. (*Job* XXXVI. 17.)

Deinceps Boetius adhuc clarius probat quam injuste fuerit accusatus, judicatus atque punitus.

Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio jugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur : hoc est, « si diceremur », id est accusaremur, « voluisse » voluntate imperativa et efficaci, procedente in opus pro posse, « inflammare sacras ædes », id est incendere templa, « si » etiam diceremur voluisse « jugulare », id est trucidare, « sacerdotes gladio impio », id est vitioso gladii usu, « si » item diceremur « struxisse », id est præparasse, « necem omnibus bonis », id est justis hominibus, eos tradendo aut mendaciter accusando, seu eis laqueos mortis procurando; *præsentem tamen sententia confessum convictumve punisset :* id est, quamvis perpetrassem tam horrenda scelera, ut sunt ecclesias incendere, sacerdotes occidere, qui sunt casus papales, et omnibus justis mortem moliri, quod esset communi bono insidiari nimiumque enorme; attamen non fuissem absens damnandus, sed præsens, et proprium facinus fassus, saltem per pœnas, atque convictus per testes aut rationes aut evidentiam facti. Servandus est enim processus et ordo juris in judicando, potissime in sanguinis causa, ut in Decreto diffuse deducitur. Unde et in Actibus habetur : Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. (*Act.* XXV, 16.)

Nunc vero quingentis fere passuum millibus procul moti, id est, per tantum spatium a Roma distantes, *atque indefensi,* id est nec propria expurgatione nec aliorum excusatione protecti, *ob studium propensius in senatum, morti proscriptionique damnamur,* id est, adjudicamur morti civili et corporali et proscriptioni « ob studium », id est affectum et conatum, exhibitum « propensius », id est copiosius, « in senatum », id est ad commune bonum senatus et ad ejus defensionem. Ob hoc enim Boetius fuit tunc in urbe remota a Roma.

Porro proscriptio vocatur interdum expulsio alicujus ex patria, ita quod ei de rebus propriis administratio non sit. Relegatio autem dicitur expulsio alicujus a patria, ita quod ei administratio sit bonorum suorum. Alii asserunt, quod proscriptioni damnatus fertur is contra quem lata est sententia Romæ : cujus nomen deletur de scriptura æneæ tabulæ. Consuetudo etenim exstitit Romanorum, quod nomina senatorum quorum consilio urbs regebatur, litteris aureis in tabulis æneis scribebantur : propter quod senatores vocati sunt patres conscripti. Quumque propter sua demerita deponebantur, nomina delebantur; tuncque appellabantur proscripti, quasi procul a conscriptione hujusmodi.

O meritos, id est, ceteros senatores recte seu ironice dixerim meritos, *de simili crimine neminem posse convinci,* id est nullum senatorum præter me posse proba-

ri reum gravis excessus sicut ego probatus sum per litteras falsas! Et per hoc Boetius implicite tangit innocentiam suam. quum non sit verisimile quod ipse tale quid attentasset contra Theodoricum regem durissimum, sine adsistentia senatorum, saltem quorumdam. Quumque jam dixerit se a senatoribus adjudicatum, nunc quasi ironice dicit eos « meritos », id est justos seu meritis commendabiles. *Cujus dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere viderunt*, id est, « ipsi » accusatores mei « qui » me « detulere », id est accusaverunt, « viderunt », id est cognoverunt, « dignitatem » senatoriam « reatus », id est facti quod mihi pro crimine imputatur : quod tamen justum fuit et pro senatoribus militans, pro quorum defensione loquebar et laborabam. Vel « dignitatem reatus », id est reatum mei in dignitate constituti, quasi dicat : Sciebant me non esse reum, quanquam mihi imputabant reatum, id est crimen seu obligationem ad pœnam pro culpa.

Quam meam dignitatem *uti* (id est ut) *alicujus sceleris admixtione fuscarent*, id est denigrarent, et me impium comprobarent, *ob ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam meam polluisse mentiti sunt*, id est, accusatores præfati « mentiti sunt », id est, mendose mihi imposuerunt, « me polluisse », id est, quod ego maculavi, « conscientiam meam sacrilegio », id est abusu rei sacræ, magicis artibus utendo aut dæmones consulendo, « ob ambitum dignitatis », id est ex cupiditate adipiscendi senatoriam dignitatem.

Atqui, id est pro certo, *et tu*, o Philosophia, *insita nobis*, id est menti nostræ impressa, *omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas*, id est, expellebas de habitaculo cordis nostri et de nostra vi affectiva omnem inordinatum affectum ad ista mortalia et terrena. Nam et hoc docet philosophia, et quidam philosophi naturali ratione inducti, omnem principatum terrenum spreverunt : quemadmodum etiam Plato noluit

A assumere primatum super Athenienses, quamvis rogatus ab eis. *Et sub tuis oculis*, id est, te præsente et inspiciente, *sacrilegio locum esse fas non erat*, id est, licitum non erat « locum esse sacrilegio », id est in anima mea aut in aliqua ejus potentia esse sacrilegii crimen. Sacrilegium autem proprie est abusus rei sacræ, et sunt multæ species ejus.

Instillabas enim, id est immittebas, *auribus* interioribus *cogitationibusque meis quotidie Pythagoricum illud*, id est do-

B ctrinam illam Pythagoræ : Ἕπου Θεῷ : quod sonat in Latino, Deum sequere, id est, uni vero et summo Deo, eique soli, cultum latriæ exhibeto, non idolis nec alicui puræ creaturæ. Posuerunt autem gentiles diversum atque multiplicem ordinem deorum, et nihilo minus unum verum altissimum Deum : quem, ut ait Porphyrius, polus, tellus pontusque contremunt, et ipsa numina perhorrescunt. Quem Deum non colunt sinceriter, qui deorum quærunt præsidia, qui necromantiis

C student, qui sacrilegiis vacant aut dæmones consulunt. Unde subjungitur :

Nec conveniebat vilissimorum me spirituum præsidia captare, id est, nequaquam congruum fuit « me captare », id est frequenter aut unquam capere, « præsidia vilissimorum spirituum », id est auxilia, consultationes cooperationesque dæmonum, *quem tu in hanc excellentiam componebas*, id est, ornabas et perducebas « in hanc excellentiam », id est ad hanc perfectionem præcipuam, *ut* me *consimi-*

D *lem Deo faceres* similitudine imitationis, id est, hanc præclaram sapientiam et Dei amorem, ceterasque virtutes atque multiplicem et eminentem scientiam mihi donasti, hortando et instruendo me ad horum naturalium adeptionem habituum. Est quippe in homine quid divinum, secundum philosophos, utpote pars intellectiva, in qua est Creatoris similitudo aliqua naturalis : quæ tanto plus perficitur, ornatur ac deiformis efficitur, quanto in habitibus et actibus scientiarum ac virtutum, præ-

sertim sapientiæ ac divini amoris, vehementius crescit et consummatur. Unde et Plato ait in primo Timæi, quod hominibus cum Deo et divinis substantiis est naturæ consortium et appellationis parilitas. Septimo etiam Ethicorum Aristoteles protestatur : Homines per virtutum excellentiam dii dicuntur; et rursus decimo Ethicorum : Homo secundum intellectum operans (id est contemplationi deditus), et hunc curans (id est, perficere custodireque satagens), optime dispositus et Deo amantissimus esse videtur.

Deinde idem probatur testimonio domesticorum et familiarium. *Præterea penetral,* id est penetrale seu secretior camera mea, *innocens,* id est, nihil in se continens superstitiosum nec idola, *domus,* id est catholica et honesta familia mea, *honestissimorumque cœtus amicorum,* id est copiosa amicorum meorum multitudo probitate morum ornata, exemplaris, et bonis honestis potius quam utilibus delectabilibusve intenta. Honestas quippe dicitur quasi honoris status ; honor vero virtuti debetur : idcirco honesti sunt qui sunt virtutibus dediti. Bonum quoque honestum vocatur quod per se appetibile exsistit et propria vi ac dignitate nos allicit, ut virtutes et actus earum, potissime ultimus finis. *Socer etiam sanctus,* Symmachus scilicet, id est sanctus vir nomine Symmachus, pater meæ uxoris, *et æquo actu ipse reverendus,* id est, qui sicut sanctus est quantum ad mentis puritatem, ita et in exterioribus actibus suis reverenter se habet et sine querela. De quo Symmacho alibi scribit Boetius, quod tam virtuosus ac sapiens erat, ut ex sapientia atque virtutibus videretur esse compositus : quod et de ipso Boetio veraciter dici potest. *Ab omni nos hujus criminis suspicione defendunt,* id est, immunes nos probant a sacrilegii crimine, ita quod nemo possit hoc de nobis rationabiliter suspicari. Potest autem per « penetral » intelligi uxor Boetii et soboles ejus, qui cum ipso in secretioribus domus suæ locis

Cf. lib. II, prosa 4.

A conversabantur, potissime uxor : sicque ponitur continens pro contento, seu locus pro locato.

Denique omnes isti defendebant Boetium a crimine tanto dupliciter. Primo materialiter : quoniam ex qualitate et consideratione ipsorum patuit ipsum Boetium esse virtuosum ac sapientem. Unumquodque enim suo simili solet libenter conjungi, juxta illud : Similis similem sibi quærit. Unde in Ecclesiastico scribitur : Omnis caro ad similem sibi conjunge- B tur, et omnis homo simili sibi sociabitur. Sic quoque inanimata et irrationalia, imo et cuncta creata, laudant, benedicunt ac glorificant Deum. Secundo efficienter : quoniam testimonium perhibebant vocaliter honestati, devotioni virtutibusque Boetii.

Eccli. XIII, 20.

Consequenter exclamat cum admiratione Boetius, propter enormitatem malorum quæ irruerunt in ipsum : *Sed, o nefas,* id est, o quam grande malum enormeque vitium est ista sentiri de me, imo et de C te ! Nam subditur : *Illi vero,* utpote accusatores mei, *de te tanti criminis capiunt fidem,* id est, etiam tibi adscribunt tantam impietatem, sicque « capiunt fidem », id est credunt, « de te » facinus tantum, quod scilicet tu doceas superstitiosa atque sacrilega. *Atque hoc ipso videmur,* id est, judicamur a pravis imperitis hominibus, *affines,* id est conscii, *fuisse maleficio,* id est necromantiæ ac sacrilegio, *quod tuis instituti moribus, tuis imbuti disciplinis sumus,* id est, ex hoc quod informati sumus D astronomia et ethica et ceteris liberalibus artibus, et juxta moralia documenta vitamus vana consortia, nociva colloquia, convivia quoque, et operam damus silentio atque quieti secretioribusque locis, ut studio sapientiæ ac virtutum liberius intendamus. Illi vero arbitrantur nos in his sacrilegiis et necromantiis vacare.

Ita non est satis, id est, non sufficit impiis illis, *nihil mihi profuisse tuam reverentiam,* id est, tuam venerandam auctoritatem, seu professionem qua studiis

tuis inhæreo, mihi non profuisse apud A judicium iniquorum, qui et bona interpretantur in pejus, et mei occasione tibi etiam obloquuntur. Nam sequitur : *Nisi ultro tu mea potius offensione lacereris*, hoc est, « nisi ultro », hoc est sponte, ex irrefrenata illorum libertate « tu » innocens sapientia « lacereris », id est, corrumparis et vitupereris, « potius », id est, magis quam collauderis, « offensione mea », id est ex vitiis quæ mihi mendaciter imputantur, quibus regem et rempublicam judicor offendisse.

Consequenter pandit Boetius suæ afflictionis acerbitatem ex multiplici malo ei annexo et consecuto.

At vero hic etiam nostris malis, id est adversitatibus, *cumulus accedit,* id est, augmentum accrescit, *quod existimatio,* id est incauta atque erronea opinio, *plurimorum,* videlicet imperitorum et iniquorum, *non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum,* id est, ea quæ accidunt, magis adscribit fortunæ quam providentiæ Dei ac meritis hominum. Vel sensus C est, quod populus vulgaris potius pensat ipsum « eventum fortunæ » subjectum, hoc est ipsam prosperitatem vel adversitatem, quam hominum merita. *Eaque tantum judicat esse provisa,* id est a Deo præcognita et disposita, seu provide facta ab homine, *quæ felicitas commendaverit,* id est, quæ ex temporali prosperitate sequenti reputantur bona fuisse.

Quo fit, id est, ex quo procedit ac sequitur, *ut existimatio bona prima omnium,* id est bona fama quam omnes primo D habuerunt de bonis hominibus fortunatis, quando adhuc prosperabantur, homines *deserat infelices,* id est infortunatos miseriis pœnæ (utpote adversitatibus) subditos : quia dum taliter eis succedit, miseri reputantur, et talia meruisse a vulgaribus perhibentur. Quod et interdum sic est ; nec tamen ideo miseri simpliciter sunt censendi, sed magis beati, et electi atque
Apoc. III, 19. dilecti a Deo dicente : Ego quos amo, arguo et castigo. De quo item ait Scriptura : Beatus homo qui corripitur a Domino. Job v, 17.
Interdum vero non est sic, quia nonnunquam electi et justi graviter affliguntur, non propter suos excessus, sed ut probetur virtus eorum et crescant in gratia per adversa, sicque gloriosius coronentur in cœlis, aliis quoque in exemplum proponantur : ut patet in sancto Job et Tob. II, 12.
Tobia, imo communiter in gloriosis Apostolis, itemque martyribus. Denique istud fuit radix et origo disceptationis inter Job et ejus amicos : quia amici ejus putabant B hominem in hac vita non subjacere diffortuniis, cladibus et tormentis, nisi pro suis excessibus ; quumque vidissent ipsum Job tam dire percussum, judicabant eum non veraciter fuisse justum, sed magis hypocritam : cujus contrarium ipse constanter veraciterque defendit.

Qui nunc populi rumores, quam dissonæ multiplicesque sententiæ, piget reminisci, id est, tædet me recordari aut mente revolvere quam multi rumores sunt modo in plebe de me, quam diversæ ac discordantes judicationes jam proferuntur a diversis hominibus de me, quibusdam me excusantibus, quibusdam me accusantibus. Nec inde fuit Boetio multum curandum, quum et Seneca dicat : A pravis vituperari, laudari est. Et juxta Apostolum, oportet servum Dei per infamiam II Cor. VI, 8.
et bonam famam transire ; et quam impossibile est ventos a flatibus suis reprimere, tam impossibile est varia ac temeraria hominum judicia impedire.

Hoc tantum dixerim quantum ad istum punctum, *ultimam esse adversæ fortunæ sarcinam,* id est hoc esse maximum pondus seu gravamen diffortunii, *quod dum miseris aliquod crimen affigitur,* id est, diffortunatis et afflictis imponitur aliquod crimen, *quæ perferunt,* id est damna et adversa quæ pro crimine eis imposito patiuntur, *meruisse creduntur* a multis. *Et ego quidem bonis omnibus pulsus,* id est cunctis opibus meis privatus, domo, urbe, patria destitutus, *dignitatibus,* id est officiis, *exutus, existimatione fœdatus,* id

est in cordibus hominum jam denigratus A quantum ad famam, et vilis jam judicatus, *ob beneficium supplicium tuli,* id est, tormenta hæc patior propter beneficia seu opera justa atque benefica quæ senatoribus ac communitati impendi, et quoniam justi et veri tenax fui.

Postremo tangit Boetius suam afflictionem quam habuit ex hoc quod ex sua oppressione et persecutione corda plurimorum varia inciderunt incommoda : nam quidam inde fuerunt exterriti pusillanimesque effecti, quidam inaniter gloriati B atque ad peccandum audaciores effecti. Unde subjungit :

Videre autem videor, id est, videtur seu apparet mihi quod videam visione mentali, seu etiam imaginaria, qua videntur absentia, qua etiam avis videt nidum suum dum colligit hinc inde materias ex quibus compleat fabricam ejus, *nefarias sceleratorum officinas,* id est domos seu turbas, *gaudio lætitiaque fluitantes,* id est, anima et corpore affluenter lætantes, seu appetitu intellectivo ac sen- C
Job XXI, 12. sitivo gaudentes, juxta illud : Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Istud est primum malum de quo dolebat. De quo tamen non est multum dolendum, nisi in quantum est malum
Ps. XXXVI, 7. culpæ, quum dicat Psalmista : Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias. Porro gaudium sumitur hic pro quacumque delectatione. Proprie vero gaudium non est nisi bona et ordinata jucunditas, quoniam gaudium est diffusio animi in conceptu D boni. Propter quod in homilia, id est sermone, loquitur Augustinus : Mali homines non proprie gaudere, sed gestire dicuntur.

* Perditissimum
Sequitur malum secundum. *Pessimum* quemque novis delationum fraudibus imminentem,* id est, videtur mihi quod videam pessimos quosque homines insistentes « novis fraudibus », id est deceptionibus, nocumentis, « delationum », id est accusationum falsarum. Nempe dum homines mali conspiciunt fraudulentos prosperari, et suis fraudulentiis prævalere principibusque placere, confortantur ad similia perpetranda, atque excogitant quibus fraudium laqueis involvant et opprimant bonos ac simplices. Propter quod scriptum est in Ecclesiaste : Quia non cito Eccle. VIII, 11.
profertur sententia contra malos, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Tales advertant ac paveant quod ait Propheta : Virum sanguinum et dolosum Ps. V, 7.
abominabitur Dominus. Et Malachias : Ma- Malach. I, 14.
ledictus (inquit) dolosus. Hoc totum apud Isaiam exprimitur, quo habetur : Fraudu- Is. XXXII, 7.
lenti vasa pessima sunt ; ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii.

Sequitur tertium malum. Videor quoque mihi videre *jacere bonos nostri discriminis terrore prostratos,* id est, viros bonos ex consideratione periculorum meorum præ timore incidendi similia esse pusillanimes et dejectos, ac quasi retrahi a via æquitatis ac veritatis. Ideo scriptum est : Propter hoc lacerata est lex, quia impius Habac. I, 4.
prævalet adversus justum. Verumtamen tales boni essent adhuc valde pusilli et imperfecti, non implentes quod scriptum est : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Matth. X, 28.
Propter quod princeps Apostolorum in prima sua hortatur Canonica : Quis est I Petr. III, 13, 14.
qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati; timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini.

Subditur quartum malum. Videor mihi quoque videre *flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari :* hoc est, cerno flagitiosos incitari et provocari ad concipiendum et proponendum audacter illicita, ex ipsa impunitate, quoniam vident multos impune peccare, imo pessime agendo florere ac prosperari ; et video eos incitari præmiis ad peccandum, ad injuriandum, ad falsum testimonium perhibendum, ad occidendum, juxta illud in Psalmo : Quoniam laudatur peccator in de- Ps. X, 3, sec. Hebr.
sideriis animæ suæ, et iniquus benedici-

tur. Contra tales conqueritur Deus per A Malachiam (*Malach.* III, 13-15.) : Invaluerunt super me verba vestra. Dixistis : Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus? Ergo beatos nunc dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes impietatem. Verum insipientes ac miseri isti non dirigunt oculos nisi ad vitam præsentem, non ad novissima sua; nec advertunt nihil periculosius, nihil terribilius esse, quam in vita hac impune peccare : taliter quippe peccantes reservantur infernalibus ac æternalibus pœnis. B De quibus testatur altissimus Judex in Psalmo (*Ps.* LXXX. 13.) : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis : et in Osee (*Osee* IV, 7; XIII, 8.) propheta : Gloriam eorum in ignominiam commutabo ; occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ut leo.

Sequitur quintum malum. *Insontes autem,* id est innocentes, video *non modo,* id est non solum, *securitate, verum ipsa etiam defensione privatos,* ita quod adver- C sa imminent eis quæ et timent, nec ab eis nunc proteguntur. Multæ enim tribulationes (*Ps.* XXXIII. 20.) justorum. Verumtamen perfecti talia non verentur : imo omne gaudium re- (*Jacob.* I, 2.) putant dum incidunt in ea, quum et Seneca in suis fateatur Proverbiis, Stultum est timere quod vitari non potest; et Varro, Duplex (inquit) est malum, dum quod necesse est pati, moleste ferimus. Faciamus ergo de necessitate virtutem, atque ex caritate libenter toleremus quæcumque adversa, ut Capiti nostro ac Domino aliquantulum conformemur.

Itaque libet exclamare ad Dominum metrum sequens, admirando, laudando et invocando majestatem, sapientiam et excellentiam ejus.

Præterea, mala hic a Boetio tacta, imo et alia plura, tangit et Salomon in Ecclesiaste et alibi : Vidi (inquiens) calumnias (*Eccle.* IV, 1, 4.) quæ geruntur sub sole, et lacrimas innocentium, et consolatorem nullum, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos; contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi. Itemque : Si videris (ait) calumnias egenorum, (*Ibid.* V, 7, 8.) et violenta judicia, et justitiam subverti in provincia; ne mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti.

ARTICULUS XVIII

DIFFICULTATUM HUJUS QUARTÆ PROSÆ PROPOSITIO AC COMPENDIOSA ABSOLUTIO.

JOANNES. — Circa contenta in prosa D hac, aliqua mihi dubia oriuntur. Primum, qualiter excusetur quod Boetius in hac prosa se ipsum tam vehementer laudaverit, affirmans quod se ipsum nunquam jactaverit laude, quod nulla unquam ambitio fuit in eo, quod nulla terrena cupiditas, quod nec principum timor, nec aliquid aliud eum ab æquitate deflexit. In quibus excessisse videtur, quum vix quisquam Sanctorum legatur tanta ac talia de se ipso dixisse aut conscripsisse : præsertim quum et Aristotele teste, in propriis laudibus oportet potius declinare ad minus. Secundum, quia videtur divinæ providentiæ derogasse, dicendo hoc monstro simile esse, quod scelerati innocentibus prævalent, quum tamen hoc Deus frequenter agat aut saltem permittat justo judicio, ut patet in millibus martyrum. Tertium,

quoniam si Boetius fuit perfectus in omni virtute, ut innuit in prædictis, non debuit taliter contristari tantasque querelas inducere de adversitatibus suis.

Dionysius. — Veritas multipliciter sumitur atque dividitur, quum sit veritas entis, veritas propositionis, veritas quoque vitæ, veritas doctrinæ, veritasque justitiæ. Est etiam veritas moralis, de qua nunc sermo, quæ est pars justitiæ et virtus ei annexa, voluntatem magis quam intellectum respiciens atque perficiens. Ad quod (secundum Philosophum) pertinet ut homo nec majora nec minora de se pronuntiet quam res se habet : quod utique commendabile est, et rationem specialis bonitatis sortitur. Hæc veritas, ut nono Ethicorum ait Philosophus, magis declinat ad minus quam ad magis, quando quis propria bona enuntiat, similiter quando mala alterius refert. Referendo autem bona alterius seu propria mala, potius declinat ad plus, sic tamen ut falsitatem semper devitet. Istud namque honestius est, ut homo de donis Dei sibi concessis et de bonis quæ latent in eo manifestet minus, quam ut dicat plus quam est, potiusque se ostendat minorem quam majorem : alias fieret aliis onerosus, tanquam volens eos excellere. Qui vero minora dicunt de se, fiunt aliis gratiosi, quia per quamdam moderationis temperiem ipsis condescendunt quodammodo. Porro dicere de se supra id quod est in veritate, est se ipsum vane extollere : quod vocatur

A jactantia. Cui vitio repugnat ironia, quæ est vitium quo quis a veritate declinans, dicit minora de se quam est, vel aliquid vile sibi adscribit, quod non cognoscit esse in se, aut magnum aliquid negat de se, quod inesse sibi cognoscit.

Cur autem Boetius virtutes suas tam diligenter descripsit, dictum est supra; *Cf.* p. 96 A', 102 A'. et si videatur eas plusquam decuit magnificasse, hoc venit ex rationabilibus causis, ex prædominanti doloris affectu, atque ut veritas suæ causæ ad laudem Dei ædifica-
B tionemque proximorum innotesceret clarius universis. Sic quoque sanctus Job suas *Job* IX et seq. passim. virtutes multo describit diffusius quam in hoc libro Boetius; Paulus etiam in suis II *Cor.* XI, XII; I *Thess.* II. epistolis. Sic item Ezechias ait quarto libro Regum : Memento, Domine, quomodo IV *Reg.* XX, 3. ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, etc.

Ad secundum dicendum, quod in hoc non derogavit providentiæ neque justitiæ Dei, quia hoc dixit habendo respectum solum ad causas naturales ac in-
C feriores, vel in persona viri nondum perfecti.

Ad tertium similiter est dicendum, quod idem Boetius est qui loquitur nunc in persona viri perfecti seu Philosophiæ, nunc in persona viri pusilli; seu nunc secundum superiorem animæ partem, nunc secundum animæ partem sensitivam inferioremque rationem, prout de hoc dictum *Cf.* p. 33 A. est clarius.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO SPIRITUALIS ET MYSTICA EJUSDEM PROSÆ.

S*ENTISNE (inquit) hæc?* etc. Sic theologia, sic sacra Scriptura, imo et increata Sapientia, per auctores Scripturæ canonicæ, per Apostolos ac Prophetas, per Evangelistas ac sapientes loquitur ho-
D mini desolato, afflicto, seu animæ tribulatæ : Sentisne quæ tibi dico? Et hoc modo Apostolus loquitur sæpe in secunda ad Timotheum epistola : Admoneo (inquiens) II *Tim.* I, 6. te ut resuscites gratiam Dei in te; et de-

II Tim. II, 7 nuo : Intellige quæ dico; dabit enim tibi A
Dominus in omnibus intellectum. Ad hunc
spiritualem sensum verborum cœlestium,
et advertentiam eorumdem, atque illa-
psum eorum in mentem, theologia fre-
quenter hortatur unumquemque fidelem,
specialiterque in Sapientialibus libris, ut
dum in libro Proverbiorum Sapientia ad-
Prov. IV, 10, monet : Audi, fili mi, et suscipe verba
11, 20, 21. mea; viam sapientiæ monstrabo tibi, du-
cam te per semitas æquitatis. Fili mi, au-
sculta sermones meos, et ad eloquia mea
inclina aurem tuam; ne recedant ab ocu-
lis tuis, custodi ea in medio cordis tui.
Ibid. VII, 3. Et iterum : Scribe ea in tabulis tui cordis.

Esne asinus ad lyram? Hoc optime dici
potest homini carnali, indevoto, negligen-
ti, verba salutis non advertenti : qui sic
audit sacram Scripturam, sicut asinus ly-
ram. Unde discipulis adhuc rudibus dixit
Marc. VIII, Salvator : Adhuc cæcatum habetis cor ve-
17; Matth. strum? Adhuc et vos sine intellectu estis?
XV, 16. Et rursus in Evangelio ait ad quosdam :
Matth. XI, Cui similes dicam homines generationis
16, 17; Luc. hujus? Similes sunt pueris sedentibus in
VII, 31, 32. foro, qui coæqualibus dicunt : Cecinimus
vobis, et non saltastis; lamentavimus, et
non plorastis. Tales sunt qui verba Dei
audiendo, legendo, sermocinando, nulla
compunctione moventur, nullo fervore tan-
guntur, sed in cordis sui manent duritia.
Joann. VIII, Quibus Sapientia dicit : Sermo meus non
37. capit in vobis. Quocontra scriptum est in
Eccli. III, Ecclesiastico : Auris bona cum omni con-
31. cupiscentia audiet sapientiam. Hoc fac,
Joann. VIII, quum Sapientia protestetur : Qui ex Deo
47. est, verba Dei audit.

Quid fles? Quid lacrimis manas? Hoc
dicitur ei qui immoderate insipienterque
luget temporalia damna aut corporalia
mala, et abundantiori absorbetur tristitia;
aut certe sic deflet sua peccata ut consola-
tionem accipere renuat, nec in spe mise-
rationis divinæ respiret. Quem consolatur
Mich. IV, 9. theologia dicendo : Nunc quare mœrore
consumeris? Numquid rex non est tibi,
aut consiliarius tuus periit, quia compre-
hendit te dolor sicut parturientem? Sal-
vabo te et liberabo te; noli timere. Unde
et Isaias effatur : Consolamini, consolami- Is. XL, 1.
ni, popule meus, dicit Deus vester. Sic
consolatur theologia per Paulum loquens :
Gaudete in Domino semper; iterum dico, Philipp. IV,
gaudete. 4.

Confitearis mihi. Hoc est breve salu-
berrimumque consilium Sapientiæ æter-
nalis, ut confiteamur ei, et ejus vicariis
sapientibus viris (qui idonei sunt alios
docere, consolari, dirigere), nostra peccata
et causas afflictionum nostrarum. Imo, ut
B Patres concorditer docuerunt, hoc est præ-
cipuum in omni tentatione, in omni pe-
riculo, in omni anxietate et ambiguitate
remedium, ut homo tentatus, afflictus, in-
certus et fluctuans quid agere et qualiter
debeat se habere, recurrat ad Deum, et vi-
ris exercitatis, discretis cor suum clare
omnino humiliterque aperiat, informatio-
nem requirat et informationi obtemperet.
Sic quippe vincitur angelus tenebrarum,
tentator, caliginis et deceptionis amator,
dum suggestiones ejus et tenebrarum lati-
C bula producuntur in lucem. Nempe, ut ait
Christus : Omnis qui male agit, odit lucem, Joann. III,
et non venit ad lucem, ut non arguantur 20.
opera ejus. Sic itaque confitere, et nihil
abscondas, præsertim in sacramentali con-
fessione. Hinc scriptum est : Fili mi, da Josue VII,
gloriam Deo, et confitere atque indica 19.
mihi quid feceris, ne abscondas. Hinc in
libro Proverbiorum Salomon contestatur :
Qui abscondit peccata sua, non dirigetur; Prov. XXVIII,
qui autem confessus fuerit et reliquerit 13.
ea, misericordiam consequetur.

D *Si operam medicantis exspectas, oportet
ut vulnus detegas.* Sic plane, si a vulneri-
bus vitiorum, a languoribus passionum re-
liquiisque culparum curari desideras a
Sapientia Dei et ab Ecclesia ejus, a sacer-
dotibus et prælatis, oportet ut detegas eis
plenarie et sincere, ex contritione, vel sal-
tem attritione, vulnera animæ tuæ : non
quasi Deus ea ignoret, sed ut te dolenter
atque humiliter accusando, spernendo, de-
flendo, ad remissionem et gratiam te dis-
ponas, exemplo Psalmistæ dicentis : Dixi, Ps. XXXI, 5

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei. Unde et sanctus Job ait : Vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. [*Job* xiii, 15.]

Tum ego, collecto in vires animo, id est, ego æger, desolatus, afflictus, ex verbis tuis, o theologia, confortatus in Domino, tibi respondeo : *Anne adhuc eget admonitione nec per se satis eminet?* Homo catholicus ab altitudine contemplationis, ab exercitiis theologicæ facultatis, a salute innocentiæ baptismalis, imo a paradisi deliciis, in vallem hanc lacrimarum delapsus, in tentationum et vitiorum quorumdam voraginem mersus, variis adversitatibus obrutus, ac solita mentis alacritate atque devotionis pristinæ fervore privatus, recte hæc dicere valet, tanquam dicat : O theologia, quæ es radius Sapientiæ æternalis, nonne hæc tanta commutatio quam vides factam in me, per se satis testatur ac pandit cur plorem, cur lacrimis fluam? Utinam deducant oculi mei lacrimas per diem et noctem, et non taceant. [*Jer.* xiv, 17.] Exitus aquarum deducant oculi mei, quia transgressus sum legem tuam. [*Ps.* cxviii, 136.] Nonne David et sexcenti viri ejus videntes urbem suam succensam, uxores et proles suas abductas captivas, sciderunt vestes suas, et fleverunt donec in eis deficerent lacrimæ? [*I Reg.* xxx, 4.] Quanto magis ego tot spiritualia damna perpessus, inconsolabiliter plangere habeo?

Nihilne te ipsa loci facies movet, id est, locus hujus exsilii, carcer hujus miseræ carnis (de quo orat vir sanctus, Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo), [*Ps.* cxli, 8.] inhabitatio tot et tantarum calamitatum, ignorantiarum, passionum, culparum, tentationum atque periculorum? Nam et corpus hoc corruptibile aggravat animam, et terrena inhabitatio ista deprimit intellectum multa considerantem. [*Sap.* ix, 15.]

Hæccine est bibliotheca, id est locus studiorum cœlestium, divinorum voluminum, spiritualium exercitiorum, *in qua mecum residens,* quando adhuc spiritua-

A lis, fervens, alacer eram, *de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas,* hoc est, de Christi deitate et humanitate, de superbeatissima Trinitate ejusque mutua intuitione, dilectione, superdeliciosissima fruitione ac gloria prorsus immensa, de Christi quoque mysteriis, et qualiter super terram est visus et inter homines conversatus [*Baruch* iii, 38.] ac pro hominibus passus, ipsisque suis discipulis Spiritum Sanctum gratiosissime misit, [*Act.* ii, 1 et seq.] exuberantissime infudit ac dedit, et per ipsos totum, B ut ita dicam, convertit mundum?

Talis habitus talisque vultus erat, quum tecum naturæ secreta rimarer? O quantum distat et interest inter habitum et vultum seu apparatum viri contemplativi et virtuosi, hominisque carnalis, passionati, injusti! Certe illius anima sponsa est Christi, amica et filia Salvatoris, vestita, ornata, munita virtutibus, donis, fructibus, beatitudinibus et variis supernaturalibus charismatibus Spiritus Sancti ; et in carne fragili adhuc degens, est tanquam intelli- C gentia aliqua separata. Anima vero passionata, turbata, inquieta, vitiis subdita, diaboli est adultera, cum quo impiæ voluntatis miscetur consensu, concipit pravum affectum, parit opus iniquum ; estque serva peccati, jugo vitiorum subjecta, ac vilior brutis. Quæ quum cœperit desuper illustrari, advertit qualis aliquando fuerit et qualis nunc est ; et hanc dispositionem abhorrens, graviter lamentatur. Quæ, dum bene fuerat ei, erat rimans, id est, pie et sobrie (non curiose neque præsumptuose) D scrutans, « secreta naturæ » : naturæ, inquam, naturantis, divinæ et increatæ, omnia producentis, qualiter illa sit una, simplicissima, nullatenus multiplicabilis, ideoque una numero in tribus supergloriosis Personis ; naturæ quoque humanæ in Christo, quomodo illa a primo suæ creationis instanti unita fuit hypostatica unione Verbo æterno et suppositata in illo, hoc est, in personali et increato illius esse subsistens, et ipso Verbo, imo summa Trinitate, beatifice fruens tam plene ut modo,

quantum ad vires suas superiores ad increatum objectum relatas et comparatas. Quæ et in eodem instanti fuit omni plenitudine gratiæ, donorum, virtutum, et aliorum divinorum charismatum imperfectionem tali eminentiæ derogantem non includentium, quoad totam suam capacitatem repleta. Pertinet item ad catholicum virum contemplativum rimari secreta naturæ creatæ, id est naturales proprietates ac vires rerum, et ordinem universi per respectum ad Creatorem.

Quum mihi siderum vias radio describeres. Quæ siderum viæ sunt actus, motus, processus et opera, purgationes, illuminationes, perfectiones intellectualium creaturarum (tam triumphantis quam militantis Ecclesiæ) supernaturaliter splendidarum atque fulgentium : quibus ornatum est cœlum empyreum, et regnum cœlorum, id est Ecclesia militans adhuc peregrinans a Domino et pergens ad ipsum, ut dictum est supra. (*Cf.* p. 70 B et s.) De quibus omnibus tractat et docet nos theologia, loquens per Paulum (*Hebr.* i, 14.) : Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, id est propter electos? Dominus quoque, in Evangelio loquens (*Matth.* xviii, 10.) : Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. De quibus in libris de Angelica hierarchia et Hierarchia ecclesiastica subtiliter scribit divinus Dionysius radio fidei ac sapientiæ copiose perfusus.

Quum mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar formares. Hoc utique agit theologia, quæ in Scriptura docet et præcipit nos cœliformiter conversari et conversationem in cœlis habere (*Philipp* iii, 20.), spiritualiter vivere ac vitam in terris angelicam ducere. Quod viri vere religiosi adimplent, Creatori suo in sanctæ caritatis fervore, in mutua jugi concordia cum pace interna continue obsequentes, contemplationi ac laudibus Omnipotentis fideliter omni hora vacantes, indefesse studentes spirituali profectui. Denique instar triumphantis Ecclesiæ Sapientia Dei, A Christus Dominus, ordinatissime atque pulcherrime instituit ac distinxit Ecclesiam militantem : cujus regimen voluit esse monarchicum. Propter quod in Apocalypsi sanctus dixit Joannes (*Apoc.* xxi, 2.) : Vidi civitatem sanctam descendentem de cœlo, a Deo paratam. In cujus etiam rei signum Dominus ait ad Moysen (*Exod.* xxv, 40.) : Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Sic itaque Sapientia increata, in scriptura theologicæ veritatis, format mores nostros totiusque vitæ nostræ rationem ac B ordinem ad ordinis cœlestis exemplar. Ad quod implendum hortatur nos Paulus (I *Cor.* xiv, 40.) : Omnia (dicens) honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Unde rursus ad Hebræos profundissime scripsit (*Hebr.* xii, 22, 23.) : Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum.

Postremo posset istud exponi etiam de viis et motibus siderum materialium, cœ- C lestium orbium, de quorum naturis, officiis, motibus, aliqua docet theologia in sacris Scripturis, ut quum Jeremias asserit (*Jer.* xxxi, 35.) : Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ atque stellarum in lumine noctis. In Genesi quoque habetur (*Gen.* i, 14-18.), quod creavit Deus solem et lunam et stellas ut essent in signa et tempora, et dies et annos, et præessent diei ac nocti; in libro Job item (*Job* xxxviii, 31.) : Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

D *Hæccine præmia referimus, tibi obsequentes?* id est, an ista erunt præmia obedientium tibi, o theologia, videlicet tot adversa? Ad quod infra theologia respondet : Non utique, sed gloria sempiterna. Imo ex hoc evidenter probatur quod sit alia vita post præsentem, in qua erit retributio finalis et plena bonorum omnium ac malorum. Etenim plurimi justi in hac vita usque ad mortem premuntur adversis, et pro ipsa moriuntur justitia; iniqui vero prosperantur frequenter usque ad

obitum : aut ergo omnino negare oportet A providentiam atque justitiam Dei, aut concedere aliam vitam, in qua recipiat unusquisque quod meruit. Ad quod insinuandum Salomon ait : Peccator ex eo quod centies operatur malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bene timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. *Eccle.* VIII, 2.

Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti : beatas fore respublicas, si eas studiosi sapientiæ regerent. Hoc multo præclarius Sapientia summa atque fontalis theologia per auctores Scripturæ disseruit, quum in Ecclesiaste fassus sit Salomon : Væ tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ; beata terra cujus rex nobilis est : nobilis plane sapientia et virtute. *Ibid.* X, 16, 17. Hinc præcipuum Dei donum est et beneficium maximum, habere idoneum (id est sapientem et virtuosum) præsidentem, quia in hoc subditorum salus consistit, prosperitas, pax et profectus. Hinc rursus in Proverbiis dicitur : Quum defecerit Propheta, corruet populus ; et item : Regnantibus impiis, ruinæ C hominum. *Prov.* XXIX, 18 ; XI, 14. *Ibid.* XXVIII, 12. Sed et in Sapientiæ libro monetur : Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis ; rex sapiens populi stabilimentum est, multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum. *Sap.* VI, 23, 26. Itaque, sicut ex efficaci et digno prælato seu principe salus atque prosperitas populi sunt pendentes, ita ex vitioso indiscretoque præsidente subditi scandalizantur ac pereunt, quemadmodum apud Jeremiam legitur : Quia stulte egerunt pastores et Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex D eorum dissipatus est. *Jer.* X, 21. Præsidentis enim est subditos verbis exemplisque dirigere, vitia exstirpare, ordinate ac discrete conversari cum illis : quod totum ad sapientiam pertinet, prout sapientia includit prudentiam, cujus actus est discretio. Et sicut in Ethicis Philosophus protestatur : Solis virtuosis inest prudentia. Nec solum libros legendo ac audiendo, sed et intra se discutiendo et considerando, atque in actibus virtuosis se occupando, orando, et gesta Sanctorum sequendo, sapientiæ est studendum.

Tu ejusdem viri ore, etc. Ex his verbis jam satis expositis, ostenditur neminem curam reipublicæ, regimen animarum, præsidendi officium licite posse assumere, nisi intuitu et amore utilitatis communis, salutis et pacis subditorum, non proprii commodi aut honoris. Hinc avari, elati, ambitiosi, injusti inconsultissime agunt ad prælaturas et officia se ingerendo.

Consequenter, ex his quæ in textu de se ipso refert Boetius, docentur prælati ac B principes, officiati et judices, et omnes qui præsunt, in promotione sua ac præsidentia omnem ambitionem complacentiamque inanem vitare, sua quoque officia juste, exclusa omni humana formidine, exsequi, inferioribus item officiatis in eorum abusionibus ordinate resistere, præsertim ne pauperes injuste molestent, bonos tueri, fovere et consolari. Quod et aliqui reges ac principes christiani, plures quoque præsules sancti, strenue peregerunt : quorum nonnulli summos regum officiatos excommunicaverunt, ut B. Thomas Cantuariensis archiepiscopus, et Hugo præsul Lincolniensis, qui pro hujuscemodi causis et observatione justitiæ erant ad mortem promptissimi.

Postremo, in subsequentibus prosæ hujus verbis non video aliud de tropologia adjici oportere, nisi ut vigilantissime perpendamus quam prudens, constans et justus fuerit in omni officio suo Boetius, quam fervens et indefessus divini cultus zelator ac boni communis amator ac procurator, quam alienus ab ambitione, cupiditate, adulatione et inordinato carnali ac mundano timore. Tales etenim esse jugiter debent qui præsunt, quemadmodum in Exodo habetur : Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam ; et constitue ex eis qui judicent populum. *Exod.* XVIII, 21, 22. Tales etiam debent, quantum salva justitia queunt, pauperibus esse benigni, quemadmodum ait beatus Job : Quum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram ta- *Job* XXIX, 25.

men pauperum * consolator. Et denuo : Oculus (inquit) fui cæco, et pes claudo ; pater eram pauperum, et causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. Hæc utique investigatio valde spectat ad judices, nec damnare absentes, sed juxta tenorem ac ordinem juris procedere. Quod si adverterint se in aliquo horum defecisse, aut judicasse injuste, tenentur revocare errorem, sicque disponere ut satisfiat injuriato.

* mœrentium

Job XXIX, 15, 16.

Exemplo demum Boetii discamus in A omni persecutione, detractione, diffamatione, spoliatione, captivitate, oppressione patientiam observare, etiam si innocentes fuerimus, et multo plus si peccando meruimus talia. Unde in prima sua Canonica sacratissimus Petrus hortatur : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis ? Si autem bene facientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis.

I Petr. II, 19-21.

METRUM V

O stelliferi Conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio,
Rapido cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis :
Ut nunc pleno lucida cornu,
Totis fratris et obvia flammis,
Condat stellas luna minores ;
Nunc obscuro pallida cornu,
Phœbo propior lumina perdat ;
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora ;
Tu, quum fervida venerit æstas,
Agiles noctis dividis horas.
Tua vis varium temperat annum :
Ut quas Boreæ spiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes ;
Quæque Arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito, Rector, cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices ? Premit insontes
Debita sceleri noxia pœna :
At perversi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes ;
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, justusque tulit
Crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipsis
Fraus mendaci compta colore ;
Sed quum libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent subdere reges.
O jam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ salo.
Rapidos, Rector, comprime fluctus ;
Et quo cœlum regis immensum,
Firma stabiles fœdere terras.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO METRI HUJUS QUINTI.

IN hoc quinto libri hujus primi metro, A Boetius in persona hominis imperfecti exclamat ad Deum præ admiratione actuum humanorum, in quibus quædam videntur tam inordinata ut monstro appareant esse similia : ut quod justi, innocentes ac sapientes ab impiis et ignaris opprimuntur, atque iniqui sua desideria prava permittuntur implere, imo et prosperantur. Exclamat ergo ad Dominum, dicens :

O Conditor orbis stelliferi, id est firmamenti, in quo feruntur seu moventur stel- B læ ibidem fixæ. Nec solum hujus orbis seu sphæræ, sed omnium quoque sphærarum ac rerum Deus Trinitas est creator. Specialiter vero nominat hoc cœlum stellatum, quoniam magis apparet et cernitur, et hoc vere, aut apparenter.

Qui nixus, id est, residens seu quiescens, *solio perpetuo,* id est sede cœlesti : quæ quamvis incepit ex tempore et simul cum tempore, propter quod proprie non est æterna, est tamen perpetua. Nam quantum ad suam substantiam nunquam desi- C net esse. Et potest per cœlum specialiter accipi cœlum empyreum immobile, quod est mansio Beatorum : quod est sedes, thronus et locus Dei, non quod cœlo illo circumscribatur aut definiatur, aut situaliter sedeat ibi, quum sit infinitus, supersimplicissimus spiritus ; sed quia ibidem excellentius operatur, et evidentius se demonstrat. Et hoc cœlum vocatur unum de quatuor coæquævis, quæ sunt, angelus, cœlum, materia, tempus. Hinc per Isaiam Do-
Is. LXVI, 1; minus loquitur: Cœlum mihi sedes est. Un- D
Act. VII, 49. de secundum Philosophum primo Cœli, cœlum est locus deorum. Rursus, sedes Dei seu perpetuum solium ejus, est Ecclesia militans ac triumphans, similiter anima justi et unusquisque spirituum beatorum; specialiter quoque infimus chorus supremæ hierarchiæ (prout divinus Dionysius libro de Hierarchia cœlesti testatur): cujus cap. VII.
chori personæ tanta firmantur quiete, et tanta tranquillitate ornantur et gaudent, quod in eis Deus omnipotens quiescere ac per eas judicia sua disponere perhibetur. Et breviter, omnis mens creata in qua est Deus per dona gratiæ aut gloriæ, sedes Dei potest vocari.

Tu, o Conditor, qui *versas,* id est, assidue (imo continue) vertis ac moves, *cœlum* præfatum, imo omnes mobiles cœlos, *turbine rapido,* id est impetu valde veloci : imo motus primi mobilis, secundum philosophos, est tam velox ut nequeat per naturam velocior esse motus; atque ut ait Guillelmus Parisiensis libro de Universo, Motus ille mobilis primi indicibiliter velox est, et tam velox, ut quasi in ictu oculi percurrat multa milliarium millia. Quod facile est probare ex magnitudine corporis cœli illius, et spatii quod infra diem unum cœlum illud pertransit. Nam etsi in ictu oculi non plus pertransiret quam est dimensio molis minimæ stellæ fixæ, adhuc in ictu oculi plus pervolaret de spatio quam est longitudo terræ totius, quum minima stella dicatur major quam tota habitabilis terra. In quo demum genere causæ Deus sit motor cœli, dictum est in exposi- *Cf.* p. 52 B' et s.
tione metri secundi. Ex hac autem ineffabili celeritate motus tam magni corporis, refulget ineffabilis omnipotentia supergloriosissimi Creatoris. Propter quod Plato et Avicenna dixerunt cœlum esse animal magnum, Deo obediens.

Cogisque, id est, per modum cogen-

tis facis, *sidera,* tam fixa quam non fixa, *pati,* id est implere et exsequi, *legem,* id est jussionem et imperium Conditoris. Et potest hæc lex intelligi lex divina, exemplaris, increata, ad cujus constitutionem atque imperium stellæ et cetera cuncta moventur ; vel vis seu proprietas aut naturalis inclinatio stellis a Creatore impressa. Coactio quoque proprie sumpta, prout violentiam notat, in cœlestibus non est corporibus ; sed nunc extense suscipitur pro inductione aut motione Omnipotentis,
Esther xiii, 9, 11. cui nullus resistere potest. Quandoque etiam sumitur pro vehementi et quodammodo importuna instigatione alicujus ad aliquid : quemadmodum fertur in Genesi
Gen. xix, 3. de Lot, Compulit illos, videlicet angelos,
Luc. xxiv, 29. oppido, id est valde ; et in Luca, Coegerunt eum. Juxta sensum nunc tactum Deus sublimis et benedictus legem universis posuit creaturis. Unde in Proverbiis habetur :
Prov. viii, 27. Certa lege et gyro vallavit abyssos. Jere-
Jer. xxxi, 35, 36. mias quoque ait : Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis : Si defecerint leges istæ coram me, etc. In Job item dici-
Job xxviii, 25, 26. tur : Qui fecit ventis pondus et aquas appendit in mensura, quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus.

Consequenter declarat istud de stellis in speciali. De luna sic : O tu, inquam, qui « cogis sidera legem pati », *ut luna lucida nunc cornu,* id est circulo (quoniam globus lunæ est sphæricus), *pleno :* quod est in plenilunio ; *et obvia,* id est opposita, ut tempore oppositionis, *flammis totis,* id est integris radiis, *fratris,* id est solis : qui dicitur frater lunæ, vel quoniam ab eodem Creatore sunt conditi (unde et S. Franciscus solem consuevit fratrem vocare) ; vel propter similitudinem specialem cum sole quoad magnitudinem (et hoc quantum ad apparentiam potius quam secundum veritatem, quum unaquæque stella fixa multo major sit luna, quæ est infima inter planetas) ; et quia post solem clarius fulget
Gen. i, 16. (hinc comparatione solis vocatur luminare minus in Genesi) ; ratione quoque officii,
A quoniam præest nocti, quemadmodum sol diei. De qua legitur in Ecclesiastico : Luna Eccli. xliii, 6, 8, 9.
ostensio temporis et signum ævi, mensis secundum nomen ejus est ; crescens mirabiliter in consummatione : vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose. Porro radii solis vocantur flamma, quia per repercussionem et reflexionem calefaciunt et inflammant. *Condat,* id est abscondat, *stellas minores :* quarum quædam sunt tam parvæ, quod nunquam videntur a nobis ; et juxta Philosophum
B in libro de Cœlo, galaxias est refulgentia ex innumerabili multitudine stellarum parvarum de proximo conjunctarum. Aliquæ vero stellæ minores videri possunt, atque interdum videntur de nocte ; sed offuscantur lumine lunæ, secundum quod lumen minus fuscatur majore. *Pallida nunc,* id est luna diminutione luminis sui minus clara, *cornu obscuro,* id est parte sui cornuta obscuriore effecta, *propior Phœbo,* id est soli vicinior, *perdat lumina,* id est claritatem suam quoad partem nos respi-
C cientem. Paulatim enim minuitur lunæ lux, quam a sole sortitur, secundum quod magis soli propinquat : cui quum directe supponitur, omnino obscurata asseritur quoad partem inferius versam ; tunc quoque vocatur incensio. Tamen in re semper dicitur luna pro media parte clara, quum sit instar globi rotunda et solida, et pars ejus solem respiciens, ab eodem participet lucem.

Fuit autem Aristotelis opinio, quod sol sit proximus lunæ in ordine planetarum :
D quod etiam asserit Commentator. Alias alter planeta quam luna solem eclipsaret. Ptolemæus vero et Martianus aliique astrologi communiter tenent solem esse in medio planetarum : quod per experimenta astronomica invenerunt, per minores adspectuum diversitates in sole, quam in Luna, Mercurio et in Marte.

Consequenter idem declarat de alio planeta, videlicet Venere. *Et Hesperus,* id est, qui sic etiam cogis sidera legem pati, ut « et Hesperus », id est stella matutina,

de qua in Ethicis ait Philosophus, quod A nec Hesperus nec Lucifer est ita mirabilis et præclarus sicut justitia, *qui primæ tempore noctis,* id est in initio noctis, *agit ortus algentes,* id est, exordia suæ apparitionis exercet et habet frigida, eo quod tunc sol recedit et frigus augetur, *mutet iterum habenas solitas,* id est, rursus variet cursus suos consuetos, *Lucifer pallens,* id est effectus seu appellatus Lucifer, qui pallet, id est, minus lucere videtur, *ortu Phœbi,* id est, de mane quando sol oritur, cujus luce tunc offuscari et quasi pallere vide- B tur, quando et incipit disparere. Hinc aliqui sentiunt eumdem numero esse planetam qui de sero sequitur solem et in aurora præcedit, qui Venus vocatur. Alii asserunt duos esse planetas, videlicet, Martem de mane, qui Lucifer appellatur, Venerem autem apparentem ad vesperam, Hesperum nuncupari, ut tertio Etymologiarum refert Isidorus.

Hinc tangit effectum providentiæ Dei in dispositione inferiorum, ex mutatione duarum majorum partium anni, quæ sunt C æstas et hiems. *Tu,* o Conditor, *stringis,* id est abbrevias, *lucem,* id est tempus lucis diurnæ, videlicet diem, *breviore mora,* id est duratione, ita quod dies est brevior, *frigore,* id est tempore frigoris, *brumæ frondifluæ,* id est hiemis, in qua decidunt seu defluunt frondes seu frondium folia. *Tu* etiam *dividis,* id est distinguis, *horas agiles,* id est cito pertranseuntes, *noctis,* id est noctium æstivalium : unde subjungitur, *quum æstas fervida,* id est calida, *venerit,* quia tunc dies crescunt usque ad D æquinoctium, et noctes decrescunt. Sol quippe, sicut et ceteri planetæ, proprio motu movetur sub zodiaco ab occidente in orientem. In quo zodiaco sunt duodecim signa, quorum unum vocatur Cancer : ad quod sol perveniens, incipit retrocedere seu declinare per viam qua jam ante ascenderat ; tuncque dies breviantur et noctes prolongantur, quousque sol perveniat ad signum zodiaci dictum Capricornum : in quo inferiora, ut plantæ, arbusta et gramina, velut capri cornu sunt arida. Porro bruma significat hiemem, et dicitur quasi βρῶμα, quod est cibus : quia tunc frigus consumit terræ nascentia, atque restringit humores quibus arborum frondes aluntur, quibus subtractis nutriri nequeunt frondes, sed cadunt. Duplices quoque sunt horæ dierum ac noctium, puta æquales et inæquales. Horæ æquales sunt viginti quatuor horæ diei naturalis. Quæ horæ vocantur æquales, quia duodecim sunt horæ illius diei et totidem noctis, et horæ unius diei æquales horis alterius diei. Horæ vero inæquales sunt horæ diei artificialis : quoniam horæ diei hujusmodi non adæquantur horis noctis quantum ad numerum, nec horæ unius diei horis alterius, quamvis quælibet hora secundum se sit æque longa.

Deinde probatur providentia Dei ex divisione anni in quatuor partes. O Conditor, *tua vis,* id est omnipotentia sapientissima et providentissima, *temperat,* id est, distinguit et dividit, *varium annum* in quatuor partes, quæ sunt, ver, æstas, autumnus et hiems : quarum quælibet suas habet proprietates et qualitates, ut dictum est plenius metro secundo. In cu- [*Cf.* p. 54 D'.] jus expositione inducta sunt quæ hic dicenda essent de his partibus anni, et ventis de quibus hic agitur : ideo non est hic [ibid. B et s.] immorandum. *Ut mitis Zephyrus,* id est ventus sic appellatus, qui leniter flat, propter quod mitis vocatur, *revehat,* id est, reducat et de novo producat, *frondes,* non easdem numero, sed specie, *quas spiritus,* id est flatus, *Boreæ,* hoc est ventus Borealis, *aufert,* id est, arefacit et cadere facit. Zephyrus quippe seu ventus Favonius, est humidus et calidus, et per consequens vivificus, quoniam ex calore et humore mixta nascuntur : sicque ventus iste disponit atque cooperatur ad frondium et plantarum productionem. Est etiam ventus iste occidentalis, tendens ad austrum, tempore flans vernali, ut plurimum. Boreas autem est ventus siccus ac frigidus, et ex consequenti mortificans et

dejiciens frondes et folia ; estque ventus septentrionalis, flans communius in autumno. *Siriusque*, id est constellatio sic vocata, seu stella dicta Canicula, juxta quam sole exsistente, multum intenditur calor : unde tunc dies nominantur caniculares ; *urat segetes altas*, quæ tunc in altum creverunt et maturantur solis ardore, *quæ semina vidit Arcturus*. Hic est relatio ad rem, non ad dictionem præcedentem, ut sit sensus : « Quæ semina », id est quas segetes, « vidit Arcturus », id est constellatio seu stella sic dicta, quum segetes nondum segetes essent, sed semina : sicque vidit segetes in sua radice. Dicitur autem Arcturus semina vidisse, eo tropo quo mare fertur videre, juxta illud Psalmi : Mare vidit, et fugit. (*Ps.* cxiii, 3.) Vel « Arcturus vidit », id est respexit, « semina » per influxum, quoniam stella illa habet specialiter vim et influentiam super semina, seminata aptificando ad fructificationem : propter quod dicitur stella seminaria. Soletque accipi pro Quadriga ; atque (ut aliqui opinantur) hic potius sumitur pro illius auriga.

Ex prædictis particularibus infert auctor hanc universalem : *Nihil,* id est nullum ens, *linquit,* id est, derelinquit vel omittit, *opus,* id est cursum seu actum, *propriæ stationis,* id est suæ naturalis subsistentiæ seu conditionis, qua in suo stat ordine et natura. Nihilo minus in operibus miraculosis, per omnipotentiam Creatoris creatura ad tempus vel instans relinquit quod naturæ suæ est : imo et in actibus violentis, ut dum lapis projicitur sursum.

Consequenter resumit Boetius quod frequenter jam tetigit, utpote, quod res humanæ et hominum actus non videntur divina providentia gubernari ordinateque dirigi. Quod dicit admirando, non asserendo, et in persona hominis imperfecti, turbati, afflicti, non secundum censuram rationis superioris, ut sæpius tactum est.

Præmittit tamen unum versiculum, secundum rationis judicium dicens : *Omnia certo fine gubernas**. (* *gubernans*) Sensus est : O Conditor, tu « gubernas omnia certo fine », id est dirigendo ea ad finem convenientem ac certum, quem eis in tua sapientia præfixisti : regere namque est rem ad suum finem dirigere per media apta. Etenim supersapientissimus Deus nil frustra creavit neque instituit, sed ob congruum finem operatus est universa, et ad ipsum obtinendum indidit eis naturalem inclinationem : quæ inclinatio est quædam ad finem tendentia. Hinc quoque, secundum Philosophum, Deus et natura nil faciunt frustra. Et natura ab intelligentia regitur, et hæc a prima causa. Quod et in libro de Causis asseritur, quo habetur : Prima causa regit res omnes absque hoc quod commisceatur eis ; et rursus, Causa prima omnia regit per finem decoris, id est cum summo decore. Hinc apud Job inducitur : Universorum finem ipse considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. (*Job* xxviii, 3, 24.) Unde de increata Sapientia in libro Sapientiæ conscriptum est : Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. (*Sap.* viii, 1.)

Respuis, id est, abnuis et contemnis, *cohibere,* id est sub certis limitibus coarctare ac moderare, *merito* (id est justo ac debito) *modo,* o omnium *Rector, solos hominum actus,* ut superficialiter quibusdam videtur, qui ordinem divinæ providentiæ non advertunt satis profunde, sed solum attendunt facta hominum in se, non considerando omnia quæ circumstant, nec modum atque perfectionem divini regiminis, ultimatumque finem universorum ac singulorum. Denique, quum Deus unumquodque gubernet secundum exigentiam ac dispositionem suæ naturæ, ipse quoque homo liberi sit arbitrii, decuit eum aliter gubernari quam naturalia et irrationalia, utpote conservata arbitrii libertate ; nec aliter hominum actus meritorii et demeritorii essent. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. (*Eccli.* xv, 14.) Sicque Deus sanctus et justus permit-

tit justo ac sapientiali judicio fieri multa et magna mala, quæ tamen ipse non permittit esse inordinata : imo per pœnas ordinat ea, et in eis ostendit justitiam suam, imo et sapientiam suam immensam, eliciendo ex eis plurima bona. Propter quod in Enchiridio sanctus asserit Augustinus : Tam bonus et sapiens est Deus, quod non permitteret fieri mala, nisi posset et vellet ex eis elicere bona.

Consequenter aliqua tangit auctor quæ videntur providentiæ derogare.

Nam cur fortuna lubrica, id est incerta, vaga, nutans, instabilis, *versat,* id est, assidue vertit ac variat, *tantas vices,* id est tot ac tantos eventus incertos, irrationabiles et injustos in actibus hominum, ut apparet? *Noxia pœna,* id est pœna naturæ aliquo modo nociva, *debita sceleri,* id est peccato præcipue magno. Culpæ etenim pœna debetur, ut quod inordinatum est per peccatum, ordinetur per justum supplicium, sicque voluntas quæ peccando indulsit et acquievit sibi ipsi contra Dei præceptum sive consilium, sustinendo tormentum subdatur voluntati divinæ contra propriam inclinationem et appetitionem, et refrenetur ac redigatur sub jugo. Hinc scriptum est apud Job :
Job XXIV, 12. Deus inultum abire non patitur; in Apo-
Apoc. XVIII, 7. calypsi quoque : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. *Premit,* id est, gravat et opprimit, *insontes,* id est innocentes, qui absque suis demeritis puniuntur, non tamen sine rationabilibus causis in sapientia divinæ providentiæ comprehensis. Et
Job XVI, 18. juxta hoc beatus Job loquitur : Hæc passus sum absque iniquitate mea, quum mundas haberem ad Deum preces. Unde et
Is. LVII, 1. per Isaiam dicitur : Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo; et viri misericordiæ colliguntur, et non est qui intelligat.

At mores perversi, id est perversorum morum homines, utpote immorigerati, passionati, iniqui, *resident solio celso,* id est in sede et auctoritate sublimi, ut sunt reges, præsides judicesque iniqui, et omnes qui præsunt indigne. Verumtamen, sicut nunc dicam, istud non derogat providentiæ atque justitiæ Dei. *Nocentesque calcant sancta colla,* id est, impii tales suppeditant homines sanctos, et virtuosos actus eorum; sacra quoque, ut sunt templa et vasa cultus divini, quæ tempore Boetii ab Arianis conculcabantur, quemadmodum etiam in veteri Testamento gentiles profanaverunt sacra Judæorum, juxta
illud : Sancta tua conculcata sunt; *vice* I Mach. III, 51.
injusta, id est retributione prorsus perversa, reddendo mala pro bonis, juxta il-
lud in Psalmo : Retribuebant mihi mala Ps. XXXIV, 12.
pro bonis.

Clara virtus, id est quæcumque virtus in se clara, nobilis, splendida, et specialiter justitia, quæ teste Philosopho, est præclarissima virtus, *condita,* id est posita in conscientia pura seu abscondita, *latet obscuris tenebris,* id est, ignota est per sinistras interpretationes pravorum, qui recta pervertunt, et bona interpretantur in pejus. Quibus dicitur per Isa-
iam : Væ qui dicitis malum bonum, et Is. V, 20.
bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. « Latet » etiam justitia innocentium « obscuris tenebris », id est per occulta munuscula, susurria et conficta testimonia iniquorum, per quæ judices corrumpuntur, et justas causas subvertunt. Propterea in Exodo Dominus
jubet præsidenti ac judici : Non acci- Exod. XXIII, 8.
pies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. *Justusque tulit crimen iniqui,* id est, crimen hominis vitiosi sæpe imponitur justo, et sic ei infligitur pœna debita crimini seu criminoso, prout in Proverbiis
Salomon protestatur : Callidus vidit ma- Prov. XXII, 3; XXVII, 12.
lum, et abscondit se; innocentes et parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

Nil perjuria nocent perjuris, ut apparet, dum in præsenti non sustinent pœnam pro ipsis, *nil fraus mendaci compta colore,* id est apparatu alicujus verisimilitudinis aut verborum ornatu, *nocet ipsis*

mendacibus : *sed* ipsi iniqui multitudine A sua armati *gaudent subdere reges summos*, id est valde sublimes, *quos metuunt populi innumeri*, id est numero copiosi et præ multitudine quasi innumerabiles, *quum libuit*, id est, dum placuit illis iniquis, *uti viribus* pro justitia. Quasi dicat : Interdum in tantum insaniunt impii, vitiosi, ut et contra reges insurgant.

Circa hæc intuendum, quod universitatis Creator ac Dominus cuncta pulcherrime regit : attamen unumquodque operari permittit secundum suam naturam, ita B quod in inferioribus multa contingunt non de necessitate, neque ut semper, sed ut frequenter, aut etiam raro atque a casu. Nihilo minus omnia ista cadunt et continentur sub ordine divinæ providentiæ. Quumque genus humanum sit fragile, ita quod multum difficile est hominibus a rectitudine non deficere neque peccare, præstitit eis adjutorium multiplex, et angelos sanctos custodes. Quod non solum Christus et Scriptura testantur, sed et philosophi quidam, præsertim Platonici, et C Plato ipse in Phædone, Apuleius quoque in libro de Deo Socratis, tetigisse censentur. Et ut scribit Albertus in commentario suo super librum de Causis, Aristoteles quoque in libro de Natura deorum pro magna parte ipsis consentire videtur : imo, ut in libro suo de Universo Guillelmus Parisiensis frequenter inducit, ipse Aristoteles gloriabatur sibi advenisse spiritum quemdam de cœlo Veneris, et eum sibi familiarem fuisse. Attamen liberum hominis arbitrium permanet liberum, nec D coarctatur ad bona, sed peccat deficitque multoties, ita quod multa fiunt illicita, inordinata, et contra ordinem sapientiæ atque justitiæ particularem : quæ si referantur ad universalem ordinem providentiæ, sapientiæ ac justitiæ Dei, sunt, fiunt aut permittuntur juste ac sapienter, atque per Dei providentiam emendantur ac ordinantur ; nec ita casu aut fortuna contingunt, quin ex divina providentia oriantur ac moderentur, prout hoc

Matth. xviii, 10 ; *Hebr.* i, 14.

infra in quarto et quinto libro patebit.

Sic ergo injusti ac reprobi sæpe in sæculo isto exaltantur et præsunt, justosque premunt, affligunt, occidunt ad electorum purgationem, exercitationem, profectum beatitudinemque majorem. Denique impii multa agunt quæ sunt bona ex genere, pro quibus in hac vita remunerantur per prospera mundi, sicut et justi aliquando peccant, propter quod corrigi promerentur. Multi quoque tam pravi sunt, quod justo Dei judicio eis præficiuntur indigni prælati et principes vitiosi, quemadmodum per Osee Dominus loquitur : Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea ; per Isaiam quoque : Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Unde et in Job apertissime dicitur : Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.

Osee xiii, 11.

Is. iii, 4.

Job xxxiv, 30.

Hinc secundum istum respectum, omnia secundum tenorem ac ordinem universalis providentiæ Dei ordinate procedunt, et juste ac sapienter desuper disponuntur, et unicuique impio ineffabiliter nocet iniquitas sua, imo potissime eis qui in hac vita non puniuntur. Quod totum in extremo judicio patebit ad oculum, et interim sapientibus innotescit per fidem ac illuminationem supernam, per considerationem quoque frequentem. Idcirco per Malachiam Dominus loquitur : Videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei : ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet eis radicem.

Malach. iii, 18 ; iv, 1.

Præterea imperfectis carnalibusque hominibus ista non advertentibus, interdum videtur quod actus humani reguntur fortuna magis quam providentia Dei. In quorum persona Boetius ista expressit. De quibus Ezechiel ait propheta : Dixerunt, Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Unde et apud Job dicit sermo divinus : An cogitas quod Deus excelsior

Ezech. ix, 9.

Job xxii, 12-14.

cœlo sit? Nec nostra considerat, et circa A cardines cœli perambulat?

Postremo in metro isto fit invocatio Dei, ut actus humanos dignetur gratiosius gubernare.

O quisquis, id est tu qui ; vel, tu quicumque, quoniam te comprehendere et digne exprimere non valemus ; *nectis fœdera rerum,* id est coordinantias et proportiones rerum ad invicem, ita quod omnia quantumcumque diversa ac plurima, sunt pulcherrime et sapientissime coordinata, connexa, ac invicem comproportionata : B
Cf. t. XV, p. 22 B; XVI, p. 69 C. ita quod teste divino Dionysio, ordo est intimus rebus ; et juxta Philosophum, species rerum se habent ut numeri. Unde et Proclus Platonicus in Elementatione theologica loquitur : Omnium divinorum ornatuum suprema inferiorum nectuntur infimis superiorum. *Respice* oculo pietatis paternæ providentialisque curæ, *terras miseras,* id est miseros homines in terra degentes. Nempe per terram intelliguntur frequenter habitantes in terra, sicut in
Ps. LXV, 4. Psalmo, Omnis terra adoret te : sicut per C domum familia, et per locum locata.

Nos *homines* exsistentes *pars non vilis operis tanti,* utpote totius universi : cujus dignissimæ partes sunt intellectuales creaturæ angeli et homines ; sicque præstantior pars mundi inferioris est genus humanum. Propter quod in libro Physicorum ait Philosophus, quod nos sumus quodammodo omnium finis. *Quatimur,* id est concutimur, *salo,* id est mari seu amaro eventu, *fortunæ,* quoniam casualiter, fortuite valdeque improvise multa adversa D et aspera nobis contingunt. O *Rector* universorum, *comprime,* id est, moderare et refrena, *fluctus rapidos,* id est impetuosas adversitates et tribulationes instar fluctuum abundantes ; *et firma terras stabiles,* id est, habitantes in terra jugiter permanente, per scientias et virtutes corrobora, *fœdere,* id est pacto pacis, *quo regis cœlum immensum,* id est valde magnum, et comparatione terrestrium quodammodo infinitum, quum minima stella visibilis major sit tota terra. Et per cœlum intelliguntur spiritus omnes cœlestes ac triumphans Ecclesia.

Multipliciter autem aliquid dicitur infinitum, videlicet, actu et potentia, materialiter et formaliter, intensive et extensive, simpliciter et absolute, multitudine et magnitudine, spiritualiter quoque et corporaliter. Certumque est quod Deus dumtaxat sit vere et absolute, actualiter et perfectionaliter penitus infinitus : qui cetera cuncta constituit in numero, pon- *Sap.* XI, 21.
dere et mensura, ut in libro Sapientiæ scriptum est. Creatura ergo non est simpliciter infinita, sed respective, et quantum ad aliquid. Et ita in Ecclesiastico scriptum est : Quæ est vita mea in tam *Eccli.* XVI, 17.
immensa creatura? Et Baruch ait : O Is- *Baruch* III, 24, 25.
rael, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus et non habens finem, excelsus et immensus. Insuper terra dicitur stabilis duratione et loco, et quoniam quoad se totam nunquam movetur. Unde in Ecclesiaste habetur : Generatio præterit, et generatio advenit ; *Eccle.* I, 4.
terra vero in æternum stat.

ARTICULUS XXI

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS METRI QUINTI.

QUEMADMODUM metrum hoc quantum ad sensum litteralem multum coincidit et concordat cum metro secundo, ita et quantum ad mysticum intellectum. Juxta quem per stelliferum orbem designatur tam militans quam triumphans Ecclesia :

quarum qualibet caritatis suæ magnitu- A dine et fervore omnia ambit, comprehendit et continet, sicut cœlum omnia inferiora. Atque in unaquaque earum tot sunt stellæ quot electæ et sanctæ personæ : quæ « rapido turbine » versantur, quoniam indesinenter caritatis ardore ac sapientiæ contemplatione feruntur et tendunt in Creatorem ; quæ et legem sibi a Deo præfixam inviolabiliter et uniformiter servant, præsertim in triumphanti Ecclesia.

Denique utraque Ecclesia comparatione Christi, qui est sol sapientiæ solque justitiæ, luna vocatur, et tendit obviam « totis flammis fratris » sui, id est illuminationibus inflammantibus et inflammationibus illuminativis Christi, qui est frater Ecclesiæ quantum ad assumptam humanitatem. Utraque item Ecclesia tantæ est perfectionis et gratiæ, tantæ copiositatis et universalitatis in omni dono supernaturali, quod ejus comparatione « stellæ minores », id est personæ minus perfectæ, fuscantur et parvi fulgoris videntur. Verum comparatione Christi, præsertim secundum quod Deus est, « lumina perdit », quia imperfecta et minus luminosa consistit.

Insuper, per Hesperum seu stellam matutinam, potest intelligi sacratissima Virgo, quæ propinquissime sequitur solem sapientiæ Christum, et interdum ipsum præcedit reconciliando nos ei nostraque corda præparando ad ipsius adventum ac gratiam. Per brumam demum seu hiemem, spiritualiter sumitur tempus tentationis et tribulationis : in quo noctes sunt longiores et dies breviores, quia tunc minus experimur lucem miserationis divinæ, gratiam consolationis, et spiritualem fervorem. In æstate vero, id est tempore illuminationis, inflammationis et fecundationis internæ, dies sunt longiores, quia tunc diuturnius et exuberantius experimur radios illustrationis, flammas devotionis, rorem consolationis unigeniti Filii Dei.

Amplius, fideles et electi aliquando tot tentationibus, fluctuationibus et ariditatibus B implentur et affliguntur in vita hac, nec tam cito exaudiuntur a Deo, ut eis quodammodo videatur quasi sint a Deo relicti, nec ipse eorum habeat curam. Attamen si non cessent clamare ad Dominum, cito exaudientur ; nec inde commovebuntur, si videant impios peccare impune, et per adulationes, fraudes, mendacia adipisci quæ cupiunt ac promoveri : imo eis potius condolebunt, certi quod omnia quæ fiunt adducet Deus in judicium. (*Eccle.* XII, 14.) Ideo deprecabuntur Altissimum ut C Ecclesiam militantem et cunctos credentes dignetur per gratiam et virtutes infusas ac copiosum profectum in eis constabilire, indesinenterque regere ad imitationem triumphantis Ecclesiæ, ut fiat voluntas Dei in terra sicut in cœlo (*Matth.* VI, 10.) : nam et juxta Apostolum, optimum est cor gratia stabiliri. (*Hebr.* XIII, 9.)

Hanc expositionem tetigisse tantumdem sufficiat, quoniam ex præinductis plenius patet.

PROSA V

HÆC ubi continuato dolore dilatravi, illa vultu placido nihilque meis questibus mota : Quum te, inquit, mœstum lacrimantemque vidissem, illico miserum exsulemque cognovi ; sed quam id longinquum esset exsilium, nisi tua prodidisset oratio, nesciebam. Sed tu tam procul a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti. At si te pulsum existimari mavis, te potius ipse pepulisti : nam

id quidem de te nunquam cuiquam fas fuisset. Si enim cujus oriundus sis patriæ reminiscaris, non (uti Atheniensium quondam) multitudinis imperio regitur, ἀλλὰ εἷς βασιλεύς ἐστιν, εἷς κοίρανος : qui frequentia civium, non depulsione, lætatur; cujus agi frenis atque obtemperare justitiæ, summa libertas est. An ignoras illam tuæ civitatis antiquissimam legem qua sancitum est, ei jus exsulare non esse, quisquis in ea sedem fundare maluerit? Nam qui vallo ejus ac munimine continetur, nullus metus est ne exsul esse mereatur; at quisquis inhabitare eam velle desierit, pariter desinit etiam mereri. Itaque non tam me loci hujus quam tua facies movet. Nec bibliothecæ potius comptos ebore ac vitro parietes quam tuæ mentis sedem requiro : in qua non libros, sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum sententias collocavi. Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis, vera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi pauca dixisti. De objectorum tibi vel honestate vel falsitate, cunctis nota memorasti. De sceleribus fraudibusque delatorum, recte tu quidem strictim attingendum putasti, quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia vulgi ore celebrentur. Increpuisti etiam vehementer injusti factum senatus. De nostra etiam criminatione doluisti, læsæque opinionis damna flevisti. Postremo adversus fortunam dolor incanduit, conquestusque es non æqua meritis præmia pensari. In extremo Musæ sævientis, ut quæ cœlum, terras quoque pax regeret, vota posuisti. Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt; uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia contingunt. Itaque levioribus paulisper utemur, ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus induruerunt, ad acrioris vim medicaminis recipiendam, tactu blandiori mollescant.

ARTICULUS XXII

EXPLANATIO QUINTÆ PROSÆ HUJUS.

HUCUSQUE Boetius suas affectiones, dolores tristitiasque descripsit, et causas aperuit earumdem. Hic recitat qualiter Philosophia omnia hæc patienter ac tranquille audivit, atque ad ea pertinenter respondit, et consolationem, informationem remediumque adhibuit.

Hæc ubi continuato dolore dilatravi, id est, postquam instar canis latrando protuli verba præcedentis metri ac prosæ : in quibus providentiæ atque justitiæ Dei aliqualiter visus sum derogasse, dicendo quod opera Dei essent monstro similia, et quod ipse respueret curam habere actuum humanorum; sicque ut canis latravi. *Illa,* utpote Philosophia, *vultu placido nihilque meis questibus,* id est querimoniis, *mota,* id est irrationabiliter non commota, ut decuit probitatem et sapientiam ejus, sicut de Anna allegatum est supra, quod vultus I *Reg.* I, 18.
ejus non sunt amplius in diversa mutati. Attamen meo errori et inordinato modo loquendi fuit mente compassa : quamvis hoc non monstravit forinsecus, ne me afflictum magis affligeret, sed suæ tranquillitatis exemplo ad patientiam provocaret.

JOANNES. — Videtur quod potius debuit mœrorem compassionemque cordis foris ostendere, quia ut allegasti, in Ecclesiaste scriptum est : Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *Eccle.* VII, 4.

DIONYSIUS. — Hoc implendum est loco et tempore opportuno, sicut et illud quod verbis illis præmittitur : Melior est ira risu. *Ibidem.* Quibus verbis pro causa subjungitur : quia per tristitiam vultus, etc. Quod intelligendum est de ira per zelum. Si autem quis peccet cum dissolutione et inani lætitia, reprimendus est per vultus tristitiam ; si vero per pusillanimitatem tristitiamque offendat, ædificandus est tranquillitate et patientia audientis.

Quum te, o Boeti, *inquit* Philosophia, *mœstum* animo *lacrimantemque vidissem.* Ex dolore etenim et mœrore lacrimatio oritur : quoniam mœror et dolor sunt passiones afflictivæ, facientes compassionem in corpore, comprimuntque folliculos cerebri, in quibus humor aqueus continetur ; et ita exprimitur ac defluit inde fletuum humor.

JOANNES. — Nonne frequenter ex lætitia aliqui subito resolvuntur in lacrimas ? Quomodo igitur ex mœrore ? Et si passiones illæ comprimunt et restringunt, potius claudunt : non ergo lacrimas extorquerent.

DIONYSIUS. — Lætitia aperit et dilatat, ac per hoc aqueum illum educit humorem : qui ex vasculo molli non solum apertione sed et compressione educitur, ut cernis in spongia humectata.

Illico, id est statim per lacrimas tuas, *miserum exsulemque cognovi,* id est, consideravi te esse dolorosum et exsulatum. Et certe miserum recte te judico, qui propter temporalia damna et corporalia adversa adhuc immoderate tristaris, doles ac ploras, quum talia sint intuitu et amore imitationeque Christi et pro fructu multiplici æquanimiter toleranda. « Cognovi » A ergo te « exsulem » esse, id est exsuli similem, et spiritualiter exsulem, id est a rectæ rationis judicio et pectoris pace ac vera salute (in quibus vir virtuosus ac sapiens habitat et quiescit) extraneum. Imo, quum juxta Platonem in primo Timæi ac Phædone, facta sit anima rationalis ut in stellarum contuberniis atque sidereis mansionibus contemplationi vacet primi ac summi opificis et ordinis universi, constat quod in terris tanquam in exsilio detineatur. Sic quippe inducit Plato B omnium patrem diis deorum præcipientem ut fœnus corpori accommodatum, videlicet animam, post corporis dissolutionem ac fœnoris purgationem rursus recipiant ad se. Quæ etiam fuit doctrina Pythagoræ : qui et infernum dixit esse in medio terræ, ut libro de Cœlo et mundo Aristoteles refert.

Sed quam id longinquum esset exsilium, nisi tua prodidisset oratio, nesciebam, id est, ignorabam quam remotum a salute, quam diuturnum duratione esset C tuum spirituale exsilium, « nisi oratio » (id est sermocinatio) « tua id prodidisset », id est reserasset, quia ex verbis tuis præhabitis innotescit quod plurimum erres.

Sed tu tam procul, id est valde remote, *a patria* spirituali, videlicet a tranquillitate atque judicio rationis, *non quidem pulsus es, sed aberrasti,* id est, non violenter et coacte sed propria libertate recessisti, consentiendo iniquitati atque tentationibus inimici. Peccatum enim est voluntarium, et hostes animæ possunt D peccatum suggerere et ad peccandum inclinare, non necessitare. Hinc subditur :

At si te pulsum existimari mavis, id est, si potius vis putari quod de patria tua expulsus sis, *te potius ipse pepulisti,* id est, ad hoc dico quod ipse te inde ejecisti libere, consentiendo illicitis et motibus passionum, magis quam sapientiæ ac lumini rationis inhærendo : sicque cum filio prodigo abisti in regionem longinquam, in qua dissipasti substantiam animæ tuæ, id est, gratiam ac virtutes amisisti. *Luc.* XV, 13.

Nam id quidem de te nunquam cuiquam fas fuisset, id est, nunquam alicui licuisset expellere te de spirituali patria tua nunc præfata omnino invitum, quia voluntas absolute cogi non valet. Imo secundum Augustinum, nihil tam est in potestate voluntatis ut ipsamet. Idcirco de his qui dicunt hominem necessitate peccare, ut ex fatali influxu, seu quia præscitus
Ps. xx, 12. est, Psalmista loquitur Deo : Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.

Si enim cujus oriundus sis patriæ reminiscaris, id est, si reminiscaris ex qua patria natus sis, *non (uti Atheniensium quondam) multitudinis imperio regitur,* id est, patria tua non gubernatur regimine plurimorum, quo plures præsunt ac regunt, quemadmodum communitas Atheniensium. Deinde in textu sequuntur aliqua verba Græca : ἀλλὰ εἷς βασιλεύς ἐστιν, εἷς κοίρανος. Quorum sensus est : sed unus dominus est, unus rex, supple, qui regit terram tuam. Quod ad litteram forsitan accipi posset de urbe Roma atque Italia, quæ a tempore Julii Cæsaris gubernata est regimine monarchico et regali, quo unus præsidet toti multitudini residuæ sibi commissæ : quanquam et aliter aptius exponatur, ut mox patebit. *Qui frequentia civium, non depulsione, lætatur.* Communiter enim reges Romanorum maluerunt Romam inhabitari a multis ; nec in expulsione atque exsilio civium, sed in eorum multitudine gloriabantur, nisi pro communi bono necessarium fuerit quosdam expelli. *Cujus agi frenis,* id est cujus regis prohibitionibus refrenari ac dirigi, *atque obtemperare justitiæ,* id est obedire præceptis affirmativis regis illius, quæ sunt de actibus justitiæ exsequendis, præsertim prout justitia est virtus communis, *summa libertas est,* id est, libertas est valde magna ac nobilis. Nam sicut vilissima servitus est vitiis subjacere ac deservire, ita clarissima est libertas virtutibus inhærere et obsequi æquitati, sicut et Deo servire, regnare est.

A *An ignoras illam civitatis tuæ antiquissimam legem qua sancitum est,* id est firmiter ordinatum, *ei jus exsulare non esse,* id est exsilium pati fas (id est licitum) non esse, *quisquis in ea sedem fundare maluerit,* id est, quicumque voluerit etiam per effectum, mansionem et domum in ea fundare, id est stabiliter collocare, magis quam alibi ? Hoc namque olim statuerunt Romani, ut acquirerent habitatores suæ prægrandis urbis : et de hoc et consimilibus multa scribit Orosius ad Au-
B gustinum.

Nam qui vallo ejus, id est muro urbis Romanæ, *ac munimine,* id est defensione, auxilio, privilegiis ejusdem, *continetur,* id est, gaudet ac cingitur, *nullus metus est* illi, id est, formidare non habet, *ne exsul esse mereatur,* quia ut dictum est, ab hac pœna ratione inhabitationis securus est. Quod si hoc ita litteraliter accipiatur de Roma, non esset observatum in isto Boetio, quem Theodoricus tyrannus contra illud privilegium exsulavit. Scipi-
C onem quoque Africanum diu ante in exsilium misisse leguntur Romani. Ideo forsan non est istud ad litteram capiendum de Roma, nisi cum modificatione majori. *At quisquis eam inhabitare velle desierit,* id est, quicumque cessarit commorari in ea, quia de velle conjuncto effectui loquitur, *pariter desinit etiam mereri,* id est, de cetero indignum se facit privilegio non exsulandi, nec illud amplius promeretur.

Itaque non tam loci hujus quam tua
D *me facies movet,* id est, ad compatiendum tibi magis me excitant pallor et macies tristisque apparatus tui corporei vultus, seu etiam indispositio tui intellectus, quam « facies » carceris hujus, utputa squalor et vilitas ejus.

Nec bibliothecæ potius comptos ebore ac vitro parietes quam tuæ mentis sedem requiro, id est, « nec requiro », nec opto, nec exigo « potius parietes bibliothecæ », id est librariæ seu loci studii, « comptos », id est decoratos, « ebore ac vitro », id est

eburneis imaginibus et sculpturis vitreisve A fenestris. Hoc dicit Philosophia, quia Cf. p. 93 A. jam ante deplanxit Boetius pulchritudinem suæ bibliothecæ sibi esse ablatam : Hæccine, inquiens, est bibliotheca quam certissimam tibi sedem delegeras? Ad quod Philosophia plenius adhuc respondet, subdendo, « quam tuæ mentis sedem requiro », id est, ornatum sapientiæ tranquillitatemque animæ tuæ multo plus quæro et diligo quam illa exteriora. *In qua non libros, sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum sententias* B *collocavi :* hoc est, « in qua » scilicet mente « collocavi non libros » corporales essentialiter, sed per similitudines intelligibiles, quo modo juxta Philosophum lapis non est in anima, sed species lapidis ; « sed id quod facit libris pretium », id est valorem ac dignitatem, puta « sententias », id est scientias, imo et sensus sublimes, « librorum » materialium, in quibus continentur sententiæ illæ sicut signatum in signo, « quondam meorum », id est, qui libri olim fuerunt philosophorum, qui sunt C professores atque alumni mei.

Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis, vera quidem, sed pro mul- Cf. p. 95 C et s. *titudine gestorum tibi pauca dixisti :* id est, « tu », o Boeti, « dixisti » in præcedenti prosa « vera de tuis meritis », id est virtuosis et meritoriis actibus tuis, « in commune bonum », id est, quæ egisti pro bono communi et prospero reipublicæ statu ; « sed » juxta exigentiam multitudinis hujusmodi actuum « pauca » locutus es ad defensionem famæ tuæ, quoniam D multo plura bona egisti quam recitasti.

De objectorum tibi vel honestate vel falsitate, cunctis nota memorasti, id est, ea quæ memorasti seu retulisti atque ad continuandum præteritorum memoriam conscripsisti de honestate, veritate aut falsitate accusationum tibi impositarum, « nota » sunt « cunctis » hominibus, id est quibusdam de omnibus, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum.

De sceleribus fraudibusque delatorum, id est accusatorum tuorum, qui tibi mendaciter imposuerunt diversa objecta, *recte tu quidem strictim attingendum putasti,* id est, rationabiliter intra te sensisti et tantum tangendum putasti, *quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia vulgi ore celebrentur,* id est, eo quod celebriter denuntientur ore vulgarium, qui melius et copiosius sciunt qualiter ista se habeant, ne videaris ex prava radice accusatores tuos reaccusare, et reddere mala pro malis.

Increpuisti etiam vehementer injusti factum senatus, id est, fortiter reprehendisti incautum judicium senatorum, qui te absentem judicaverunt, nec injustam suam voluerunt revocare sententiam. *De nostra etiam criminatione doluisti,* hoc est de nostra falsa accusatione ac diffamatione, qua quidam nobis imposuerunt quod te magicis artibus et superstitiosis doctrinis informaverimus ; *læsæque opinionis damna flevisti,* id est diffamiam tuam atque incommoda et scandala inde sequentia.

Postremo adversus fortunam dolor incanduit, id est, fervide doluisti contra fortunam, eo quod actus fortuiti divinæ justitiæ ac providentiæ derogare videantur, *conquestusque es non æqua meritis præmia pensari,* id est, de hoc induxisti querelam quod operibus non redditur justa merces, eo quod justi ac sapientes ab injustis et imperitis ac insipientibus in vita hac opprimantur. Quod tamen, sicut ostensum est, non derogat providentiæ Dei. Cf. p. 104 C, 122 C, 124 B et s.

In extremo Musæ sævientis, id est in fine metri præcedentis, in quo ut fassus es, contra Providentiam severiter visus es loqui, dicendo quod Deus respuat attendere actus humanos, *ut quæ cœlum, terras quoque pax regeret, vota posuisti,* id est, effudisti preces seu desideria « ut pax quæ » regit « cœlum, regeret quoque terras », id est, ut Deus conformi concordia regat homines ac terrena, qua regit angelos ac superna. Porro pax increata,

quæ est pax æternitatis, omnia regit efficienter. Pax vero creata regit formaliter : sic et pax angelorum cœlos moventium hominesque custodientium, regit corpora superiora et inferiora. Pax autem et concordia regentium inter se, multum confert ad salubrem et stabilem inferiorum dispositionem.

Consequenter pandit Philosophia qualiter ad consolationem et curam Boetii sit tendendum.

Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, id est, copiosus impetus passionum te invasit, impugnat et inquietat, *diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt,* id est, passiones iracundiæ, tristitiæ ac doloris te distrahunt ad diversa, et ab intellectuali consideratione ac recollectione impediunt ; *uti nunc mentis es,* id est, prout adhuc es in mente dispositus, *nondum te validiora remedia contingunt,* id est, nondum capax es perfectiorum spiritualium medicinarum, quæ ex sapientia metaphysicali accipi queunt, ut speculationes sunt divinorum : quemadmodum Apostolus se lacte ait eos potasse qui nondum solidum cibum valebant accipere. Nam et actus activorum sunt in patientibus prædispositis, nec sanat oculum quod sanat calcaneum : imo, sicut diversæ ægritudines corporales diversas exigunt medicinas, sic et diversæ infirmitates spirituales.

1 *Cor.* III, 2.

Itaque levioribus paulisper utemur, id est, ad aliquantulum tempus applicabimus tibi medelas facilius tolerandas, *ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus induruerunt,* id est, quatenus motus passionum in te multoties iterati et quasi in habitum versi, recentibus affectionibus inordinatis sæpe in appetitu surgentibus, *ad acrioris vim medicaminis recipiendam, tactu blandiori mollescant,* id est, paulatim minuantur, sedentur et expellantur exhortatione paterna, pia, prudenti.

Loquitur autem Philosophia de spirituali infirmitate per metaphoram a corporali invaletudine sumptam, in qua humores superflui, liberum exitum non habentes, congregantur atque in ulcus seu apostema erumpunt ac indurantur. Ad cujus curationem primo adhibentur medicinalia resolventia, maturantia, mollificantia, deinde evacuantia : ita in curatione spiritualium infirmitatum graviorum ac inveteratarum oportet a facilioribus inchoare, causas earum excidere, incitamenta ad vitia ab invicem separare, sicque mentem emollire ad pœnitendum, ad confitendum, ad satisfaciendum et emendandum. Non ergo ab aspera et invectiva reprehensione est incipiendum, imo implendum est quod libro de Quatuor virtutibus Seneca loquitur : Alienorum vitiorum nec curiosus sis explorator, neque acerbus reprehensor, nec cum exprobratione corrector, ita ut admonitionem hilaritate prævenias. Et quamvis dicatur in textu, « tactu blandiori », id est applicatione caritativa et compassiva, utendum, adulatio tamen qua quis in iniquitate sua laudatur (juxta illud in Psalmo, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ), semper est fugienda. Imo, ut in libro de Amicitia asserit Tullius, Nulla major est veræ amicitiæ pestis quam adulatio : quæ est omnium levium atque fallacium hominum vitium, cuncta ad voluntatem, non ad veritatem loquentium ; qui loquuntur ut placeant, non ut prosint.

Ps. X, 3, sec. Hebr.

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO SPIRITUALIS EJUSDEM PROSÆ.

H*ÆC ubi continuato dolore dilatravi.* A
Quicumque ex impatientia, ira, tri-
stitia seu dolore propter temporalia dam-
na, corporalia nocumenta, infirmitates,
persecutiones aut similes adversitates, ir-
rationabiliter loquitur, divinæ providentiæ
derogat, aut in verba prorumpit blasphe-
miæ, seu immoderate conqueritur : hic
recte fertur latrare magis quam loqui,
quum non ex ratione sed iracundiæ com-
motione instar canis vociferetur ; et com-
Eccli. XIX, 12. petit ei quod in Ecclesiastico legitur : Sa-
gitta infixa femori canis, sic verbum in B
corde stulti. Tales sunt quoque qui im-
petu ad loquendum feruntur, et æstuant
intra se ad effundendum quod concepe-
runt, nec tempus congruum præstolantur.
Qualem se prodit fuisse Eliu, qui testa-
Job XXXII, 17-19. tur : Respondebo et ego partem meam, et
ostendam scientiam meam : plenus sum
enim sermonibus, et coarctat me spiritus
uteri mei ; en venter meus quasi mustum
absque spiraculo, quod lagunculas novas
Jacob. I, 19. disrumpit. Quocontra scriptum est : Sit
omnis homo velox ad audiendum, tardus C
autem ad loquendum, et tardus ad iram.
Quod utique sapientiæ signum est, quum
Prov. X, 19. Salomon protestetur : Qui moderatur la-
Ibid. XXIX, 20. bia sua, prudentissimus est ; itemque : Vi-
disti hominem velocem ad loquendum ?
stultitia magis speranda est quam illius
correctio.

*Illa vultu placido nihilque meis que-
stibus mota.* Hoc ex caritate et pietate at-
que discretione procedit, quod homo vir-
tuosus ac sapiens, verba, querelas, gestus
et apparatus tentati, afflicti, desolati, æqua- D
nimiter audiat nec turbetur, imo ad con-
dolendum et consolandum ac informan-
dum exhibeat se paratum, quemadmodum
ad Galatas hortatur Apostolus : Fratres, *Galat.* VI, 1.
si præoccupatus fuerit homo in aliquo de-
licto, vos qui spirituales estis, hujusmodi
instruite in spiritu lenitatis, considerans
te ipsum, ne et tu tenteris. Itaque theo-
logia sancta, caritate præfervida et visce-
ribus affluens pietatis, cum discretione
omnia agens, cum ingenti caritate ac in-
tima compassione audit et suscipit lugu-
bres voces tentati ac desolati.

*Quum te, inquit, mœstum lacrimantem-
que vidissem, illico miserum exsulemque
cognovi.* Sunt etenim quædam lacrimæ bo-
næ et commendabiles valde. Quarum quæ-
dam ex contritione nascuntur, qua aliquis
sua aut proximorum deflet peccata : quem-
admodum Petrus egressus foras quum *Matth.* XXVI, 75.
Christum negasset, flevit amare. Hinc pec-
catori lapso Dominus ait in Threnis : De- *Thren.* II, 18.
duc quasi torrentem lacrimas per diem et
noctem, et non des requiem tibi, neque
taceat pupilla oculi tui. Quædam vero ori-
untur ex compassione ad proximos, potis-
sime pauperes, etiam propter eorum cor-
porales afflictiones, juxta illud Job : Flebam *Job* XXX, 25.
quondam super eo qui afflictus erat, et
compatiebatur anima mea pauperi. Quæ-
dam ex compassione passionis dominicæ :
quia ut ait Apostolus, Si compatimur, et *Rom.* VIII, 17 ; II *Tim.* II, 12.
conregnabimus. Quædam ex desiderio re-
gni cœlestis, juxta illud Psalmistæ : Fue- *Ps.* XLI, 4.
runt mihi lacrimæ meæ panes die ac no-
cte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est
Deus tuus ? Quædam ex consideratione
propriæ fragilitatis et distantiæ a vera per-
fectione, prout ait Propheta : Imperfectum *Ps.* CXXXVIII, 16.
meum viderunt oculi tui. Quædam ex dul-
cedine contemplationis et complacentia
superpulcherrimæ Deitatis. Qui itaque plo-
rat his modis, ostendit se exsulem esse

et peregrinum in sæculo isto, seque miserum arbitratur, et ex sententia dicere [Ps. CXIX, 5.] potest : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est; et illud Apostoli ad Romanos [Rom. VII, 24.] : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? A

Qui vero immoderate deplorat temporalia damna atque incommoda corporis, et ad carnalia ac terrena magis quam ad æterna et divina afficitur, qui in vanitatibus delectatur et in carnalibus consolationem exquirit, ostendit se civem consistere Babylonis, amatorem sæculi hujus, ac B filium perditionis : quia ut ait Hieronymus, Impossibile est nunc gaudere cum sæculo, et post vitam hanc regnare cum [Jacob. IV, 4.] Christo. Unde et scriptum est : Quicumque voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Hinc loquitur Judex [Luc. VI, 25, 24.] cœlestis : Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis; væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.

Sed quam id longinquum esset exsilium. Exsilium electorum in sæculo isto durat usque ad mortem; nec pertingere que- C unt ad patriam Beatorum, nisi ab omni culpa et pœna fuerint emundati ac absoluti : quod nisi in præsenti efficiatur, exsilium ineffabiliter dolorosius in purgatorio patientur. Qui autem nunc indesinenter suspirant ad paradisum cœlestem, carnalia ac temporalia aspernantes, tanto celerius proficiscuntur ad patriam, et tanto plus propinquant ad eam, quanto plus appetunt eam, et quanto sincerius diligunt Regem cœlorum, superbeatissimum Cre- D atorem, sequentes sanctorum vestigia antiquorum, de quibus ad Hebræos legi- [Hebr. XI, 13.] tur : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.

Sed tu tam procul a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti. Quædam pulsio est pœnalis, quædam culpabilis. Pulsio quoque pœnalis interdum est a causa cui pulsi nequaquam valent resistere; sicque primi parentes a Deo per angelum de paradiso [Gen. III, 23, 24.] expulsi sunt, et de regno cœlorum expulsi sunt angeli tenebrarum, ac inde [Apoc. XII, 7-9.] pellentur iniqui in die judicii, juxta illud Isaiæ prophetæ : Tollatur impius ne videat [Is. XXVI, 10, juxta LXX.] gloriam Dei. Hæc expulsio fit contra voluntatem expulsi. Alia est pulsio culpabilis, qua rationalis creatura expellitur de via salutis, de lumine rationis, de mystico corpore Christi, de altitudine sapientiæ et arce virtutum. Hanc pulsionem nemo patitur prorsus invitus, sicut articulo patuit præcedenti. Verum qui tentationi consentit et peccat, se ipsum a Deo ac salute repellit : imo ab unione cum summo infinitoque bono præcipitat se in vilissimam scelerum servitutem, et ita aberrat a via de qua ait Salvator : Arcta est via quæ [Matth. VII, 14.] ducit ad vitam. Quæ via est adimpletio præceptorum ad vitam gloriæ æternalis perducens : de qua in Proverbiis asseritur, Justorum semita quasi lux splendens, pro- [Prov. IV, 18.] cedit et crescit usque ad perfectam diem. De hac demum via et aberratione, impii in libro Sapientiæ sero fatentur : Ergo [Sap. V, 6.] erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis. Sed absit a nobis ista insania, ut ita nos patiamur expelli a gratia et salute; nec expellamus nos ipsos, non consentiamus invidiosissimis ac crudelissimis hostibus nostræ salutis.

Si enim cujus oriundus sis patriæ reminiscaris. Certe si propriam dignitatem pensemus, dedignabimur vilissimis vitiis, turpissimis concupiscentiis, iniquissimis dæmonibus subjici ac servire, quum habeamus patriam in cœlis, atque ad obtinendum patriam paradisi cœlestis conditi simus, et in primis nostris parentibus radicaliter facti simus in paradiso terrestri. Denique patriam istam cœlestem nobis recuperavit Unigenitus Dei pretio sanguinis sui. Sed, heu ! homo quum in honore [Ps. XLVIII, 13, 21.] esset, non intellexit. Nos vero ingrati, insensati, obtenebrati, toties eam amittimus, quoties mortaliter omissione aut commissione peccamus.

Oriundi etiam sumus ex militanti Eccle-sia, in qua est monarchicum regimen, unus Dominus, unus Rex, *qui frequentia civium, non depulsione, lætatur*, juxta *Sap.* I, 13. illud Sapientis : Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum ; in To- *Tob.* III, 22. biæ quoque libro : Non delectaris, Domine, *I Tim.* II, 4. in perditionibus nostris. Qui, teste Apostolo, vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unde et per *Ezech.* XVIII, 23. Ezechielem ait Scriptura : Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur et vivat?

Præterea, juxta Philosophum libro Politicorum, triplex est regimen. Primum est monarchicum et regale : in quo unus dominatur secundum virtutem multitudini universæ. Secundum vocatur ἀριστοκρατία : quo plures dominantur secundum virtutem, ut senatus. Tertium dicitur δημοκρατία : in quo populus dominatur secundum virtutem, hoc est per prudentiam atque justitiam. Regimen autem Ecclesiæ, quamvis sit monarchicum quantum ad hoc quod unus Pontifex summus toti præest Ecclesiæ, aliquid tamen habet adjunctum de aristocratia et democratia : quia non solum sacrum collegium dominorum Cardinalium tanquam senatus, sed et synodus generalis præsidio est domino Papæ in gubernatione Ecclesiæ. In regimine quoque civili unus præsidet Imperator cuncto populo sæculari.

Cujus agi frenis atque obtemperare justitiæ, summa libertas est. Libertas Ecclesiæ ac populi christiani est non subesse oneri legis Mosaicæ, quantum ad observantiam cærimonialium ac judicialium præceptorum (unde princeps ait Apostolorum, *Act.* XV, 10. Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?), nec etiam subesse jugo peccati, nec servituti et captivitati diaboli. De hac salubri liber- *Joann.* VIII, 36. tate loquitur Christus : Si ipse Filius vos liberaverit, vere liberi eritis ; Paulus quo- *Galat.* V, 13. que : Vos in libertatem vocati estis. Hæc est « summa libertas », cui nequaquam A repugnat Deo et ejus prælatis virtutibusque subdi et obedire : imo ut S. Agatha dixit, Summa ingenuitas est, in qua Christi servitus comprobatur. Nam et hæc servitus in triumphanti consistit Ecclesia, juxta illud in Apocalypsi : Servi Dei servient *Apoc.* XXII, 3-5. illi, et videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. Quibus de servitute peccati nihil unquam potest misceri.

An ignoras illam civitatis tuæ antiquissimam legem, exsulare jus non esse? Hoc in civitate superna, summa ac cœlesti B Jerusalem, cujus fines Omnipotens posuit *Ps.* CXLVII, 14. pacem, excellentissime verificatur : ita quod quicumque civis ejus fuerit per beatificam visionem, nunquam poterit fieri exsul ; nec habet metuere ne contingat hoc promereri, quum sciat certissime se esse confirmatum in bono, et beatitudini illi æterna securitas inseparabiliter sit annexa.

Itaque non tam loci hujus quam tua me facies movet. Certum est quod Sapientia summa, quæ Christus est, interiora C intuetur ac ponderat magis quam exteriora : quod et theologia docet esse agendum. Hinc primo libro Regum dicitur : Non jux- *I Reg.* XVI, 7. ta intuitum hominis ego judico ; homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. Propterea Sapientia summa in suis professoribus, discipulis ac ministris internam amat et requirit munditiam et decorem, non pretiosos in libris ornatus, neque externas pretiositates in ædificiis et vasis divini cultus, aut vestimentis et ornamentis : imo ut unus dixit Sancto- D rum, Auro Ecclesia non construitur, sed destruitur. Exigit ergo in nobis « mentis sedem, in qua » theologicorum « librorum sententias » collocavit, quatenus quæ agenda cognovimus, strenue impleamus, quoniam servus sciens voluntatem domini *Luc.* XII, 47. sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. Verum ut ait Psalmista : Justitia et judi- *Ps.* LXXXVIII, 15. cium præparatio sedis ejus. Si ergo vis Deo in mente tua sedem parare ac mansionem, disce te ipsum veraciter judicare, contemnere, castigare, sicque in te ipso

exercere justitiam ; deinde Deo exhibere conscientiam puram, proximos quoque ædificare, neque alicui inferre injuriam.

Postremo adversus fortunam dolor incanduit, conquestusque es non æqua meritis præmia pensari. Sicut frequenter prætactum est, ista est antiqua quorumdam insipientium querela, quod justis proveniant dura ac multa adversa, iniquis vero prospera et jucunda. Unde habetur in Psalmo : (*Ps.* LXXII, 11.) Dixerunt : Quomodo scit Deus ; et, Si est scientia in excelso. Quibus improperatorie alibi loquitur Deus : (*Malach.* III, 13, 14.) Invaluerunt super me verba vestra, et dixistis : Vanus est qui servit Deo ; et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino ? Sed ad istud jam supra satis responsum est. (*Cf.* p. 130 C.)

Quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, etc. Quidam de uno specialiter peccato tentantur, seu de una adversitate tristantur, aut circa unam tantum sollicitantur materiam : quibus facilius est consilium et auxilium adhibere. Alii simul variis tentationibus, tribulationibus, incommoditatibus affliguntur, fluctuant, deprimuntur. Circa quos grandi valde discretione uti necesse est, et eos piissime consolari : ostendendo eis quomodo electi (II *Tim.* III, 12.) Dei in vita hac multis solent tribulationibus exerceri, et quod Deus non permittit (I *Cor.* x, 13.) nos ultra vires tentari; quod item in omni tentatione et tribulatione debemus mox ad eum confugere, ejus misericordiam cum omni fervore et confidentia implorare, passionemque Christi oculis cordis proponere luculenter, assidue et compuncte, in meditationibus etiam novissimorum (*Eccli.* VII, 40.) nostrorum fortiter exerceri ; et quod non (II *Tim.* II, 5.) coronatur nisi qui legitime certaverit ; quod item beatus vir qui suffert tentationem, (*Jacob.* I, 12.) quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, atque quod Dominus cohortatur unumquemque in Apocalypsi, Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi (*Apoc.* II, 10.) coronam vitæ ; quod item non sunt condignæ (*Rom.* VIII, 18.) passiones hujus brevissimi temporis, ad futuram gloriam æternalem, de qua in Apocalypsi Christus dulcissime repromittit : Qui vicerit, dabo ei mecum sedere in (*Apoc.* III, 21.) throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Per ista et consimilia, tentati, afflicti, desolati, sunt assidue consolandi, instruendi, corroborandi, quousque tumultus et cumulus afflictionum quiescat. Quumque Scriptura dicat, Ad aliquem Sanctorum (*Job* v, 1.) convertere; consulendum est omni tentato et afflicto, ut beatissimam et misericordissimam Matrem ac Virginem specialissime invocet omni hora, et ceteros Sanctos ac Sanctas ad quos majorem habet devotionis ac dilectionis affectum, carissimum etiam angelum sanctum totius vitæ suæ custodem, quem valde specialiter debet amare ac venerari.

METRUM VI

Quum Phœbi radiis grave
Cancri sidus inæstuat,
Tum qui larga negantibus
Sulcis semina credidit,
Elusus Cereris fide,
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Quum sævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit.
Nec quæras avida manu
Vernos stringere palmites,
Uvis si libeat frui ;
Autumno potius sua

Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus,
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.
Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO METRI HUJUS SEXTI.

IN hoc metro Philosophia ostendit per A tria exempla, rationabiliter se dixisse quod voluit præstolari tempus opportunum, in quo convenientius adhiberet afflicto Boetio validiora seu efficaciora remedia consolativa.

Primum exemplum est quod agricola exspectat aptum tempus ad seminandum, nec seminat quando sol est in Cancro. Est ergo ordo verborum : *Quum sidus,* id est signum, *Cancri grave,* id est afflictivum per effectum, *radiis Phœbi,* id est per lumen solis, *inæstuat,* id est, grandem ardorem facit in terra, quando videlicet sol est in signo sic dicto, puta in solstitio æstivali, ipso sole tunc maxime elevato versus polum arcticum atque ad centrum capitis nostri. Et dicitur Cancer sic æstuare causaliter : quoniam sol in signo illo exsistens, tunc potissime calefacit terras et habitantes in eis, per reflexionem radiorum suorum, eo quod tunc perpendicularius terras istas respiciat. Unde in principio Theoduli dicitur :

> Æthiopum terras jam fervida torruit æstas,
> In Cancro solis dum vertitur aureus axis.

Appellatur quoque signum Cancer, quia tunc instar cancri quodammodo retrocedit a nobis. *Tum qui* tempore illo *credidit,* id est, seminando commisit et injecit, *semina larga,* id est copiosa, largiter data, *sulcis,* id est terris aratro fractis, *negantibus,* id est, tunc non dantibus nec dare valentibus fructum. Tunc quippe semina nequeunt fructificare, quoniam terra seminata sufficientem non habet humorem propter solis ardorem : hinc in mense illo, videlicet Julio, non seminatur. Talis ergo *elusus,* id est deceptus, *fide Cereris,* hoc est privatus fructu seminationis, quem homines exspectant a dea frugum : quæ Ceres vocatur, quia (ut fertur) ipsa invenit primo artem serendi et usum bladorum. Et loquitur hic Philosophia juxta consuetudinem poetarum, qui regimen mundi et beneficia terræ attribuebant diis suis B atque deabus : quæ tamen in veritate adscribenda sunt Deo altissimo, et causis naturalibus ac secundis ut instrumentis. Talis ergo *pergat ad arbores quernas,* id est quercinas, puta ad quercus, ut colligat glandes, quibus vescatur, blada non habens : e quibus glandibus homines vescebantur in prima mundi ætate, ut fertur, nondum scientes artem et modum colendi terram.

Sequitur secundum exemplum ad idem. O tu, Boeti, *nunquam petas,* id est, non C accedas nec intres, *nemus purpureum,* id est pratum decorum, in quo rosæ et alii flores nascuntur, *lecturus,* id est collecturus, *violas,* id est flores sic appellatos, qui in vere gignuntur, *quum campus stridens,* id est, acriter resonans, *inhorruit,* id est, durus et afflictivus apparuit, *Aquilonibus sævis,* id est ventis frigidis ex aquilone flantibus, utpute tempore hiemali, quum violæ producantur tempore vernali, dum dulces flant venti.

Sequitur tertia similitudo. *Nec quæras palmites vernos,* id est in vere exsistentes, *stringere avida manu,* id est strictim tenere ad extorquendum et exprimendum vinum ex uvis, *si libeat,* id est complaceat, *frui uvis,* id est uti vino quod ex uvis elicitur : quia in vere nondum sunt uvæ maturæ. *Bacchus,* id est deus vini sic dictus juxta morem loquendi poetarum, *potius contulit munera sua,* id est beneficia sua, videlicet uvas maturas, *autumno,* id est in parte anni autumnali, quando per solis calorem humiditas in uvis digesta est et maturitatem adepta.

Consequenter Philosophia ad propositum applicat ista. *Deus signat,* id est, sapienter et ordinate distinguit, *tempora,* utputa quatuor partes anni, *aptans* ea *officiis propriis,* id est, unicuique parti anni conferens propriam vim, influentiam et effectum, intelligendo per tempus et partes ipsius, causas naturales, cœlestes et superiores, agentes in tempore : quæ diversimode operantur in inferioribus, secundum varium accessum solis ad nos et recessum ejus a nobis, atque secundum alios et alios respectus superiorum ad inferiora. Tempus vero quantum ad suam essentiam non est causa istorum, sed dicitur esse mensura motus, estque species quantitatis. *Nec* Deus *patitur misceri,* id est, non permittit confundi, *vices,* id est temporum partes, *quas ipse coercuit,* id est, inter suos limites coarctavit, ut quælibet operetur quod convenit ei secundum cursum naturæ, quanquam Deus excelsus et gloriosus possit in omnibus supernaturaliter operari.

Attamen ea quæ fiunt in partibus anni ac vicibus temporum, non semper uniformiter accidunt, quia nec omnes æstates sunt æque siccæ et calidæ, nec omnes hiemes æque sunt frigidæ : quoniam qualitates atque effectus temporum ex causis dependent diversis, variisque conjunctionibus, respectibus, ascensionibus, depressionibus planetarum, influentiis siderum ac viribus orbium. Omnipotens quoque

A creator et rector universorum interdum miraculose producit in una temporis parte, quod naturaliter eveniret in alia, imo quod nunquam naturaliter fieri posset. Sicque in homilia scribit Gregorius : Miracula sunt quæ ipsa quoque temporum statuta confundunt. Quemadmodum Theophilus scholasticus per S. Dorotheam conversus, quum accepisset rosas pulcherrimas sibi in sportula per angelum præsentatas, dixit adstantibus : Nonne jam frigus hiemale universas in Cappadocia constrin-
B git glacialiter aquas ? Unde ergo hæ rosæ ? Hinc Aquilo dicitur quasi aquas ligo. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. In Job quoque dicitur : Ab arcturo egreditur frigus, et flante Deo concrescit gelu. *Eccli.* XLIII, 22. *Job* XXXVII, 9, 10.

Ex introductis infert Philosophia generalem ac moralem doctrinam. *Sic quod deserit ordinem certum,* id est naturalem processum et cursum desuper institutum, *via præcipiti,* id est per nimiam festinan-
C tiam seu anticipationem, *non habet lætos exitus,* id est prosperum finem nec consummationem optatam, sed potius tanquam abortivum erit inutile.

Ex his moraliter docemur unumquodque peragere loco et tempore opportuno, et in cunctis nos discrete habere ac ordinate procedere, quoniam opus virtutis cum debitis circumstantiis fieri debet. Propter quod Salomon dixit : Qui festinus est, pedibus offendit. Præterea his concordat quod in Ecclesiaste legitur : Omnia tempus
D habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo : tempus nascendi, et tempus moriendi ; tempus plantandi, et tempus evellendi ; tempus flendi, et tempus ridendi. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; lascivus et imprudens non servabunt tempus. Ideo super Cantica sanctus ait Bernardus : Discretio omni virtuti ordinem ponit ; ordo modum tribuit et decorem, ac perpetuitatem largitur. Est quippe discretio non tam virtus quam moderatrix quædam virtu- *Prov.* XIX 2. *Eccle.* III, 1, 2, 4. *Eccli.* XX, 7.

tum, ordinatrix affectuum, doctrix morum : sine qua virtus vergit in vitium. Propter quod recte disseruit Petrus, Ravennensis archiepiscopus : Discretio virtutibus modum imponit, sine qua virtutes vitia esse dicuntur. Nempe si adsit timor, et A desit discretio, transit in desperationem ; si dolor, vergit in amaritudinem ; amor, in adulationem ; spes, in præsumptionem ; lætitia, in dissolutionem ; ira, in furorem. Hinc prudenter dixit Pythagoras : Ab omni actu et re intemperantiam remove.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO SPIRITUALIS HUJUS METRI SEXTI.

INSUPER, juxta tropologicum intellectum, sicut ineptum est tempus seminandi, dum nimius calor terram urit et siccat : ita dum calor concupiscentiæ, fervor peccandi, ignis cupiditatis vigent et regnant in peccatore, non est ager cordis sui bene dispositus ad suscipiendum semen verbi cœlestis et ad fructificandum in illo. Ergo, ut in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* xxi, 18. Audiet luxuriosus, et projiciet illud post dorsum suum. Et in Marco ait Salvator : *Marc.* iv, 19. Ærumnæ sæculi et deceptio divitiarum et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes in cor, suffocant verbum Dei, et sine fructu efficitur. Verumtamen tales sunt admonendi ut a vitiis illis recedant, seque disponant ad susceptionem verbi cœlestis et fructificationem ejusdem in ipsis, ut saltem metu infernalis incendii atque supplicii æternalis abstineant a peccatis, illud Ecclesiastici pensantes ac adimplentes : *Eccli* xviii, 30, 31. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere ; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Præterea, per « nemus purpureum » congrue designatur congregatio religiosa virtutibus florens, incendio spiritualis amoris instar purpuræ rubens, seu quæcumque virtuosa persona taliter decorata. Per « violas » vero castitas atque humilitas dulciter redolentes accipi possunt : quas qui adipisci et discere cupit a devotis ac B religiosis hominibus, non accedat ad eos dum campus horret sævis et asperis seu frigidis ventis et flatibus Aquilonis, id est, dum habitatio ipsa et congregatio illa terrena a dulcissima caritate refriguit, a regularibus observantiis jam defecit, et frigore suæ acediæ ab exercitiis sanctis restringitur, nec caritatis diffusione ad aliorum ædificationem, inflammationem, conversionem extenditur. Talem ergo congregationem non intres, talem personam non imiteris, sed vites. Nec claustrum ingrediaris C in quo tria vota omni religioni substantialia, utputa obedientia, castitas et paupertas, cetera quoque statuta, saltem principalia, non servantur. In talibus namque claustralibus monstruosis, imo omni monstro deformioribus, regnat primus et pessimus ille apostata, qui in exordio sæculorum perhibuit : Sedebo in lateribus aquilonis. *Is* xiv, 13. A quo etiam aquilone pandetur omne malum super universos habitatores terræ. *Jer.* i, 14.

Amplius, per « palmites vernos » intelligi D possunt recenter conversi, nondum plene exercitati. Nam et apud Joannem loquitur Christus : Ego sum vitis vera, et vos palmites. *Joann.* xv, 1, 5. Ex quibus adhuc exprimi nequit nec accipi vinum, id est sapor atque refectio spiritualis perfectionis ac contemplationis. Unde in Canticis loquitur Sponsa : Introduxit me rex in cellam vinariam. *Cant.* ii, 4. Præstolandum est ergo usque ad au-

tumnum, id est, quousque exercitatus est A
Ps. LXV, 12. homo, ita quod transierit per ignem et aquam, sicque in refrigerium sit inductus.

Ps. CIII, 24. Postremo, Deus omnipotens, qui omnia in sapientia fecit, « tempora signat », distinguit et ordinat, sicut in Hymnis asseritur :

> Rerum, Deus, tenax vigor,
> Immotus in te permanens,
> Lucis diurnæ tempora
> Successibus determinans.

Et alibi :

> Temporum das tempora.

Ps. CXVIII, 164. Aptatque ea « officiis propriis » : ut septies in die laudes ei dicamus, et Horas canonicas suis temporibus persolvamus ; nunc solennia celebremus et dies festos agamus, nunc feriale teneamus Officium ; nunc contemplativæ actibus vitæ, nunc exercitiis practicæ conversationis vacemus ; convenientem quoque ordinem proficiendi servemus in schola virtutum in domo Dei, inchoando a statu et gradu in- C cipientium, et procedendo ad statum proficientium, sicque pertingendo ad statum perfectorum, hoc est proficisci a via purgativa ad illuminativam, atque ab illuminativa ad perfectivam. Oportet quippe in primis vitia expurgare, passiones refrenare ac vincere, mores componere, linguam compescere, actibus pœnitentiæ insudare, ac totam conversationem in vera et profunda humilitate ac Dei timore et in jugi cordis custodia fundare ac stabilire, sicque ad illuminationem divinam con- D scendere, atque per hanc ad perfectionis attingere culmen. Hoc est quod sanctus ait Bernardus : Nolo subito fieri summus, paulatim proficere volo. Nam ut Philosophia hic protestatur :

> *Sic quod præcipiti via*
> *Certum deserit ordinem,*
> *Lætos non habet exitus.*

Quod et demum est contra eos qui approbatam religionem quam professi sunt, et in qua regulariter vivitur, inconsulte egrediuntur, vel apostatando, vel laxiorem sine rationabili causa intrando, aut aliam ejusdem Ordinis domum, ubi observantia deficit regularis. Contra quos ait ad Hebræos
B Apostolus : Non deserentes collectionem *Hebr.* x, 25.
nostram.

Joannes. — Oritur mihi hic quæstio : an sit verum quod circa primum exemplum metri hujus aliqui dicunt, homines in prima ætate vixisse de glandibus, nondum scientes cultum agrorum.

Dionysius. — De hoc docet nos irrefragabilis auctoritas sacræ Scripturæ, in Genesi dicens : Fuit Abel pastor ovium, et *Gen.* IV, 2, 3.
Cain agricola ; et obtulit Cain de fructibus
C terræ munera Domino. Et dicunt expositores nonnulli, quod obtulit segetes viliores et spicas adustas. Porro ad salvandum dictum quorumdam, sufficit dicere quod forsitan in aliqua plaga terræ sic fuit apud homines quasi silvestres.

Joannes. — Quis docuit ipsum Cain colere terram ?

Dionysius. — Nonne patri ejus homini primo concreata fuit naturalium rerum scientia valde magna, ex qua etiam cun- *Ibid.* II, 19, 20.
ctis animalibus apta imposuit nomina? De
D quo et in Genesi fertur : Emisit eum Do- *Ibid.* III, 23.
minus Deus de paradiso ut operaretur
terram ; et denuo : In sudore vultus tui *Ibid.* 19.
vesceris pane tuo.

PROSA VI

PRIMUM igitur paterisne me pauculis rogationibus statum tuæ mentis attingere atque tentare, ut qui modus sit tuæ curationis intelligam. — Tu vero arbitratu (inquam) tuo, quæ voles ut responsurum rogato. — Tum illa : Hunccine (inquit) mundum temerariis agi fortuitisque casibus putas, an ullum credis ei inesse regimen rationis? — Atqui, inquam, nullo existimaverim modo ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem præsidere Deum scio : nec unquam fuerit dies qui me ab hac sententiæ veritate depellat. — Ita est, inquit : nam id etiam paulo ante cecinisti, hominesque tantum divinæ exsortes curæ esse deplorasti. Nam de ceteris quin ratione regerentur nihil movebare. Papæ autem vehementer admiror cur in tam salubri sententia locatus ægrotes. Verum altius perscrutemur : nescio quid abesse conjecto. Sed dic mihi, quoniam a Deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur advertis? — Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco, nedum ad inquisita respondere queam. — Num me, inquit, fefellit abesse aliquid, per quod velut hiante valli robore in animum tuum perturbationum morbus irrepserit? Sed dic mihi, meministine quis sit rerum finis, quove totius naturæ tendat intentio? — Audieram, inquam, sed memoriam mœror hebetavit. — Atqui scis unde cuncta processerint? — Novi, inquam, Deumque esse respondi. — Et qui fieri potest, ut principio cognito, quis sit rerum finis ignores? Verum hi perturbationum mores sunt eaque valentia est, ut movere quidem loco hominem possint, evellere autem sibique totum exstirpare non possint. Sed hoc quoque respondeas velim : Hominemne te esse meministi? — Quidni (inquam) meminerim? — Quid igitur homo sit poterisne proferre? — Hoccine interrogas, an esse me sciam rationale animal atque mortale? Scio, et id me esse confiteor. — Et illa : Nihilne te aliud esse novisti? — Nihil.

— Jam scio, inquit, morbi tui aliam vel maximam causam : quid ipse sis, nosse desisti. Quare plenissime vel ægritudinis tuæ rationem vel aditum reconciliandæ sospitatis inveni. Nam quoniam tui oblivione confunderis, et exsulem te et exspoliatum propriis bonis esse doluisti. Quoniam vero quis sit præcipuus et verus rerum finis ignoras, nequam homines atque nefarios potentes felicesque arbitraris. Quoniam vero quibus gubernaculis mundus regatur oblitus es, has fortunarum vices existimas sine rectore fluitare. Magnæ non ad morbum modo verum ad interitum quoque causæ. Sed sospitatis auctori grates, quod te nondum totum natura destituit. Habemus maximum tuæ fomitem salutis, veram de mundi gubernatione sententiam, quod eam non casuum temeritati sed divinæ rationi subditam credis. Nihil igitur pertimescas : jam tibi ex hac minima scintillula vitalis calor illuxerit. Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est uti, et eam mentium constat esse

naturam, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur, ex quibus orta perturbationum caligo verum illum confundit intuitum ; hanc paulisper levibus mediocribusque fomentis attenuare tentabo, ut dimotis fallacium affectionum tenebris, splendorem veræ lucis possis agnoscere.

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO SEXTÆ ET ULTIMÆ PROSÆ HUJUS LIBRI PRIMI.

In hac sexta et ultima primi hujus codi- A cis prosa, Philosophia adhuc particularius et perscrutatius sciscitatur ac discutit interiora Boetii, ut plenius sciat qualiter valeat eum plene curare, et causas ejus deviationis funditus exstirpare : quia non potest curari infirmitas, nisi causæ ejus tollantur.

Primo igitur benevolentiam captat Boetii, quærendo ab eo anne æquanimiter capere velit quod eum breviter de quibusdam interroget ; sicque juxta doctrinam Aristotelis ac Ciceronis in eorum Rhetori- B cis, urbano utens procemio, ut ad dicendorum advertentiam excitet tanquam ad magnarum intelligentiam rerum, et quasi cum Salomone pronuntians illud Prover-
Prov. VIII, 6. biorum : Audite me, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea ut recta prædicent. Itaque ait : O Boeti, *paterisne igitur,* id est, utrum vis æquanimiter ferre, *me primum attingere,* id est in primis cognoscere, *atque tentare,* id est scrutari, *rogationibus pauculis,* id est quæstionibus permodicis, *statum,* id est C dispositionem, *tuæ mentis,* qualiter sentias de quærendis, *ut intelligam* ex tuis responsionibus *qui sit modus,* id est, quæ sit aptior via ac species, *tuæ curationis,* hoc est, qualiter valeam compendiosius te curare ?

Sequitur Boetii responsio. Ego Boetius *inquam,* id est dico : *Tu rogato,* id est, tu, o Philosophia, interroga, *ut responsurum,* id est sicut me qui tibi respondebo, *arbitratu tuo,* id est juxta arbitrium tui cordis, *quæ voles,* id est, quæcumque volueris.

— *Tum illa,* puta Philosophia, *inquit,* id est dixit : *Putasne* tu, o Boeti, *mundum hunc,* id est hunc mundum præsentem, *agi,* id est moveri et currere, *casibus temerariis,* id est eventibus irrationabilibus, improvisis, *fortuitisque,* id est fortunæ omnino subjectis, *an ullum ei inesse credis regimen rationis,* id est, an potius credis aliquod regimen rationabile seu aliquam causam intellectualiter regentem esse in eo, præsidentem universo ?

— *Atqui, inquam, nullo existimaverim modo ut fortuita temeritate tam certa moveantur :* id est, ego Boetius dico pro certo, quod nequaquam unquam putaverim « ut tam certa » quæ contingunt in universo, ut sunt motus cœlorum, vicissitudo dierum et noctium, alterationes elementorum, periodi generabilium, « moveantur », id est, causentur et fiant, « temeritate », id est improvidentia, « fortuita ». Aliter tam diversa ac varia, tam multa et magna non possent uniformiter stare, perdurare, procedere, prout Damascenus libro primo, tertio ac quinto capitulis, diffusius probat, imo et S. Barbara ingeniosissima adolescentula, nondum conversa, intra se subtiliter syllogizavit, ut in originali ejus Legenda describitur.

Verum operi suo conditorem præsidere Deum scio, id est, certissime nosco « Deum conditorem præsidere suo operi », utputa

Job xxxiv, 13. mundo, juxta illud : Quem constituit alium super terram ? Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Quod et Aristoteles undecimo Metaphysicæ, ex naturali entium desiderio monstrat : Entia, dicens, nolunt male disponi ; pluralitas principum mala : unus ergo princeps. *Nec unquam fuerit dies qui me ab hac sententiæ veritate depellat*, id est, nulla mihi unquam adversitas contigerit, nulla persuasio, quæ me possit ab hac veritate avertere, quum naturalis ratio hoc ostendat. Unde et secundo Metaphysicæ probat Philosophus, quod in omni genere causæ necesse sit unam esse primam causam. Et eisdem rationibus demonstratur, quod in omni ordine moventium atque regentium, oporteat unum esse primum movens, et unum primum gubernans : nec aliter esset ordo in eis et inter ea. Denique, ut arguunt Avicenna et Algazel, unusquisque in Metaphysica sua : ubicumque sunt media composita, oportet esse simplicia extrema ; quumque sint multi motores moti, et multi rectores recti, rite concluditur, quod unus sit summus motor non motus, et unus rector supremus non rectus.

— *Ita est, inquit,* id est, Philosophia respondit, « Ita est » sicut dicis. *Nam id etiam paulo ante cecinisti,* id est, metrice decantasti, videlicet metro quinto : O stelliferi, etc. *Hominesque tantum divinæ exsortes curæ esse deplorasti,* id est, flebiliter affirmasti solos homines a Deo non gubernari, loquendo non ex deliberata ratione, sed impellente dolore, et in persona hominis imperfecti ac sensualis. *Nam de ceteris quin ratione regerentur nihil movebare,* id est, nulla persuasione movebaris de aliis creaturis quin ratione regerentur et providentia Dei, juxta exemplarem rationem mentis divinæ. Sicque ratio sumitur hic pro ratione et Sapientia increata. *Papæ* (et est adverbium admirationis) *autem vehementer admiror cur in tam salubri sententia,* qua fateris Creatorem præsidere creatis, *locatus,* id est positus vel mente fixus, *ægrotes,* id est, mente infirmus sis, non credendo hoc ipsum de homine, qui est inter creata, post angelos, nobilior creatura : propter quod eminentius cadit sub providentia Creatoris, quam creaturæ irrationales.

Verum altius perscrutemur quid sit super his sentiendum ; *nescio quid abesse conjecto,* id est, conjicio sæpe et puto aliquid deesse tuæ considerationi, ita quod non es satis clare illuminatus ad cognoscendum integre veritatem de providentia Dei. *Sed dic mihi, quoniam a Deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur advertis?* Ista est quæstio secunda. Ac si dicat Philosophia : Quia non dubitas quin mundus a Creatore gubernetur, quæro utrum intelligis « etiam quibus gubernaculis regatur », id est, quibus principiis gubernativis fiat hoc, seu quibus secundariis causis instrumentaliter exsequentibus, seu quibus regiminibus, an regimine tantum universali non distincto, vel particulari usque ad corruptibilia atque mortalia pertingente.

— *Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco,* id est, ego Boetius dico, quod vix nosco nec satis intelligo sensum tuæ interrogationis, præsertim quid voces gubernacula, quum hoc multipliciter accipi valeat : *nedum,* id est, tantum abest ut, *ad inquisita respondere queam.* Oportet enim intelligere quæstionem antequam apte respondeatur ad eam, juxta illud in Job : Intelligite prius, et sic loquamur. Job xviii, 2.

Hinc Philosophia : *Num me, inquit, fefellit* (id est, non utique « me fefellit », id est decepit) *aliquid* tibi *abesse* (sicut expositum est), *per quod,* id est ex cujus defectu, *morbus perturbationum,* id est error, imbecillitas, inquietudo passionum, seu ex passionibus orta, *irrepserit,* id est, furtim ingressus est, *in animum tuum,* id est in intellectum tuum, qui ex multitudine et vehementia passionum obruitur et cæcatur? Propter quod anima a talibus quiescendo, fit prudens.

Sed dic mihi, o Boeti, *meministine,* id est, utrum recorderis, *quis sit rerum fi-*

nis, id est, quis sit omnium creaturarum ultimus finis objectalis? Qui est ipsemet Deus, ut ostensum est supra. (Cf. p. 128 A', 133 D'.) Propter quod in Proverbiis dicitur : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. (Prov. XVI, 4.) Omnia quippe creavit ut sua perfectio, majestas et gloria in rebus et in ordine rerum resplendeant. Deus enim est omnium rerum summum ultimatumque bonum, in quod et ad quod omnia ordinantur. *Quove totius naturæ tendat intentio,* id est, ad quid finaliter inclinetur quælibet creatura, et quid ultimate intendat intentione naturali, animali aut intellectuali. Effectus namque aliquo modo intendit assimilari aliqualiter propriæ causæ; quumque Deus sit omnium summa et prima causa, ideo omnis natura creata intendit et appetit suo modo assimilari Deo : et hoc est finis formalis, id est summa perfectio, rei creatæ, in ipsa exsistens et formaliter ei inhærens, prout super secundum Sententiarum scribunt doctores, et S. Thomas in pluribus locis, (Cf. t. XXI, p. 102 D' et s.) potissime in Summa contra gentiles tertio libro, diffuse pertractat.

— *Audieram, inquam,* id est, ego Boetius aliquando hoc legi, audivi et didici; *sed memoriam mœror hebetavit,* id est, ex magna mœstitia sum oblitus, quia aliunde distractus atque in aliis valide occupatus, inde nil cogitavi, sicque species rerum ex memoria mea deletæ sunt et elapsæ.

Ad quod Philosophia respondet : *Atqui,* id est, pro certo, *scis unde,* id est ex quo primo principio effectivo, *cuncta processerint* per creationem? (Job XII, 9.) Juxta illud : Quis ignorat quod manus Domini fecerit hæc omnia? Ordo etiam rerum ostendit quod sit una omnium prima causa : quæ, ut in libro de Causis asseritur, plus influit quam quæcumque causa secunda. Unde et libro de Cœlo et mundo testatur Philosophus : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius.

— *Novi, inquam,* id est, ego Boetius scio hoc, *Deumque esse respondi* id a quo

A omnia profluxerunt : quia in omni genere ac ordine rerum, id quod est primum et maximum, est causa ceterorum in ordine et genere illo, prout philosophi concorditer dicunt.

Ad quod Philosophia : *Et qui fieri potest, ut principio cognito, quis sit rerum finis ignores?* id est, mirum est qualiter potuisti sic hebetari, ut cognito quod Deus sit universorum effectivum principium, nescias quod etiam ipse sit omnium ultimus finis. Quum [enim] ipse sit sum-

B mum bonum increatum et independens, quo omnia egent, et sine quo nec ad momentum subsistere possent, propter cujus aliquam participationem ac imitationem cuncta sunt condita et moventur ac operantur, ut in libro de Civitate Dei et super Joannem Augustinus frequenter fatetur; ideo nullum bonum creatum potest esse rerum ultimus finis objectalis. Denique, ut super secundum Sententiarum doctores concorditer scribunt, Deus sanctus et adorandus, est omnium causa in triplici ge-

C nere causæ. Est enim omnium causa efficiens, et formalis seu exemplaris, atque finalis : et hoc diversa ratione. Est quippe causa efficiens, producendo et ipsum esse donando; et causa formalis, omnia sapienter per idealem et exemplarem rationem agendo; et item finalis, universa propter propriam bonitatem causando, et ad semetipsum finaliter ordinando. Unde in primo Timæi optime scripsit Plato : Dicendum cur Conditor omne hoc (id est totum universum) constituendum decreverit. Op-

D timus erat, a quo omnis invidia longe est relegata : itaque omnia voluit suæ bonitatis aut beatitudinis esse capacia atque participativa. Quam quidem rationem si quis dixerit omnium esse rerum causam et finem (id est causam finalem), recte eum sentire consentiam. Hinc in Apocalypsi loquitur Deus : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus. (Apoc. I, 8; XXII, 13.)

Verum hi perturbationum mores sunt, id est, isti sunt consueti effectus passio-

num perturbantium interiores sensus et [A] cerebrum, *eaque valentia eis est*, id est, talis valor seu infelix potestas convenit eis, *ut movere quidem loco hominem possint,* id est agitare de loco ad locum, sicut videmus homines secundum diversitatem affectionum sensualium variis modis moveri, nec uno in loco aut situ diu manere ; vel, « ut possint hominem loco movere », id est hinc inde a rectitudine rationis et virtutum constantia inclinare, quemadmodum venti agitant arboris ramos ac teneram arborem a rectitudine suæ staturæ. [B] Movent etiam « hominem loco », id est ad similitudinem motus localis de objecto uno ad aliud, et ad cogitationes diversas, vagas, instabiles, juxta illud apud Job : [*Job* xx, 2.] Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. *Evellere autem sibique totum exstirpare non possint,* id est, motus hi turbationesque passionum nequeunt hominem prorsus prosternere, nec totum eradicare, id est subvertere, superare, destruere. Quod non est sic intelligendum, quin passiones multo- [C] ties prævaleant rationi, hominemque spiritualiter perimant et ad mortalia trahant peccata, ut sunt passiones prædominantes, [*Gen.* viii, 21.] quum et in Genesi dicatur : Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua. Imo, ut Plato insinuat in Phædone : Soli sapientes ac virtuosi passionibus dominantur. Sed intelligendum est, quod passiones nequeunt rationem vincere omnino invitam, nec absolute compellere eam : imo ipsa sponte consentit motibus et suggestionibus pra- [D] [*Ibid.* iv, 7.] vis. Ideo in Genesi Dominus loquitur : Si male egeris, statim peccatum in foribus aderit ; sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Verum est quoque, quod passiones et vitia nequeunt hominem totaliter exstirpare, naturalia penitus auferendo : quæ tamen vulnerare possunt et debilitare. Unde quarto capitulo de Divinis nominibus S. Dionysius docet, quod [*Luc.* x, 30 et seq.] etiam in dæmonibus naturalia integra permanserunt. Atque apud Lucam in parabola de homine qui incidit in latrones asserit Glossa, quod latrones sunt dæmones, qui despoliant hominem naturalia vulnerando et gratuita auferendo.

Sequitur alia quæstio Philosophiæ. *Sed hoc quoque respondeas velim,* id est, ego Philosophia cupio ut ad hanc respondeas quæstionem : *Hominemne te esse meministi ?* id est, an nosti « te hominem esse » ? — *Quidni (inquam) meminerim ?* id est, ego Boetius dico, quod nihil tam certo scire possum ut hoc.

Et de hoc ultra quærit Philosophia : *Quid igitur homo sit poterisne proferre ?* id est, utrum dicere potes quid sit homo ? Respondet Boetius : *Hoccine,* id est an hoc, *interrogas, an esse me sciam rationale animal atque mortale ? Scio, et id me esse confiteor.* Tanquam dicat : Homo sic definitur : homo est animal rationale, mortale.

Sequitur quæstio alia Philosophiæ. *Et illa,* puta Philosophia, quæsivit : *Nihilne te aliud esse novisti ?* id est, scisne aliquod aliud nobile et essentiale aut quasi essentiale prædicatum quod tibi conveniat ? Respondet Boetius : *Nihil.*

Ex quibus infert Philosophia : *Jam scio, inquit, morbi tui aliam vel maximam causam,* id est, ex hac tua responsione elicio « aliam causam » quam prius « vel maximam », id est causam originalem ac radicalem, videlicet, quia non scis perfecte quid sis. Unde subjungitur : *Quid ipse sis, nosse desisti,* id est, destitisti agnoscere quid sis : nam sic te esse mortalem corpore pensas, ut non advertas te esse immortalem quantum ad animam tuam, quæ est principalior tui pars.

Quare plenissime inveni, id est, ex isto innotescit, quod ex tua responsione inveni valde plenarie, *vel rationem tuæ ægritudinis,* id est tui mœroris seu immoderati erroris, *vel aditum,* id est accessum, modum ac viam, *sospitatis,* id est sanitatis, *reconciliandæ,* id est recuperandæ, hoc est, qualiter valeas per veram informationem sanari ab intellectus errore et a sensitivæ partis mœrore.

Nam quoniam tui oblivione confunderis, id est, ex quo in te ipso inordinatus es et mente confusus « tui oblivione », id est ignorantia seu inadvertentia tui ipsius, putando te esse mortalem non corpore tantum, sed etiam in anima. Non quod Boetius unquam sic sensit, sed quia in persona hominis imperfecti, pusilli dejectique loquitur, ut veritas clarius innotescat ex isto disputationis dialogo : imo idem ipse est qui nunc loquitur in persona Philosophiæ, id est hominis sapientis seu sapientiæ, nunc in persona hominis imperiti. *Et exsulem te et exspoliatum propriis bonis esse doluisti,* id est, deplanxisti immoderate te esse ex urbe tua depulsum tuisque opibus destitutum. Nec mirum si quis de talibus adversitatibus graviter doleat, qui non credit vitam aliam quam præsentem : quia sic non exspectaret mercedem pro actibus bonis et suis damnis, nisi in laudibus atque memoriis hominum, quæ est merces vilis et tenuis.

Quoniam vero quis sit præcipuus et verus rerum finis ignoras; id est, quia non scis quod sit rerum creatarum bonum finale, præsertim quis sit hominum finis, hoc est, in quo eorum beatitudo consistat, ideo *arbitraris,* id est judicas, *homines nequam,* id est versutos, vulpinos, *atque nefarios* et *potentes* in sæculo, esse *felices,* quum tamen miserrimi sint : quia ut
Prov. xiv, 34. Salomon contestatur, Miseros facit populos peccatum. Et ipsi sunt omnipotenti
Ibid. iii, 32. Deo odibiles, cujus sermocinatio est cum
Job xxxvi, 13. simplicibus. Simulatores quoque et callidi provocant iram Dei, ut dicitur apud Job. Verumtamen potentes, in quantum hujus-
Rom. xiii, 1. modi, non sunt odibiles Deo, quum omnis potestas sit ab eo (propter quod in libro
Job xxxvi, 5. Job habetur : Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens), sed in quantum sua potentia abutentes. De quibus dixit
Luc. i, 52. beatissima et incomparabilis Virgo : Deposuit potentes de sede. Et de talibus scri-
Sap. vi, 7. ptum est in libro Sapientiæ : Potentes potenter tormenta patientur.

Præterea, quoniam (sicut ait Philoso-
A phus) uno inconveniente dato, plura sequuntur; hinc Philosophia hic pandit qualiter ex tribus prætactis erroribus Boetius incidit alios tres errores. Quod jam de primis duobus erroribus demonstravit ; et consequenter illud ostendit de tertio, dicens : *Quoniam vero quibus gubernaculis mundus regatur oblitus es,* juxta expositiones jam tactas, *has fortunarum vices,* Cf. p. 142 B'.
id est eventus fortuitorum effectuum diversis temporibus diversimode evenientes, *existimas sine rectore fluitare,* id est
B sine providentia Dei assidue fluere ac vage accidere.

Magnæ non ad morbum modo verum ad interitum quoque causæ sunt, id est, « causæ » istæ « magnæ », videlicet tanti isti errores et perturbationes cordis tui inde sequentes, non solum sufficientes sunt facere spiritualiter te infirmum, sed etiam mortuum : ita quod non solum venialiter, sed et mortaliter sunt culpabiles; nec solum sunt contra naturalem rationem, sed insuper contra fidem. Tamen, ut
C dictum est, ita in Boetio non fuerunt, quamvis ex causis [prætactis] loquatur in Cf. p. 29C et s.
persona hominis talis, seu ita se habeat quasi ita sentiret. *Sed sospitatis auctori grates* ago, id est, regratior Deo totius sanitatis (præsertim spiritualis) datori, *quod te nondum totum natura destituit,* id est, « quod » ipsa « natura » seu ratio naturalis « nondum destituit », id est, reliquit seu errare permisit, « te totum », id est totaliter; vel « quod » Deus « nondum destituit te totum natura », id est a naturali
D vigore, hoc est, nondum permisit te totaliter destitui aut privari recto rationis judicio, quoniam in aliquibus bene sentis, ex quibus ad sanitatem et veram instructionem potes reduci. Hinc subditur :

Habemus maximum tuæ fomitem salutis, veram de mundi gubernatione sententiam, id est, hoc ipsum est nobis maximus fomes, id est præcipuum incitamentum ac fomentum, « salutis » (id est sanitatis) « tuæ » interioris recuperandæ, quod bene sentis de mundi gubernatione, *quod eam*

non casuum temeritati sed divinæ rationi A *subditam credis*, id est, « quod » mundi gubernationem « credis » subjectam « rationi divinæ », id est providentiæ seu sapientiæ Dei, « non temeritati », id est instabilitati et insipienti eventui, « casuum », id est causarum per accidens sine provisione et præcognitione agentium.

Nihil igitur pertimescas immoderate, quasi curari non valeas. Nihilo minus semper timere debemus Deum et animarum nostrarum periculum : quoniam in Eccle-
Eccli. XVIII, 27. siastico scriptum est, Homo sapiens in om- B
Ibid. I, 28. nibus metuit; et, Qui sine timore est, justificari non potest. Et Salomon loquitur :
Prov. XXVIII, 14. Beatus homo qui semper est pavidus. Unde et sanctus Job hujus periculosissimæ vitæ pericula laqueosque perpendens, loquitur
Job IX, 28. Deo : Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. *Jam tibi ex hac minima scintillula*, id est ex valde parva ista notitia quam de providentia Dei habes, *vitalis calor illuxerit*, id est, resplendebit et accendetur in mente tua integra et salubris fides providentiæ divinæ C etiam circa homines et actus humanos : ex qua fide amor Dei reaccendetur in te.

Denique modica illa providentiæ divinæ notitia recte vocatur scintillula : primo, quoniam sicut scintillula non clare sed subobscure illuminat domum seu aerem, sic illa notitia intellectum; secundo, nam sicut ex scintillula gignitur grandis ignis
Jacob. III, 5. (juxta illud Jacobi, Ecce quantus ignis, id est quam parvus ignis, quantam silvam incendit!), ita ex modica illa notitia speravit Philosophia in mente Boetii genera- D re magnam cognitionem providentiæ Dei, quemadmodum ex uno principio multæ deducuntur conclusiones. Insuper Philosophia hic loquitur juxta consuetudinem medicorum : qui quamdiu conspiciunt naturalem vigere calorem in corpore atque prædominari peccanti materiæ, spem habent sanitatis recuperandæ, et per medicinalia succurrunt naturæ; si vero conspexerint materiam illam prædominari naturali virtuti, et in membris partibusque vitalibus esse letalem defectum, spem sanandi amittunt.

Ex his concludit Philosophia quod et ante jam dixerat, utputa velle se primo applicare Boetio remedia leniora. Cf. p. 13[illegible] D et s.

Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est uti, id est, quia adhuc, o Boeti, mens tua non est capax fortiorum et efficaciorum spiritualium medicinarum, eo quod necdum satis purgatus sis a tuarum perturbationibus passionum. Teste namque Philosopho, susceptivum non est contingens, hoc est qualecumque subjectum indifferenter, sed actus activorum fiunt in patiente disposito. Proportionem etenim esse oportet inter ea quæ convenienter debent uniri, et sic inter agens et patiens, et inter movens et motum. Propter quod etiam ad Corinthios scripsit Apostolus : Quæ societas luci ad tenebras? Apud II Cor. VI, 14.
Jeremiam quoque scriptum est : Quid paleis ad triticum? Michæas quoque ait : Jer. XXIII, 28.
Numquid vestrum est scire judicium, qui Mich. III, 1, 2, 9.
odio habetis bonum, et omnia recta pervertitis?

Et eam mentium constat esse naturam, id est, certum est hanc esse conditionem et proprietatem mentium humanarum, *ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur*, id est, ut mox falsa recipiant erroribusque consentiant, quum veris sententiis, scientiis opinionibusve consentire renuerint : et ita opinio sumitur hic extense pro quacumque notitia intellectus, et non stricte pro sola cognitione cum formidine de opposito.

Porro quidam hic dicunt naturaliter insitum esse mentibus hominum, quod quoties veram opinionem reliquerint, statim accipiant falsam : quia, ut asserunt, verum et falsum sunt contraria immediata; ideo in subjecto recipere ea apto, per remotionem unius concluditur positio alterius. Quibus objici potest, quod intellectus non est necessario determinatus ad aliquid horum, et ita potest dimittere unam opinionem, quod non recipiat alteram, sed teneat judicium in suspenso, et ad nullam decli-

net : quod et doctores aliqui in Scriptis A suis super Sententias sæpissime faciunt. Et frequenter cautius est, in his quæ infra certitudinem sunt, ad nullam divertere partem. Sicut dum quæritur, an angeli fuerint creati in gratia gratum faciente, et item in fide et spe ; similiter dum quæritur, an esse realiter differat ab essentia : aliqui satis fortiter tenent quod sic, alii quod non. Et quoniam S. Thomas, Henricus de Gandavo, et etiam Scotus, in talibus communiter se divertunt firmiter satis ad alteram partem, ideo multos habent con- B tradictores : quanquam in talibus sanctus Doctor minus ac rarius deviasse putetur. Venerabiles autem doctores Petrus de Tarantasia, qui et summus Pontifex fuit, Richardus quoque de Mediavilla, qui et Doctor solidus appellatur, et præ ceteris sequitur Thomam, in talibus ut frequenter ad nullam partem divertunt, sed qualiter utraque opinio probabiliter possit teneri declarant. Quod ergo Philosophia hic loquitur de natura mentis humanæ, quod quoties mentes ipsæ veras opiniones abje- C cerint, induant falsas, intelligendum est quando abjecerint eas tanquam falsas, non quando reliquerint eas velut incertas ; vel quando abjecerint eas ad oppositum divertendo.

Ex quibus, videlicet falsitatibus, *orta perturbationum caligo,* id est obscuratio et inquietudo passionum procedens, *verum illum confundit intuitum,* id est, salubrem et fidelem veritatis contemplationem impedit et excæcat. Etenim falsis opinionibus assuetus atque erroribus involutus, D difficilius capax est limpidæ veritatis, sicut in aqua mota et inquieta difficilius inspicit homo imaginem sui vultus. Itaque primo oportet falsitatem et iniquitatem abjicere, deinde veritatem ac virtutes recipere. Quibus receptis, adhuc manent in anima reliquiæ quædam pristinæ falsitatis et culpæ, id est pronitas quædam ad eas, et difficultas resistendi malis illis expulsis, quousque per exercitationes virtuosas eradicentur illæ reliquiæ, et mens in lumine veritatis ac splendore virtutum firmetur. Hinc decimo Ethicorum habetur : Non facile est homines a consuetudine trahere per sermones. Et alibi : Difficile est, ait, resistere consuetis. Agendum est ergo quod Seneca loquitur : Bona consuetudo excutiat quod mala instruxit.

Hanc tuæ mentis caliginem, o Boeti, *paulisper levibus mediocribusque fomentis,* id est doctrinis et consiliis facilioribus, *attenuare,* id est minuere, *tentabo, ut dimotis,* id est ejectis et destructis, *fallacium affectionum tenebris,* id est ignorantiis et erroribus quæ ex affectionibus carnalibus, mundanis inordinatisque motibus passionum nascuntur, *splendorem veræ lucis possis agnoscere,* id est claritatem sapientiæ salutaris ac finem rationalis creaturæ, potissime primam causam, quæ essentialiter lux est, fons luminis, et origo totius veritatis, virtutis atque salutis.

De hac re in metro sequente dicetur diffusius, quia hoc metrum inducitur ad declarandum clarius per exempla quod in hac ultima fertur particula. Nec specialis hoc loco occurrit moralitas, aut mysticus sensus qui non sit competenter præhabitus.

METRUM VII

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.

Si mare volvens
Turbidus Auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum

Parque serenis
Unda diebus,
Mox resoluto
Sordida cœno,
Visibus obstat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe resistit
Rupe soluti
Obice saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem ;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit :
Nubila mens est
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO SEPTIMI ET ULTIMI METRI HUJUS LIBRI PRIMI.

HIC Philosophia per tres similitudines A probat mentem humanam non esse capacem illuminationis divinæ, nec eam posse expedite intendere contemplationi divinorum atque invariabilium veritatum, quamdiu persistit in passionum caligine et interiori perturbatione, sicut nec oculus corporalis in domo fumosa potest limpide intueri. Est itaque ordo et sensus verborum :

Sidera condita, id est celata seu visui occultata, *nubibus atris,* id est obscuris ac spissis, interpositis inter cœlestes orbes B et terram, *nullum lumen fundere possunt.* Quod non est sic intelligendum, quin indesinenter emicent, effluant seu effundant lumen ex se, etiam clarissimo die, quemadmodum et candela accensa, posita in aere claro meridie ; sed quod claritas fusa ex stellis, nubes nequiens penetrare, a terrigenis videri non valet in noctibus nebulosis. Attamen claritas illa aliquantulum minuit tenebras noctis, quia et ipsæ nubes lucem sibi immissam aliquo modo ultra diffundunt, juxta illud in Job : Frumentum C desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum. *Job* XXXVII, 11, 12.

Attamen nubes possent esse tam obscuræ et spissæ, quod per eas nil luminis siderum funderetur, imo et parum aut nihil de lumine solis. Nam et tenebræ factæ tempore passionis Christi, secundum Hieronymum et Origenem, factæ fuerunt per interpositionem densissimarum nubium inter solem et terram : quod etiam tanti doctores dixerunt non simpliciter affirmando sic factum esse, sed potius opinando. Quod forsan sic factum est, et quod utique sic fieri potuit. Porro absolute de tenebris illis tenendum quemadmodum divinus Dionysius in epistola ad sanctum Epist. VII loquitur Polycarpum, videlicet quod fuit vera eclipsis facta per interpositionem lunæ inter solem et terram : quanquam Magister in historiis aliter imaginetur, cui non est consentiendum.

Sequitur alia similitudo ad idem. *Si Auster turbidus,* id est ventus australis seu meridionalis tempestuosus, *volvens,* id est, movens et concitans, *mare,* id est aliquas partes illius, quoniam totum mare Oceanum, quod est ipsum aquæ elementum, non potest simul movere, *moveat* * *æstum,* id est ebullitionem et fervorem

* misceat

quemdam in aqua, quoniam motus est A
Jonæ I, 15. calefactivus. Unde dicitur in Jona : Stetit
Is. LVII, 20. mare a fervore suo ; et in Isaia : Impii
quasi mare fervens, quod quiescere non
potest. *Unda dudum vitrea,* id est aqua
ipsa nuper instar vitri clara atque perspicua, *parque,* id est similis, *diebus serenis,* id est quieta et lucida sicut aura dum aer serenus ac mundus est ac vaporibus liber, *sordida,* id est ipsa aqua facta turbulenta et distemperata, *cœno mox resoluto,* id est, per hoc quod ventus ille vehementia
sua pertingit usque ad fundum maris et B
alterat cœnum ipsius, sicque producit calidas exhalationes erumpentes in aqua, ideoque *visibus obstat,* id est, agitatio aquæ impedit visum ne profunde et distincte aquam valeat intueri : fit enim confusio visualium specierum in oculis intuentis.
Cf. p. 54 B'. De isto vento dictum est supra, metro secundo.

Sequitur tertium ad idem exemplum. *Quique amnis,* id est quicumque fluvius, *vagatur defluus,* id est ab eminentioribus
locis fluens, videlicet *montibus altis,* id C
est a terris elevatis, *sæpe resistit,* id est, resistentiam patitur, *obice,* id est obstaculo, *saxi,* id est lapidis, *soluti,* id est resoluti, fracti et lapsi, *rupe,* id est a rupe seu petrosa materia. Ac si dicat : Quemadmodum aqua desuper veniens, recto fluit itinere valde celeriter, hoc est expedite et prompte, ut est suæ naturæ proprietas : sic mens non habens obstacula passionum, vitiorum, tentationum et distractionum, stabiliter et sincere considerat veritatem ;
sustinens vero talium obicem et occur- D
sum, a claro veritatis intuitu impeditur.
Job XI, 14, 15. Ideo apud Job legitur : Si iniquitatem abstuleris, levare poteris faciem, id est aciem
Ps. XI, 9. mentis, et stabilis eris ; et in Psalmo, In circuitu impii ambulant, id est, hinc inde mente vagantur et passionibus suis vitiisque feruntur, ita quod leves sunt animo, non stabiliti in bonis, juxta illud Psalmi :
Ps. I, 4. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis
Ps. LXXXII, 14. quem projicit ventus a facie terræ. De quibus denuo ait Psalmista : Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Quocontra de homine virtuoso
Salomon loquitur : Justus quasi funda- *Prov.* X, 25.
mentum sempiternum. Hinc teste Apo-
stolo, Optimum est gratia stabiliri cor. *Hebr.* XIII, 9.

Ex his infert Philosophia doctrinam et admonitionem salubrem, applicando ad propositum similitudines præinductas. *Tu quoque si vis verum cernere,* id est limpide intueri, *lumine claro,* id est lumine naturali per sapientiam et ceteros habitus intellectuales clarificato (de quo
Psalmographus loquitur Deo, Signatum est *Ps.* IV, 7.
super nos lumen vultus tui, Domine), et si vis *carpere callem,* id est apprehendere et intrare viam justitiæ ac virtutum ; *gaudia pelle,* id est, repelle a te delectationes sensuales, inanes lætitias, et dissolutiones stultas expelle de corde tuo, *pelle timorem,* id est, passionem timoris, inordinatum quoque, carnalem, mundanum timorem refrena et abjice : de quo Salomon fatetur,
Qui timet hominem, cito corruet. De quo *Prov.* XXIX, 25.
timore speciebusque ejus dictum est ante. *Cf.* p. 88 C et s.
Et *fugato,* id est, fuga et ejice de animo tuo, *spem* quæ est passio appetitus sensitivi, videlicet exspectatio sensibilium bonorum inordinata. *Nec dolor adsit,* id est, nec inordinatum dolorem seu mœrorem de temporalibus damnis seu adversis admittas. *Mens ubi,* id est in qua, *hæc regnant,* id est, prædominantur hæ passiones, *nubila est,* id est obtenebrata, utputa carens luce prudentiæ ac splendore virtutum moralium, *vinctaque frenis,* id est vinculis vitiorum ligata, quibus impeditur ab incessu per viam mandatorum Altissimi, et est subjecta diabolo ac captivata ab eo. De quibus vinculis
scriptum est in Proverbiis : Iniquitates *Prov.* V, 22.
suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Unde de vitiosis hominibus ait Apostolus secunda ad
Timotheum : Resipiscant a laqueis diaboli, II *Tim.* II, 26.
a quo captivi tenentur.

In his verbis tanguntur quatuor principales animæ passiones, quæ sunt, spes,

timor, gaudium, dolor. Quocirca pensandum, quod nomina ista variis modis sumuntur. Interdum enim accipitur spes ut est theologica virtus. Quæ etiam duplex est, sicut et fides : est enim spes informis et spes formata, sicut et fides informis et fides formata. Spes formata definitur dum dicitur : Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et meritis sperantis proveniens. Quæ tamen definitio potius datur de actu quam de habitu spei. Spes vero prout nominat ipsam virtutem, est habitus seu qualitas ac virtus per quam præstolamur æternam supernaturalem felicitatem. Quæ virtus dum caritate et actibus virtuosis ornatur, dicitur spes formata ; dum autem non perficitur caritate, dicitur spes informis. Verumtamen, sicut fides informis ac fides formata sunt essentialiter una fides, sic spes informis et spes formata sunt idem in re, et essentialiter habitus idem. Secundo accipitur spes prout est in parte sensitiva, puta in appetitu irascibili, cujus est passio ; estque exspectatio, desiderium seu confidentia boni sensibilis ardui obtinendi : et ita nunc capitur. Imo juxta modum Platonicorum, Philosophia jam loquitur de his quatuor passionibus seu affectionibus animæ prout dicuntur affectiones inordinatæ, corruptæ. Proprie tamen, prout sunt affectiones naturales, non sunt bonæ nec malæ moraliter, sed nec actiones pure naturales ac indifferentes : imo, sicut fieri possunt culpabiles per negligentiam rationis, sic possunt reformari et refrenari ac esse laudabiles per rationem ac virtutes morales. Quæ omnia Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura ac alii concorditer scribunt super secundum et tertium Sententiarum, specialiter quoque Thomas in prima secundæ, et in secunda secundæ.

Cf. t. XXIII, p. 445 B et s. — *Ibid. p. 409 B et s.* — *Cf. t. XXII, p. 538 A et s.*

Conformiter dolor quandoque accipitur prout est in parte intellectiva, videlicet voluntate ; sicque contritio quæ est pars pœnitentiæ, dolor vocatur. Interdum vero, prout est in parte sensitiva ; et est passio causata ex apprehensione mali sensibilis

A præteriti, quæ proprie nominatur sensitiva tristitia, aut mali præsentis, quæ passio dicitur proprie dolor : attamen unum pro alio frequenter accipitur.

Insuper de multiplici gaudii sumptione dictum est paulo ante. Siquidem gaudium proprie est solum in voluntate, ex unione cum bono conveniente ; nunc autem pro delectatione sensitiva immoderata acceptum est. De primo gaudio hortatur Apostolus : Gaudete in Domino semper. De secundo in Ecclesiaste habetur : Risum

B reputavi errorem : et gaudio dixi, Quid frustra deciperis ?

Cf. p. 111 C. — *Philipp.* IV, 4. — *Eccle.* II, 2.

Amplius timor etiam duplex est, videlicet : intellectivus, in voluntate exsistens, ut est timor filialis et castus, qui est timor peccandi et offendendi Deum, ex sincera caritate procedens ; timor quoque initialis, qui realiter idem est cum filiali timore, quemadmodum virtus perfecta et imperfecta sunt idem in re, et differunt ratione. Dicitur namque timor initialis, prout adhuc est imperfectus, vitando peccatum

C non solum amore justitiæ, sed etiam formidine pœnæ ; timor autem filialis, in quantum perfectus, vitans peccata solum procedit ex puro amore Dei ac zelo justitiæ. [Alius est timor in appetitu sensitivo exsistens, videlicet timor servilis, quo quis vitat peccatum sola formidine pœnæ.] Interdum item sumitur timor prout est unum septem donorum Spiritus Sancti ; sicque vocatur habitus supernaturalis infusus. De quo scriptum est in Isaia : Replebit eum spiritus timoris Domini. De

D quo in Ecclesiastico legitur : Nihil melius quam timere Deum ; et rursus, Timor Dei paradisus benedictionis.

Is. XI, 3. — *Eccli.* XXIII, 37. — *Ibid.* XL, 28.

Præterea advertendum, quod numerus et sufficientia passionum in generali sic sumitur. Passio quippe prout modo sumitur, est motus seu affectio appetitus sensitivi, sub ratione alicujus boni aut mali. In quibus verbis ratio sumitur multum extense : quia secundum Damascenum libro secundo, passio dicitur motus appetitus sensitivi sub imaginatione boni aut

mali ; secundum Eustratium vero, est motus hujusmodi sub phantasia boni aut mali.

Omnis itaque passio aut est in appetitu concupiscibili, aut irascibili. Si in concupiscibili, hoc est dupliciter : quia aut respectu boni, aut mali. Si respectu boni, hoc est tripliciter : quoniam ipsa aut est causata ex connaturalitate atque præsentia objecti sensibilis ad appetitum per modum cujusdam naturalis influxus, et ita est amor seu complacentia quædam, prout amor et complacentia in parte sunt sensitiva ; aut est causata ex objecto non habito, sed habendo, per modum tendentiæ cujusdam in ipsum, et ita est desiderium ; aut fit ex adeptione et consecutione objecti convenientis, et ita est delectatio, quæ est quædam defixio et quietatio in objecto præsente. Porro si passio sit respectu mali, hoc erit tripliciter : aut enim causatur ex præsentia atque inconnaturalitate seu disconvenientia mali ad appetitum, et ita est abominatio seu odium ; aut causatur ex objecto non habito, apprehenso sub ratione fugibilis, sicque fuga vocatur ; aut oritur ex malo conjuncto potentiæ, sicque tristitia appellatur. Si demum passio sit in irascibili appetitu, hoc est aut respectu boni, aut respectu mali. Si respectu boni, hoc est dupliciter : quia aut respectu boni præsentis, aut non præsentis. Si primum, hoc est dupliciter : aut enim est aggressiva ipsius, et sic audacia dicitur ; aut est fugitiva, sicque vocatur timiditas. Si autem sit respectu boni absentis : aut ergo appetitus manet stans, et ita est spes, aut non manet stans, et ita est desperatio, prout ista in parte sensitiva consistunt. Si vero sit respectu mali : aut igitur appetitus totaliter cadit atque prosternitur, et ita est mansuetudo, sumendo mansuetudinem prout denotat defectum iræ ; aut manet, nec cadit, ita quod appetitus animatur per passionem ad insurgendum contra hujusmodi malum, et ita est ira. Hæc sufficientia consonat dictis Alberti.

A B C D

At vero de quatuor principalibus passionibus scribit Thomas in prima secundæ, quæstione vicesima quinta : Quatuor sunt principales passiones : gaudium, tristitia, spes et timor. Gaudium namque et tristitia sunt completivæ atque finales simpliciter respectu omnium passionum, ita quod omnes ceteræ passiones ad gaudium aut tristitiam terminantur. Timor vero et spes non sunt simpliciter passionum omnium completivæ, sed sunt completivæ in genere motus appetitivi ad aliquid : quia respectu boni, incipit motus in amore, et procedit in desiderium, ac terminatur in spe ; respectu vero mali, incipit in odio, et procedit ad fugam, et terminatur in timore. Hinc harum passionum distinctio assignatur penes differentiam præsentis et futuri : motus quippe concernit futurum, quies vero est in præsenti. De bono ergo præsenti est gaudium ; de malo autem præsenti, tristitia sive dolor. De bono quoque futuro est spes ; et de malo futuro, timor. art. 4.

Hæc de passionibus animæ breviter dicta sint, ut verba textus clarius intelligantur. De ipsis etiam passionibus feci specialem tractatum.

Præterea de his quatuor passionibus sanctus fatur Bernardus : Quatuor sunt affectiones : amor, lætitia, timor, tristitia. Absque his non subsistit hominis anima ; sed quibusdam sunt in coronam, quibusdam in confusionem. Purgatæ enim et ordinatæ, gloriosam efficiunt animam corona virtutum ; inordinatæ vero, per confusionem reddunt eam dejectam et ignominiosam. Purgantur autem si amentur quæ sunt amanda, et non amentur quæ amanda non sunt, et ita de ceteris. Si ordinentur et reformentur istæ affectiones, fiunt virtutes ; si non refrenentur, vitia fiunt. Non delecteris nisi in Deo, non in vanitatibus atque insaniis falsis. In rebus creatis non est gaudendum nisi in Deo, hoc est secundum Dei præcepta, consilia et doctrinas. Sic quoque noli tristari nisi in Deo, hoc est de his per quæ a Deo averteris, *Ps.* XXXIX. 5.

per quæ gratiam et salutem amittis. Con- A formiter, ordinatus sit timor tuus. Primo omnium time elongari et separari a Deo, time offendere Creatorem. De his multa scribit Bernardus, et item in Moralibus super Job B. Gregorius.

ARTICULUS XXVIII

ENARRATIO MYSTICA EJUSDEM METRI.

Ex similitudinibus et exemplis hujus B metri instruimur, quod sicut interpositæ nubes impediunt homines a clara perceptione et adspectu luminis solis ac siderum, sic vitiorum tumultus, turbatio passionum, dispersio cordis per vana et impertinentia, impediunt mentem a consideratione salubri, a limpido veritatis intuitu, a contemplatione superna. Ideo asserit Augustinus : Contemplatio rapit et elevat animam tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia consurgentem, et tanto ad C spiritualia consurgentem quanto carnalibus desideriis ac terrenis affectibus morientem. Hoc est quod ait Gregorius : Non prævalet mens perturbata veritates conspicere, ad quarum intuitum vix tranquilla potest ascendere, quia nec solis radius cernitur dum nubibus facies cœli obducitur. Hoc ipsum fatetur Chrysostomus : Nemo (inquiens) horum qui caducis et carnalibus delectantur, potest spiritualia, divina atque cœlestia contemplari ; qui vero ea contempserit, et ea tanquam um- D bram ac pulverem duxerit, cito ad illa mente jam tranquillata perveniet. Oportet ergo mentem simplificare ac stabilire in Deo, et ad ipsum cetera omnia ordinare, ipsum solum super omnia desiderando, alia autem in tantum quantum utilia aut necessaria sunt ad unionem cum ipso.

Præhabitis etiam consonat quod Seneca protestatur : Tutissima res est nihil timere præter Deum ; et rursus : Ut auri aliquid extrahamus, terram evertimus ; ut summum bonum obtineamus, mentem scrutari purgareque piget. Ad Lucilium quoque : Primum (ait) compositæ mentis argumentum est secum consistere, secum morari, non per multa discurrere, nec mente vagari.

Postremo hoc metrum vocatur Adonium, quia in sacris Adonidis, amasii Veneris, ab idololatris talia metra canebantur, aut quoniam lamentatio Veneris de illius amissione tali metro describebatur. Adonis quippe pulcherrimus juvenis Venerisque amasius, venando percussus ab apro interiit. Cujus interitum annuatim deflebant mulieres gentiles. Unde in Ezechiele habetur : Ecce mulieres sedentes *Ezech.* VIII, 14. plangebant Adonidem. Quem (ut ait Hieronymus) fabulæ referunt suscitatum. Porro Venus fuit filia Jovis regis Cretensium, soror Apollinis et Dianæ, ut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus. Hos homines sceleratos infelicissimi idololatræ coluerunt ut deos. Hoc itaque metrum vocatur Adonium ; et item Glyconicum, ab inventore ; dimetrum, utpute ex duobus pedibus constans, dactylo et spondeo ; atque dactylicum, a dactylo ibi prædominante.

ENARRATIONES IN LIBRUM II

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

ENARRATIONES IN LIBRUM II

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

PROSA PRIMA

POST hæc paulisper obticuit, atque ubi attentionem meam modesta taciturnitate collegit, sic exorsa est : Si penitus ægritudinis tuæ causas habitumque cognovi, fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis : ea tantum animi tui statum (sicuti tu tibi fingis) mutata pervertit. Intelligo multiformes illius prodigii fucos, et eousque cum his quos eludere nititur, blandissimam familiaritatem exercet, dum intolerabili dolore confundat quos insperata reliquerit. Cujus si naturam, mores ac meritum reminiscare, nec habuisse te in ea pulchrum aliquid nec amisisse cognosces. Sed (ut arbitror) haud multum tibi hæc in memoriam revocare laboraverim : solebas enim præsentem quoque blandientemque virilibus incessere verbis, eamque de nostro adyto prolatis insectabare sententiis. Verum omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi conflictu contingit animorum : sic factum est ut tu quoque paulisper a tua tranquillitate discesseris.

Sed tempus est haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum, quod ad interiora transmissum, validioribus haustibus viam fecerit. Adsit igitur rhetoricæ suadela dulcedinis, quæ tunc tantum recto calle procedit, quum nostra instituta non deserit. Cumque hac, musica laris nostri vernula, nunc leviores, nunc graviores modos succinat.

Quid est igitur, o homo, quod te in mœstitiam luctumque dejecit? Novum, credo, aliquid inusitatumque vidisti. Tu si fortunam putas erga te esse mutatam, erras : hi semper ejus mores sunt, ista natura. Servavit circa te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat quum blandiebatur, quum tibi falsæ illecebris felicitatis alluderet. Deprehendisti cæci numinis ambiguos vultus : quæ

sese adhuc velat aliis, tota tibi prorsus innotuit. Si probas, utere moribus, ne queraris ; si perfidam perhorrescis, sperne atque abjice perniciose ludentem. Nam quæ nunc tibi est tanti causa mœroris, hæc eadem tranquillitatis esse debuisset : reliquit enim te, quam non relicturam se nemo unquam poterit esse securus. An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem, et cara tibi est fortuna præsens, nec manendi fida, et quum discesserit, allatura mœrorem ? Quod si nec ex arbitrio retineri potest, et calamitosos fugiens facit, quid est aliud fugax quam futuræ quoddam calamitatis indicium ? Neque enim quod ante oculos situm est suffecerit intueri : rerum exitus prudentia metitur ; eademque in alterutro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias. Postremo, æquo animo toleres oportet quidquid intra fortunæ aream geritur, quum semel jugo ejus colla submiseris. Quod si manendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu tibi dominam sponte elegisti, nonne injurius fueris, et impatientia tua sortem exacerbabis quam permutare non possis ? Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret, promovereris. Si arvis semina crederes, feraces inter se annos sterilesque pensares. Fortunæ te regendum dedisti, dominæ moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotæ impetum retinere conaris. At, omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, sors esse desistit.

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS PRIMÆ.

LIBRO primo Philosophia tanquam mater, nutrix, medica et magistra piissima, diligenter est perscrutata et conferendo cognovit qualitatem et speciem, radicem et causas afflictionis ac morbi totiusque indispositionis Boetii in mente et corpore ejus. Jam in hoc libro secundo, tanquam sapiens et ordinate procedens curatrix, adhibere incipit medicamenta, Cf. p. 131 D, 147 B'. et primo (sicut pollicita est) leviora. Est autem consuetudo auctorum ut libros suos totales in plures dividant libros partiales prout diversitas requirit materiæ, ut tam B ipsi quam legentes ac auditores, uno partiali libro finito, respirent ac pausent parumper, recollectisque viribus sequentem librum cum recenti fervore et fortitudine ampliori aggrediantur. Hinc libro de Trini- A tate sanctus perhibet Augustinus, quod sicut viator una confecta dieta respirat, vires recolligit, et quiescit hospitio, sic auctor uno libro completo. Ait ergo Boetius :

Post hæc paulisper obticuit, id est, finitis colloquio ac dialogo inter Philosophiam et Boetium habitis ac descriptis primo libro, ad aliquantulum tempus tacuit Philosophia propter causas jam tactas, et ex deliberatione matura volens inchoare sequentia, ne etiam protrahendo immoderate sermonem videretur verbosa et loquax. Propter quod in Proverbiis Salomon ait : Totum spiritum suum profert Prov. XXIX, 11. stultus, sapiens differt et reservat in posterum. Hinc Seneca Tulliusque dixerunt : Noli verbis defluere.

Atque ubi meam attentionem, id est

diligentem advertentiam, *modesta taciturnitate collegit,* id est, suo urbano ac moderato silentio consideravit : nam et ideo paululum siluit, ut qualiter ego me haberem perpenderet. Nempe si loquens et docens videat eos quibus loquitur non advertere nec curare, debet tacere, aut certe illos ad audientiam excitare, inadvertentiamque arguere. Ideo in Ecclesiastico Sapiens loquitur : Ubi non est auditus, non effundas sermonem. (*Eccli* XXXII, 6.) Vel sensus est : « Ubi », id est postquam, Philosophia « collegit attentionem meam taciturnitate modesta », id est, per hoc quod ego Boetius modeste silui, non importune in verba prorupi : quod est sapientiæ signum, ac docilitatis indicium, juxta illud Job, Utinam taceretis, ut putaremini sapientes. (*Job* XIII, 5.) Ideo rursus in Ecclesiastico edocetur : Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi gratia bona. (*Eccli.* XXXII, 9.)

Denique per hæc insinuatur duplex taciturnitas esse : una sapientialis, discreta ac moderata. Ad quam multa utique requiruntur, videlicet : tacere loco et tempore opportuno, et quando subest pia et rationabilis causa tacendi ; et inter sapientiores, majores ac seniores silere ac modice loqui, ac illis deferre ; injurias quoque, correptiones et accusationes silenter sufferre, nisi ad vitandum scandalum aut justitiæ detrimentum expediat potius loqui. Alia est, taciturnitas indiscreta, utputa non loqui ubi et quando loquendum est et dum ratio exigit. Nam et quidam ex indignatione subtrahunt vocem. De his in libris Sapientialibus multa dicuntur, ut est illud Ecclesiastici : In multis esto quasi inscius et audi tacens simul et quærens, et loqui in medio magnatorum non præsumas, et ubi sunt senes non multum loquaris ; (*Ibid.* 12, 13.) illud quoque : Est tacens qui invenitur sapiens, est autem et tacens non habens sensum loquelæ, et est tacens sciens tempus aptum. (*Ibid.* XX, 5, 6.)

Sic exorsa est, id est, ita incepit loqui : *Si* (pro Quia) *penitus ægritudinis tuæ causas habitumque cognovi,* id est, quia jam scivi et scio plenarie causam efficientem, formalem, materialem et finalem tuæ imbecillitatis, et « habitum », id est dispositionem seu qualitatem ipsius, quoniam diu fuit in te. Nam et causa efficiens fuit persecutor atque satellites ejus, et senatus incaute dijudicans ; causa formalis, consideratio ipsa adversitatum suarum ; causa materialis [ex qua], fuerunt ipsæ adversitates. Causa finalis alia fuit ex parte Dei omnium provisoris, alia ex parte persecutoris, alia ex parte ipsius Boetii patientis. Deus quippe omnem illam Boetii ægritudinem ordinavit ad ejus purgationem et salutem. Persecutor intulit eam ex odio ad omnimodam Boetii depressionem. Boetius vero tandem etiam retulit eam ad finem salubrem. Verumtamen ad tempus invite et ægre ipsam sustinuit quantum ad appetitum naturalem et sensum talia naturaliter abhorrentes : sicque appetiit ad pristinam prosperitatem reduci. Unde subjungitur :

Fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis, id est, mœrore consumeris ex appetitu naturali ac sensuali quem habes ad pristinam prosperitatem fortunæ subjectam, ita quod dicere potes illud Threnorum : Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. (*Thren.* III, 20.) Sic et sanctus Job dixit : Quis mihi det ut sim juxta dies pristinos ? (*Job* XXIX, 2.) Nempe hoc naturaliter ac communiter accidit infortunatis, ut reminiscendo prosperitatis prioris respirent ad eam, quousque sint tantæ sapientiæ et perfectionis quod in adversis potius quam in prosperis glorientur. *Ea tantum animi tui statum (sicuti tu tibi fingis) mutata pervertit.* Ordo verborum est : « ea tantum », id est solum ista fortuna, « mutata », id est variata in te quantum ad suum effectum, « pervertit statum animi tui », id est, tranquillitatem et prosperitatem animi tui inquietavit, evertit et ad impatientiam tristitiamque induxit.

Intelligo multiformes illius prodigii, id est fortunæ, *fucos,* id est apparentes colores, imo veros dolos, *et eousque,* id est usque ad hoc, *cum his quos eludere niti-*

tur, id est, cum hominibus quos conatur A decipere, *blandissimam familiaritatem exerceat*, id est, valde blandam ac familiarem se exhibet illis, *dum*, id est donec seu quousque, *intolerabili dolore*, id est pœnitudine seu mœrore valde gravi et quasi importabili seu incurabili, *confundat*, id est, destituat et confusos ac deordinatos ostendat, *quos insperata reliquerit*, id est, quos ipsa fortuna dimiserit improvise ac insperate, dum illi ad tempus sic fortunati putabant sibi fortunam jugiter arrisuram et adfuturam. Porro fortuna vocatur mon- B strum, quoniam instar monstri est res deformis, quia incerte, instabiliter et per accidens causans et agens, vitiosis arridens ac prospera præstans, et justis adversans, ac multa efficiens quæ prima facie videntur prorsus inordinata, injusta, *Cf.* p. 27 D', 123 B, etc. deformia, ut frequenter inductum est. Hinc asseritur multiplices « fucos » habens. Fucus quippe est color quem vitiosæ ac fatuæ feminæ suis vultibus imprimunt, ut videantur formosæ ac placeant; et interdum pro herba accipitur cujus humore et C causato ex ea colore se ita permerdant. Sic plane fortuna amicam se simulat, prospera pollicetur, pulchra proponit; et paulo post, adversa ac speratis cuncta contraria agit. Qualiter autem ista adscribantur *Cf.* p. 28 C, D. fortunæ, dictum est super primum, pleniusque dicetur inferius.

Cujus, videlicet fortunæ, *si naturam*, id est rationem definitivam seu speciem, vel naturalem proprietatem, *mores*, id est consuetos eventus, *ac meritum*, id est finem seu exitum, sumendo meritum pro D præmio, quemadmodum et fortuna sæpe hic sumitur pro rebus fortuitis, id est pro rebus mutationi subjectis, circa quas versatur fortuna, aut pro fortuitis seu fortunatis eventibus : quod si fortuna accipiatur pro causa illorum, in quantum hujusmodi causa est incerta, instabilis, non ex proposito nec ex providentia nec ex prænotitia agens ; sic ut talis, est imperfecta atque inferior homine, et meretur contemni : unde meritum ejus est quod spernatur. Denique, secundum Philosophum libro de Bona fortuna, ubi major est ratio et providentia latior, ibi fortuna minor, et minus de fortuna ; et ubi plurimus intellectus, ibi minimum de fortuna, fortunaque minima ; illi quoque sunt bene fortunati, qui agunt directe, sine ratione, ut in pluribus. Itaque, « si » fortu- *Cf.* p. 170 C. næ « naturam, mores ac meritum » *reminiscare*, id est, recolas et attendas, *nec habuisse te in ea pulchrum aliquid nec amisisse cognosces*, id est, scies te nunquam « aliquid » vere « pulchrum », honestum seu virtuosum « habuisse » virtute seu beneficio aut collatione fortunæ, quoniam talia bona non subjacent ipsi fortunæ : propter quod nec in ea perduntur, nec ejus dominio auferuntur, sed cum deliberatione atque proposito acquiruntur seu suscipiuntur, et amittuntur, potissime ab adultis.

Sed (ut arbitror) haud multum tibi hæc in memoriam revocare laboraverim, id est, non me oportet laborare ad revocandum hæc in tui memoriam, quia aliquando hæc scivisti, sicque faciliter recoles ea. Hinc subditur : *solebas enim præsentem quoque blandientemque virilibus incessere verbis*, id est, tu ipse, o Boeti, consuevisti « incessere », id est arguere et impugnare, « verbis virilibus », id est strenuis rationabilibusque motivis, fortunam etiam « præsentem blandientemque », id est, prospera præsentialiter ingerentem ; *eamque de nostro adyto prolatis insectabare sententiis*, id est, persequebaris et reprobabas fortunam tanquam fallacem « sententiis », id est documentis, « prolatis de nostro adyto », id est allegatis et sumptis ex philosophicis libris, in quibus nos et nostri alumni philosophi audiuntur : ex quorum dictis probantur quæ de fortunæ natura ac moribus sunt prolata. Nam et primo Ethicorum ait Philosophus, quod in infortuniis virtus refulget, quoniam virtuosi ac sapientis viri est diffortunia et eufortunia æquanimiter ferre, et in utrisque constantem manere instar tetragoni,

qui quocumque jactetur, stat fixe. Seneca quoque in suis ait Proverbiis : Fortuna stultum facit quem nimium fovet; et rursus, Fortuna nulli contenta est semel nocere; itemque, Levis est fortuna, cito reposcit quod dedit.

Verum omnis subita mutatio rerum, id est variatio notabiliter magna et improvisa et repente proveniens, *non sine quodam quasi conflictu contingit animorum,* id est non sine admiratione et mentis immutatione. Quamvis enim virtuosus et sapiens inter prospera et adversa stet fortiter, attamen in adversis naturaliter appetitus remittitur et abhorret, et sensualitas rationi repugnat; in prosperis quoque insurgere solent motus elationis vanæque gloriæ. Quibus omnibus virtuosus vere sapiens prævalet judicio rationis ac firmitate virtutum. Quumque juxta Sallustium, post gloriam sequatur invidia, atque ut Seneca loquitur, omnium exterius affluentium possessio sit incerta et lubrica; recte admonet nos Scriptura in Ecclesiastico, dicens : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum. Hoc est quod denuo Seneca est locutus : Injuriæ vulgi et honores, in promiscuo sunt habenda; nec pro honoribus gloriandum, nec pro injuriis est dolendum. (*Eccli.* XI, 27.)

Sic factum est, utputa per subitam rerum mutationem et per diffortunia magna, *ut tu quoque paulisper a tua tranquillitate discesseris,* id est, ad aliquantulum tempus fueris motus, contristatus, turbatus, præsertim quantum ad partem sensitivam. Nam et justo subrepere potest ante tempus tentatio et quædam cordis inquietudo : quam dum advertit, armis prudentiæ ac virtutum mox superat. Sic magno Platoni, sic et Homero a piratis et prædonibus captis legitur contigisse.

Sed tempus est haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum, id est, quia jam plene novi tuos defectus, et remediis indigent, hora est ut « aliquid molle atque jucundum » haurias ex fonte doctrinæ meæ, et illud degustes, id est, mastices ac sapias mente, hoc est, ut juxta præmissa applicem tibi medicinalia spiritualia faciliter intelligibilia et consolatoria; *quod* molle et jucundum *ad interiora transmissum,* id est auribus cordis auditum ac mentis palato gustatum, id est intellectualiter cognitum et affectualiter sumptum, *validioribus haustibus viam fecerit,* id est, ad efficaciora, sapientialiora ac altiora documenta te disponat. Nam ut divinus Dionysius fassus est : Natura non transit a distanti in distans, nisi per medium. Præterea, ut asserit Origenes, et post eum S. Basilius, ac ante eos B. Dionysius, in superiori parte animæ realiter idem sunt quinque sensus interiores ac spirituales : qui omnes sunt ipse intellectus, quo veritas videtur, verbum Dei intus auditur (juxta illud in Psalmo, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus), summi boni dulcedo gustatur (sicut ait Propheta, Gustate et videte quoniam suavis est Dominus), æternæ felicitatis odor percipitur, et verbum vitæ salubriter tangitur. (*Cf.* de Cœlest. hier. c. IV, VIII, XIII. — *Cf.* t. XV, p. 254 C', 265 B'. — *Ps.* LXXXIV, 9. — *Ps.* XXXIII, 9.)

Adsit igitur rhetoricæ suadela dulcedinis, id est persuasio consolativa procedens et formata secundum regulas rhetoricæ artis : quæ suavi et ornato utitur stilo, sicque aures corporis ac mentis demulcet. Unde ad Ezechielem Dominus dixit : Factus es quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur. Hæc sermonis suavitas ac venustas hominem reddit amabilem, et promovet multos, quemadmodum in Proverbiis legitur : Dulcis eloquio majora possidebit; et iterum, Favus mellis verba composita. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. (*Ezech.* XXXIII, 32. — *Prov.* XVI, 21. — *Ibid.* 24. — *Eccli.* XL, 21.)

Quæ tunc tantum recto calle procedit, quum nostra instituta non deserit : id est, tunc dumtaxat rhetorica ista seu ejus persuasio recto procedit itinere, id est per media apta seu efficaces præmissas, quando non deserit moralia documenta, in qui-

bus docetur, quod falsa et injusta vitentur A nec defendantur, vera autem et justa quærantur et conserventur. Qui autem sua eloquentia ac rhetoricorum florum decore quærunt audientibus inaniter complacere, falsa colorare et persuadere injusta, vani sunt et communitati nocivi ac plurimum vitiosi, simplicesque decipiunt. Hinc talem eloquentiam, vel potius loquacitatem, reprobat Plato. Propter quod Tullius circa Rhetoricæ suæ scribit exordium : Me quidem diu cogitantem ratio in hanc potissimum duxit sententiam, ut existimem B sapientiam sine eloquentia civitatibus parum posse prodesse, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, nunquam prodesse. Denique, secundum Augustinum libro de Civitate Dei : Eloquentia oris et pulchritudo corporis, dona naturæ sunt et munera Dei, quæ frequenter in reprobis plus abundant, ne ab electis nimis appretientur ; nec sunt multum optanda, eo quod plurimis sunt peccandi ac pereundi occasio. Nihilo minus si quis eis recte utatur, ad multa deserviunt, quum C et Seneca in suis Proverbiis fateatur : Formosa facies muta commendatio est.

Cumque hac, musica, id est ars musices, proportionem docens notarum ac symphoniæ et harmoniam in cantibus atque succentibus, ac varias melodias, *vernula,* id est ancilla, *laris nostri,* id est nostræ domus, seu nostræ familiæ, puta philosophorum. Quod ad differentiam joculatoriæ musicæ additur, quia est musica veræ philosophiæ deserviens, sicut et quædam musica est poetarum lasciviæ D magis quam philosophiæ subserviens : quam in libris suis frequentat Ovidius. *Succinat,* id est subdecantet, *modos,* id est species versuum, *nunc leviores, nunc graviores,* id est, aliquando faciliores, interdum difficiliores : vel, « leviores », id est magis delectabiles, et « graviores » quantum ad sensuum profunditatem atque affectuum maturitatem. Nam et ista varietas [II *Mach.* xv. 40.] mentem delectat humanam : quia alternis uti delectabile est, et minus fatigat, nec parit fastidium. Propter quod etiam diversi sunt flores rhetorici. Et de hoc B. Augustinus in libro Confessionum, et libro de Civitate, et in Musica sua, tractat profunde, qualiter exterior consonantia proportioque sonorum et vocum ac cantuum correspondet spirituali ac interiori proportioni numerorum et intrinsecarum dispositionum, æqualitatum ac contemperationum in anima : unde et diversi diversis melodiis diversimode attrahuntur et afficiuntur, subindeque in lacrimas resolvuntur, secundum quod interior illa cohabitudo atque proportio per exteriores diversimode agitatur. Quæ verba subtilissimi et illuminatissimi Augustini consonant documentis Platonis, dicentis animam esse numerum moventem se ipsum. Quod totum clare intelligere reor difficile. Hinc demum in fine secundi Machabæorum habetur : Sicut vinum semper bibere, aut [II *Mach.* xv. 40.] semper aquam, contrarium est, alternis autem uti delectabile ; ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus.

Consequenter Boetius istam prosequitur medicinam ac medicinalem doctrinam ex rhetorica ac musica contemperatam.

Quid est igitur, o homo, quod te in mœstitiam luctumque dejecit, id est, in mœstitiam cordis luctumque corporalem inducat, quum tamen Salomon dicat, Non [*Prov.* xii. 21.] contristabit justum quidquid ei acciderit? *Novum, credo, aliquid inusitatumque vidisti.* Hoc exponi dupliciter potest. Primo, tanquam ironice dictum, quasi dicat : Numquid aliquid ante non visum aut prorsus insolitum conspexisti? quasi dicat : Non. Ideo non deberes sic dejici, quum supra ostensum sit, quod boni philosophi [*Cf.* p. 76] talia sunt perpessi : ut Anaxagoras pulsus Athenis, Zeno suspensus, Socrates intoxicatus. Secundo exponi potest quasi assertorie dictum, tanquam dicat : Quum antea fueris vir tantæ sapientiæ ac virtutis, non esses ad tantum devolutus mœrorem, nisi grandis tibi contigisset adversitas, talis ac tanta quod ante per experientiam non vidisti tam gravem in tua persona.

Præterea advertendum, quod non solum in sanctis Scripturis, sed etiam in communi modo loquendi, accipitur homo dupliciter. Primo, in bonum, hoc est in laudem et excellentiam : ut dum ad Co-
I Cor. xv, 32. rinthios ait Apostolus, Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi. Quorum verborum hic sensus est : « Si » (pro Quia) « secundum hominem », id est rationabiliter, « ad bestias », id est contra homines bestiales, incredulos, « pugnavi », id est disputavi, « Ephesi », id est in urbe Ephesina. Secundo, in malum, puta in vituperium et depressionem : ut dum rursus
Ibid. III, 3. scribit Apostolus, Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis, id est, fragiles atque culpabiles estis? Sic et in communi modo loquendi accipitur homo in bonum, quum dicimus, Homo est nobilis creatura; et iterum, Cuncta timent hominem, quoniam præsidet ipsis creatis. Et de eo qui rationabiliter habet se, dicitur : Ille vere est homo. In malum autem accipitur, dum quidam suam incontinentiam excusantes loquuntur, Homo non est angelus : veluti dicant, Fragiles sumus. Nempe, quum homo ex anima rationali et carne fragili constet, et rationem sensualitatemque habeat, ipse homo in bonum accipitur, quum de eo quantum ad superius suum tractatur : et ita vocatur humanum, quod rationabile est et pium. Dum vero fit sermo de homine quoad suum inferius, tunc in malum seu depressive accipitur : ut quum ait Bernardus, Homo est vas luteum, esca vermium, etc. Sicque appellatur humanum, quod est defectuosum. Et utroque modo accipi potest quod ad Boetium ait Philosophia : « Quid est, o homo » ? Quia secundum primam acceptionem est sensus : Quum sis rationalis et nobilis creatura, tibi ita dejecto condoleo atque succurrere opto. Juxta secundam acceptionem sensus est iste : O homo, qui ita admittendo passiones culpabiles, ostendis te sensualem ac fragilem esse.

Tu si fortunam putas erga te esse mutatam. Quod uno modo sic fuit, quia fortuna alium effectum nunc habuit circa Boetium quam dudum : sicque fortuna, quantum ad effectum qui ei adscribitur, mutata fuit circa Boetium. Imo et sic causæ cœlestes aliter et aliter habent se circa inferiora. Deus quoque in se summe invariabilis, mutari dicitur circa eos in quibus diversimode operatur, juxta illud Job : Mutatus es mihi in crudelem, et in du- Job xxx, 21.
ritia manus tuæ adversaris mihi. Secundo, fortuna posset dici mutata, aliter se habendo aliterque agendo quam convenit ei ex sua natura ac ratione : et ita non fuit circa Boetium variata, quia diversimode, instabiliter, incerte, inopinate egit in eo, sicut sua natura et ratio continet. Ideo subditur : *erras,* sic sentiendo; *hi semper ejus mores sunt,* id est consueti effectus, *ista natura,* id est, ista est ejus naturalis proprietas ac propria ratio.

Servavit circa te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam : id est, fortuna « servavit propriam constantiam », id est firmam suam proprietatem, « circa te potius in ipsa sui mutabilitate », id est, magis per hoc et in hoc quod tam mutabiliter habuit se circa te quantum ad suos effectus, nunc prospera, nunc adversa inducendo, quam si semper consimiles effectus, videlicet non nisi prospera, tibi adduxisset. *Talis* enim *erat,* id est mutabilis quoad suos effectus, *quum blandiebatur* tibi per prospera : unde expositorie subditur, *quum tibi falsæ illecebris felicitatis alluderet,* id est, dum tibi applauderet et faveret « illecebris falsæ felicitatis », id est deliciis atque divitiis terrenæ prosperitatis, quam insipientes et carnales tanquam veram felicitatem reputant, et exquirunt magis quam felicitatem æternam, cœlestem, spiritualem et veram, quoniam obscuratum est insipiens cor eorum, Rom. I, 21.
et præsentia, non futura, attendunt.

Deprehendisti cæci numinis ambiguos vultus, id est, per experientiam jam novisti incertos fortunæ respectus, quia quæ per prospera te adspexit ante blandiens,

nunc per adversa te adspicit sæviens et adversans : cujus vultus sunt ut facies « numinis cæci », id est deæ velatæ. Sic quippe pingebatur fortuna vultu aut visu operta, ad insinuandum incertos et indiscretos ejus respectûs, et quia cultores suos excæcat, quam stulti idololatræ colebant ut deam. *Quæ sese adhuc velat aliis*, id est, fortuna quæ suas proprietates, fraudes, varietates inexpertis occultat, *tibi prorsus tota innotuit :* quoniam in te ipso copiose et eminenter expertus es varios ejus effectus, a maxima prosperitate in maximam adversitatem dejectus.

Si probas, id est, si approbas et commendas fortunam, *utere moribus, ne queraris*, id est, æquanimiter suscipe varios et solitos ejus effectus. *Si perfidam perhorrescis*, id est, si fraudes et infidelitates fortunæ detestaris, *sperne atque abjice perniciose ludentem*, id est, remove prorsus a te « perniciose ludentem », id est ipsam fortunam habentem se circa te instar ludentis ac tecum jocantis, tam variis modis te tangendo perniciose, id est impie et nocive.

Nam quæ nunc tibi est tanti causa mœroris, hæc eadem tranquillitatis esse debuisset, id est, fortuna, quæ infligendo tibi adversa facta est tibi causa hujus tuæ magnæ tristitiæ, « esse debuisset », id est, merito fuisset ac esset, tibi causa quietis et pacis : si scilicet sapienter pensasses ejus naturam ac solitum cursum, attendendo ejus instabilitatem, et quod cito reposcit quod contulit : sicque præparasses te ad sustinendum patienter adversa, ut decet prudentem, qui nec prosperis elevatur nec adversis tristatur. Propterea Varro ait : Eo vultu dimittendæ sunt divitiæ, quo accipiendæ. Consonat quoque his quod ait Sallustius : Quo clarior fueris, eo plus sollicitum te esse oportet præstolando contraria. Nam ut in suis fatur Proverbiis Seneca : Ubi omnia videntur tranquilla, ibi non deerunt nocitura.

Reliquit enim te, quam non relicturam se nemo unquam poterit esse securus : id est, fortuna deseruit te non omnino, sed quantum ad prospera, in quibus tibi abundanter adesse solebat ; sed quoad adversa tibi inflicta remanet tecum : de qua fortuna nemo mortalium potest, sine revelatione divina, esse securus an et quamdiu secum manebit per prospera aut etiam per adversa, juxta illud dictum commune : De futuris contingentibus non est determinata veritas. De talibus namque futuris ait Isaias propheta : Quæ ventura sunt annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos. (*Is.* XLI, 23) Hinc qui de talium prænuntiatione se intromittunt, divini in Scripturis vocantur, per usurpationem actuum divinorum. De hac fortuitorum diversitate effectuum scriptum est in Job : Iste moritur robustus et sanus, dives et felix; alius vero moritur in amaritudine animæ : et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. (*Job* XXI, 23, 25, 26.) De his etiam Ecclesiastes asserit : Sunt justi quibus mala proveniunt quasi opera egerint impiorum, et sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant. (*Eccle.* VIII, 14.) Hæc et consimilia adscribuntur et aliquo modo conveniunt fortunæ ; sed revera ex providentia oriuntur divina, ut infra patebit.

An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem ? Quidam hæc exponendo, dicunt hic tangi varias rationes ad probandum fortunam esse spernendam, quum tamen non sint nisi declarationes sensuum inductorum, sicut et sensus clausulæ hujus præhabitus est, sed sub alio modo loquendi repetitur (*Cf.* p. 155, C, D.) ad instruendum et inflammandum plenius mentem, ut sit sensus : « An vero felicitatem abituram », id est prosperitatem cito recessuram, « tu æstimas pretiosam », id est multum dignam et magni pendendam ? *Et cara tibi est fortuna præsens*, id est prosperitas fortunalis, *nec manendi fida*, id est non fidelis ad permanendum stabiliter tecum, *et quum discesserit, allatura mœrorem*, id est, inflictura tibi tristitiam quando reliquerit te ? Quasi dicat : Non debes magni pendere prosperitatem hujusmodi.

Quod si nec ex arbitrio tuo *retineri potest,* id est, quum ita sit quod fortunam in prosperis tecum tenere non vales ad beneplacitum tuum, *et calamitosos fugiens facit,* id est, fortuna quantum ad prospera deserens fortunatos, efficit eos miseros et egenos, *quid est aliud fugax,* id est, fortuna sic fugiens « quid aliud est », *quam futuræ quoddam calamitatis indicium,* id est quam signum imminentis adversitatis?

Neque enim quod ante oculos situm est suffecerit intueri, id est, non satis est considerare quæ præsentialiter exterioribus oculis præsentantur et objiciuntur; imo hoc est stultorum, non nisi ad præsentia visum dirigere : ideo te oportet ex præsentibus signis futura conjicere, prout hoc naturaliter ac probabiliter fieri potest. Hinc subditur :

Rerum exitus prudentia metitur, id est, processus et fines rerum et actuum humanorum prudens per prudentiam suam circumspicit, advertit, ac regulis considerationum mensurat. Unde in libro Ruth
Ruth III, 18. scriptum est : Exspecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat. Hinc Seneca loquitur : Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi sit subitum, sed totum ante prospicias. Nam qui prudens est non dicit, Non putavi hoc fieri : quia non dubitat, sed exspectat; non suspicatur, sed cavet. Propterea quoque asserit Tullius tres esse prudentiæ partes, quæ sunt, memoria præteritorum, consideratio præsentium, providentia futurorum. *Eademque in alterutro mutabilitas,* id est consimilis seu eadem specie variabilitas seu variatio fortunæ in prosperis et adversis, *nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias,* id est, persuadet ut nec minæ, id est comminationes adversitatum, formidentur, neque blanditiæ, id est prosperitates fortuitæ et earum promissiones, optentur. Ideo recte disseruit Seneca : Fortuna vitrea est; quum magis splenduerit, frangitur. Et in Ecclesiastico scriptum est, Cogitatus sensati omni tempore metu non Eccli. XXII, 20.
depravabitur, hoc est inordinata fortuitorum formidine.

Consequenter Philosophia hortatur Boetium ut de necessitate faciat sibi virtutem, æquanimiter sustinendo varios fortunæ eventus, allegando ad hoc specialem rationem, videlicet quia Boetius jam permisit fortunam sibi dominari ac prævalere.

Postremo, æquo animo toleres oportet quidquid intra fortunæ aream geritur, id est, necesse est, si pacem et salutem habebis, ut sustineas patienter quidquid agitur « intra aream » (id est domum spatiumque) « fortunæ », id est, in omni loco ubi operatur fortuna et contingunt fortuita, utputa in hoc mundo inferiori, hoc est in regione elementari atque mixtorum, in qua omnia variis mutationibus et incertis eventibus sunt subjecta, videlicet in sphæra activorum et passivorum, *quum semel jugo ejus colla submiseris,* id est, quia præterito tempore subjecisti te ipsum « jugo ejus », id est gravi dominio fortunæ, succumbendo adversis eventibus ejus, propter quos fuisti tam graviter infirmatus et victus. Sicque per « colla » intelliguntur hic vires superiores erectæ seu virtutes, quæ in Boetio per diffortunia quasi victæ fuerunt. Juxta hunc modum loquendi beatissimus Petrus in sua secunda affirmat Canonica : Iniqui sunt servi corruptionis; II Petr. II, 19.
a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Et apud Joannem ait Salvator : Omnis qui facit peccatum, servus est Joann. VIII, 34.
peccati. Hinc et philosophi passionatos homines dixerunt servos passionum.

Quod si manendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu tibi dominam sponte elegisti, id est, si tentaveris præfigere legem fortunæ, et tempus certum determinare quamdiu debeat adesse homini vel abesse, et quando accedere et recedere, quando prospera vel adversa adducere, « quam » fortunam « tu elegisti tibi sponte » in « dominam », non formaliter,

sed æquivalenter, quia ex consensu peccasti ac libere, non coacte : sicque fortunam assumpsisti in dominam, sicut avari pecuniam, libidinosi venerem, superbi honorem. Unde de talibus dixit Apostolus : Quorum deus venter est. Et avaritiam nominat idololatriam. *Nonne injurius fueris,* id est, hoc attentando, faceres injuriam fortunæ, cui te miserabiliter subdidisti, *et impatientia tua sortem exacerbabis,* id est, fortunam turbare atque confundere niteris, *quam permutare non possis?* Hoc namque excedit vires humanas, mutare naturam et proprietates naturæ, et mensuram durationis ac legem ei præfigere.

Philipp. III, 19. *Ephes.* V, 5; *Coloss.* III, 5.

Denique istud consequenter per similitudines probat. *Si ventis vela committeres,* id est, si in navi extenderes vela ad navigandum, *non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret, promovereris,* id est, illuc movereris seu ires in navi, « quo » ventus « impelleret » navem, « non quo voluntas » tua « peteret », id est optaret : nisi et voluntas tua ex se illuc procedere cuperet. Sic et nunc oportet te subdi fortunæ eventui.

Ad quod alia similitudo subjungitur. *Si arvis semina crederes,* id est, in terram aratam projiceres semen, *feraces inter se annos sterilesque pensares,* id est, annos fructiferos seu fertiles annosque steriles considerares, ac invicem comparares, et ex qualitate unius anni conjiceres de qualitate alterius, sterilitatem quoque unius anni recuperares pro posse fertilitate alterius. Imo utrumque æquanimiter præstolari ac cupere oportet, et diffortunia sicut eufortunia æquanimiter ferre.

Fortunæ te regendum dedisti, id est, prospera fortunæ gaudenter suscipiendo, subjecisti te interpretative regimini ejus ; A *dominæ moribus oportet obtemperes,* id est, necesse est ut jam obedias seu subditus sis fortunæ, cujus te servum fecisti.

Tu vero volventis rotæ impetum retinere conaris, id est, ita te habes, te ipsum contristando et affligendo propter adversos fortunæ eventus, ac si impetuosum motum rotæ circumagitatæ, seu ipsius fortunæ, quæ assimilatur hujusmodi rotæ, velles tuo imperio cohibere. Fortuna demum rotæ similis, imo et rota vocatur, ob suam incessabilem variabilitatem ac cursum in- B certum, et quoniam undique circumagitatur et agitat cunctos, ut infra dicetur.

At, omnium mortalium stolidissime, id est, tu Boeti valde stolide inter mortales, quantum ad ista in quibus errasti et erras circa fortunam et ejus eventus fortuitos, loquendo de te quantum ad partem sensitivam et appetitum inferiorem. Et istud est increpatorium verbum ex caritatis fervore procedens, et per hyperbolen dictum, id est per excessivum modum loquendi, ad insinuandum seriositatem loquentis, et C item ad excitandum attentionem audientis, ut magis pœniteat de suo errore seque emendet. Juxta hunc modum Salomon ait in libro Proverbiorum : Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Imo et Jeremias asserit : Stultus factus est omnis homo a scientia sua. *Si manere incipit,* id est, si fortuna cœperit esse stabilis, fixa et uniformis in suis effectibus, *sors esse desistit,* id est, desinit esse fortuna, quum hoc sit contra rationem et proprietates ejus, ut patuit. Qualiter D autem omnis homo in vita hac quantum ad aliqua necessario subjiciatur fortunæ, infra dicetur. Consonat demum inductis quod Seneca protestatur : Fortuna vitrea est ; quum magis splenduerit, frangitur.

Prov. XXX, 2. *Jer.* X, 14. *Cf.* p. 28 A', etc.

ARTICULUS II

DE TROPOLOGIA SEU MORALITATE PROSÆ ISTIUS.

POST *hæc paulisper obticuit.* Sic consolator theologus spiritualisque medicus, dum solerti inquisitione desolationem, tristitiam, ignorantiam seu errorem proximi et subditi aut discipuli sui cognoverit, debet cum matura deliberatione respondere, et consilium seu doctrinam aut consolationem impendere. Quod si in promptu respondere nequiverit, paulisper tacens, interim quid dicere debeat investiget, deliberet, et in libris vel a doctioribus sciscitetur; nec incerta pro certis pronuntiet more quorumdam, qui ne videantur B ignari, mox ad omne quod petitur aut proponitur præsumunt dare responsum, informationem, consilium: quod valde periculosum est, præsertim in concernentibus conscientiam et salutem. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est: Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum. Unde sanctus Job suis dixit amicis: Cur consolamini me frustra, quum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

Eccli. v, 14. — *Job* xxi, 34.

Præterea, si theologus, id est vir sapiens, C viderit proximum desolatum, tentatum, affectu prioris fortunæ, id est prosperitatis præteritæ, tabescere; debet eum consolari, ac edocere quam fallax et periculosa sit terrena ac mundana prosperitas, quam innumerabilibus hominibus sit materia, incitamentum atque occasio multiplicis culpæ ac deinceps damnationis æternæ (sicut de talibus fertur in Psalmo: In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua; D prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis), deinde quod talis prosperitas communiter magis A conceditur reprobis et iniquis, quam electis ac justis, quos Judex justus et summus in præsenti per adversa et diffortunia exercet, purgat et perficit, prout per Isaiam effatur: Excoxi te, et elegi te in camino paupertatis. Ideo dictum est a Sapiente: Tanquam aurum in fornace probavit illos. Vitiosi vero et reprobi in hoc sæculo infeliciter prosperantur, quemadmodum in Job exprimitur: Impii sublevati sunt confortatique divitiis; semen eorum permanet coram eis, et non est super eos virga Dei, exsultantque lusibus; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Horum utrumque tetigit Abraham, dicens damnato diviti epuloni: Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Ps. lxxii, 5-7. — *Is.* xlviii, 10. — *Sap.* iii, 6. — *Job* xxi, 7-9, 11, 13. — *Luc.* xvi, 25.

Dum igitur Christiano contingit talis adversitas, nequaquam conqueratur et murmuret adversus fortunam, sed divinam circa se providentiam penset, acceptet, regratieturque ei quod circa se egerit sicut circa electos, de quibus in Apocalypsi fatetur: Ego quos amo, arguo et castigo. Per Zachariam quoque dicitur: Ducam eos per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum.

Apoc. iii, 19. — *Zach.* xiii, 9.

Intelligo multiformes illius prodigii fucos. Hoc verissime dici potest de prosperitate terrena, quæ in opulentia rerum, voluptatibus fœdis, honoribus mundi consistit: in quibus scelerata deceptio, fraus infernalis, laqueus hostium crudelissimorum latet et viget; per quæ æmuli animarum, blandissimam familiaritatem confingunt ad eos quos fallere ac secum intolerabili damnationi involvere enitun-

tur : quos utique importabili confundunt dolore, dum eos morti imparatos insperate relinquunt in fine impœnitentes, aut solo servili timore, non amore justitiæ, de suis peccatis dolentes. De quibus per Jeremi-
Jer. xxix, 18. am Dominus protestatur : Dabo eos in vexationem, et in maledictionem, et in stuporem, et in opprobrium sempiternum. Denique talibus insensatis et intimoratis denuo per Jeremiam loquitur Deus æter-
Ibid. v, 21, 22. nus : Audi, popule stulte qui non habes cor : me non timebitis, qui posui arenam terminum mari ? His etiam convenit quod
Sap. xiv, 11. libro Sapientiæ legitur : Creaturæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium. Aliquid namque decoris, amabilitatis et deliciositatis in creaturis consistit, quo pedes, id est affectus, insipientium creata Creatori præferentium, alliciuntur, capiuntur ac pereunt, quemadmodum mures in muscipulam cibum quærentes.

Cujus si naturam, mores ac meritum reminiscare, nec habuisse te in ea aliquid pulchrum nec amisisse cognosces. O quam verum et certum est hoc ! Nempe si terrenæ prosperitatis naturam, proprietates et effectus rite perpendas, clare conspicies atque fateberis te in ea nunquam habuisse veram pulchritudinem mentis, id est gratiæ venustatem, splendorem gratiæ ac virtutum, sed potius turpitudinem vitiorum, ac deceptum, excæcatum perditumque fuisse te in ipsis. Ad quod illud
Thren. iv, 8, 5. Threnorum spiritualiter pertinet : Denigrata est super carbones facies eorum ; et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. De talibus dixit Psalmista :
Ps. lii, 2. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Hinc seductis juvenibus postmodum reductis sanctus locutus est Joannes apostolus : Estote floridi, ut marcescatis ; estote temporaliter divites, ut in perpetuum sitis egeni. Unde illustratissimus martyr Sebastianus disseruit : Ab initio mundi hæc vita, ista prosperitas in se sperantes fefellit, se exspectantes decepit, de se præsumentes irrisit ; et ita nullum omnino reddidit certum, ut omnibus pro-

A betur esse mentita. Vita hæc admonet furem ut rapiat, prædonem ut spoliet, iracundum ut sæviat, mendacem ut fallat ; hæc imperat crimina, jubet facinora, suadet injusta : ipsa igitur ducit ad supplicia sempiterna, in quibus dolor renovatur ut sæviat, augmentatur ut exurat, inflammatur ut puniat.

Solebas enim præsentem blandientemque virilibus incessere verbis. Sic et nunc quidam contra vitia prædicant, contra mundi prosperitatem sermocinantur, tentatos af-
B flictosque consolantur ; sed ipsimet vitiis succumbunt, tentationibus superantur, adversis dejiciuntur, ita quod impatientes fiunt ac mœsti. Quorum cuilibet dici potest illud in Job : Ecce docuisti plurimos, Job iv, 3-6.
et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui ; nunc autem venit super te plaga, et defecisti, tetigit te, et turbatus es : ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum ? Qui ergo præsumit alios hortari, corripere, docere, castigare, sat-
C agat in primis juste et irreprehensibiliter, hoc est ad minus sine mortali conversari peccato, quum in Proverbiis suis Seneca fateatur : Omnis doctor in ratione vitæ peccans, turpior est, quoniam in officio cujus vult esse magister, peccat ; itemque, Perturpe est quod objicitur in objiciente cognosci.

Sed tempus est haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum. Itaque pusillis et nondum exercitatis proponenda sunt documenta, remedia et exempla ex
D Scripturis et ex Legendis actibusque Sanctorum et ex Vitaspatrum facilia, læta, ædificatoria, ut discant in adversis gaudere, sicut talibus scripsit Apostolus, Tan- I Cor. iii, 1, 2.
quam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam : prout de hoc super primum diffusius dictum est. Hæc est « sua- Cf. p. 35 C', 64 D, 131 B et s.
dela rhetoricæ » nostræ « dulcedinis », ut cum Propheta dicamus : Judicia Domini Ps. xviii, 10, 11.
vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum ;

Ps. CXVIII, 103. et item : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. « Cumque hac » sit « musica » nostra, ut impleamus
Jacob. V, 13. quod Jacobus docet apostolus : Tristatur aliquis vestrum? Oret æquo animo, et psal-
Ps. CIII. 33. lat. Illud quoque Psalmographi : Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. Hoc egit Debora prophetis-
Judic. V, 3. sa, quæ in libro Judicum fatetur : Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

Quid est, o homo, quod te in mœstitiam luctumque dejecit? Hoc theologia dicit B unicuique inordinate dolenti aut immoderantius contristato, admonens eum ne abundantiori absorbeatur tristitia. Tanquam dicat : o tu, rationalis creatura, quæ ratione ad optima inclinante ac cohortante ornaris ac viges, præsertim tu, Christiane, qui fidem habes futurorum bonorum, cui regna promittuntur cœlorum, cur propter temporalia damna, tormenta, opprobria turbaris ac doles, non advertens nec implens quod Christus tibi in Evangelio lo-
Matth. V, 12; Luc. VI, 23. quitur, Gaudete in illa hora et exsultate, C quoniam merces vestra copiosa est in cœlo? Hoc recolens in corde tuo, spera in Domino, diligenter perpendens quod ad Corinthios scribit Apostolus, quod super omnia verba philosophorum consolatori-
II Cor. IV, 17. um est : Id (inquiens) quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem? Docet nos undique per totam seriem Scripturarum theologia, ut D omnem transitoriam prosperitatem terrenam desiderio gloriæ æternalis ac Dei amore spernamus; et prorsus indignus est Deo et beatifica ipsius fruitione, qui ejus amore ac tantæ felicitatis affectu aspernari non vult caduca atque carnalia ista.

Neque enim quod ante oculos situm est suffecerit intueri. In hoc sapiens differt a stulto, justus ab impio, spiritualis a carnali, quod sapiens, justus spiritualisque homo, oculo cordis ac fidei toto conatu A attendit, contemplatur et appretiatur bona divina, spiritualia et æterna, quorum intuitu et affectu cuncta terrena, carnalia et caduca vilipendit ut lutum et stercora; Philipp. III, 8.
homo autem insipiens, carnalis, injustus, carnalia et terrena omnibus illis, imo et universorum creatori Deo bonitatis ac dignitatis penitus infinitæ, præponit : et in hoc, Deo incircumscriptibili, superdignissimo injuriam facit immensam, cui tam vana et vilia anteponit; seque infinita quadam insipientia excæcatum demonstrat, tam stolidissime eligendo, imo incomparabiliter stultiorem infantulis, qui pretiosissimis gemmis ac auro mundissimo præferunt poma et pira. Nempe in
Ecclesiastico scriptum est : Deus ab initio Eccli. XV, 14, 18.
constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui; posuit ante eum vitam et mortem, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. Dedit etenim Creator essentialiter sapiens ac prorsus omnipotens nobis libertatem eligendi vel ipsummet Deum bonum, immensum, et bona creata perductiva ad ipsum ac quietativa in ipso, vel transitoria, vana, abductiva ab ipso, trahentia in gehennam; præcepitque nobis illa eligere, ista respuere. Et nonne infinitæ insipientiæ, imo insaniæ est, mentem ab illo immenso bono et a bonis gratiæ ac gloriæ æternalis sponte avertere, atque ad ista vanissima, summe nociva, perpetuo damnativa eam convertere?

Denique in Ecclesiaste multa loquitur Salomon in persona insipientis, sola carnalia et præsentia attendentis : Stultus Eccle. IV, 5, 6.
(inquit) complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens, Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus
cum labore. Et rursus : Quis novit si spi- Ibid. III, 21.
ritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?
Nonne melius est comedere et bibere, et Ibid. II, 24.
ostendere animæ suæ bona de laboribus
suis? Itemque : Quid est homo, ut sequi Ibid. 12.
possit Regem factorem suum? Quid ne- Ibid. VII, 1.
cesse est homini majora se quærere, quum

ignoret quid conducat sibi in vita sua? A Multa his consimilia loquitur Salomon illo in libro in tali persona. Verum in eodem libro plura loquitur in persona sapientis ac justi. In cujus persona finaliter ac assertive concludit : Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, et mandata ejus observa ; hoc est enim omnis homo, et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.

Eccle. XII, 13, 14.

Postremo, quoniam in hoc mundo eventibus fortunæ sumus expositi, oportet nos in omni adversitate patientiam conservare, atque in omni eventu stabiles esse cordisque ancoram in Deo fixam tenere, qui et suos electos multiplici varietati exponit in vita præsenti : sicut ait Psalmista, Quia elevans allisisti me ; Job quoque, Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide.

Ps. CI, 11
Job XXX, 22

ARTICULUS III

DIFFICULTATUM AC QUÆSTIONUM HUJUS PRIMÆ PROSÆ BREVIS PROPOSITIO ET ABSOLUTIO.

JOANNES. — Circa præhabita dubium B oritur mihi, quid realiter sit ipsa fortuna, an Creator, an creatura. Non Creator, quum de ea jam dicta sint plurima mala, ut quod sit fucata, dolosa, instabilis, cæca, et perfida. Nec videtur esse creatura, quia aut substantia esset, aut accidens. Non substantia, quia nec intellectualis, nec non intellectualis : non intellectualis, quia aut esset angelus, aut spiritus malus, aut homo seu anima rationalis, quorum nullum poterit dici. * Nec accidens, quoniam accidenti nequeunt convenire C ea quæ adscribuntur fortunæ. Et quæro, an sit constellatio quædam, an fatum. Præterea, quia frequenter jam remisisti lectorem ad infra dicenda de ipsa fortuna, opto expedireque puto ut ea nunc exprimas, quum sine eis nec ista neque præhabita de fortuna, queant clare intelligi. Aliqui quoque exponentes, allegant hic Aristotelem in libro de Bona fortuna (ut dicunt) affirmantem, quod fortuna nihil aliud sit quam Deus. De his igitur cupio plenarie informari, et cur quidam dixe- D runt, fortunam consistere deam ac numen.

Cf. p. 157 D' et s.

* Alterum membrum deficit.

DIONYSIUS. — Grandis ac utilis quæstio, et multa continens membra : ex cujus elucidatione dependet magna ex parte totius hujus intelligentia libri. Itaque Aristoteles secundo Physicorum definiturus fortunam, præmittit quadruplicem divisionem eorum quæ fiunt. Prima est, quod quædam fiunt semper, quædam frequenter : et in his non habet locum fortuna. Secunda divisio, quod quædam fiunt propter hoc, id est ob aliquem finem, quædam non. Tertia divisio, quod eorum quæ fiunt propter hoc, aliqua fiunt a proposito, aliqua a natura. Quarta, quod quædam fiunt per se, quædam per accidens. Ex his descendit ad declarandum, quod fortuna est causa per accidens (in his qui agunt a proposito) eorum effectuum qui contingunt extra frequenter et semper. Reducit quoque fortunam ad causam agentem, id est efficientem, ita quod effectus fortuitus præter intentionem, accidentaliter annexus est effectui causæ efficientis ex ratione et deliberatione agentis : quemadmodum inventio thesauri juncta est fossioni sepulcri ex proposito factæ. Quumque intellectus seu ratio parva non reputet, non dicitur homo fortunatus aut diffortunatus propter parva fortuito evenientia, sed propter ponderanda seu notabilia commoda sive incommoda.

A Præterea, quoniam homo operatur per practicum intellectum, fortuna dicitur realiter idem quod practicus intellectus : ita quod practicus intellectus in quantum ex proposito operans ob aliquem finem, vocatur causa per se ; in quantum vero est causa alicujus rei præter intentionem suam et raro, appellatur fortuna. Unde sicut redit in idem, an homo dicatur operans et causa per se, an practicus intellectus ipsius ; sic et redit in idem, quid horum dicatur fortuna. Nam homo est quod operans, intellectus (seu alia quævis potentia) est quo B operans. Præterea, dicentes potentias animæ esse vires realiter distinctas ab anima, consequenter dicerent fortunam accidens esse et qualitatem ; qui vero opinaretur vires animæ non realiter distingui ab ea, concederet fortunam esse substantiam. Sicque patet quid sit fortuna.

Joannes. — An de solo intellectu practico humano intelligendum est quod ipse est realiter ipsa fortuna ?

Dionysius. — De intellectu practico increato, quo Deus omnipotens cuncta creavit C et assidue multa facit, hoc non potest verificari, quoniam Deus est mens supersapientissima, universa et singula distinctissime atque clarissime in ipso momento seu nunc æternitatis æternaliter sciens ac intuens, juxta illud Ecclesiastici : Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum ; Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita. (*Eccli.* XXIII, 28, 29.) Porro de substantiis separatis fertur in libro de Causis : Omnis intelligentia est plena formis. Ergo D cognoscunt suos effectus quos in inferioribus istis producunt. An vero universos et singulos effectus, et cuncta quæ eorum effectibus in inferioribus conjuncta sunt quocumque modo et concausaliter consequuntur ad illos effectus, prænoscant ac naturaliter sciant, difficile reor determinare ; et de hoc tam theologi quam philosophi diversimode sensisse noscuntur. Dæmones autem minoris perspicacitatis sunt atque scientiæ quam angeli sancti, quamquam naturalia in ipsis permanserint integra. Quumque juxta præhabita, secundum Philosophum, ubi minor est intellectus, plus est de fortuna, videtur probabile, (*Cf.* p. 158 A'.) quod in operibus substantiarum separatarum, quæ totaliter intellectuales, imo et intelligentiæ nuncupantur, parum aut nihil reperiatur de ratione effectus fortuiti ac fortunæ, quanquam non videatur absurdum fateri quod interdum tale quid inveniatur in illis.

Joannes. — Communiter dicitur de homine cui prospere succedit, quod habet bonam fortunam, quamvis hoc sæpe contingat.

Dionysius. — Fortuna dupliciter sumitur : primo proprie, sicut nunc definita est ; secundo improprie, pro effectu fortuito, qui in prosperis eufortunium, in adversis diffortunium nominatur : si autem talis effectus frequenter eveniat, minus proprie fortuitus dicitur, et similitudinarie tantum.

Joannes. — Quomodo aliqui asseruntur naturaliter bene fortunati ? Et utrum ex superioribus atque cœlestibus causis aliqui adjuventur ad hoc ? Et qualiter fortuna dicatur hominibus commoda et incommoda facere ac præstare, quum tamen intellectus practicus hominis non videtur hoc agere, imo nec posse efficere ?

Dionysius. — Jam ingrediamur quasi oceanum. Hic igitur advertendum quod in Summa contra gentiles, libro tertio, loquitur S. Thomas, primo declarans qualiter res et actiones humanæ reducantur ad causas superiores : Electiones, inquit, (cap. 91.) et voluntates humanæ disponuntur immediate a Deo ; cognitio vero humana ad intellectum pertinens, a Deo mediantibus angelis ordinatur ; ea vero quæ ad corporalia pertinent, sive sint interiora sive exteriora, in usum hominis venientia, a Deo mediantibus angelis ac cœlestibus corporibus dispensantur. Nam omne multiforme atque mutabile ac potens deficere, oportet reduci tanquam in principium in aliquod uniforme, immutabile,

nec valens deficere. Omnia autem quæ in nobis sunt, multiplicia, variabilia et defectibilia sunt. [Porro divina voluntas uniformis est, immutabilis et indeficiens. Oportet ergo omnium voluntatum et electionum motus in divinam voluntatem reduci.] Angelorum autem cognitio est uniformis, quia ab uno simplicissimo Deo totius veritatis fonte accipiunt veritatis notitiam ; quæ item in ipsis immobilis est, quia non discurrendo ab effectibus in causas, nec econverso, sed simplici intuitu, puram de rebus veritatem intuentur ; est quoque indefectibilis, quoniam rerum naturas seu quidditates intuentur per se ipsas. Oportet ergo quod nostra intellectualis cognitio reguletur per angelorum cognitionem. Conformiter, corpora nostra juxta incessanter alterabilia, defectibilia difformiterque mobilia, et ea quæ in nostrum deveniunt usum, regulari oportet per cœlestium corporum uniformem motum.

cap. 92. Ex his patet quomodo aliquis dici valeat bene fortunatus. Dicitur namque homini secundum fortunam bene contingere, dum aliquod bonum accidit ei præter intentionem. Contingit autem hominem operantem aliquid operari præter intentionem propriam, non tamen præter intentionem alicujus superioris cui ipse subjicitur : ut si dominus jubeat servo ire ad locum ad quem dominus ipse jam misit alium servum ignorante isto, tunc obviatio conservi est præter intentionem ipsius, non autem præter intentionem domini mittentis : ideo, quamvis per comparationem ad hunc servum sit casuale et fortuitum, non tamen per respectum ad dominum ; imo sic est aliquid ordinatum. Quum igitur homo secundum corpus suum sit ordinatus sub corporibus cœlestibus, secundum intellectum vero sub angelis, secundum voluntatem autem sub Deo, potest contingere aliquid præter intentionem hominis, quod tamen sit secundum ordinem et influxum cœlestium corporum, vel dispositionem angelorum aut Dei.

Denique, quamvis solus Deus directe ad A electionem hominis operetur, attamen angelus operatur ad eam per modum persuasionis, actio quoque cœlestium corporum per modum disponentis, in quantum corporales cœlestium corporum impressiones in corpora nostra disponunt ad quasdam electiones. Dum ergo quis ex impressione cœlestium corporum ac superiorum causarum inclinatur ad aliquas sibi utiles actiones, quarum tamen utilitatem ratione propria non cognoscit, et cum hoc ex lumine intellectualium sub- B stantiarum illuminatur intellectus ejus ad eadem intelligenda, atque ex actu et instinctu divino inclinatur voluntas ejus ad eligendum aliquid utile sibi cujus rationem ignorat, dicitur bene fortunatus ; econtrario quoque, male fortunatus, quando ex superioribus causis ad contraria inclinatur ejus electio, quemadmodum per Jeremiam de quodam præcipitur : Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur. *Jer. XXII, 30.*

Sed in his est differentia attendenda. C Impressiones enim cœlestium corporum in corpora nostra causant in nobis naturales corporum dispositiones : idcirco ex dispositione relicta in corpore nostro ex corporis cœlestis influxu, dicitur aliquis non solum bene aut male fortunatus, sed et bene aut male natus, secundum quod dicit Philosophus in Magnis moralibus. Non enim potest intelligi quod hoc ex diversa natura intellectus procedat, quod unus utilia sibi eligat aliusque nociva, præter rationem propriam, quum natura intelle- D ctus et voluntatis in omnibus hominibus sit una. Diversitas namque formalis induceret diversitatem secundum speciem ; diversitas autem materialis inducit diversitatem secundum numerum. Unde secundum quod intellectus hominis illustratur ad aliquid agendum, vel voluntas a Deo instigatur, non dicitur homo bene natus, sed potius custoditus vel gubernatus. — Rursus accipienda est circa hoc differentia alia. Nam operatio angeli corporisque cœlestis, est solum ad electionem disponens ;

operatio vero Dei, est sicut perficiens. A Quumque dispositio quæ est ex corporis qualitate vel intellectus persuasione, necessitatem ad eligendum non inducat, non semper eligit homo id quod angelus custodiens intendit, neque illud ad quod corpus cœleste inclinat; semper tamen hoc eligit homo quod Deus operatur in ejus voluntate. Hinc angelorum custodia interdum cassatur (secundum illud Jere-
Jer. LI, 9. miæ, Curavimus Babylonem, et non est sanata), et multo plus inclinatio cœlestis corporis; divina vero providentia semper B est firma. — Est rursus et alia differentia attendenda. Nam quum corpus cœleste non disponat ad electionem nisi in quantum imprimit in corpora nostra, ex quibus incitatur homo ad eligendum per modum quo passiones inducunt ad electionem, omnis dispositio ad electionem quæ est ex corporibus cœlestibus, est per modum alicujus passionis : ut quum quis inducitur ad aliquid eligendum per odium, aut amorem, vel iram, vel per aliud tale. Ab angelo autem disponitur homo ad aliquid C eligendum per modum intellectualis considerationis, absque passione : quod fit dupliciter. Quandoque enim illuminatur intellectus hominis solum ad cognoscendum quod bonum est aliquid fieri, non autem instruitur de ratione propter quam est bonum, quæ sumitur ex fine. Hinc interdum æstimat homo quod aliquid bonum sit fieri; tamen si quæreretur ab eo quare, responderet se nescire. Ideo, quando pervenerit in finem utilem quem non præconsideravit, erit sibi fortuitum. Dum D autem per angelum instruitur quod hoc sit bonum, et de ratione quare sit bonum, quæ ex fine accipitur ac dependet, sic quando pervenerit ad finem quem præconsideravit, non erit fortuitum.

Sciendum quoque, quod sicut vis activa spiritualis naturæ est altior quam corporalis, ita est et universalior : unde non ad omnia ad quæ se extendit humana electio, se extendit dispositio cœlestis corporis. Insuper, quum virtus animæ et angeli sit particularis respectu virtutis divinæ, quæ est universalis respectu entium universorum : hinc aliquod bonum accidere homini potest præter propriam intentionem, et præter inclinationem cœlestium corporum, ac præter illuminationem angelorum; non autem præter providentiam Dei, quæ est gubernativa quemadmodum et factiva entis in quantum est ens : ideo continet et includit in se cetera omnia. Sicque aliquod fortuitum bonum vel malum potest contingere homini per comparationem ad ipsum, et per comparationem ad cœlestia corpora, atque per comparationem ad angelos, non autem per comparationem ad Deum. Amplius, quoniam fortuita sunt præter intentionem, bona autem moralia præter intentionem esse non valent, quum in electione consistant; respectu eorum nequit aliquis dici fortunatus bene aut male, quamvis respectu eorum dici possit bene aut male natus, utputa ex naturali dispositione corporis aptus ad electiones virtutum aut vitiorum. Respectu demum exteriorum bonorum, quæ homini evenire possunt præter intentionem, potest homo dici bene natus et bene fortunatus, atque a Deo gubernatus et ab angelis custoditus.

Præterea ex superioribus causis consequitur homo aliud quoque auxilium quantum ad suarum exitus actionum. Quum enim homo eligere habeat et exsequi quæ elegit, in utroque a causis superioribus adjuvatur, interdum vero et impeditur : secundum electionem quidem, ut dictum est, in quantum ad aliquid eligendum disponitur per cœlestia corpora, aut illuminatur per angelorum custodiam, aut inclinatur per operationem divinam; secundum exsecutionem vero, secundum quod ex superioribus causis consequitur robur et efficaciam ad explendum et prosequendum quod elegit : quæ efficacia non solum a Deo sed etiam ab angelis esse potest, sicut etiam a corporibus cœlestibus, in quantum talis efficacia in corpore sita est. Constat namque quod etiam corpora

inanimata quasdam vires et efficacias a cœlestibus sortiuntur corporibus, etiam præter eas quæ ad qualitates activas et passivas elementorum consequuntur : quas etiam certum est cœlestibus corporibus esse subjectas ; ut quod magnes attrahit ferrum, habet ex corporis cœlestis virtute. Sic et lapides quidam et herbæ quasdam occultas habent virtutes. Unde nihil prohibet quosdam homines ex influentia cœlestium corporum efficacias quasdam habere in aliquibus operibus faciendis, quas alii non habent : ut quosdam medicos in sanando, agricolas in plantando, milites in expugnando. Verumtamen hanc efficaciam Deus multo perfectius largitur hominibus ad sua opera efficaciter exsequenda : et quantum ad primum auxilium, quod est in eligendo, dicitur hominem dirigere ; quoad secundum, dicitur hominem confortare. — Inter quæ duo auxilia est differentia duplex. Prima, quia ex primo auxilio adjuvatur homo tam in his quæ virtuti suæ subduntur quam in aliis ; secundum vero auxilium ad ea se tantum extendit quæ virtus hominis potest. Nempe quod homo fodiens sepulcrum inveniat thesaurum, ex nulla hominis virtute procedit : unde respectu talis proventus, adjuvari potest homo in hoc quod instigetur ad quærendum ubi sit thesaurus, non autem in hoc quod ei aliqua virtus detur ad inveniendum thesaurum. In hoc autem quod medicus sanet, et miles in prælio vincat, potest adjuvari in hoc quod eligat convenientia media ad finem atque in hoc quod efficaciter exsequatur, per virtutem a superiori causa adeptam. Sicque primum auxilium universalius est. Secunda differentia est, quia secundum auxilium datur ad prosequendum efficaciter quæ homo intendit ; quumque fortuita sint præter intentionem, non potest homo proprie ex tali auxilio dici bene fortunatus, sicut ex primo.

Præterea bene vel male contingit homini secundum fortunam dupliciter. Primo, ipso solo agente : ut dum sepulcrum fodiendo A invenit thesaurum. Secundo, actione alterius concurrente : ut dum vadens ad forum, invenit inopinate suum debitorem. In primo eventu homo adjuvatur ad hoc quod aliquid bene sibi contingat, per hoc solum quod dirigitur in eligendo illud cui per accidens conjunctum est commodum quod provenit præter suam intentionem ; in secundo autem eventu oportet quod uterque agens dirigatur ad eligendum actionem seu motum quo sibi occurrant.

Oportet quoque hic aliud considerare. B Dictum est enim, quod hoc quod homini aliquid bene aut male contingat secundum fortunam, a Deo est, et a corpore cœlesti esse potest : a Deo, in quantum homo a Deo inclinatur ad eligendum aliquid cui conjunctum est commodum aliquod vel incommodum quod eligens non considerat ; a corpore quoque cœlesti, in quantum ab illo disponitur ad tale aliquid eligendum. Hoc autem commodum seu incommodum, per comparationem ad hominem est fortuitum, non autem relatum ad C Deum : attamen relatum ad corpus cœleste manet fortuitum. Non enim eventus amittit rationem fortuiti, nisi reducatur in causam per se. Virtus autem cœlestis corporis est causa agens non per modum intellectus et electionis, sed naturæ, quæ tendit in unum : si ergo effectus non est unus, non potest per se causa ejus esse virtus aliqua naturalis. Quum vero duo aliqua sibi per accidens conjunguntur, non sunt vere unum, sed solum per accidens : hinc hujus conjunctionis causa per se esse non D valet naturalis. Si ergo iste homo ex impressione cœlestis corporis instigetur per modum passionis ad fodiendum sepulcrum ; sepulcrum autem et locus thesauri non sunt unum nisi per accidens, quia non habent ad invicem ordinem : hinc virtus cœlestis corporis non potest per se ad totum hoc inclinare, sed aliquis per intellectum agens, quoniam intelligentis est plura ordinare ad unum. Patet quoque quod qui sciret thesaurum esse ibi, posset alium ignorantem mittere ad fodiendum

sepulcrum in loco eodem, ut præter intentionem suam inveniret thesaurum. Sic ergo hujusmodi eventus reducti in causam divinam, amittunt rationem fortuiti; non autem, reducti in causam cœlestem.

Per eamdem etiam rationem apparet, quod homo non potest universaliter esse bene fortunatus ex virtute cœlesti, sed solum quantum ad hoc vel illud. Dico autem *universaliter*, ut aliquis habeat in natura sua impressionem cœlestis corporis, ita ut eligat semper et in pluribus aliqua quibus per accidens conjuncta sunt aliqua commoda sive incommoda. Natura namque non ordinatur nisi ad unum; ea vero secundum quæ accidit homini bene vel male per fortunam, non sunt reducibilia in aliquod unum, sed sunt indeterminata et infinita, ut secundo dicitur Physicorum. Verumtamen possibile est quod homo ex impressione et inclinatione cœlesti inclinetur ad aliquid eligendum cui jungatur per accidens aliquod commodum, et ex alia aliud, atque ex tertia tertium; non autem ita, quod ex una inclinatione inclinetur ad omnia. Sed ex una dispositione divina potest homo ad omnia dirigi.

JOANNES. — Egregie respondisti.

DIONYSIUS. — Non ego, sed sanctus Doctor, vel potius sanctificator ipsius.

JOANNES. — Quum fortuna sit intellectus practicus in quantum præter intentionem et accidentaliter agens, qui intellectus ut talis nec vituperabilis est neque laudabilis, quia intentio imprimit speciem boni aut mali moralis actui hominis : cur tot mala et vitiosa prædicata adscripta sunt et communiter adscribuntur fortunæ, ut quod est fraudulenta, dolosa, fucata, cæca?

Cf. p. 171 B'.

DIONYSIUS. — Sicut jam dictum est, in actibus moralibus, de quorum ratione est quod ex intentione atque proposito procedant, fortuna locum non habet, nec actus fortuitus. Ideo nec virtus nec vitium insunt fortunæ aut actui ejus vere ac proprie, sed metaphorice seu similitudinarie tantum, in quantum effectus fortuiti in-

A certe et inopinate provenientes multos decipiunt, et frequenter indignis eufortunia, justis vero et innocentibus diffortunia accidunt : quod tamen per comparationem ad providentiam Dei justo ac sapientiali contingit judicio.

JOANNES. — Quomodo fortuna dicitur talia agere?

Cf. p. 168 C'.

DIONYSIUS. — Jam audisti, quod fortuna non est causa per se, nec absolute loquendo convenit ei ratio causæ, sed solum est causa per accidens. Providentia autem Dei B est causa omnis boni, et ipsa multa beneficia præstat indignis et multa adversa electis, propter varias rationabiles causas hinc inde expressas. Qualiter autem etiam ex superioribus causis cœlestibus hæc procedant, modo audisti.

Cf. p. 82 C' et s., 124 A' et s.

JOANNES. — Qualiter ergo quidam philosophi communiterque idololatræ dixerunt fortunam esse deam et quoddam numen?

DIONYSIUS. — Multipliciter erraverunt. Tamen, quoniam multi illorum posuerunt C hominis felicitatem in exterioribus bonis (quæ appellantur bona fortunæ, quia in illis contingunt actus fortuiti), putabant fortunam esse causam felicitatis humanæ, ac homine superiorem, sicque colendam ab homine, quasi esset causa per se. Attamen quidam dixerunt eam cæcam consistere, quia tam inopinate atque improvide agit, et indiscreta videtur, prospera impiis et adversa justis præstando. Hinc depinxerunt fortunam in specie feminæ cæcæ, rotam indesinenter volventis : cujus oculi D erant velati; et habuit duplicem vultum, unum album, alium nigrum; frons quoque pro una parte fuit capillata, pro alia parte calva. Per feminam figurabatur instabilitas levitasque fortunæ; per oculos velatos seu cæcos, incertus ejus adspectus ac indiscretus, ut tactum est; per duplicem faciem, respectus eufortunii et diffortunii; per rotam, incessabilis mutatio rerum fortunæ; per rotam volubilem, quod quidam per fortunam ascendunt, quidam descendunt; per partem frontis capillatam, pro-

speritas fortunalis; per partem calvam, adversitas. Per ista nunc introducta, tam præhabita quam dicenda clarius innotescent.

Joannes. — Et quid dicis ad id, quod aliqui dicunt dixisse Philosophum fortunam non aliud esse quam Deum?

Dionysius. — Non videtur allegatio re- A
cta, nec consonat dictis Philosophi secundo Physicorum, sicut jam patuit. Sed jam tempus est procedendi. Nihilo minus de hoc plura possent induci, et oriretur difficultas immensa, quid Aristoteles senserit de providentia Dei et cognitione operationeque ejus circa inferiora. De qua materia infra tractabitur.

Cf. p. 17[?] B.

METRUM PRIMUM

Hæc quum superba verterit vices dextra,
Exæstuantis more fertur Euripi.
Dudum tremendos sæva proterit reges,
Humilemque victi sublevat fallax vultum.
Non illa miseros audit aut curat fletus,
Ultroque gemitus dura quos fecit ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires;
Suisque (*al.* Suique) magnum monstrat ostentum, si quis
Visatur una stratus ac felix hora.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO METRI HUJUS PRIMI.

In hoc primo hujus secundi libri metro Philosophia metrice canit quod in prosa præcedente ac sæpius ante prosaice dixit de variabilitate, varietate et feritate fortunæ in suis effectibus, seu de fortuitis ipsis effectibus.

Hæc fortuna *fertur,* id est, movetur et operatur, *more,* id est juxta consuetudinem, *Euripi,* id est Charybdis, seu æstuarii æquoris, *exæstuantis,* id est ebullientis, *quum verterit vices,* id est, vicissitudines suorum effectuum mutaverit, varie operando, *dextra superba,* id est manu seu potestate sua, per modum superbi se habendo, nullum curando, nulli parcendo. B
Hæc fortuna *sæva,* infligendo adversa, *proterit,* id est, prosternit ac destruit, *dudum,* id est ab antiquo, *reges,* et per consequens etiam principes inferiores. Ipsa quoque fortuna *fallax* in suis effectibus, et per modum fallentis se habens, *sublevat humilem vultum victi,* id est, hominem per adversa humiliatum exaltat et consolatur per prospera.

Illa fortuna *non audit aut curat fletus miseros,* id est, lacrimas miserorum et afflictorum quos in adversis relinquit, non C
liberat; et ipsa *dura* diffortunatis, *ultro ridet,* id est deridet, *gemitus quos fecit,* id est, suspiria et lamenta quæ induxit de-

solatis, ad quos per modum deridentis se A habet, eos non sublevando.

Illa fortuna *ludit sic,* id est, tam diversimode visitat, et instar ludentis se habet, quasi gloriando in istis, et *probat,* id est, exercet ac monstrat, *sic suas vires;* et *monstrat suis,* id est sibi subjectis, *ostentum magnum,* id est grande prodigium seu mirum effectum, *si quis visatur,* id est, si aliquis videatur frequenter, *stratus,* id est prostratus ac miser, *una hora, ac felix,* id est prosper seu eufortunatus eadem hora, id est alia parte ejusdem horæ, B aut hora mox subsequente.

Porro, qualiter ista conveniant fortunæ ratione suorum effectuum, et quia per tales modos ac mores se habet, seu juxta
Cf. p. 28 C, 168 C'. modum loquendi vulgarium, dictum est sæpe. Homo quoque per intellectum practicum variis modis agendo, meretur sibi infligi eventus et casus hujusmodi. Verum in Scripturis divinis omnia ista adscribuntur providentiæ, justitiæ et omnipotentiæ Dei, qui ista infligit hominibus ad eorum purgationem, probationem, exercitationem, C profectum. Sicque ait Scriptura primo Regum : Dominus pauperem facit et ditat, *I Reg.* II, 7, 8.
humiliat et sublevat; suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat. Hinc in Ecclesiaste habetur : Vidi calumnias quæ sub cœlo *Eccle.* IV, 1.
geruntur, et lacrimas innocentium, et consolatorem neminem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos ; itemque : De carcere et de catenis *Ibid.* 14.
interdum quis egreditur ad regnum, et alius natus in regno, inopia consumitur. In libro Job quoque de Deo asseritur : Qui *Job* XXXIV, 18.
dicit regi, Apostata; et vocat duces, impios. Et multa consimilia in libro Job leguntur, videlicet : Deus dissolvit balteum *Ibid.* XII, 18, 19.
regum, et præcingit fune renes eorum; ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat. Ubi et sanctus Job ait de Deo : Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis *Ibid.* IX, 23.
innocentium rideat; itemque : Clamo ad *Ibid.* XXX, 20.
te, et non exaudis me; sto, et non respicis me. Quæ verba intelligenda sunt sapienter ac pie, sicut et consimilia verba quæ ex prædominante proferuntur affectu.

PROSA II

VELLEM autem pauca tecum fortunæ ipsius verbis agitare. Tu igitur an jus postulet animadverte. Quid tu, o homo, ream me quotidianis agis querelis? Quam tibi fecimus injuriam? Quæ tua tibi detraximus bona? Quovis judice de opum dignitatumque mecum possessione contende; et si cujusquam mortalium proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua fuisse quæ repetis, sponte concedam. Quum te de matris utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi, meis opibus fovi, et (quod te nunc impatientem nostri facit) favore prona indulgentius educavi, omniumque quæ mei sunt juris affluentia et splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum libet. Habe gratiam, velut usus alienis : non habes jus querelæ, tanquam prorsus tua perdideris. Quid igitur ingemiscis? Nulla tibi a nobis est illata violentia. Opes, honores, ceteraque talium, mei sunt juris. Dominam famulæ cognoscunt : mecum veniunt, me abeunte discedunt. Audacter affirmem : si tua forent, quæ amissa conquereris, nullo modo perdidisses. An ego sola meum jus exercere prohibeor? Licet cœlo proferre lucidos dies, eosdem-

que tenebrosis noctibus condere. Licet anno terræ vultum nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere. Jus est mari nunc strato æquore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris moribus alienam, inexpleta hominum cupiditas alligabit ? Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus : rotam volubili orbe versamus ; infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet ; sed ea lege ne uti quum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes. An tu mores ignorabas meos ? Nesciebas Crœsum regem Lydorum, Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miserandum, rogi flammis traditum, misso cœlitus imbre defensum ? Num te præterit Paulum Persi regis a se capti calamitatibus pias impendisse lacrimas ? Quid tragœdiarum clamor aliud deflet, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem? Nonne adolescentulus, δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν, in Jovis limine jacere didicisti ? Quid si uberius de bonorum parte sumpsisti ? Quid si a te non tota discessi ? Quid si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi causa est sperandi meliora ? Tamen ne animo contabescas, et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere desideres.

ARTICULUS V

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS SECUNDÆ.

In hac prosa Philosophia sub persona A fortunæ affatur Boetium, disputans contra eum, quemadmodum in prosa præcedenti in propria persona loquens, hoc egit. Dicuntque aliqui hic esse prosopopœiam, id est, figuram quamdam locutionis qua fingitur nova persona loquens, etiam res inanimata rationeque carens. Sed quum Cf. p. 169 A. juxta inducta, fortuna realiter sit practicus intellectus, non videtur hoc vere prolatum ; nisi dicatur fortuna hic accipi pro effectu fortuito : quod dici non posse patebit. Ait ergo Philosophia : B

Vellem autem tecum, o Boeti, *pauca agitare,* id est disputare et conferre, *verbis ipsius fortunæ,* id est loquendo in fortunæ persona. *Tu igitur an jus postulet animadverte,* id est, considera « an jus », id est justa ratio, « postulet », id est, exigat hoc fieri ; vel « an » fortuna « postulet jus », id est rem, rationem causamve justam adversum te. Et subditur in persona fortunæ :

Quid, id est ad quid, seu cur, *tu, o homo, agis,* id est, moves et excitas, *me querelis quotidianis,* imponendo mihi quod injuriose atque fallaciter egerim tecum privando te bonis tuis ? *Quam tibi fecimus injuriam ?* quasi dicat, Nullam. *Quæ tua tibi detraximus bona ?* id est, quid abstulimus quod proprie spectet ad te ? Nil utique : quia ut patuit sæpe, bona exteriora Cf. p.2 etc. non sunt propria nec principalia hominis bona, nec aliquid quod homini prorsus invito potest auferri [est proprium ejus bonum.]

Quovis judice de opum dignitatumque mecum possessione contende : id est, in foro judicii litiga « mecum », id est contra me, vel ad informationem meam, « quovis judice », id est coram quocumque judice legitimo tu cupis, « de possessione opum »,

id est divitiarum, et « dignitatum », id est
officiorum, probando quod tibi debeantur
ut propria. Quasi dicat fortuna : Non vereor
tuam accusationem, quoniam non sum mi-
hi conscia mali quod mihi imponis : per
quod patet justitia mea, quia ut Seneca
loquitur, Fatetur facinus qui fugit judi-
cium. Unde in libro Sapientiæ scriptum
Sap. xvii, 10. est : Quum sit timida nequitia, dat testi-
monium condemnata ; semper enim præ-
sumit sæva perturbata conscientia. *Et si
monstraveris,* id est, efficaciter proba-
veris, *quid horum,* id est aliquid rerum
exteriorum fortunæ subjectarum, *esse pro-
prium cujusquam mortalium,* id est alicui
homini mortali, ita quod conveniat debe-
aturque ei in quantum est creatura ratio-
nalis, quia in hoc universi homines sunt
æquales ; *ego jam tua fuisse quæ repetis,
sponte concedam,* id est, voluntarie fatebor
tua propria esse divitias et honores atque
delicias, quæ tibi injuste esse ablata con-
quereris, et quantum ad sensitivum appe-
titum recuperare conaris. Quod autem sic
tua non sint, probo :

*Quum te de matris utero natura produ-
xit,* id est, dum vis generativa parentum
ex utero te procreavit. Natura enim est vis
insita rebus ex similibus similia pro-
creans : generare autem, nutrire et augere,
sunt actus potentiæ vegetativæ ; et in ge-
neratione pater se habet active, mater pas-
sive. Natura quoque potest intelligi sum-
ma et prima natura naturans, quæ Deus
est ; item, natura cœlestis, puta vis cœle-
stibus corporibus insita, ad inferiorum ge-
nerationem concurrens, quum et Philoso-
phus dicat, Homo generat hominem et sol.
Nudum rebus omnibus inopemque suscepi,
id est, accepi te prodeuntem ex angustiis
uteri in lucem sæculi hujus, nec vestitum,
nec coopertum, neque ornatum forinse-
cus, ac « inopem », id est omnibus indi-
gentem, non valentem te ipsum juvare in
Job i, 21. aliquo. Unde sanctus Job fassus est : Nudus
egressus sum de utero matris meæ ; atque
I Tim. vi, 7. Apostolus : Nihil (inquit) intulimus in hunc
mundum ; haud dubium quia nec auferre

A quid possumus. Denique de hac humanæ
generationis miseria scriptum est plenius
in libro Sapientiæ : Sum quidem et ego Sap. vii, 1, 3, 4.
mortalis homo, et in ventre matris figura-
tus sum caro ; et natus decidi in terram, et
primam vocem similem omnibus emisi
plorans ; in involumentis et curis magnis
nutritus sum.

Te *meis opibus fovi,* id est, temporali-
bus, terrenis divitiis atque corporeis ali-
moniis instabilitati atque mutationibus
fortunæ subjectis, te enutrivi. In omnibus
B his fortuna accipitur multum extense, imo
improprie, pro mutabilibus rebus, circa
quas versatur fortuna. Nam et infantulo-
rum nutritio, sicut et eorum generatio, a
proposito est parentum communiter, non
a fortuna proprie sumpta, ut est causa per
accidens [eorum effectuum qui contingunt]
extra frequenter et semper : et ita educatio
et generatio illa non sunt actus fortuiti,
multoque verius ac aptius exponuntur
hæc de providentia Dei omnia gubernante.
Unde et totus iste modus loquendi impro-
C prius est : præsertim quum neque secun-
dum theologos neque secundum meliores
philosophos fortuna sit rectrix rerum hu-
manarum et inferiorum, neque collatrix
neque ablatrix divitiarum, sed providentia
supergloriosissimi Dei, et secundarum or-
do causarum, juxta institutionem super-
sapientissimæ ac providentissimæ primæ
causæ. Divitiæ enim communiter ab homi-
nibus sunt intentæ, et ex proposito acqui-
runtur, possidentur, conservantur et ex-
penduntur ; effectus autem fortuiti præter
D intentionem ac raro contingunt.

*Et quid te nunc impatientem nostri
facit ?* id est, « quid » modo « te » efficit
« impatientem » adversus nos, seu de no-
stris effectibus ? quasi dicat : Non habes
ad hoc rationabilem causam. *Favore pro-
na,* id est ex pio « favore prona » ad be-
nefaciendum, *educavi indulgentius,* id est
multum indulgenter ac large, *omniumque
quæ mei sunt juris,* id est omnium tempo-
ralium et fortunalium rerum, *affluentia
et splendore,* id est abundantia et honore,

circumdedi te, id est, undique te ornavi: in quibus æstimor jus habere, quamvis proprie loquendo non habeam. *Nunc mihi retrahere manum libet,* id est, placet mihi jam pristina beneficia tibi auferre. *Habes* * *gratiam,* id est, gratiose tecum egi, et gratuita a me beneficia suscepisti, *velut usus alienis,* id est, tanquam qui jam diu utens fuisti exterioribus bonis, quæ extra te sunt, nec propria tibi, ut dictum est sæpe. *Non habes jus* (id est justam causam) *querelæ, tanquam prorsus tua perdideris,* quum non fuerint propria tua.

* Habe

Cf. p. 24 C. etc.

Quid igitur ingemiscis, id est, ex mœrore suspiras? *Nulla tibi a nobis est illata violentia. Opes, honores, ceteraque talium, mei sunt juris,* quantum ad hoc quod interdum proveniunt ac contingunt præter intentionem recipientis. *Dominam famulæ cognoscunt,* id est, res istæ mihi sunt subditæ, et per modum recognoscentis, se habent ad me; *mecum veniunt,* dum per prospera accedo, *me abeunte* per adversa, *discedunt. Audacter affirmem,* id est, fiducialiter dixerim: *si tua forent* exteriora, tanquam propria et connaturalia tibi, *quæ amissa,* id est tibi ablata, *conquereris, nullo modo perdidisses* ea. Proprium enim non separatur a suo subjecto; et quod connaturale est enti, non removetur ab eo quamdiu in suo permanet esse.

An ego sola meum jus exercere prohibeor? quasi dicat fortuna : Licitum est mihi quod connaturale est mihi, videlicet variis modis operari in rebus. Et hoc consequenter probat per consimilia quædam.

Licet cœlo, id est orbi cœlesti, in quo sol movetur, *proferre* per influentiam luminis solis, id est producere, *lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere,* id est abscondere, dum sol occumbit : quod facit non aliquid influendo, quoniam tenebræ non sunt ejus positivum; sed lucem prius diffusam non conservando, quoniam lux diffusa dependet a luminari in esse et conservari.

Subditur quoque ad idem similitudo secunda. *Licet anno terræ vultum nunc floribus frugibusque redimire,* id est, anno convenit in ipso vere et æstate superficiem terræ flosculis atque segetibus decorare : non quod annus aut tempus hæc agant ; sed sol accedens in zodiaco, causat hæc suo motu, lumine et influxu. Tempus autem potius causat defectum, juxta illud verbum commune : Omnia quæ sunt in tempore, tempore labascunt et tabescunt. Propter quod, quando, prout est prædicamentum, dicitur infectio quædam relicta in re temporali ex adjacentia temporis, secundum Gilbertum. *Nunc,* puta in hieme, *nimbis,* id est imbribus, *frigoribusque confundere,* id est conturbare.

Tertia similitudo est : *Jus,* id est naturalis virtus seu proprietas, *est mari nunc strato æquore blandiri,* id est interdum tranquillum se exhibere « æquore strato », id est, ipsa aqua marina quiescente per planum; *nunc,* id est aliis vicibus, *procellis ac fluctibus inhorrescere,* id est terribiliter apparere. Quod qualiter accidat, dictum est super primum.

Cf. p. 83. 148 C etc.

Nos ad constantiam nostris moribus alienam, inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hoc interrogative et negative legendum est, quasi conclusio ex præhabitis sequens, quasi dicat fortuna : « Inexpleta », id est insatiabilis, « cupiditas hominum » non utique « alligabit », id est, non reprimet nec constringet, « nos ad constantiam », id est uniformem processum stabilemque eventum, « alienam moribus nostris », id est nostris proprietatibus ac modis agendi extraneam, inconsuetam, contrariam. Nempe ut ait Damascenus : Nihil expers est naturali et propria actione. Et modus agendi sequitur modum essendi. Ideo, quum de ratione fortunæ sit præter intentionem, inopinate, multipliciter se habere ac fortunatos respicere, seu causam per accidens esse, constat quod fortunæ contrarium sit semper eodem modo operari ac visitare mortales; nec cupiditas optantium jugiter prosperari ac ditari potest ad hoc fortunam arctare, quia nec aliquid assuescit ad id quod

est suæ specificæ rationi directe ac immediate contrarium.

Hæc inconstantia *est nostra vis,* id est potestas qua nunc per prospera, nunc per adversa visitamus expositos nostris eventibus; *hunc continuum ludum ludimus,* id est, tali difformitate gaudemus. *Rotam volubili orbe versamus,* id est, varietatem istam eventuum instar rotæ frequenter mutamus, et regyramus circulo circum-
Cf. p.164 A', 173 C' et s. eunte, prout præcedenti prosa expositum est; *infima summis, summa infimis mutare gaudemus,* id est, delectabile nobis est quosdam ab eminenti prosperitate ad vehementem adversitatem dejicere, et econtra : unicuique enim jucundum est naturalem ac propriam operationem exercere.

Ascende, si placet, hanc rotam, id est variabilitatem, primo prosperitatem apprehendendo, quæ est quasi ascensus et eminentior pars rotæ fortunæ, *sed ea lege,* id est hac conditione et pacto isto, *ne uti,* id est ut non, *quum ludicri mei ratio poscet,* id est, jus et proprietas ludi mei requiret, *descendere,* id est adversitatibus subjacere, *injuriam putes,* sed consuetum cursum fortunæ.

Amplius fortuna adhuc non cessat informare Boetium. *An tu mores ignorabas meos?* quasi dicat : Noveras utique quod varii sunt eventus mei. *Nesciebas Crœsum* illum *regem Lydorum, Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miserandum, rogi flammis traditum* ab ipso Cyro rege Persarum, quia quum Cyrus prævaluisset, et Crœsum « regem Lydorum », id est hominum in regno Lydiæ commorantium, captivasset (unde per Isaiam Dominus ait,
Is. LXVI, 19. Mittam ex eis qui salvati fuerint, in Africam et Lydiam), fecit eum arbori alligari, circumpositis undique lignis accensis, ut combureretur, sicque tradidit eum « flammis rogi », id est ignis, *misso cœlitus imbre defensum?* quia dum Cyrus rex recessisset, copiosa pluvia de cœlo descendens ignem illum exstinxit, et sic Crœsus evasit: in quo facto apparuit fortunæ mutatio.

A Iste est Cyrus de quo in Isaia conscriptum est : Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, *Is.* XLV, 1.
cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ei gentes. Qui Cyrus loquitur in Esdra, libro primo : Omnia regna terræ dedit mihi I *Esdr.* I, 2.
Deus cœli. Porro Crœsus iste fuit rex in orientalibus regnis, et fortiter restitit Cyro : propter quod captum Crœsum Cyrus comburere voluit; sed prætacto modo evasit. Nihilo minus (ut narratur) postmodum ab adversario quodam victus, fuit suspensus: et ita fuit mutationi fortunali eviden-
B ter subjectus, sicut et ipse Cyrus, qui quum undique triumphasset, a regina Amazonum captus, capite est truncatus : cujus caput ipsa projici fecit in vas cruore repletum, dicens, Sanguinem semper sitisti, jam usque ad satietatem sanguinem bibe.

Num te præterit, id est, an memoriam tuam elapsum est, *Paulum Persæ* regis a se capti calamitatibus pias impendisse lacrimas,* id est, ipsum « Paulum » senatorem seu consulem Romanorum « impen-
C disse lacrimas pias calamitatibus Persæ regis a se capti ». Hic etenim Paulus quum cepisset regem Persam, id est regem quemdam Persarum, vel regem nomine Persen, ditissimum, et eum vidisset sibi substratum, condoluit ejus miseriis, et perpendens in illo fortunæ fallaciam, ac sibi ipsi posse similia evenire, ex compassione flens, ipsum dimisit.

* *Persi*

Consequenter probat instabilitatem et variationem fortunæ per carmina poetarum. *Quid tragœdiarum clamor,* id est
D decantatio seu vociferatio carminum poeticorum quæ appellantur tragœdiæ, *aliud deflet, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna versantem*,* id est, nisi quod fortuna versat, id est, frequenter vertit, « felicia regna », id est regna prosperitate gaudentia, in adversitatem et dejectionem, « ictu indiscreto », id est percussione et plaga improvisa, vel certe improvida, in quantum interdum regna meliora a pejoribus devastantur? Est autem tragœdia scriptura carminum poetarum, a prosperi-

* *vertentem*

tate incipiens, et in adversitatibus terminans. Et dicitur ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc est ab hirco, et τῆς ᾠδῆς, id est cantu : quoniam talium carminum modulatores remunerari solebant hirco, quod est animal fœtidum, eo quod carmina in adversitatum fœtore terminabantur.

Deinde idem declarat per figurationem poeticam. *Nonne adolescentulus,* δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν, *in Jovis limine jacere didicisti ?* id est, in adolescentia tua utique didicisti ex dictis Homeri poetæ, quod in limine domus Jovis jaceant duo dolia vini, unum dolium vini boni, aliud vini mali : intelligendo per domum Jovis, Jovis habitationem terrestrem, seu mundum inferiorem seu sublunarem, cujus limen est ingressus ad vitam hanc ; et per duo dolia vini designatur degustatio et experientia prosperitatum et adversitatum. De quibus duobus doliis universæ terrigenæ aliquid sumunt, nunc læta et prospera, nunc adversa et tristia sentiendo, secundum majus et minus, quoniam unus plus, alius minus de utroque degustat.

Postremo brevibus rationibus probat Boetium non debere propter diffortunia sua immoderate tristari. *Quid si uberius de bonorum parte sumpsisti ?* id est, « quid » dicis aut sentis vel respondes, o Boeti, « si » (pro quia) « sumpsisti uberius », id est abundantius, « de parte bonorum », id est de pertinentibus ad prosperitatem ? Pluribus namque annis abundasti in divitiis, honoribus, fama, familia, fecunditate prolis, atque solatio bonæ ac carissimæ conjugis, amicorum et propinquorum, et corporis sanitate. Non ergo conqueri debes, si jam aliquid de parte sentis malorum, id est adversitatum. *Quid*

A respondes *si* (pro quia) *a te non discessi tota,* id est totaliter, auferendo tibi omnia ad eufortunium pertinentia ? Adhuc enim remanent tibi filii et amici, uxor, et sanitas integra, ratio, prudentia, scientia, virtus : ergo non debes absorberi tristitia. *Quid* dicis et consequens esse putas, *si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi causa est sperandi meliora,* id est prosperiora, quum dictum sit sæpe fortunam non diu eodem vultu respicere aliquem, et in rota fortunæ unum ascendere aliumque de-B scendere, atque post tempestatem sequi frequenter tranquillitatem ?

Tamen ne animo contabescas, id est, hoc hortor, hoc opto, id deprecor, ne mente dejiciaris aut mœstitia consumaris, *et ne intra commune omnibus regnum locatus,* id est, hoc hortor ne tu « locatus », id est positus, degens ac peregrinans, in hoc sæculo inferiori instabili, quod est communis mortalium mansio, ad quod providentia Dei pertingit et regnat in eo, *proprio jure vivere desideres,* id est, cupias ad libitum C solis prosperis gloriari, et a communi lege secludi, ita quod « proprio jure », id est privilegio tibi proprio, vivas, quum jam dictum sit quod universi mortales in terra hac nunc lætis et prosperis, nunc adversis et tristibus afficiantur, et præsumptuosum esset præ omnibus velle privilegiari. Nempe, quum homo sit quid mixtum et de multis compositum, necesse est sibi adversa accidere, ac variis passionibus animæ ac necessitatibus corporis immutari, quia ut septimo dicitur Ethicorum : Quo D natura est simplicior, eo et actio magis simplex consistit ; et econverso, quo compositior est natura, eo in operationibus suis est magis diversa, variabilis, multiformis.

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS PROSÆ SECUNDÆ.

VELLEM autem pauca tecum fortunæ ipsius verbis agitare. Quum juxta *Cf.* p. 171 A' et s. præhabita effectus fortuiti ex fonte divinæ providentiæ proficiscantur, per fortunam hoc loco, non litteraliter, sed anagogice, æterna et increata Dei providentia potest intelligi. Hæc ergo homini de diffortuniis et dispositionibus Dei circa se conquerenti, et propter adversa adversus Dei judicia murmuranti, sic ait :

Quid tu, o homo, ream me quotidianis agis et impugnas *querelis?* Tales quippe sunt perfidi quidam, quemadmodum olim in veteri Testamento, de quibus per Malachiam loquitur Dominus : *Malach.* III, 13, 14. Invaluerunt super me verba vestra, et dixistis : Vanus est qui servit Domino, et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus? Sunt quippe nonnulli qui dum cernunt impios prosperari et justos adversitatibus premi, scandalizantur, arbitrantes quasi inutile esse Deo servire; et vel dubitant de providentia Dei, ut eam esse non credant, aut certe, quod pessimum est, justam et sapientem esse non opinantur, quasi in hac vita sit retributio ultima, et tanquam temporalis prosperitas sit justitiæ merces. Tales in prosperis gratias agunt, in adversis autem deficiunt. Unde de talium unoquoque dicitur Deo in Psalmo : *Ps.* XLVIII, 19. Confitebitur tibi quum benefeceris ei. Talem fuisse beatum Job Satan suspicans, dixit Domino : *Job* I, 9-11. Numquid frustra timet Job Deum? Nonne tu vallasti eum et domum ejus universamque substantiam per circuitum? Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Denique tales sunt homines excæcati et indurati in vitiis, qui nec æquanimiter ferunt si increpentur et in- A formentur, in quibus aut parva, aut pene nulla videtur consistere fides. De quibus scriptum est in Isaia : *Is.* XXX, 10. Dicunt adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. De talibus in fide providentiæ Dei nutantibus rursus loquitur Deus per Isaiam : *Ibid.* XXIX, 16. Quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo, Non fecisti me, et figmentum dicat fictori suo, Non intelligis; sic omnes quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : *Ibid.* 15. Quis videt nos? et B quis novit nos?

Quam tibi fecimus injuriam? Hoc omnipotens Deus dicit his qui murmurant, conquerentes eo quod Deus non dederit eis tot tantaque bona naturæ aut gratiæ seu fortunæ ut aliis multis. Imo et quidam iniquitates suas retorquent in Deum, eo quod ipsos relinquat, aut per gratiam non præveniat seu præservet, quasi ex parte Dei defectus sit, et non magis ex parte ipsorum. De quibus ait Psalmista : *Ps.* XX, 12. Quoniam declinaverunt in te mala, cogitave- C runt consilia quæ non potuerunt stabilire. Et quamvis ab exordio mundi Creator altissimus eminentiora dona naturæ atque charismata gratiæ præstitit uni creaturæ quam alteri, nulli tamen fecit injuriam, quoniam nulli exstitit obligatus. Et prima illa donatio non fuit secundum recipientium merita, sed secundum beneplacitum dantis, ex sola bonitate et liberalitate ipsius : velut si dives det uni pauperi plus quam alteri, non obligatus eorum alicui, per talem inæqualem donationem nulli D eorum injuriatur. Hinc in Evangelio loquitur : *Matth.* XX, 14, 15. Volo huic dare sicut et tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Origenes. Circa hoc unus magnorum in libris Periarchon et Stromatum invenitur non mediocriter deviasse.

Hinc subditur : *Quæ tua tibi detraximus bona?* Constat certissime, quod justus et superditissimus Deus nulli negat aut tollit quod illi debetur : imo unicuique ultra debitum elargitur, sed et supra condignum remunerat, et infra condignum punit. Jacob. I, 5. Propter quod scriptum est : Deus dat omnibus affluenter, et non improperat. Nihilo minus ingratis ac recidivantibus collata gratiæ dona justissime aufert, quæ tamen pœnitentibus misericordissime reddit. Juxta prætactum loquendi modum Mich. VI, 3. etiam per Michæam loquitur Deus : Popule meus, quid feci tibi ? aut quid molestus fui ? Responde mihi.

Quovis judice mecum contende. Ecce quam infinita est Dei dignatio. Certe sanctus Job virtutes suas describens, inter cetera protestatur : Job XXXI. 13. Si contempsi judicium subire cum servo meo. Et en Dominus majestatis, Deus excellentiæ infinitæ dignatur se cum homine in judicio cujuscumque judicis recti exponere. Unde per Ezech. XX. 35. Ezechielem filiis Israel dixit : Adducam vos in desertum populorum, et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. Ad quem Ps. L. 6. locutus est David : Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Nempe, quum Deus coram intelligentibus pandit quæ et quanta bona fecerit nobis, quæ etiam quantaque mala retribuerimus ei, judicatur a sapientibus vere bonus ac justus, nos vero pravi, ingrati ac pessimi. Ideo in Michæa habetur : Mich. VI, 2. Judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. Sed absit a nobis ut cum Deo præsumamus contendere judicio. Imo nec excusemus, sed accusemus, humiliemus, prosternamus nos coram ipso, dicentes : Ps. CXLII, 2. Non intres in judicium cum servis tuis ; Ps. CII, 10. et rursum, Non secundum peccata nostra facias nobis. Confugiamus ad piissimum Salvatorem, quem ferre non possumus judicem justum, scientes quam vere Job IX, 2, 3. in Job dicatur : Non justificatur homo

A compositus Deo ; et si voluerit cum eo contendere, non poterit ei respondere unum pro mille. Qui demum præsumpserit se ipsum inaniter excusare, advertat ac vereatur quod Dominus comminatur per Jeremiam : Jer. II, Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi.

Et si cujusquam mortalium proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua fuisse quæ repetis, sponte concedam. Universi homines natura æquales sunt, et solis accidentalibus directe differre dicun- B tur. Hinc divitiæ et honores adventicia bona sunt, non propria hominis bona : imo nec principalia hominis bona consistunt, quæ invito queunt auferri. De talium ergo amissione non est inordinate dolendum (præsertim quum pluribus obsint quam prosint ad salutem), sed incomparabiliter plus de Dei offensa, de perditione caritatis ac gratiæ et supernaturalium charismatum Spiritus Sancti : et hunc dolorem vera requirit contritio. Præterea nec ipsa naturalia quæ habemus, nec corpus, nec anima C nostra sic nostra sunt, quasi non aliunde receperimus ea, dicente Apostolo : I Cor. IV. Quid habes quod non accepisti ? In quorumlibet ergo horum amissione, infirmitate, mutilatione patientiam amplectamur, dicentes illud Job : Job I, 2 Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.

Quum te de matris utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi. Omnes enim nascimur filii iræ, Ephes. II privati originali justitia. Te *meis opibus* D *fovi.* In sacramento namque Baptismatis veterem hominem exuentes, innocentiæ veste induimur, a peccato originali purgamur, caritate ceterisque infusis virtutibus et septem donis Spiritus Sancti ditamur et decoramur : quibus spiritualiter educamur dum ad discretionis pervenerimus annos, nisi propria negligentia perdiderimus ea. *Omnium quæ mei sunt juris affluentia et splendore circumdedi* te. Innumerabilibus etenim beneficiis, spiritualibus et corporalibus, generalibus et specialibus, na-

turalibus et supernaturalibus, ecclesiasticis A sacramentis, prævenit, ornavit sublimavitque nos Dominus Deus noster. Et vere ac excellenter dicere possumus illud Deute-
Deut. IV, 7. ronomii : Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Dominus Deus et obsecrationibus nostris ; illud quoque in Psal-
Ps. CXLVII, 20. mo, Non fecit taliter omni nationi ; atque
Baruch IV, 4. quod alibi scriptum est, Beati sumus nos, quoniam quæ Deo placita sunt, manifesta sunt nobis.

Nunc mihi retrahere manum libet, id B est, per adversa vos exercere, patientiam vestram probare, gratiam consolationis suspendere, tentationibus inimicorum exponere, ut propriam fragilitatem et defectuositatem per experientiam cognoscentes, discatis in solo Deo confidere, eum jugiter invocare, vos ipsos semper despicere. Hinc in Deuteronomio Moyses loqui-
Deut. VIII, 2. tur : Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in animo tuo, utrum cu- C stodires mandata illius, an non.

Non habes jus querelæ, tanquam prorsus tua perdideris. Omnino sic est, quum et merita nostra sint Dei dona. *Opes, honores, ceteraque talium, mei sunt juris :* non solum opes temporales, verum etiam spirituales, et universi honores, quemadmodum primo Paralipomenon David fa-
I Par. XXIX, 11. 12, 14. tetur : Tua est, Domine, magnificentia, et potestas, et gloria, atque victoria, tuæ divitiæ, tua sunt omnia ; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Hinc in Pro- D
Prov. III, 16. verbiis ait Scriptura : Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria.

Dominam famulæ cognoscunt. Domina et regina omnium rerum et causarum, est providentia superbeatissimi Dei, cujus ancillæ et instrumenta sunt omnes causæ secundæ creatæ, subservientes causæ primæ et summæ providentiæ ejus, ac eam sequentes, cum ea accedentes et cum ea recedentes, sine cujus conservatione nil penitus agere nec ad momentum valent subsistere. Verumtamen, proprie dicitur Deus venire ad eos quibus caritatem et gratiam gratum facientem infundit, auget et perficit, et ab illis recedere quibus eas
aufert juste. Quumque incerti simus an Eccle. IX, 1.
in caritate et gratia simus, recte apud Job
asseritur : Si venerit ad me, non videbo Job IX, 11.
eum ; si recesserit, non intelligam.

An ego sola meum jus exercere prohibeor ? Jus Dei omnipotentis est omnia liberrime operari, non necessitate aliqua naturali, ut putabant quidam philosophi.
Unde ad Ephesios testatur Apostolus : Deus Ephes. I, 11.
operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Nempe, quum ipse sit causa simpliciter prima, ipse independenter est agens, et ejus sapientia ac voluntas est prima rerum mensura et regula : causa, inquam, mensura et regula omnis justitiæ ac virtutis, omnis sanctitatis, veritatis, sapientiæ, rectitudinis, ordinis ac decoris. Cui proprium est cuncta ad libitum agere : et eo ipso quo aliquid sibi placet, bonum est ; quo displicet, malum est. Ideo
in libro Sapientiæ dicitur Deo : Virtus tua Sap. XII, 16.
justitiæ initium est. Porro nulli ceterorum agere licet, nisi secundum mensuram et legem sibi a Deo præfixam.

Hæc nostra vis est, id est, ista est nostra omnipotentia nulli subjecta, ad nihil arctata, super omnem rerum cursum ordinemque consistens, universa ad nutum disponens. Hoc Nabuchodonosor rex ex-
pertus fatetur : Juxta voluntatem suam Dan. IV, 32.
facit, tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ ; et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei, Quare sic fecisti ? Unde et ipse Altissimus per Jeremiam ef-
fatur : Quis similis mei ? et quis sustine- Jer. XLIX, 19.
bit me ? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo ?

Hunc continuum ludum ludimus. Deus
cujus sapientiæ non est finis, tam variis Ps. CXLVI, 5.
modis agit in rebus, tam multipliciter ac multiformiter operatur in rationalibus creaturis, ut nemo concipere, nullus exprimere queat. Insuper in cordibus electorum,

in animabus puris ac fervidis, præsertim A in mentibus contemplativis, quemdam ineffabilem ac cœliformem exercet ludum amoris per secretos accessus, per visitationes gratiosas, per consolationes internas, per amplexus dulcissimos deificæ caritatis, sed et per dispensativas subtractiones consuetæ dulcedinis, alacritatis et jucunditatis, quatenus ipse denuo requiratur avidius. Hinc quippe increata Sapientia, Verbum Patris, Unigenitus Dei, in Proverbiis
Prov. VIII, 27. 30. 31. testatur : Quando præparabat cœlos aderam, et delectabar per singulos dies, lu- B dens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum ; et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Hic ludus providentiæ Dei est gloriosa, incomprehensibilis et delectabilis operatio ejus. Unde et in Psalmo
Ps. CIII, 31. cantatur : Sit gloria Domini in sæculum ; lætabitur Dominus in operibus suis.

Rotam volubili orbe versamus ; infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Invariabilis Deus in se ipso immobilis permanens, dat cuncta moveri, et nunc adversa, nunc prospera influit ; tamque C mirabilia et profunda, tam multiplicia et diversa, tam secreta et imperscrutabilia sunt judicia et opera ejus in creaturis, præsertim in hominibus, ut omnem admirationem et loquelam prorsus excedant, in tantum ut quibusdam etiam famosis visum sit aliquando actus hominum non gubernari a Deo, nec cadere sub providentia ejus, sicut de hoc S. Augustinus in libris de Trinitate Dei hinc inde tractat diffuse. Imo et Vas electionis exclamat :
Rom. XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scien- D tiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Hinc quidam sanctorum Patrum, ut in Vitaspatrum narratur, in consideratione mirabilium operum Dei deficiens, frequentius exoravit : Domine, ostende mihi judicia tua. Tandem misit Dominus angelum suum ad illum. Cum quo angelo quum sanctus vir ille triduo ambulasset per eremum, nesciens quod angelus esset, vehementissimam habuit displicentiam in operibus angeli, quia omnino injusta et irrationabilia videbantur. Unde et dixit tertio die ad angelum : Recede a me, quoniam cuncta quæ agis perversa sunt. Tunc angelus manifestavit se sancto viro, et rationem operum suorum exposuit ei. Quibus auditis, vir ille glorificavit Deum, et omnia ejus judicia perhibuit esse rectissima. Hinc in Apocalypsi fertur : Magna et mirabilia *Apoc.* x
sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; 3, 4.
justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum : quis non timebit te et magnificabit nomen tuum ? Denique in his Deus gaudet mutare et cum gaudio mutat « infima summis » et econverso, humiles exaltando, superbos humiliando ; nunc unum regno privando, nunc alteri dando triumphum ; jam vitiosos et pessimos plenarie convertendo et ad sanctitatem eximiam perducendo, jam quosdam multum devotos paulatim et tandem totaliter juste relinquendo.

Ascende, si placet, rotam vicissitudinis hujus ; *sed ea lege ne descendere injuriam putes :* id est, noli sic quærere consolationes, ut renuas pati afflictiones, quoniam si compatimur, et conregnabimus, *Rom.* v
ut docet Apostolus. Qui rursus affirmat : 17 ; II *Ti* II, 12.
Si socii passionum fuerimus, erimus et II *Cor.* I
consolationis. Verum, ut ait Salvator, sunt quidam qui ad tempus credunt, et in tem- *Luc.* VIII,
pore tentationis recedunt.

An tu mores meos ignorabas ? Tu qui ad Dei servitutem accedis, hanc esse consuetudinem divinæ providentiæ scias, quod electos suos multipliciter ac frequenter, imo et acriter sæpe exercet. Unde fatentur : Transivimus per ignem et aquam. *Ps.* LXV,
Apostolus quoque : Per multas (inquit) *Act.* XIV,
tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum ; itemque, Non coronatur II *Tim.* II
nisi qui legitime certaverit. Idcirco adimple quod in Ecclesiastico scriptum est :
Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in *Eccli.* II
timore, et præpara animam tuam ad tentationem.

Præterea ei quod dicitur in hac prosa de duobus doliis vini in limine domus Jo-

vis, simile esse videtur quod Jeremias vi- A
Jer. XXIV, 1. 2. disse se refert in introitu templi calathos duos, in quorum uno erant ficus optimæ, in alio pessimæ. Sed brevitati studendum est.

Quid si uberius de bonorum parte sumpsisti? Hoc in omni tentatione et tribulatione consolari nos debet et roborare, quod prudentia Dei tam frequenter et copiose adfuit nobis, quod toties et tam diu in tot tantisque sceleribus nobis pepercit, nec unquam in toto reliquit nos, imo indesinenter parata est pœnitentibus indul- B gere, redeuntes ad pristinam gratiam ac amorem suscipere, et quod per castigationes paternas quibus nos visitat, tribuit
Hebr. VI, 9. nobis causam et rationem sperandi me-
Apoc. III, 19. liora et viciniora saluti, dicendo : Ego quos amo, arguo et castigo. Hinc de unigenito Dei Patris Filio propter nos incarnato ac crucifixo, loquitur Augustinus : Inspice vulnera patientis, in cruce pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis ; caput habet inclinatum ad osculandum, cor C apertum ad diligendum, brachia extenta ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum : hæc quanta sint cogitate, hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit fixus in cruce.

Ne animo contabescas propter adversa, sed omne gaudium reputa quum in di- *Jacob.* I, 2.
versa incideris tentamenta. *Et ne intra commune omnibus regnum locatus,* id est ne in militanti Ecclesia ex omnibus gentibus congregata positus, *proprio jure vivere desideres,* id est propria potestate voluntateque regi, sed sub obedientia vive, nec a communi lege ac regula velis esse exemptus, qua dicitur : Omnes qui II *Tim.* III, 12.
volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur ; et rursus, Qui se dicit in I *Joann.* II, 6.
Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Hæc est via salutis, disciplinam libenter suscipere, in adversitatibus nequaquam deficere, in prosperis et adversis Christum constanter sectari. Quod qui renuit, vult in regno Christi atque Ecclesiæ proprio vivere jure, et esse exemptus a lege necessaria ad salutem, de qua in libro Proverbiorum dicitur : Disci- *Prov.* III, 11, 12.
plinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Hinc ad Hebræos scribit Apostolus : In disciplina perseverate. *Hebr.* XII, 7, 8.
Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis.

METRUM II

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu ;
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,

Et claris avidos ornet honoribus,
Nil jam parta videntur,
Sed quæsita vorans, sæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem frena cupidinem
Certo fine retentent ;
Largis quum potius muneribus fluens,
Sitis ardescit habendi ?
Nunquam dives agit, qui trepidus gemens,
Sese credit egentem.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO HUJUS METRI SECUNDI.

INTENTIO metri hujus est declarare insatiabilem esse avaritiam hominum : quod et jam supra in isto atque in primo libro frequenter inductum est et probatum. Itaque sensus et ordo verborum est :

Cf. p. 80 D. 96 D. 178 C.

Si copia, id est temporalis abundantia cujuscumque, seu dives et copiosus quicumque, *fundat,* id est, diffundat, distribuat, præstet, *cornu pleno,* id est plurimum, abundanter, seu instrumento facto ex cornu, *tantas opes,* id est tot massas pecuniæ seu tam multas et grandes divitias, *quantas pontus,* id est mare, *incitus,* id est concitatum, motum et turbulentum, *flatibus rapidis,* id est procellis et vehementibus ventis, *versat,* id est, ex fundo elevat et agitat, *arenas* (quod et de arenis quæ jacent in littore accipi potest), *aut quot sidera fulgent cœlo,* id est in firmamento, quod vocatur cœlum stellatum, *edita,* id est evidenter patentia, *noctibus stelliferis,* id est tempore nocturno, quo serenus est aer, ita quod stellæ cernuntur, *nec retrahat manum,* id est, opes largiri non cesset ; *haud,* id est non *ideo humanum genus cesset flere,* id est flendo ostendere, *miseras querelas,* id est

A vanas, viles et irrationabiles querimonias, quas homines proferunt asserendo se indigere : quo constat cupiditatem crescere in immensum. Denique fabulæ recitant, Herculem contra Acheloum pugnasse : qui sciens fortitudinem Herculis, se transformavit in taurum. Quem nihilo minus Hercules dejecit in terram ; et cornu unum ei extraxit, quod datum est dispensatrici Fortunæ, ut per illud divitias erogaret.

Consequenter eamdem affirmat sententiam per aliam propositionem conditiona-

B lem. *Quamvis Deus prodigus multi auri,* id est largus ad conferendum multum de auro, *excipiat,* id est exaudiat, *libens,* id est, libenter acceptans, *vota,* id est desideria seu petitiones invocantium eum, *et avidos,* id est cupidos venerationis, puta ambitiosos, *ornet honoribus claris,* id est dignitatibus, prælaturis, officiis, *jam parta,* id est acquisitæ divitiæ seu dignitates, *nil videntur* quantum ad sufficientiam, id est, non videntur sufficere, *sed rapacitas sæva,* id est crudelis cupiditas seu gulo-

C sitas, *vorans,* id est, consumens aut pro nihilo reputans, *quæsita,* id est illa modo obtenta, *pandit hiatus altos,* id est, habere

se demonstrat aviditates majores ad acquirendum altiora seu plura. Ipse enim affectus et fames est quasi quidam cordis hiatus. Juxta quam metaphoram Isaias loquens de rege Assyriorum, asseruit : Non erat qui moveret pennam et ganniret. (*Is.* x, 14.)

Insuper Philosophia ex istis concludit non esse spem imponendi finem cupiditati. *Quæ frena,* id est refrenationes seu moderationes rationis seu virtutis, *jam retentent,* id est, firme retentare et comprimere valeant, *certo fine,* id est sub limitibus rationabilibus, *cupidinem præcipitem,* B id est cupiditatem inconsulte festinantem ad terrena augenda, *quum sitis habendi* plura *fluens,* id est abundans, *potius,* id est, magis quam ante, *largis muneribus,* id est copiosis donis largiter datis avaro, *ardescit,* id est, validius inflammatur? *Dives nunquam agit,* id est, nunquam ita se habet in vivendo, *qui trepidus,* id est timidus de sua futura inopia, *gemens* quod habet tam parva, *credit sese egentem,* id est pluribus indigentem.

Verumtamen ista non sunt sic intelligenda C quod cupiditas seu avaritia sit absolute loquendo insatiabilis et incurabilis. Sic enim non esset peccatum, quum omne peccatum sit voluntarium : ad cujus emendationem homo tenetur, qui tamen ad impossibilia non obligatur, dicente Hieronymo, Maledictus qui dicit Deum ab homine impossibilia requirere. Dicitur ergo cupiditas insatiabilis incurabilisque consistere : primo, quoniam difficulter valde curatur et satiatur; secundo, quia a paucis vitatur, quos semel infecerit; D tertio, quoniam sicut ignis tanto plus crescit et invalescit quanto plura sibi combustibilia applicantur, ita cupido quanto plures nummos et opes acquirit : quamvis non sit per omnia simile, eo quod ignis sit agens naturale, quod agit de necessitate naturæ; subjectum vero avaritiæ est libere agens, potens cupiditati resistere ac prævalere. Juxta hunc sensum peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremissibilia. (*Matth.* xii, 31, 32.) Apostolus quoque ad Hebræos : Impossi- (*Hebr.* vi, 4, 6.)

A bile (ait) est eos qui semel illuminati sunt, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.

De his supra allegatæ sunt multæ auctoritates philosophorum. Quibus omissis, ut hoc vitium magis abhorreatur, quædam Sanctorum auctoritates tangendæ sunt. Ad cujus vitii abominationem merito satis moveret, quod Dominus et Salvator in tota conversatione sua in sæculo isto, paupertatem exemplo et documentis præcipue commendavit : Aves (inquiens) cœli nidos (*Matth.* viii, 20.) B habent, et vulpes terræ foveas, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet; et rursus : Beati pauperes, quoniam (*Luc.* vi, 20.) vestrum est regnum Dei. Item cupiditatem condemnans, asseruit : Possibilius est camelum (*Matth.* xix, 24.) per foramen acus transire, quam divitem (id est cupidum divitiarum amatorem) intrare in regnum cœlorum. Nonne mirum quod Christianus audet cupiditatem admittere, ac terrena immoderate optare, congregare, tenere, quum raptus (II *Cor.* xii, 2.) usque ad tertium cœlum Apostolus pro- C testetur, Radix omnium malorum est cu- (I *Tim.* vi, 10.) piditas? et rursus, Avaritia simulacrorum (*Coloss* iii, 5.) est servitus? itemque, Qui volunt divites (I *Tim.* vi, 9.) fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva?

Hinc recte Climacus dixit : Dives et avarus est Evangelii subsannator; Chrysostomus quoque atque Ambrosius : Sicut hi qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionum suarum adspiciunt phantasias; sic mens avari vin- D culis cupiditatis semel adstricta, semper aurum, semper argentum imaginatur et videre se putat, redditus computat, de pecuniis loquitur, aurum gratius quam solem ac sidera intuetur, ipsa ejus oratio suspiriumque ad Deum expetit aurum. Hinc vere Innocentius ait Papa : Radix (*Ibid.* 10.) omnium malorum recte appellatur cupiditas; hæc sacrilegia committit et furta, rapinas exercet et prædas, bella, traditiones, homicidia gerit, simoniace vendit et emit, inique petit et capit *, injuste ne- (* *alias* recipit)

gotiatur ac fœneratur, instat dolis ac imminet fraudibus, dissolvit pactum et violat juramentum, corrumpit testimonium et pervertit judicium. His consonans Augustinus deprompsit : Quæ est ista aviditas cupiditatis, quum et bestiæ habeant modum ? quia tunc rapiunt quando esuriunt, parcuntque prædæ quum senserint satietatem. Insatiabilis est avaritia cupidorum ac divitum, rapit nec satiatur ; nec Deum nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem conservat. Quæ est ista insania, malle acquirere aurum quam cœlum, plus affectare pecuniam quam gloriam sempiternam ?

Postremo de insanissima et insatiabili ambitione beatus ait Bernardus : Ambitio est subtile malum, virus secretum, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, parens livoris, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo. O ambitio ambi-

A entium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places ? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat ; nil tamen apud miseros mortales celebrius ejus negotiis. Annon limina Apostolorum plus jam ambitio quam devotio terit et visitat ? Annon quæstibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat ? Certe, ut idem Sanctus denuo loquitur, insatiabilis est clericorum ambitio et cupido. Dum quis simplicem in una ecclesia obtinuerit præbendam, cum qua antea nullam habens proposuit contentari, jam cupit et nititur aliam in alia

B ecclesia adipisci. Quibus adeptis, erubescit simplex esse canonicus : appetit igitur decanatum. Quem consecutus, præposituram desiderat. Deinde de archidiaconatu imaginatur : quo forsan sortito, jam episcopatum somniare incipiet. Sicque infelix ambitio finem sibi non statuit nec quiescit, quousque morte finita, in infima infernorum mergatur.

PROSA III

HIS igitur si pro se tecum verbis fortuna loqueretur, quid profecto contra hisceres non haberes. At * si quid est quo querelam tuam jure tuearis, proferas oportet : dabimus dicendi locum.

* Aut

— Tum ego : Speciosa quidem ista sunt, inquam, oblitaque rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis ; tum tantum quum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est : itaque, quum hæc auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat.

— Et illa : Ita est, inquit. Hæc enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese penetrent, quum tempestivum fuerit, admovebo. Verumtamen ne te existimare miserum velis. An numerum modumque tuæ felicitatis oblitus es ? Taceo quod desolatum parente summorum te virorum cura suscepit, delectusque in affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus quam proximus esse cœpisti. Quis non te felicissimum quum tanto splendore socerorum, quum conjugis pudore, tum masculæ quoque prolis opportunitate, prædicavit ? Prætereo (libet enim præterire communia) assumptas in adolescentia negatas

senibus dignitates. Ad singularem felicitatis tuæ cumulum venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, quum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti? quum eisdem in curia curules insidentibus, tu regiæ laudis orator, ingenii gloriam facundiæque meruisti? quum in circo duorum medius consulum, circumfusæ multitudinis exspectationem triumphali largitione satiasti? Dedisti (ut opinor) verba fortunæ, dum te illa demulcet, dum te ut delicias suas fovet. Munus quod nulli unquam privato commodaverat, abstulisti. Visne ergo cum fortuna calculum ponere? Nunc te primum liventi oculo perstrinxit. Si numerum modumque lætorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis. Quod si idcirco te fortunatum esse non existimas, quoniam quæ tunc læta videbantur abierunt; non est quod te miserum putes, quoniam quæ nunc creduntur mœsta prætereunt. An tu in hanc vitæ scenam nunc primum subitus hospesque venisti? Ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, quum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manentis. Quid ergo referre putas? Tune illam moriendo deseras, an te illa fugiendo?

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS TERTIÆ.

JAM in prosa præhabita probavit Philosophia in persona fortunæ, bona exteriora non esse propria et principalia hominis bona, atque ob id de eorum amissione non esse vehementer dolendum. Hic sciscitatur Boetium, an acquiescat rationibus ad hoc inductis, an contra ea velit quidquam objicere.

His igitur verbis, id est in præcedenti prosa expressis, *si fortuna pro se loqueretur tecum, quid profecto contra hisceres non haberes.* Ordo verborum est: « Non haberes », id est, rationabiliter excogitare non posses, « quid contra hisceres », id est, quid ore frequenter seu inchoanter hiando diceres, « profecto », id est certe, « si fortuna pro se loqueretur tecum » in propria persona, in cujus persona ego Philosophia protuli verba præscripta. *At si quid*

A *est,* id est, si aliquid tibi occurrerit, *quo querelam tuam jure tuearis,* id est, per quod rationabiliter defendere queas querimoniam tuam, quam proposuisti contra fortunam, quasi nova et inaudita fortuita contigerint tibi, *oportet,* id est expedit ut, *proferas* ea; *dabimus dicendi locum,* id est, opportunitatem respondendi præstabimus tibi.

Ad hoc respondet Boetius : *Tum ego inquam,* id est, tunc ego dixi : *Speciosa quidem,* id est pulchra et sapientialia ac B ornate prolata, *sunt ista* quæ dicta sunt præcedenti in prosa, *oblitaque,* id est linita et peruncta, *rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis,* id est suavitate prosaicæ eloquentiæ ac metricæ venustatis; *tum tantum quum audiuntur, oblectant,* id est, tamdiu et non diutius me delectant

et aliqualiter refocillant, quamdiu actualiter « audiuntur » auribus carnis ac cordis. Nam ipsa veritatis consideratio naturaliter mentem delectat : imo, secundum Philosophum in Ethicis, delectationi quæ est in considerando, non est directe ulla tristitia contraria. *Sed miseris malorum altior est sensus,* hoc est, « sensus », id est intellectus seu actualis consideratio, vel « sensus », id est ipsa sensatio et experimentalis perceptio, « malorum » pœnæ, id est adversitatum et diffortuniorum, « est altior », id est profundius impressa et inviscerata, « miseris », id est dire afflictis. *Itaque, quum hæc* quæ in præcedenti prosa sunt tacta, *auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat,* id est, tristitia radicata in corde meo valde gravat « animum » meum, ideo difficulter exstirpabilis est, utpote versa in habitum : qui habitus est difficulter removibilis.

— *Et illa,* puta Philosophia : *Ita est, inquit. Hæc enim* quæ in prosa præcedenti digesta sunt, *nondum morbi tui remedia,* id est, ista non introduxi tanquam efficacia « remedia » contra tuum dolorem, *sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta quædam sunt,* id est quædam medicamina lenitiva et mitigativa tui « doloris contumacis adversus curationem », id est mœroris tuæ sensualitatis : qui mœror sua vehementia per modum superbi dure resistit informationi rationis cupientis ipsum curare, secundum quod passiones intense judicio mentis reluctantur et difficulter domantur. Propter quod beatissimus Petrus hortatur:
I *Petr.* II, 11. Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Unde
Galat. V, 17. et S. Paulus effatur : Caro concupiscit adversus spiritum. *Nam quæ in profundum sese penetrent, quum tempestivum fuerit, admovebo,* id est, tempore opportuno applicabo remedia « quæ penetrent », id est transfundant, « sese in profundum », id est in interiora penetralia cordis tui atque in intima viscera tuæ mentis, hoc

A est usque ad apicem intellectus verticemque affectus, quæ sunt suprema in parte intellectiva. In Scripturis quippe et etiam in communi modo loquendi, altum sumitur pro profundo, et econverso.

Consequenter Philosophia hortatur Boetium ne adversitatem suam putet majorem quam est. Quum enim passiones, nisi reprimantur, mox a medio rationis abducant, mœror et dolor per patientiam et constantiam non refrenati sic rationis corrumpunt judicium, ut mala pœnalia ex
B quibus causantur, videantur graviora quam sunt : sicque intensior mœror et dolor ex illis causantur quam deberent.

Verumtamen ne te existimare miserum velis, id est, quamvis (ut patuit) quædam tibi adversa contigerint, non tamen te miserum putes, aut miseriorem quam es. *An numerum modumque tuæ felicitatis oblitus es?* id est, non utique oblivioni dedisti quæ magna et multa fuerint ex quibus constabat tua temporalis, et terrena prosperitas.

C *Taceo,* id est, diffuse non recito nec pro majoribus reputo, *quod desolatum parente summorum te virorum cura suscepit,* hoc est, « quod cura », id est sollicitudo, « virorum summorum », id est valde sublimium, ut senatorum, « suscepit te desolatum parente », id est orbatum parentibus, ad custodiendum et educandum te tanquam tutores. *Dilectusque**, id est acceptus et carus his inter quos conversabaris, utpote in naturalibus elegans, compositus moribus, dulcis eloquio, egregiæ indolis, *in* * *Delectusque*
D *affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus quam proximus esse cœpisti,* hoc est, « cœpisti », id est incepisti, « esse carus prius quam proximus », id est propinquus seu affinis, « in » (id est per) « affinitatem principum civitatis », id est, per hoc quod factus es affinis principalium urbis Romæ rectorum, videlicet Symmachi viri præcipui, cujus filia data est tibi conjux, « quod pretiosissimum propinquitatis genus est », id est, sic fieri

prius carum propter excellentiam bonitatis, quam affinem, est præclarissima species propinquitatis, quum sit fundata in bono honesto, et complectens in se duplicem propinquitatem, unam amicitiæ sinceræ, aliam affinitatis : sicque præstantior est ac firmior quam sola carnalis consanguinitas, et item quam sola affinitas. Unde in Proverbiis legitur : Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater. (Prov. XVIII, 24.)

Quis cognoscentium te *non prædicavit te felicissimum* esse, id est valde felicem seu prosperum, felicitate civili et prosperitate temporali, de qua primo Ethicorum ait Philosophus, *quum tanto splendore socerorum,* utputa Symmachi et suorum, *quum conjugis pudore, tum quoque opportunitate,* id est opportuna seu convenienti competentia, *prolis masculæ,* id est sexus masculini, scilicet filiorum : de quibus majus est gaudium quam de filiabus, quia in naturalibus filii solent esse perfectiores et ad majora promoveri.

In his et subsequentibus multa tangit Philosophia ad prosperitatem spectantia, de quibus infra sigillatim in hoc ipso dicetur articulo. Nam subdit :

Prætereo, id est pertranseo, non penitus subticendo, sed plenarie non narrando; *libet enim præterire communia,* id est, rationabiliter placet mihi pertransire « communia », id est generalia dona tibi aliisque collata, videlicet *dignitates,* puta senatum et consulatum, *assumptas,* id est tibi donatas, quas accepisti a rectoribus urbis, *in adolescentia,* id est in juventute tua, *negatas senibus* qui eas cupiebant acquirere, quia non erant tantæ prudentiæ et eminentiæ ut tu. Solent autem adolescentia et juventus pro distinctis ætatibus accipi; nunc vero pro eodem sumuntur, quemadmodum in Ecclesiaste, quo dicitur : Lætare, juvenis, in adolescentia tua. (Eccle. XI, 9.) Dicunt quoque nonnulli, quod dignitates præfatæ non consueverunt alicui dari ante quinquagesimum suæ ætatis annum. Boetio autem ob eminentiam suam in multis, multo citius datæ fuerunt : sicque, quamvis commune fuit ei cum multis dignitates istas habere, tamen tam cito privilegiate eas suscipere, in ipso exstitit singulare. Ideo potest istud ad generalia et item ad specialia pertinere.

Ad singularem felicitatis tuæ cumulum, id est abundantiam, *venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus,* id est si aliquis profectus et proventus temporalium bonorum, *ullum beatitudinis pondus habet,* id est, tanti sit ponderis ac valoris ut ad beatitudinem pertinere recte dicatur, sicut tu videris sentire, de ipsorum amissione in tantum dolendo, *poteritne illius memoria lucis,* id est recordatio illius lucidæ prosperitatis, *quantalibet ingruentium malorum mole deleri,* id est, auferri a corde tuo « mole quantalibet », id est ex magnitudine quantumcumque dura et gravi, « malorum », id est adversitatum et afflictionum, « ingruentium », id est imminentium et contingentium tibi ? Quasi dicat : Merito non debet, quum et scriptum sit, In die malorum ne immemor sis bonorum. (Eccli. XI, 27.) Sed his obviare videtur quod in Genesi Joseph ait ad Pharaonem : Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti, quos sequentur septem anni tantæ sterilitatis ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia. (Gen. XLI, 29, 30.) Et respondendum, quod vehemens occupatio cordis circa unum, solet inducere inconsiderationem seu oblivionem alterius : et quantum ad hoc verificatur quod Joseph asseruit. Tamen quum unum oppositorum sit via seu medium cognoscendi aliud (unde et contrariorum dicitur eadem esse scientia), ideo abundantia adversitatum non sic delet memoriam prosperitatis præhabitæ, quin faciliter ad memoriam reducatur. Imo ex consideratione unius qualitas alterius clarius patet, juxta illud : Opposita juxta se posita, evidentius innotescunt.

Quum vidisti, id est, quum corporaliter conspexisti, *duos liberos tuos,* id est duos filios, *provehi pariter,* id est simul pro-

moveri, *consules*, id est ad consulatum, A *domo*, id est electione rectorum prætorii, ita quod non ingerebant se ipsos, sed electi legitime erant ad tantum officium, *sub frequentia patrum,* id est coram multitudine senatorum, *sub plebis alacritate,* id est una cum circumstantis populi favore atque applausu.

Quum eisdem in curia, id est dum ipsis filiis tuis consulibus, *insidentibus,* id est, in sedendo occupantibus, *curules,* id est sedes pro consulibus factas, in quibus sedebant in sua promotione, *tu* Boetius *regiæ laudis orator,* B id est rhetor excellentiæ regiæ et dignus coram regibus perorare seu loqui ornate, *ingenii gloriam facundiæque meruisti,* id est, per usum et excellentiam tui ingenii atque facundiæ obtinuisti laudem et famam præ ceteris, tanquam rhetor clarissimus. In promotione quippe ad præfatas dignitates, consuevit apud Romanos collatio fieri : quam qui compendiosius et eloquentius egit, grandem inde sortiebatur honorem et laudem.

Quum in circo duorum consulum medius, C id est, quando tu sedens in medio duorum filiorum tuorum, quasi « in circo » seu circuitu quantum ad dextram ac sinistram, *circumfusæ multitudinis exspectationem satiasti,* id est, populum circumstantem et exspectantem audire tuam collationem replesti, *triumphali largitione,* id est ipsa collatione, tanquam delicata refectione reficiendo et oblectando desiderium cordis eorum. Quæ collatio vocatur triumphalis largitio, quoniam talis sermo fiebat quando Romani principes redierunt D victores de prælio, in commendationem eorum. Insuper victores hujusmodi, populo eis in occursum reverenter vergente, venientes ad urbem, ascendebant in currum qui a quatuor equis albis trahebatur ; tuncque dabatur plebi pecunia. Sic quoque quando promoti de novo ad consulatum, deferebantur a curia ad amphitheatrum, magna pecunia circumstantibus conferebatur : quæ et triumphalis largitio hic potest intelligi.

Dedisti (ut opinor) verba fortunæ, dum te illa demulcet, dum te ut delicias suas fovet. Hoc dupliciter potest exponi : quasi ironice, et solatiose prolatum. Tanquam Philosophia dicat : Fortuna tot bona tibi concessit quasi attraxeris eam tibi per verba blanda ac fraudulenta, tamque benefica tibi fuit quasi deliciæ ejus sint esse tecum. Itaque ait : « Dedisti verba », id est alloquia amatoria et procatoria, « fortunæ, ut opinor, dum te illa demulcet », id est, per prospera dulciter tractat, « dum te ut delicias suas fovet », id est tanquam sponsum et deliciarum suarum objectum.

Munus quod nulli unquam privato commodaverat, abstulisti, hoc est, « abstulisti », id est, a fortuna accepisti pro tua portione, « munus », id est congeriem munerum fortunæ, « quod » ipsa fortuna « nulli unquam privato commodaverat », id est, nulli sibi speciali aut quantumlibet familiari concesserat, ut patet ex dictis. Verumtamen contra hoc objici posset, quia Octaviano imperatori majora et plura data fuerunt fortuita bona, et hoc usque in finem vitæ suæ. Unde de eo fuit clamatum : Nullus felicior Octaviano. Valerius quoque de Quinto Memmio refert, quod ab utero matris usque in monumentum felicissimus (id est fortunatissimus) fuit. Et ad S. Anastasiam dixit tyrannus : Cur non adoras Jovem, qui nunquam alicui injuriæ subjacuit ? Boetius autem longo tempore permaximis diffortuniis fuit subjectus. Idcirco hæc verba videntur eo modo intelligenda quo de quolibet confessore cantatur, Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi : Eccli. x… 20. ita quod Boetius quantum ad aliqua fuit præ ceteris eminens.

Visne ergo cum fortuna calculum ponere, id est computationem facere, an scilicet plus habueris ab ea de prosperis vel de adversis ? Quod si tentaveris facere, succumbes. Consueverunt autem veteres computando uti lapillis : idcirco calculus pro tali lapillo et computo sumitur. *Nunc,* scilicet tempore persecutionis istius a

Theodorico tyranno, *te primum liventi oculo perstrinxit,* id est, coarctavit fortuna, infligendo adversa. *Si numerum modumque lætorum tristiumve consideres,* id est, si attendas multitudinem et qualitatem prosperitatum et item adversitatum quas habuisti, *adhuc te felicem,* id est fortunatum, *negare non possis,* eo quod tamdiu prosperis abundasti, et multa ad prosperitatem istam spectantia adhuc remanent tibi, ut dictum est.

Quod si idcirco te fortunatum esse non existimas, quoniam quæ tunc læta videbantur abierunt ; non est quod te miserum esse *putes,* id est, non habes rationem sufficientem reputandi te nunc omnino miserum esse, *quoniam quæ nunc creduntur mæsta,* id est adversa seu tristia, *prætereunt,* id est, cito pertranseunt.

An tu in hanc præsentis *vitæ scenam,* id est umbram, *nunc primum,* id est jam primo et non ante, *subitus,* id est instantanee veniens seu repente comparens, *hospesque,* id est peregrinus ac cito hinc recessurus, *venisti ?* quasi dicat : Non ; imo a primo nativitatis tuæ momento apparuisti subito in hoc mundo, atque ex tunc cœpisti esse peregrinus in sæculo ac tendere ad occasum : sicut et Seneca dixit, Quotidie morimur, quia quotidie aliqua pars vitæ nostræ demitur. Unde et sanctus
Job xiv, 1, 2. Job apertius loquitur : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Hinc subditur :

Ullamne rebus humanis, id est temporalibus divitiis, deliciis et honoribus, seu ipsis humanis personis, *inesse constantiam,* id est immotam stabilitatem, *reris,* id est arbitraris, quum jam per tot annos expertus sis et ex Scripturis naturalibusque scientiis scias verum esse quod Salo-
Eccle. ii, 11. mon ait, nil sub sole stabile permanere ? *Quum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat,* id est, quia et ipsemet homo frequenter improvise celeriterque corrum-
A pitur, vel naturali vel violenta ex causa. *Nam etsi rara est fortuitis manendi fides,* id est, quamvis raro possit haberi æstimatio probabilis de fixa permanentia fortuitorum eventuum, *ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est,* id est finis atque interitus fortunæ, *etiam manentis,* id est, suo modo stabilis exsistentis in ipso in quo operatur. Tanquam dicat : Quantumcumque fortuna videatur in aliquo stabilis esse, aut fortunatos effectus in ipso habere, tamen in fine temporis vitæ
B illius oportet in ipso fortunam suam ac ejus effectus deficere et cessare. Dicitur autem tempus seu « dies » esse « mors » alicujus, quia in ipso die res moritur : quoniam tempori adscribuntur quæ fiunt in tempore.

Quid ergo referre putas ? id est, tu qui tantæ es litteraturæ, quid æstimas differre et interesse ? *Tune,* id est utrum tu, *illam,* videlicet bonam fortunam, *moriendo deseras?* Moriendo enim desinis subesse fortunæ. *An illa* fortuna bona *te fugiendo,* id
C est, te relinquat prospera subtrahendo antequam moriaris ? Quasi dicat : Parum refert, et redit suo modo in idem, quoniam sive sic, sive sic fiat, necesse est esse in brevi finem eufortunii tui ; estque felicius prospera fortunæ propter Deum despicere hic vivendo, quam ab eis deseri moriendo.

Porro in hac prosa multa tanguntur quæ ad terrenam spectant prosperitatem seu bonam fortunam. Specialiter vero ex ejus primordio erudimur, adversantibus et con-
D tradicentibus dare locum respondendi et allegandi pro se, quamvis delirent, ne scandalizati conquerantur sibi factam injuriam nec audientiam datam : nisi forsan essent hæretici, quorum sermo serpendo II *Tim.* ii, 17.
ut cancer, inficeret audientes. Imo, ut Antisiodorensis ait in Summa sua : Hæretici in Scripturis instructi resipiscere non volentes, sunt sine audientia occidendi ; simplices vero sunt audiendi et informandi.

At vero juxta ordinem textus, primum

ad prosperitatem præsentis vitæ pertinens, A est etiam ex naturalibus esse amabilem et acceptum ac carum concivibus, condomesticis atque consociis, et fideles habere amicos. Nam et amicitia ipsa, præsertim in bono honesto fundata, inter omnia hujus sæculi bona est bonum præcipuum. Propter quod Quintilianus fassus est : Non reperio quidquam in rebus et bonis humanis, quod natura excogitaret præstantius quam sit amicitia ex virtuosis consurgens operibus. Ideo scriptum est in

Eccli. VI. 14, 15. Ecclesiastico : Amicus fidelis, protectio B fortis ; qui invenit illum, invenit thesaurum : amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Hinc seminatio discordiæ, corruptio amicitiæ, susurratio, detractio, sunt vitia pessima, prout

Ibid. XXVIII, 15. rursus in Ecclesiastico scriptum est : Susurro et bilinguis maledictus ; multos enim turbavit pacem habentes.

Secundum ad hanc politicam spectans felicitatem et prosperitatem civilem, est soboles copiosa, præsertim masculina, C uxorque pudorata, ac venerabilium propinquorum atque affinium copia. Unde in Psalmo promittitur homini timorato, juxta

Ps. CXXVII, 3, 4. veteris consuetudinem legis : Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ ; filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ : ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Quod spiritualiter in evangelica lege salubrius adimpletur. Hinc

Job XXIX, 2, 4, 5. et Job fatetur : Quis mihi det ut sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu D meo pueri mei ? De uxoris quoque beatitu-

Eccli. XXVI, 19, 18, 1. dine legitur in Ecclesiastico : Gratia super gratiam, mulier tacita et pudorata et sancta ; mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex. — Præterea « taceo » in hac clausula, est color rhetoricus qui occupatio appellatur, et fit quando quis tangit quod se dicit tacere ; atque ut Tullius asserit, Occupatio est quum nos dicimus nescire aut præterire seu nemini dicere quod tamen scimus et aliqualiter dicimus : sic quoque hic minus dicitur, et plus innuitur.

Tertium est præsidentia, quæ est quædam divinæ naturæ participatio : providentia namque et causalitas sunt quædam proprietates præclaræ primi entis omnibus præsidentis. Hinc Deum deorum dixerunt meliores philosophi, qui universorum est causa, et omnium universalem providentiam habet, ut in Elementatione Procli Platonici tangitur. Sicque præsidentes aliquid divinæ perfectionis ac proprietatis sortiti sunt : propter quod in Scripturis dii vocantur. — Quæ dignitas Boetio est collata non solum in sua persona, sed in personis quoque filiorum suorum : et hoc est quartum ad felicitatem hanc pertinens, promotio digna sobolis propriæ ad primatum, merito providentiæ ac probitatis ejusdem. Etenim gloria patris filius sapiens. Et pater refulget, delectatur, honoratur et quodammodo manet in filiis, juxta illud Ecclesiastici : Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus ; reliquit enim similem sibi, et manet in illo. — *Exod.* XXII, 8 ; *Ps.* XL etc. *Prov.* *Eccli.* 4.

Quintum est ingeniositas mentis : quia ut asserit Augustinus, Felicitatis est ingeniosum nasci. Quo dono qui ingratus exstiterit, gravissimam damnationem meretur. — Huic quinto conjungitur sextum, quod est eloquentia et scientia ipsa rhetoricæ. Quod sextum congruit quinto : quemadmodum enim manus est instrumentum seu organum intellectus practici, sic lingua intellectus speculativi, secundum Philosophum. — Septimum est celebritas famæ, et honor ac laus : quæ potius sunt in honorantibus atque laudantibus, quam in honorato et laudato ; ideo non sunt principalia bona felicitatis.

ARTICULUS IX

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA PROSÆ HUJUS TERTIÆ.

Quæ ex persona fortunæ ad Boetium A dicta sunt ad probandum quod de adversitatibus suis non debeat immoderate tristari, eo quod omnia in hac vita vanitati, variabilitati et incertitudini sint subjecta, si ex persona divinæ providentiæ proferantur ad quemcumque credentem ex adversitatibus suis dolentem, pusillanimem, desolatum, non poterit ille rationabiliter respondere, neque se excusare.

Multi quoque sunt qui instar Boetii, quamdiu audiunt instructoria ac consolatoria verba ex Sanctorum exemplis, ex B Scripturarum eloquiis, præsertim ex recitatione dominicæ passionis, ex quatuor novissimis, ex brevitate vitæ præsentis, mitigant suum mœrorem, patientiam tenere proponunt, de suarum motibus passionum verecundantur; verum dum exhortationis, informationis, consolationis transierit hora, mox dum ea quæ passi sunt ad memoriam cœperunt revocare, et quam injuriosa fuerunt ponderare, priores denuo illabuntur mœstitias, turbationes, afflictiones : quod est signum magnæ in- C constantiæ et imperfectionis eorum. Non enim radicitus suas ejiciunt passiones, quum non sint in virtutibus fundati et radicati : quod si essent, motus illos inordinatos exstirparent celerrime atque faciliter, ac instar evangelici centurionis dicerent huic cogitationi perversæ actionique
Matth. VIII, 9. pravæ, Vade, et iret; et illi cogitationi et actioni atque affectioni bonæ, Veni, et veniret. Tali etiam homini dolor malorum non est profunde infixus: imo lætus est in adversis.

Verumtamen ne te existimare miserum velis. Verus Christianus propter damna rerum, propter opprobria et contemptus et quæcumque mala pœnalia, non se miserum reputat, sed beatum, quum dicat Salvator: Beati estis quum maledixerint vobis *Matth.* V, 11.
homines, et persecuti vos fuerint. Talia namque multipliciter conferunt ad salutem, ut dictum est sæpe. Porro mala culpæ *Cf.* p. 82 C' et s., 124 A' et s.
reddunt hominem veraciter miserum, hoc est a fonte totius gratiæ ac salutis perpetuæ alienum. Propterea in Proverbiis Salomon loquitur : Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. *Prov.* XIV, 34.
In adversis igitur tanquam in via beatitudinis compendiosissima gloriemur, quum Dominus protestetur: Cum ipso sum in tribulatione, *Ps.* XC, 15.
eripiam eum et glorificabo eum. Tuncque Dominum cum speciali fiducia deprecemur, qui ait in Psalmo : Invoca me in die *Ps.* XLIX, 15.
tribulationis; eruam te, et honorificabis me.

Denique, si prudenter pensemus quæ et quanta a Deo accepimus, quot dona naturæ, quanta beneficia gratiæ, et quam ineffabilia bona gloriæ æternalis promiserit nobis in cœlis, quam etiam paratus sit Deus semper ignoscere; non poterimus nos miseros totaliter reputare, præcipue quum Christus disseruerit : Beati pauperes; *Luc.* VI, 20, 21.
beati, qui nunc lugetis; beati, qui nunc esuritis. Ecce in afflictionibus beatitudinem nostram constituit, loquendo de beatitudine viæ, quæ est meritum nostrum : cujus præmium beatitudo est patriæ, ad quam invitati sumus ac tendimus. Denique in spirituali regeneratione Baptismatis, suscepit nos cura virorum sublimium, sacerdotis et patrinorum, quos divinus Dio- D nysius libro de Hierarchia ecclesiastica *Cf.* t. XV, p. 384 D', 586 D'.
anadochos, id est sursumductivos, appellat : cum quibus ibidem spiritualem consanguinitatem contraximus.

Quis te non felicissimum, etc. Quamvis A omnia temporalia, fortuita ac mundialia ista sunt Dei dona, a quo bona cuncta procedunt; attamen juxta evangelicæ felicitatis tenorem, magis gloriandum est in adversis et diffortuniis, quam in terrenis prosperitatibus istis, quæ et frequentius et exuberantius conceduntur reprobis et injustis quam electis et justis, quum de reprobis Psalmista cecinerit : (*Ps.* CXLIII, 12, 13.) Quorum filii sicut novellæ plantationes, in juventute sua; filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi; promptuaria B eorum plena, eructantia ex hoc in illud. (*Jacob.* III, 2.) Nempe, quum in multis offenderimus omnes, atque quotidie septies cadat justus, (*Prov.* XXIV, 16.) quam spem futuræ felicitatis habere poterimus, si in vita hac non solum non flagellemur a Deo, imo insuper prosperitatibus foveamur ab eo? Nonne vereri habemus, quum per temporalia remuneremur, audituri quod dictum est diviti epuloni, (*Luc.* XVI, 25.) Recepisti bona in vita tua? Hinc teste Gregorio, dum electi prosperantur, pavida suspicione turbantur, metuentes ne temporaliter præ- C mientur. Igitur qui multis prosperitatibus floruit, nequaquam animo conturbetur, si interdum adversis tangatur; sed cum sancto Job dicat : (*Job* II, 10.) Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?

(*Cf.* p. 194 A'.) Præterea, quamvis (sicut prætactum est) aliis providere ac præsidere, sint actus divini et proprietates deificæ, atque interdum electis propter eorum sapientiam ac virtutes desuper condonentur; nemo tamen debet ad eas adspirare, nec eas insipienter appetere, ne deputetur cum primo D illo totius ambitionis inventore ac principe, qui deprompsit : (*Is.* XIV) Super astra cœli exaltabo solium meum. Et hoc, propter prælationis pericula (quia ut dicitur in libro Sapientiæ, (*Sap.* V) Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet; et, (*Ibid.*) Potentes tormenta potenter patientur); et quia ad præsidendum aliis perfectio grandis requiritur : de qua incertus est homo an habeat eam; estque incautum aliis in donis gratiæ se præferre. Ideo ait ad Hebræos Apostolus : (*Hebr.*) Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Domino, tanquam Aaron.

Amplius, quum charismata gratiarum et ecclesiasticæ prælaturæ sint incomparabiliter præstantiora quam dignitates et præsidentiæ sæculares ac quæcumque bona fortunæ, multo sublimius est si quis videat se ipsum aut filios suos carnales aut spirituales ad ecclesiastica promoveri officia, atque in conversatione virtuosa donis gratiæ abundare, quam quod filii illi Boetii ad sæcularia illa provehebantur regimina. Imo omnia illa magnifica quæ scribuntur in littera de honorificentia præconiisque Boetii in eloquentia, ingeniositate, et consimilibus, de eminentia quoque et eufortuniis filiorum ipsius, a viris sanctis pro nihilo reputantur. Quippe qui magis appretiantur, optant ac reputant unam virtutem infusam gratum facientem, quam omnes mundi honores, opes, gloriationes et dignitates, de quibus dici potest illud Ecclesiastæ : (*Eccle.*) Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Nonne in prælationibus et principatibus plus est oneris quam honoris, plus inquietudinis quam quietis, et insuper periculum animarum immensum?

METRUM III

Quum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus
Flammis stella prementibus.

Quum nemus flatu Zephyri tepentis
Vernis irrubuit rosis,
Spiret insanum nebulosus Auster,
Jam spinis abeat decus.

Sæpe tranquillo radiat sereno
   Immotis mare fluctibus ;
Sæpe ferventes Aquilo procellas
   Verso concitat æquore.
Rara si constat sua forma mundo,
   Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
   Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
   Ut constet genitum nihil.

ARTICULUS X

EXPOSITIO METRI HUJUS TERTII.

IN hoc tertio hujus secundi voluminis metro Philosophia musice, id est metrice, canit quod in prosa præhabita rhetorice declaravit, videlicet omnia ista terrena instabilitati indesinentibusque variationibus esse subjecta. Quod etiam in cœlestibus aliquo modo sic esse ostendit, deinde in elementis, per similitudines rerum istarum. Nec est hic difficultas in littera, quantum ad sensum litteralem. In quo tangitur prima similitudo in cœlestibus corporibus, hoc est in sole et stellis. A

Quum Phœbus, id est sol, *cœperit polo,* id est ex orbe suo cœlesti, *spargere,* id est hinc inde diffundere, *lucem quadrigis roseis,* id est vehiculis rubicundis, quia diluculo seu aurora sol rubeus apparet ut rosa ; *stella,* utputa matutina, seu quælibet stella, *pallet hebetata,* id est offuscata pro parte lumine clariori, hoc est *flammis prementibus,* scilicet radiis solis prævalentibus : qui radii flammæ vocantur, non quod in se ignei æstimentur, sed quia ex forti repercussione ipsorum igneus calor generatur inferius. B

Denique sol metaphorice currum et equos habere fertur, juxta modum loquendi poeticum, sicut et terra dicitur fundamenta habere, juxta illud Job : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Itaque currus solis accipi potest pars sphæræ ejus vicinior ipsi soli, super quam et in qua residere atque procedere cogitatur, in quantum sine labore et fatigatione movetur, quemadmodum qui sedet in curru currente. Equi vero currus illius intelligi potest vis motiva exsistens in partibus sphæræ anterioribus. Quidam per equos hos intelligunt quatuor diversitates in quibus sol a terrigenis cernitur : quoniam in aurora videtur rubere, hora tertia pallere ; in meridie fervere, ad vesperam tepere videtur. Quadrigam quoque soli attribuunt propter quatuor diversitates anni, quæ varios accessus et recessus solis sequuntur : et de his dictum est libro primo, metro secundo. C

Job xxxviii, 4.

Cf. p. 46 C' et s., 54 D' et s.

Sequitur similitudo secunda. *Quum nemus,* id est rosetum seu frutex, *irrubuit,* id est, rubicundum fuerit, *rosis vernis,* id est splendidis, *flatu,* id est cooperante perflatione, *Zephyri,* id est venti occidentalis sic appellati, *tepentis,* id est modice calidi, *Auster,* id est ventus hujusmodi, *nebulosus,* id est nebularum adductivus, *spiret,* id est, si spiraverit seu flaverit, *insanum,* id est immoderate et acriter, *decus,* id est ornatus rosarum, *abeat jam,* id est, mox recedet, a *spinis,* id est a ligno spinoso in quo rosæ nascuntur. De ventis et eorum distinctione ac efficientia dictum est supra.

Cf. p. 54 A et s.

Sequitur similitudo tertia, in elemento aquæ, probans omnia materialia mutationi alicui esse subjecta. *Mare radiat sæpe,* id est, frequenter apparet in superficie cla-

rum, utpote diaphanum atque perspicuum A instar vitri, *tranquillo*, id est tempore tranquillitatis, *sereno*, id est puro a caligine nubium et vaporum obscurantium aerem et impedientium eum a receptione radiorum solis, ex quibus aqua maris splendidior redditur. Quod etiam fit *fluctibus* maris *immotis*, id est non concitatis ad motum impetuosum, quamvis jugiter

Is. LVII, 20. sint in motu, juxta illud in Isaia : Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Quod etiam ad influentiam lunæ stellarumque Pleiadum movetur et fluit B

Cf. p. 47 A. 69 C et s. ac refluit, ut supra dictum est plenius. *Aquilo*, id est ventus septentrionalis, *concitat sæpe procellas ferventes*, id est, impetuose erumpentes, ascendentes ac descendentes, *æquore verso*, id est ipso mari a tranquillitate ad tempestatem inquietudinemque mutato; vel « verso », id est ejecto ex fundo vi tempestatis.

Si (pro Quia) *mundo*, id est creaturis mundi inferioris, videlicet elementis et elementatis, *sua forma*, id est habitudo et species, *constat*, id est, constans est, seu C consistit et posita est, *rara*, id est instabilis et incerta, raroque diu durans (propter quod ad Corinthios scribit Apostolus:

I Cor. VII, 31. Præterit figura hujus mundi ; et juxta Philosophum, Omnia quæ sunt in tempore, tempore decidunt et tabescunt), *si* (pro Quia) mundus *variat tantas vices*, id est, tantas vicissitudines variationum ac motuum recipit ; *crede fortunis hominum caducis*. Istud ironice dicitur, ut sit sensus : Quum ita sit, merito credere non debes nec te ipsum committere « fortunis », id est fortunatis factis atque eventibus, « hominum caducis », id est transitoriis. *Crede*, id est, innitere et inhære, intelligendo ironice, *bonis fugacibus*, id est incessanter ad occasum tendentibus, ita quod recedunt et fugiunt a permanentia mundi et a duratione ac veritate proprii esse : ideo stultum est talibus inhærere. Propter quod sanctus ait Gregorius : Fugientem mundum sequimur, labenti inhæremus ; et quia labentem tenere non possumus, cum ipso cadimus quem tenemus.

Constat, id est, manifestum est, *legeque æterna positum est*, id est divinitus institutum ac lege increata seu divina providentia ordinatum, *ut nihil genitum*, id est nulla res mixta et generata de novo, *constet*, id est, firmiter duret incorruptibiliterque subsistat : imo, ut probat libro de Generatione Philosophus, omne generatum est corruptibile.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO SPIRITUALIS EJUSDEM METRI.

I Cor. I, 24. JUXTA mysticum intellectum, dum Sapientia Dei Patris, Christus Deus et homo, per incarnationis mysterium descendens in mundum, cœpit « spargere lumen » suum, id est, proprio ore prædicare et lumen suæ doctrinæ diffundere, miraculis coruscare, atque evangelicæ legis perfectionem exemplis verbisque tradere, « stella », id est lex Moysis, quæ se habet ad legem Christi sicut umbra ad lu- D cem et stella quæcumque ad solem sensibilem, cœpit pallere, id est imperfecta nec ad salutem sufficiens apparere. Unde ad Hebræos ait Apostolus : Nihil ad perfe- Hebr. VII, 19.
ctum adduxit lex ; ad Galatas quoque : Ex Galat. II, 16.
lege non justificatur homo. Nec poterant homines lege salvari, nisi per fidem Chri- Act. XIX.
sti venturi. Palluit ergo stella, id est lex, offuscatione legis majoris, « prementibus flammis », id est, superantibus eam Chri-

sti præceptis, inflammantibus evangelicis A
consiliis, fervidis documentis atque ignitis
charismatibus Spiritus Sancti. Unde in
Luc. xii, 49. Evangelio ait Salvator : Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accen-
Act. ii et s. datur? Istud demum in die sancto Pentecostes clarissime fuit impletum, quando gloriosi Apostoli suscepto Spiritu Sancto in igneis linguis, cœperunt spargere lumen gratiæ ac evangelicæ legis, imo et dare Spiritum Sanctum ac gratiam et virtutes in ecclesiasticis sacramentis, ita quod
toto orbe terrarum cœperunt esse tot tan- B
tique Sancti tam multiplici charismate Spiritus Sancti repleti, quod Sancti veteris Testamenti erant respectu eorum pauci : imo et respectu Apostolorum pallentes fuerunt, secundum quod ait Hieronymus, Apostolos omnibus illis secure præfero. — Potest quoque per stellam intelligi philosophorum doctrina, quæ comparatione solis, id est theologicæ veritatis, prorsus expalluit, in tantum ut Apostolus dixerit :
I Cor. i, 20. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hu-
jus mundi? C

Quum nemus flatu Zephyri tepentis, etc. Per nemus designatur Ecclesia, de
Is. xxxv, 1. qua ait Isaias propheta : Lætabitur deserta et invia. In quo nemore sunt tot arbores fertiles quot veri Christifideles. Unde di-
Ps. xcv, 12, 13. citur in Psalmo : Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quoniam venit. Nam et Christus de se ipso, tempore
Luc. xxiii, 31. passionis testatus est : Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hoc nemus rubuit innumerabilibus vernantissi-
mis « rosis » tempore primitivæ Eccle- D
siæ, et postmodum sæpe, id est personis sanctis, contemplativis, famosis, exempla-
II Cor. ii, 15, 14. ribus : quæ fuerunt bonus odor Christi in omni loco; atque adhuc de gratia Dei sunt aliqui tales, quamvis (heu !) admodum pauci. Rubuit, inquam, « flatu Zephyri tepentis », id est ex affluentia, inspiratione et motione Spiritus Sancti, de quo in Jo-
Joann. iii, 8. anne legitur : Spiritus ubi vult spirat. Qui in se ipso est infiniti supersuavissimique ardoris, sed radiando in cordibus nostris temperat nostræ capacitati vehementiam sui fulgoris, quemadmodum virtus Altis- Luc. i, 35.
simi obumbravit sacratissimæ Virgini. Verum, quum « nebulosus Auster », id est tentatio turbulenta, commotio passionum, adversitas quævis, spirant et prævalent in cordibus nostris, recedit « decus » charismatum Spiritus Sancti ab eis, et remanent spinæ amaritudinis et remorsus, aculei passionum, tumultus inordinatarum affectionum, ita quod animus inordinatus, sibi ipsi est gravis.

Sæpe tranquillo radiat sereno, etc. Per « mare » exprimitur sancta religio, in qua est saluberrima beatitudo contritionis, inundantia lacrimarum fidelium personarum deflentium abominationes et scelera domus Israel, id est Ecclesiæ. Unde et Salomon dixit : Melius est ire ad domum lu- Eccle. vii, 3.
ctus, quam ad domum convivii ; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Hoc mare, id est sancta religio, pulcherrime « radiat » tempore tranquillitatis internæ et observantiæ regularis, dum caritate prædominante ac fervente, claustra sunt paradisus Dei in terra, et habitatores sunt angeli. Quæ si defuerit, claustra sunt tartara habitatoresque dæmones, ut in Regula sua gloriosus scripsit Hieronymus. Et hoc agit Satan, videlicet « Aquilo » durissimus ventus, frigus vitiorum, gelu acediæ, causans « procellas ferventes », id est turbulentas murmurationes, rebelliones, concupiscentias ebullientes, loquacitates linguæ Jacob. iii, 6, 8.
inflammatæ a gehenna, plenæ veneno mortifero, ut dicit Jacobus. Quæ omnia regnant in locis religiosis in quibus observantia periit regularis. Absit ergo a te tale claustrum intrare, in quo non solum quotidie divina violantur præcepta, sed etiam vota solennia Altissimo facta.

Postremo, quum tam incerta et brevis sit forma et species, prosperitas et voluptas vitæ præsentis, et omne eufortunium ejus, contemnamus hæc omnia, quæ ad æternam trahunt calamitatem, atque in summo bono, invariabili, incomparabili et

immenso recollecta et fixa sit tota nostra intentio, tota affectio. Ad quod nos hortatur Apostolus prima ad Corinthios : Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est ; reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes. Hinc et S. Joannes in sua prima deprompsit Canonica : Mundus transit et concupiscentia ejus.

I Cor. VII, 29, 31. — I Joann. 17.

PROSA IV

TUM ego : Vera, inquam, commemoras, o virtutum omnium nutrix, nec infitiari possum prosperitatis meæ velocissimum cursum ; sed hoc est quod recolentem vehementius coquit : nam in omni adversitate fortunæ infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem.

— Sed quod tu, inquit, falsæ opinionis supplicium luis, id rebus jure imputare non possis : nam si te hoc inane nomen fortuitæ felicitatis movet, quam plurimis maximisque abundes, mecum reputes licet. Igitur si quod in omni fortunæ tuæ censu pretiosissimum possidebas, id tibi divinitus illæsum adhuc inviolatumque servatur, poterisne meliora quæque retinens, de infortunio jure causari? Atqui viget incolumis, illud pretiosissimum humani generis decus, Symmachus socer ; et (quod vitæ pretio non segnis emeres) vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, et ut omnes ejus dotes breviter includam, patri similis : vivit, inquam, tibique tantum, vitæ hujus exosa, spiritum servat ; quoque uno felicitatem minui tuam vel ipsa concesserim, tui desiderio lacrimis ac dolore tabescit. Quid dicam liberos consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni vel aviti specimen elucet ingenii? Quum igitur præcipua sit mortalibus vitæ cura retinendæ, o te, si tua bona cognoscas, felicem, cui suppetunt etiam nunc quæ vita nemo dubitat esse cariora! Quare sicca jam lacrimas : nondum est ad unum omnis exosa fortuna ; nec tibi nimium valida tempestas incubuit, quando tenaces hærent ancoræ, quæ nec præsentis solamen nec futuri spem temporis abesse patiantur.

— Et hæreant, inquam, precor : illis namque manentibus, utcumque se res habeant, enatabimus. Sed quantum decus ornamentis nostris decesserit, vides.

— Et illa : Promovimus, inquit, aliquantulum, si te nondum totius tuæ sortis piget. Sed delicias tuas ferre non possum, qui abesse aliquid tuæ beatitudini tam luctuosus atque anxius conqueraris. Quis est enim tam compositæ felicitatis ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum, et quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis ; hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus : ille utroque circumfluus, vitam cælibem deflet. Ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit

heredi; alius prole lætatus, filii filiæve delictis mœstus illacrimat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat : inest enim singulis quod inexpertus ignoret, et expertus exhorreat. Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est; et nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur : adeo perexigua sunt quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt. Quam multos esse conjectas qui sese cœlo proximos arbitrentur, si de fortunæ tuæ reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus, quem tu exsilium vocas, incolentibus patria est : adeo nihil est miserum, nisi quum putes; contraque beata sors omnis est æquanimitate tolerantis. Quis est ille tam felix, qui quum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen quominus (quum velit) abeat, retineri non possit. Liquet igitur quam sit mortalium rerum misera beatitudo, quæ nec apud æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur, o mortales, extra petitis intra vos positam felicitatem? Error vos inscitiaque confundit. Ostendam breviter tibi summæ cardinem felicitatis. Estne aliquid tibi te ipso pretiosius? Nihil, inquies. Igitur si tui compos fueris, possidebis quod nec tu amittere unquam velis, nec fortuna possit auferre. Atque ut agnoscas in his fortuitis rebus beatitudinem constare non posse, sic collige : Si beatitudo est summum naturæ bonum ratione degentis, nec illud est summum bonum, quod eripi ullo modo potest, quoniam præcellit id quod nequit auferri; manifestum est quod ad beatitudinem percipiendam fortunæ instabilitas adspirare non possit. Ad hæc, quem caduca ista felicitas vehit, vel scit eam, vel nescit esse mutabilem. Si nescit, quænam beata sors esse potest ignorantiæ cæcitate? Si scit, metuat necesse est ne amittat quod amitti posse non dubitat : quare continuus timor non sinit esse felicem. An vel si amiserit, negligendum putat? Sic quoque perexile bonum est, quod æquo animo feratur amissum. Et quoniam tu idem es cui persuasum atque insitum permultis demonstrationibus scio, mentes hominum nullo modo esse mortales, quumque clarum sit fortuitam felicitatem, corporis morte finiri; dubitari nequit, si hæc auferre beatitudinem potest, quin omne mortalium genus in miseriam mortis fine labatur. Quod si multos scimus beatitudinis fructum non morte solum, verum etiam doloribus suppliciisque quæsisse, quonam modo præsens vita facere beatos potest, quæ miseros transacta non efficit?

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS QUARTÆ.

In præcedenti prosa consolata est Philosophia Boetium, probando eum non esse penitus miserum, eo quod ante jam habuit tantæ prosperitatis exuberantiam, quod vix fuit similis ejus; hic ostendit, quod adhuc præsentialiter habet multa

bona præcipua, spiritualia et corporalia, A interiora et exteriora.

Tum, id est tunc, *ego* Boetius : *Vera, inquam, commemoras,* id est, dixi vera esse quæ dicis de instabilitate fortunæ, *o virtutum omnium nutrix,* id est, tu, Philosophia, quæ doces, conservas et perficis dispositive et cooperative omnes virtutes, præsertim naturales et acquisitas. Et hoc magis competit Philosophiæ quantum ad partem ejus ethicam seu moralem, ad quam spectat prudentia, cujus actus consistit discretio : quæ multum confert ad virtutes, prout istud circa exordium pri-
Cf. p. 73 D. mi libri fusius dictum est. *Nec infitiari possum prosperitatis meæ velocissimum cursum,* id est, negare non valeo « cursum prosperitatis meæ » præteritæ fuisse celerrimum, vel « cursum prosperitatis » aliquantulæ quam adhuc habeo, brevissimum esse : quemadmodum Job asserit,
Job. ix, 25-26. Dies mei velociores fuerunt cursore, pertransierunt quasi naves poma portantes.

Sed hoc est quod me *recolentem,* id est, præterita mea ad memoriam revocantem, *vehementius coquit,* id est, igne tribulationis exurit. *Nam in omni adversitate fortunæ,* id est, in omni diffortunio, *infelicissimum,* id est miserrimum, *genus est infortunii, fuisse felicem,* id est prosperitatibus abundantem. Nempe opposita juxta se posita, clarius innotescunt : ideo dejectus et miser effectus, pristinam suam prosperitatem rememorans, præsentem suam miseriam clarius deprehendit graviorenique sentit. Difficilius etiam est expertis carere deliciis, et consueta relinquere : hinc depauperatis et contemptis qui ante opulenti et honorati fuerunt, molestius est penuriam, injuriam, contumeliam pati. Diffortunia ergo continua vertuntur in habitum, et levius sustinentur quam interrupta, quum et laboriosum sit ad contraria assuefieri. Ideo Seneca dixit : Fortuna lætiores dimittit quos per prospera non adspexit, quam quos reliquit ; itemque : Tolerabilius est non acquirere bona, quam perdere acquisita. Hinc in Genesi legitur Rebecca dixisse, quum sentiret parvulos in utero suo collidi : Si sic mihi futurum Gen. xxv, 22.
erat, quid necesse fuit concipere? Et quarto Regum mulier Sunamitis fertur dixisse ad Eliseum, cujus meritis puerum procreavit, qui obiit : Numquid petivi filium IV Reg. iv, 28.
a domino meo? quasi diceret : Melius mihi esset in sterilitatis opprobrio permansisse, quam sic orbari filio nato. Ob hoc in Proverbiis suis Seneca loquitur : Excelsis multo facilius nocet fortuna seu casus.

Verum ad istud respondet Philosophia B consolando ac medicando : *Sed quid tu, inquit,* id est cur « tu », Boeti, *falsæ opinionis supplicium luis,* id est, cur te ipsum insipienter affligis, et « luis », id est toleras, « supplicium », id est tristitiam ac dolorem, quæ ex falsa oriuntur opinione, *quum id rebus jure imputare non possis?* id est, supplicium istud non potes rationabiliter imputare fortunæ eventibus tanquam causæ proximæ ac directe, quamvis sint occasio et materia ac causa tuæ afflictionis remota. Opinio vero erronea qua C putas propter exteriora damna atque incommoda esse dolendum, est causa hujus supplicii, quum revera in adversis talibus sit gaudendum ac Deo regratiandum, et ad minus æquanimiter sustinendum. Hinc subditur :

Nam si te hoc inane nomen fortuitæ felicitatis movet, id est, si res ipsa nomine designata, utputa fortuita felicitas, trahit te, ita ut appetas eam et de ejus amissione tristeris, *licet,* id est, licitum est, imo expediens, *reputes,* id est, quod disputes D et conferas, *mecum,* an recte movearis, *quum* abundes* adhuc *plurimis maximisque* bonis, puta ingenio, scientia et virtute. * quam

Igitur, id est, propter hæc dico, *si quid* in omni fortunæ tuæ censu pretiosissimum possidebas,* id est, quia ante istam adversitatem « possidebas quid », id est aliquid, « pretiosissimum », id est valde pretiosum, « in omni censu », id est thesauro, « fortunæ tuæ », id est eufortunii tui ; *id tibi divinitus,* id est a Deo, *illæ-* * quod

sum adhuc inviolatumque servatur. Poterisne meliora quæque retinens, de infortunio jure causari? id est, tu integre habens ac tenens præstantiora quæ unquam habuisti, non potes rationabiliter conqueri « de infortunio » tibi illato : quoniam interiora animæ bona nemo potuit tibi auferre, nec exteriora bona totaliter amisisti. Quod consequenter probat ex hoc quod Symmachus optimus vir fidelissimusque amicus, et propria conjux ac filii adhuc manserunt Boetio.

Atqui, id est pro certo, *viget incolumis, illud pretiosissimum humani generis decus,* id est persona illa egregia tantæ perfectionis quod totum genus humanum suo tempore vivens decoratur ex eo, secundum quod totum ornatur ex sua parte. Etenim, sicut multa membra sunt in uno supposito, sic multa supposita in una natura specifica. Propter quod dixit Porphyrius : Participatione speciei, plures homines sunt unus homo. *Symmachus socer,* id est pater tuæ uxoris; *et quod vitæ pretio non segnis emeres,* id est, « quod » decus, videlicet Symmachum, « emeres », id est redimeres, « non segnis », id est non tardus et piger ad hoc, sed promptus et alacer ex nimia dilectione ad eum, « pretio vitæ », id est propria vita corporali, ita quod te ipsum pro eo morti libenter exponeres, prout perfecta exigit caritas : nam hoc ordo exigit caritatis, ut homo plus diligat personam seu animam proximi sui, quam proprium corpus corporalemque vitam; quod autem quis malit in corpore mori, quam ut amicus suus corporaliter occidatur, ad perfectionem et cumulum dilectionis pertinere censetur.

Vir totus, id est perfectus et integer, vitiis non corruptus, *ex sapientia virtutibusque factus,* id est, tam excellenter virtuosus ac sapiens ac si compositus esset ex sapientia atque virtutibus, sicut componitur homo ex anima rationali et carne. Quod vel simpliciter ita fuit, vel per hyperbolen dictum est, ad insinuan-

A dum magnitudinem bonitatis et sapientiæ tanti viri. *Suarum securus, tuis ingemiscit injuriis,* id est, tibi in tuis injuriis intime condolet, « securus suarum », id est inter suas injurias constans et patiens, quas sibi infert Theodoricus tyrannus. Hæc enim ad fortitudinem animi et pietatem ac spiritualia misericordiæ opera pertinent, quum Salomon dicat, Justus quasi leo confidens, absque terrore erit; et in Ecclesiastico scriptum sit, Ne desis plorantibus in consolatione; B Apostolus quoque edoceat, Flere cum flentibus. *Prov.* xxviii, 1. *Eccli.* vii, 38. *Rom.* xii, 15.

Vivit uxor tua *ingenio modesta,* id est ex naturali indole moderata, *pudicitiæ pudore præcellens,* id est valde ornata pudore : quæ est laudabilis passio et verecundia bona, secundum Philosophum; estque timor dehonestationis, secundum Damascenum. Ex quo pudore oritur pudicitia, quæ est virtus. Qui pudor et pudicitia ad sexum femineum et ad adolescentes præcipue pertinent. Propter quod in Ecclesiastico C habetur : Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata et tacita. *Eccli.* xxvi, 19, 18. Quarto quoque Ethicorum ait Philosophus : Verecundia non convenit omni ætati, sed juvenili. Unde verecundiosos juvenes laudamus. Hinc super Cantica scribit B. Bernardus : Quid amabilius verecundo adolescente? Ecce quam pulchra et splendida morum gemma est verecundia in vultu et facie adolescentis, quoniam vera atque indubia bonæ spei est nuntia, bonæ indolis index, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, D propugnatrix puritatis, innatæ continentiæ gloria, famæ custos, decus vitæ, sedes virtutis, virtutum primitiæ, vera laus, et totius honestatis insigne. Concordat illud Senecæ : Nutriendus est pudor, quia quamdiu manet in juvene, aliquis manet bonæ spei locus; bonum in adolescente signum, quum illi rubor suffunditur. Porro modestia, ut Tullius loquitur, est modesti atque honesti habitus tenor. Quod Hugo plenius exprimens : Modestia, ait, est cultum et motum omnemque occupationem ultra de-

fectum et citra excessum componere. Unde dixit Poeta : (Horatius.)

> Est modus in rebus, sunt certi denique fines
> Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Et ut omnes dotes ejus breviter includam, id est, ut universas virtutes atque ingenitas inclinationes, inchoationes et aptitudines uxoris tuæ compendiose describam et perstringam, *patri similis* in perfectionibus animæ, utpote eminenter virtuosa, prudens, ingeniosa et docta : quæ Rusticiana vocata est.

Vivit, inquam, id est, ego Philosophia dico quod vivit, et nunc addo, *tibique tantum,* id est, solum vivit ad tuum qualecumque solatium, et magis intenta tibi per compassionem, quam sibi ipsi. *Vitæ hujus exosa,* id est, tædium habens vitæ præsentis, *spiritum servat* in corpore, quæ nondum animam exhalavit, et « spiritum servat », id est spiritualem vigorem : imo et spiritum Dei habet in se, qui eam horis congruis consolatur ac roborat. Observandum, quod in hoc libro, hoc verbum « inquam » communiter ponitur in persona Boetii, quemadmodum hoc verbum « inquit », in persona Philosophiæ. Tamen hoc loco, « inquam » ex nomine Philosophiæ profertur.

Quæ uxor tua *tabescit,* id est, debilitatur ac deficit, *dolore* cordis *ac lacrimis* oculorum ex dolore manantibus, *desiderio tui,* id est, ex affectu tuæ liberationis, atque ut te sanum et lætum denuo videat, *quo uno,* id est, ex qua causa præcipue, *vel ipsa,* id est ego ipsa Philosophia, saltem *concesserim minui felicitatem tuam,* id est temporalem tuam prosperitatem, quod scilicet tam carissimam contoralem rehabere non vales. De qua illud Proverbiorum dicere potes : Cerva carissima, gratissimus hinnulus. (Prov. v, 19.) Cujus afflictio auget tuum mœrorem : nam sicut dilectio ejus ad te facit eam compati tibi, ita caritas tua ad ipsam facit et te compati illi. Nempe ut in Evangelio loquitur Christus : Vir et mulier sunt una caro. (Matth. xix, 6.) Hinc inter A maritum et conjugem bene concordes est amicitia maxima. Omnis namque amicitia, juxta Philosophum in Ethicis et Politicis, in communicatione quadam fundatur. Propter quod secundum diversitatem communicationum, amicitiæ sunt diversæ. Quumque inter conjugatos sit communicatio maxima, constat quod et amicitia summa. Quam etiam communicationis illius voluptas in copula conjugali consistens, conservat et auget : quæ et inter bruta dulcem quamdam amicitiam parit, prout in B Summa contra gentiles S. Thomas fatetur. Verum, ut Theophrastus in libro de Nuptiis loquitur : Amicitia, quemadmodum et concordia illa, inter conjugatos valde est rara : imo multo frequentior inter eos est discordia, quæ gignit paulatim mirabile odium et tædiosissimam invicem vitam. Propter quod visum est Theophrasto, ut sanctus refert Hieronymus, quod sapienti non sit uxor ducenda. Inter Boetium vero et conjugem ejus fuit ex omni parte amicitia grandis, quum ambo fuerint vir- C tuosi atque benevoli : sicque, juxta doctrinam Apostoli ad Hebræos, fuit inter eos honorabile connubium et torus immaculatus. (Hebr. xiii, 4.) Nam et Seneca in Proverbiis suis teste, conjunctio benevoli animi est cognatio maxima. Hanc amicitiam et veram fidelitatem ostendit uxor Boetii ad eumdem in adversis, condolendo ei usque ad mortem. Unde et Socrates dixit, quod et Seneca scripsit : Prospera optime parant amicos, adversa certissime probant.

Hinc ostenditur, quod Boetio mansit ad- D huc quædam prosperitas in elegantibus filiis suis. *Quid dicam,* id est, qualiter præconizabo et commendabo, *liberos consulares,* id est consules Romanorum, *quorum specimen,* id est claritas, *ingenii vel paterni,* id est similis ingenio patris eorum Boetii, *vel aviti,* id est vel similis ingenio avi eorum, videlicet Symmachi, *jam elucet,* id est, forinsecus splendet per effectus et certa signa ingeniositatis eorum, *ut* elucere potest *in pueris id ætatis,* id est secundum eam juvenilem ætatem

quam habent, in qua tantæ sunt prudentiæ quasi jam senes essent et cuncta experti, juxta illud Job : In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia? (*Job* xii, 12.) Hoc igitur in natis Boetii fuit speciale, qui ex naturali industria ex paucis consideraverunt quamplura. Communiter autem est verum quod sexto dicitur Ethicorum : Juvenes non sunt prudentes, quoniam experientia ad prudentiam exigitur, experientia vero exigit tempus.

Ex his infert Philosophia, Boetium nondum omnino infelicem fuisse. *Quum igitur præcipua sit mortalibus vitæ cura retinendæ,* id est, homines adhuc mortales præcipuam curam habent qualiter maneant vivi. Esse namque et vivere naturaliter appetuntur, sicut et mors naturaliter abhorretur : imo, secundum Philosophum, omnium terribilium terribilissimum est mors. Qualiter etiam ipsum esse naturali quadam vi jucundum sit, Augustinus pulchre declarat undecimo libro de Civitate Dei, capitulo vicesimo septimo. Atque in homilia disseruit : Inter omnes sæculi hujus labores et curas, non quærunt homines nisi ut diu vivant. Ipsum autem diu vivere quid est, nisi ad mortem currere? Quotidie in sæculo isto quæruntur dies boni, ubi non inveniuntur; et nemo vult sic vivere ut illuc perveniat ubi inveniuntur. Denique, etiam irrationabilibus naturalis cura est vitæ servandæ. Propter quod necessaria victui quærunt, corruptivis resistunt; et ut ait Philosophus, naturaliter appetunt sibi similia generare, quatenus esse perpetuum quod in se ipsis sortiri non valent, in succedentibus sibi participent. Propterea vis generativa est eis collata.

O te, si tua bona cognoscas, felicem! id est, ego Philosophia te Boetium dico adhuc felicem esse felicitate civili, saltem quodam modo, si personaliter penses quanta bona nuncusque tibi remaneant, *cui suppetunt,* id est, in promptu sunt, *etiam nunc quæ vita nemo dubitat esse cariora,* videlicet amici carissimi, Symmachus socer tuus, uxor tua probissima, et filii elegantes, pro quorum conservatione te ipsum exponeres morti, sicut expositum est. (*Cf.* p. 203 C.)

Quare sicca jam lacrimas, id est, oculos tuos terge a lacrimis immoderatis quæ ex dolore fluunt inordinato. *Nondum est ad unum omnis fortuna exosa,* id est, tota « fortuna » tua seu effectus tuus fortuitus, non « est ad unum », hoc est totaliter, tibi adversans. *Nec tibi nimium valida tempestas incubuit,* id est, fortis et impetuosa adversitas nondum super te irruit sine moderamine discretionis seu ultra vires, quia non abstulit tibi omnia ad prosperitatem spectantia, quemadmodum multis qui simul per pestem aut gladium perdunt uxorem, proles, amicos, et vulnerantur ac captivantur, *quando tenaces hærent ancoræ,* id est, certa et firma refugia remanent tibi, ut filii et amici, qui quantum in ipsis est, parati sunt te juvare et de adversitatum tempestate eruere, sicut per ancoras navis salvatur a submersione, *quæ nec præsentis solamen nec futuri spem temporis abesse patiantur,* id est, ancoræ istæ non patiuntur tibi deesse consolationem « præsentis » temporis, id est adversitatum quas modo habes et sustines, « nec spem futuri temporis », id est, fiduciam tibi præbent evadendi in posterum mala inflicta aut infligenda : quia probabile est, quod filii et amici Boetii pro ejus liberatione assidue laborabant omni modo quo rationabiliter poterant.

Sequitur responsio Boetii ad hæc.

Et hæreant, inquam, precor, id est, ego Boetius rogo ut ancoræ illæ « hæreant », id est, amici et filii mei stabiliter pro me laborent, sicut spectat ad caritatem non cessare a bono incepto, juxta illud Canticorum : Fortis est ut mors dilectio, dura sicut inferus æmulatio. (*Cant.* viii, 6.) Unde Cassiodorus protestatur : Qui vere amicus est, omni tempore diligit : tormentum non separat, (*Prov.* xvii, 17.) labor non lassat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. Petrus quoque Ravennensis præsul disseruit : Nil durum, nil amarum, nil grave, nil letale computat

amor verus : quod ferrum, quæ vulnera, A quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent superare perfectum? *Illis namque manentibus* in vita, fidelitate et amicitia, *utcumque se res habeant, enatabimus,* id est, procellas hujus adversitatis evademus, vel enatare sperabimus, qualitercumque « res » fortuitæ « se habeant ». Hoc ex bona spe Boetius protulit : aliter tamen evenit. Loquitur quoque metaphorice de evasione sub nomine enatationis, quia hoc sæculum præsensque vita ac tribulatio quælibet dura nomine maris ex- B primitur, juxta illud in Threnis : Magna est velut mare contritio tua.

Thren. II, 13.

Sed quantum decus ornamentis nostris decesserit, vides, id est, tu, o Philosophia, quantumcumque me consoleris, attamen cernis quam magnum « decus », expolitio, candor et gloria ablata sint a vestibus nostris, habitaculis, tegumentis : quia nunc carceralibus et vilibus vestibus utimur, qui pretiosis ac splendidis consuevimus uti. Hoc dicit Boetius in persona infirmi, quia de vestibus corporis parum aut nihil C curandum est sapienti an sint deformes, dummodo per hoc vestes opesque animæ non deturpentur nec pejorentur, id est virtutes et actus earum. Unde primo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Fides et pietas interiorisque hominis bona, opes sunt Christianorum. Nam et Christus effatur : Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Matth. XI, 8.

— *Et illa,* scilicet Philosophia : *Promovimus, inquit, aliquantulum,* id est, parumper profecimus, *si te nondum totius* D *sortis tuæ piget,* id est, si adhuc non habes tædium de toto tuo eventu fortuito, ita quod non totus displicet tibi, sed eum esse moderatum fateris, ita quod non es prorsus mente dejectus ex ipso, quia non putas te totaliter miserum, sicut senseras ante. *Sed delicias tuas ferre non possum,* id est, ex caritate et rationis judicio reprobo quod adhuc tam delicatus et mollis es corde, *qui abesse aliquid tuæ beatitudini tam luctuosus atque anxius conquueraris,* id est, qui non erubescis conqueri, objicere et causari, quod aliquid deest tuæ prosperitati civili et felicitati politicæ, utputa vestium decus, « tam luctuosus atque anxius », id est, ita quod conquerendo hoc, es lacrimis plenus, tristis et territus, quum deberes hæc omnia æquanimiter ac gaudiose perferre, sicut frequenter probatum est. Nempe in libro hoc, idem sensus frequenter repetitur sub aliis et aliis verbis, secundum quod moris est afflictis et tristibus idem sæpius iterare, secundum variam innovationem, tactum ac impulsionem sui mœroris : idcirco in talibus locis non oportet morari.

Cf. p. 162 C, 176 A', 193 A et s.

Quis est enim tam compositæ felicitatis, id est, quis hominum in hac vita habet felicitatem aut prosperitatem tam magnam, ordinatam ac adunatam, *ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur,* id est, non conqueratur aliquid sibi deesse, et ita « non ex aliqua parte » contendat contra statum suum in vita hac, asserendo se adhuc in multis deficere, præsertim quum peccet, saltem venialiter, valde frequenter, et in naturalibus atque gratuitis defectuosus exsistat? *Anxia enim res est,* id est formidolosa, incerta, instabilis, *humanorum conditio bonorum,* id est proprietas et eventus temporalium rerum ac fortuitorum effectuum in divitiis, honoribus, nobilitatibus, deliciis, favoribus, amicitiis, et consimilibus : ideo de eorum recessu non est excessive dolendum, nec de eorum accessu incaute lætandum ; *et quæ* « res » seu « conditio » *vel nunquam tota proveniat,* id est, nullo tempore contingat alicui homini « tota » simul, id est totaliter et perfecte, *vel nunquam perpetua subsistat,* id est, in nullo stabiliter perseveret : ad minus enim morte in unoquoque mortali finitur. Istud sæpissime jam dictum est.

Cf. p. 162 A', 178 C, 193 D, 198 C et s.

Huic, videlicet opulento, *census exuberat,* id est, pecunia abundat, *sed est sibi pudori degener sanguis,* id est, de sua ignobilitate erubescit, defectum natalium patiens. *Hunc,* id est alium quempiam,

nobilitas notum facit, id est famosum. Est A
autem nobilitas, juxta Philosophum in
Politicis, opulentia antiquata. *Sed angustia,* id est modicitate, *rei familiaris,* id
est domesticarum opum necessariorumque
vitæ ac usui domus, *inclusus,* id est comprehensus, *mallet esse ignotus,* quia de sua
erubescit inopia : prout Josephus recitat
Act. xii, 1, 2. de Herode qui Jacobum decollavit, quod
quodam tempore ad tantam fuit devolutus
pauperiem, quod se ipsum reclusit, ut fame interiret ibidem. *Ille utroque circumfluus,* id est alius nobilitate divitiisque B
abundans, *vitam cœlibem deflet,* id est,
plangit quod uxorem non habet nec prolem, aut quod conjugio non est aptus præ
frigiditate, senio aut castratione. Unde in
Eccli. xxx. 21. Ecclesiastico fertur : Spado complectens
virginem, et suspirans.

Ille nuptiis felix, id est conjugii prosperitatem sortitus, *orbus,* id est carens,
liberis, id est filiis, *alieno censum nutrit
heredi,* id est, extraneo reponit et congre-
Eccle. vi, 2. gat opes : juxta illud Ecclesiastæ, Homo
extraneus vorabit eas; atque in Psalmo, C
Ps. xxxviii, 7. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.
Eccle. ii, 18-21; iv, 8; vi, 2. De qua abusione Salomon in Ecclesiaste
tractat diffusius. *Alius prole lætatus,* id
est gavisus quod genuit prolem, *filii filiæve delictis mœstus illacrimat,* id est,
tristis de excessibus sobolis suæ, deplorat
eorum peccata, et pœnas quas incidunt.
Quod potissime solet evenire parentibus
qui prolem suam in pueritia non domant,
sed potius ludunt cum ea. Propter quod
Eccli. xxx, 9, 10. in Ecclesiastico dicitur : Lacta filium
tuum, et paventem te faciet; lude cum eo, D
et contristabit te : non corrideas illi, ne
doleas.

*Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ
conditione concordat,* id est, vix aliquis
complacentiam habet in omnibus quæ fortuite accidunt : nam casus hujusmodi innumeri sunt, ut secundo dicitur Physicorum. *Inest enim singulis* hominibus, vel
« singulis » fortunis quorumlibet effectibusque fortuitis, *quod inexpertus ignoret,*
id est, nesciat quid lateat in illis de commodo aut incommodo : ideo potest faciliter displicentia in eisdem haberi; *et
expertus exhorreat,* id est, incidere vereatur. Hinc in Proverbiis legitur : Sa- *Prov.* xiv, 16.
piens timet, et declinat a malo; stultus
transilit, et confidit. Ecclesiasticus quoque
inducit : Vir in multis expertus, cogitabit *Eccli.* xxxiv, 9, 10.
multa; qui non est expertus, pauca recognoscit.

Consequenter probat alia ratione, quod
nullus in omnibus concordat cum sua fortuna, quia fortunatissimi solent celerius
atque frequentius perturbari. *Adde* rationibus et motivis præhabitis, *quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est,*
id est, quod sensus eorum qui eufortuniis
magis abundant, sunt magis assueti deliciis; *et nisi ad nutum cuncta suppetant,*
id est, nisi omnia eis eveniant juxta desideria sua, *omnis adversitatis insolens,*
id est fortunatissimus seu delicatissimus
eorum sensus ad cuncta adversa insuetus
atque impatiens, *minimis quibusque prosternitur,* id est, per minima diffortunia
seu adversa provocatur ac labitur : ut patuit in Roboam filio Salomonis, in deliciis
enutrito, qui propter modica verba populi III *Reg.* xii, 3 et seq.
sui exacerbatus, durissime respondit; propter quod decem tribus Israel recesserunt
ab ejus imperio, ut legitur tertio libro
Regum. Porro David adversitatibus assuetus et multa perpessus, etiam gravissimas
contumelias patientissime tulit, dicente
ad eum Semei viro nequissimo, imo et II *Reg.* xvi, 5 et seq.
lapides contra eum projiciente : Egredere,
egredere, vir sanguinum et vir Belial. Unde in libro Proverbiorum scribitur : Im- *Prov.* xiv, 17.
patiens operabitur stultitiam.

Adeo perexigua sunt, id est, tam vehementer sunt parva, *quæ fortunatissimis
beatitudinis summam detrahunt,* id est,
prosperitatis et sufficientiæ copiam et plenitudinem auferunt, dum tam faciliter miseri fiunt peccando, brutisque similes,
quoniam ira in sinu stulti requiescit. De *Eccle.* vii, 10.
his paulo ante assignatæ sunt causæ. Hinc *Cf.* p. 165 c.
in Proverbiis suis Seneca loquitur : Fortuna stultum facit quem nimium fovet; et

denuo, Gravius nocet quod improvise contingit: itemque, Prosperitas iracundiam nutrit. Hoc est quod rursus testatur: Nihil plus efficit homines iracundos, quam educatio mollis et blanda. Ideo optimum saluberrimumque consistit, assidue sustinere adversa, corpus dure tractare, omnem animositatem in se ipso prorsus constringere.

Consequenter Philosophia Boetium ad patientiam exhortatur ex consideratione eorum qui ejusdem secum naturæ sunt, ut considerando parem naturam, non nimis anhelet ad disparem qualitatem.

Quam multos esse conjectas (id est, si rite perpendis, potes probabiliter conjicere et putare plurimos esse) *qui sese cœlo proximos arbitrentur,* id est, quasi in paradiso se esse putent sive putarent, valdeque fortunatos, *si de fortunæ tuæ reliquiis pars minima eis contingat,* id est, si valde parum eis accideret aut inesset de bonis fortunæ quæ adhuc aliqualiter tibi adsunt aut competunt, quamvis conquestus sis sæpe, ea tibi ablata esse? Multi enim fuerunt tunc qui se fortunatos valde judicassent, si habuissent unum filium consulem Romanorum, aut uxorem tam virtuosam, prudentem ac nobilem ut erat uxor Boetii, aut tantam scientiam sicut ipse, vel tot ac tantos amicos, etc.

Hic ipse locus, quem tu exsilium vocas, incolentibus, id est oriundis ex eo et commorantibus in eodem, *patria est.* Si hoc intelligatur de Ravenna aut alia urbe ad quam Boetius primo fuit missus et relegatus antequam fuit incarceratus, difficultatem non habet; si autem de carcere ipso, dici potest quod aliqui erant gravius eo incarcerati.

Adeo nihil est miserum, nisi quum putes, id est, in tantum vera sunt quæ dixi, ut nihil sit infortunatum ac miserum tibi, « nisi quum putes », hoc est, nisi in quantum apprehenderis illud sub ratione contrarii seu nocivi : sic enim inducit tibi tristitiam, et imaginaris id tibi molestum. Quod intelligendum est de rebus positivis, seu malis pœnæ; non de malis culpæ, quæ in se et ex se sunt prava ac misera formaliter, et item efficienter, prout Salomon in libro ait Proverbiorum : Miseros facit populos peccatum. Itaque mala culpæ sunt misera, non quia putantur mala, sed quia ex sua natura sunt talia. Imo, non fiunt nec appetuntur, nisi in quantum bona videntur, quum objectum appetitus sit bonum. Propter quod divinus Dionysius protestatur : Nemo ad malum respiciens operatur. Et teste Philosopho, Omnis peccans, est ignarus. Etenim, quamvis bene judicet in communi, non tamen in particulari. Quod etiam verificatur de eo qui peccat ex certa scientia. Hinc in Proverbiis scriptum est : Via stulti recta in oculis ejus. Quod ne de solis stolidis usu rationis carentibus dictum putetur, Salomon rursus eodem asserit libro : Omnis via viri recta sibi videtur.

Prov. XIV, 34. — De Divin. nom. c. IV. — *Prov.* XII, 15. — *Ibid.* XXI, 2.

Contraque, id est econverso, *beata sors omnis est,* id est, omnis fortuna seu omnis eventus fortuitus, vel omnis adversitas, felix est, vel ad felicitatem disponens, ducens, cooperans, *æquanimitate tolerantis,* id est, si patienter et æquanimiter toleretur. Sic enim electis Dei, teste Apostolo ad Romanos, omnia cooperantur in bonum. Atque ut ait Philosophus : Circa adversa, dura et aspera, versatur patientia; et circa mortis pericula, fortitudo : ut in omnibus illis simus constantes, nec passionibus iræ, tristitiæ, vitio impatientiæ, effeminata formidine obruamur. Hoc Socrates, Plato, Pythagoras, et alii meliores philosophi, verbis et factis diligenter edocuerunt. Unde et Seneca libro de Clementia fassus est : Magni animi proprium est, in cunctis placidum et tranquillum consistere, injurias et offensas vilipendere, id est non curare; muliebris vero animi est, litigare, ac iræ suæ gerere morem.

Rom. VIII, 28.

Præterea consonat his quod Tullius libro de Tusculanis quæstionibus scribit : Nec felicitas nec miseria est in hoc mundo, nisi ex hominum opinione, id est, nisi concurrente felicium et miserorum judi-

cio. Sic ergo fortuna prospera, felix est homini per sapientiam ne infletur, fortuna vero adversa, per patientiam ne tristetur : imo in utraque Deo regratietur.

Impatientem vero affirmat Philosophia infelicem esse, subdendo : *Quis est ille tam felix,* id est tam prosper, *qui quum dederit impatientiæ manus,* id est, ab impatientia se vinci permiserit, *statum suum mutare non optet,* id est ad meliorem ac prosperiorem fortunam pertingere, in qua non patiatur adversa et tristia? Per quod se infelicem ac indigentem fatetur. Impatiens demum dat « impatientiæ manus » suas, id est rationem et voluntatem, quas perversissime subjicit sensualitati ac motibus ejus, sicut victus dat manum victori : et hæc est vilissima servitus, subjectio vitiorum. Quocontra hortatur Apostolus ad Romanos : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. *Rom.* XII, 21.

Deinde declarat Philosophia humanæ prosperitatis contemptibilitatem propter contrariorum permixtionem. *Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est!* Quamvis enim interdum quis ad aliquantulum tempus in delectationibus sine actuali et perceptibili adversitate, afflictione, calamitate, versetur, non tamen durat hoc diu. Imo sæculi amatores, reges et principes omnes carnales et vitiosi, qui passionibus suis subjecti sunt, innumerabiles patiuntur inordinationes, suspiciones, timores, tristitias, punctiones, invidias. Similiter qui politica gaudent felicitate, variis curis, inquietudinibus, pœnis afficiuntur. Qui autem contemplativa felicitate lætantur, quamvis delectationi quæ est in considerando et contemplando, non sit tristitia contraria vel admixta, tamen subjectum contemplationis istius, videlicet homo seu mens humana, ex suis distractionibus, defectuositatibus et quotidianis peccatis, et propter proximorum excessus atque innumerabilia mundi mala, frequenter et quasi assidue cruciatur : similiter desiderio majoris profectus, præsertim futuræ beatitudinis. Hinc libro Confessionum loquitur Augustinus : Tu, Domine, malis suavitatibus meis tot et tantas amaritudines miscuisti, ut ipsæ suavitates meæ mihi in horrorem ac tædium verterentur. De his in Ecclesiaste multa dicuntur : ut est illud, In multa sapientia, multa est indignatio, et qui addit scientiam, addit et dolorem; et iterum : Risum reputavi errorem; et gaudio dixi, Quid frustra deciperis? Et rursus : Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Hinc impii, qui in desideriis et voluptatibus ambulant, in libro Sapientiæ fatentur : Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. *Quæ* felicitas seu dulcedo *si etiam fruenti,* id est eam habenti, *jucunda esse videatur, tamen non possit retineri* a fruente *quominus,* id est quin æque bene, *abeat,* id est, cesset adesse fruenti et possidenti, *quum velit,* id est, dum natura seu proprietas ipsius fortunæ illud exegerit. Ideo non est nimis appretianda aut reputanda. *Eccle.* I, 18. *Ibid.* II, 2. *Ibid.* 23. *Sap.* V, 7.

Liquet igitur quam sit mortalium rerum misera beatitudo, id est, constat ex his, quod « beatitudo mortalium rerum », videlicet hominum, seu humanarum et variabilium rerum, in quibus versatur fortuna, « sit misera » valde, id est multis miseriis mixta, utputa malis culpæ et pœnæ; *quæ nec apud æquanimos,* id est constantes et stabiles, qui inter prospera et adversa permanent in medio virtutum, *perpetua perdurat,* quia ad minus finitur in morte (ideo futuræ vitæ felicitas summe est appetenda, quæ perpetuam habet securitatem sibi annexam); *nec anxios tota delectat,* id est, inconstantes, impatientes, et circa fortuita immoderate sollicitos, non « tota » simul « delectat », quia nulli simul totaliter adest, sed uni in isto, alteri in alio; vel non « tota delectat » illos, quoniam in prosperis tantummodo ipsos delectat, non in adversis, in quibus non norunt gaudere.

Ex horum consideratione Philosophia exclamat et admonet :

Quid igitur, o mortales, extra vos *petitis intra vos positam felicitatem ?* id est, o homines, cur quæritis beatitudinem veram in exterioribus rebus, in divitiis, deliciis, honoribus sæculi hujus, quæ tamen in interioribus actibus intellectus ac voluntatis consistit, hoc est in contemplatione et delectatione primæ veritatis summæque bonitatis, quemadmodum decimo Ethicorum ait Philosophus, quod sit perpetua speculatio optimi speculabilis ? Quæ beatitudo etiam intra nos est, quia quum simus liberi arbitrii, possumus eam mereri ac adipisci, præsupposito auxilio gratiæ Dei, quæ nulli quod in se est agenti negatur. Juxta quem sensum possumus Dei præcepta implere. Unde et Christus in Evangelio loquitur : Regnum Dei intra vos est. (*Luc.* XVII, 21.)

Error vos inscitiaque confundit, id est, « error » quo male sentitis de vobis ipsis, vel « error » in operando, et « inscitia » in discernendo, et ignorantia veræ felicitatis, deordinat vos, ita quod non refertis vos ipsos et omnia vestra ad id quod vere est ultimus finis vester : quod est beatifica visio Dei, quæ est ultimus finis vester formalis, videlicet actio menti vestræ inhærens, et ipsemet Deus, qui est finis objectalis, ut dictum est supra. (*Cf.* p. 143 A.)

Ostendam breviter tibi Boetio, et sub nomine tuo unicuique studioso, *summæ cardinem felicitatis,* id est introitum et accessum ad beatitudinem plenam. *Estne aliquid tibi te ipso pretiosius ?* id est, utrum de rebus et bonis ad te pertinentibus sit aliquid quod melius et præstantius putes te ipso, aut quod plus diligas quam te ? *Nihil, inquies,* id est, respondebis quod nihil. Homo enim post Deum potissime amat se ipsum : quod et ordo exigit caritatis, quum dicat Salvator, Quid proficit homo, si universum mundum lucretur, perdat autem se ipsum ? (*Luc.* IX, 25.) Essentialia quoque principia et causæ intrinsecæ hominis, videlicet anima et corpus, non sunt homine digniora : imo totum est dignius qualibet sua parte. Unde et Paulus in Actibus ait : Non facio animam meam pretiosiorem quam me. (*Act.* XX, 24.)

Igitur si tui compos fueris, id est, expeditus in usu rationis, et in virtutibus stabilis, ita quod dominaris per rationem inferioribus viribus et actibus tuis, nec a sensualitate, passionibus et vitiis superaris, juxta illud in Genesi, Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius ; (*Gen.* IV, 7.) *possidebis quod nec tu amittere unquam velis,* id est bona animæ, quæ sunt gratia, sapientia, scientia, dona, virtutes ac merita vitæ æternæ, quæ nemo vult perdere formaliter et directe, sed interpretative et æquivalenter, ut qui recidivant et sponte peccant mortaliter : quemadmodum pergens ad forum tempore pluviæ ut aliquid emat, vult complui ; *nec fortuna possit auferre* te invito : quoniam ista non amittuntur, nisi præcedente consensu peccati. Itaque compos sui non est, qui instar furiosi, passionibus iræ, impatientiæ, concupiscentiæ agitatur. Ideo tales in Scripturis stulti vocantur, juxta illud Job : Stultum interficit iracundia. (*Job* V, 2.) Et in Proverbiis dicitur : Impatiens operabitur stultitiam. (*Prov.* XIV, 17.) Qui autem se ipsum ratione compescit atque gubernat, compos est sui, ac alios regere aptus est, juxta illud Senecæ : Multos regere poteris, si te rexerit ratio. Nam et divinus Dionysius dixit : Optimum hominis est esse secundum rationem. (De Divin. nom. c. IV.)

Atque ut agnoscas in his fortuitis rebus, id est exterioribus bonis fortunæ subjectis, quorum fortuna potest esse causa per accidens, *beatitudinem constare,* id est esse, *non posse, sic collige,* id est, ex his præmissis conclude : *Si* (pro Quia) *beatitudo est summum bonum naturæ ratione degentis,* id est rationalis creaturæ, quæ ratione viget. Est etenim beatitudo ista formalis, optima operatio potentiæ optimæ, utpute contemplatio altissimæ veritatis, ut loquitur Christus ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. (*Joann.* XVII, 3.) *Nec illud est summum bonum,*

quod eripi ullo modo potest, id est, quod A potest violenter auferri : quod probatum est supra ; *quoniam præcellit id quod nequit auferri,* id est, bonum illud quod non potest auferri invito, est præstantius bono fortuito, quod invito potest auferri. Vel sic : « quoniam præcellit id », id est, summum bonum seu beatitudo est quid altius quam bonum virtutis moralis, quia consistit in actu virtutis intellectualis, videlicet sapientiæ ; et tamen virtus moralis nequit violentia tolli : ergo minus beatitudo. *Manifestum est quod ad beatitudinem percipiendam fortunæ instabilitas,* id est fortuna instabilis, *adspirare non possit,* id est, attingere nequit. Beatitudo quippe adipisci non potest nisi ex deliberatione, intentione, proposito, et ex causis per se : fortuna vero causa est per accidens, et respicit ea quæ vi possunt auferri.

Cf. p. 209 C'.

Istud consequenter probat alia ratione, quæ et superius tacta est. *Ad hæc, quem ista caduca felicitas vehit,* id est, temporalis prosperitas exaltat, *vel scit eam, vel* C *nescit esse mutabilem* (per locum a divisione), id est, aut scit quod possit debeatque amitti saltem in morte, aut nescit. *Si nescit,* non est beatus, quum sit ita ignarus : ideo subditur, *quænam beata sors,* id est felix remuneratio, *esse potest ignorantiæ cæcitate,* id est in tanta excæcatione atque insipientia ? quasi dicat : Nulla, quum ad beatitudinem præcipue spectet clara cognitio miseriam insipientiæ et erroris excludens. *Si scit* felicitatem illam posse auferri, *metuat necesse est,* id D est, necessario sequitur quod timebit, *ne amittat quod amitti posse non dubitat,* id est felicitatem illam caducam, quam certe noscit se perdere posse perditurumque esse. *Quare continuus timor* de illa amissione *non sinit* eum *esse felicem.*

Cf. p. 162 C', etc.

An vel si amiserit, negligendum putat? id est, utrum putat non esse curandum, quod eam perdiderit? *Sic quoque perexile bonum est,* id est, ex hoc consequens est, quod felicitas ista sit bonum valde parvum, *quod æquo animo feratur amissum,* id est, de cujus amissione anima non turbatur, nec contristatur. Vel sic : « An vel si amiserit, negligendum putat? » id est, utrum tradet oblivioni, dum beatitudinem illam perdiderit ? Secundum quod Plato dixit, animas de comparibus stellis immissas corporibus, protinus oblivisci felicitatis præhabitæ et amissæ. Verum huic expositioni non consonat clausula sequens exposita. Præterea advertendum, quod hac argumentatione usus est diu ante Boetium B Augustinus in pluribus locis, contra quosdam hæreticos insipientissime ac prorsus stultissime asserentes in regno cœlesti esse ruinam et lapsum ad corpora ista mortalia. Fuitque error iste Platonis, ut super Joannem recitat Augustinus. Quem nihilo minus errorem refutavit et reprobavit Porphyrius, in hoc a Platone recedens. De ratione autem veræ beatitudinis est perfecta securitas, infastidibilitas, immobilisque stabilitio in beatificante objecto, prout Guillelmus Parisiensis in libro de Universo diffuse demonstrat.

Consequenter Philosophia probat istud apertissime sequi eis qui tenent animam hominis immortalem. *Et quoniam tu idem es cui scio persuasum,* id est probabiliter declaratum esse, *atque insitum,* id est firmiter inculcatum, *permultis,* id est valde multis, *demonstrationibus,* id est rationibus demonstrativis necessario concludentibus, *mentes hominum,* id est spiritus rationales, *nullo modo esse mortales* morte naturæ, ita quod desinant esse, corpore moriente ; *quumque clarum sit fortuitam felicitatem,* id est temporalem prosperitatem atque politicam beatitudinem, *corporis morte finiri : dubitari nequit,* id est, nemo rationabiliter ambigere potest, *si* (pro quia) *hæc* fortuita felicitas *beatitudinem auferre potest,* id est veram et æternam felicitatem impedire ac tollere, per hoc quod in morte finitur, et anima una cum corpore moritur, *quin omne mortalium genus,* id est mortales homines universi, *in miseriam mortis fine labatur,* id

est, in totius felicitatis privationem et in A non esse corruant in ipso termino vitæ, qui est mors, seu in termino mortis formaliter, id est, per hoc quod moriuntur morte, quæ est privatio totius vitæ beatæ. Denique triplex est mors. Prima est mors naturæ. Secunda, mors culpæ, de qua Apo-
I *Tim.* v, 6. stolus dixit : Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est. Tertia est mors infernalis et æternalis miseriæ, quæ est mors
Ps. xxxiii, 22. pessima, juxta illud in Psalmo : Mors peccatorum pessima.

Amplius, ad idem subditur ratio alia. B *Quod si* (pro Quia) *multos scimus, beatitudinis fructum,* id est beatificam fruitionem, *non morte solum,* id est non solum moriendo pro Deo atque justitia, *verum etiam doloribus* animæ *suppliciisque* corporis *quæsisse,* id est expetisse ac promeruisse, æquanimiter tolerando tormenta acerrima corporalia, variosque cruciatus compunctionum, compassionum, tristitiarum, sollicitudinum, anxietatum in anima,
II *Cor.* vii, 5. sicut ait Apostolus : Foris pugnæ, intus timores. De quibus malis pœnalibus rur- C
Hebr. xi, 36, 37. sus legitur ad Hebræos : Alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. *Quonam modo præsens vita facere potest beatos* (id est, non utique dici rationabiliter valet, quod homo in hac vita veram et plenam beatitudinem consequatur), *quæ miseros transacta non efficit,* id est, « quæ » vita præsens, seu ejus fortunata prosperitas, « transacta », id est præterita et elapsa, « non efficit miseros » eos qui vitam hanc finiverunt? tanquam dicat : Si vita hæc, seu ejus prosperitas, constitueret hominem beatum, sequeretur quod ejus amissio redderet hominem miserum : quod verum non est, quum tot millia martyrum mortem pertulerint, ut post vitam præsentem efficerentur beati.

Porro hoc argumentum videtur theologicum magis quam philosophicum, quum sit fundatum in fide, qua credimus martyres sanctos in hoc ipso non esse deceptos : quod nihilo minus efficaciter multipliciterque probatur, quamvis hic probationes illæ non inducantur. Verum S. Gregorius tangit eas, sic arguendo in homilia : Ad sanctorum martyrum tumbam consistimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem dedissent, nisi eis certissime constitisset esse aliam vitam pro qua mori debuerunt? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad exstincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt, et curantur ; dæmoniaci veniunt, et liberantur ; perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur. Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic ubi mortui sunt? Hujuscemodi etiam argumento Apostolus utitur prima ad Corinthios, loquens : Si I *Cor.* xv, 13-15, 18.
resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit ; si autem Christus non resurrexit, inanis est nostra prædicatio, inanis est et fides vestra : invenimur autem et falsi testes Dei. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO SPIRITUALIS ET MYSTICA PROSÆ EJUSDEM.

TUM *ego : Vera, inquam, commemoras,* D *o virtutum omnium nutrix.* Persona fidelis variis modis afflicta, ex consolatione et informatione theologiæ, id est sacræ Scripturæ et increatæ Sapientiæ per Scripturas nos instruentis, profectum ac relevamen adepta, gratias agens fatetur, et ait : « Vera » dicis, « o omnium nutrix virtutum ». Qualiter autem theologia multo eminentius appelletur datrix, doctrix

et nutrix universarum virtutum, quam *Cf.* p. 81 C', etc. philosophia, frequenter expositum est.

Sed hoc est quod recolentem me vehementius coquit, id est, hoc potissime me affligit recordantem qualis aliquando fuerim. *Nam in omni adversitate fortunæ infelicissimum infortunii genus est, fuisse felicem.* Vera autem et summa præsentis vitæ felicitas, est inchoatio felicitatis futuræ in patria, in beatifica Deitatis visione fruitioneque consistentis : ideo, quo in hac vita Deum altissimum per fidem illuminatam ac sapientiæ donum limpidius contemplamur, atque ferventius ac magis fruitive diligimus, inhærendo ei pure propter se ipsum, eo plane feliciores consistimus. Vir ergo fidelis a pristino fervore, præhabita puritate, contemplationis stabilitate ac apice lapsus, detrimentum suum, negligentiam, ruinam, amarissime deflens et quasi inconsolabiliter plangens: « Hoc est », ait, « quod » me « recolentem vehementius » angit, quia « infortunii infelicissimum genus est » istud, quod post gratiam tantam, ad istam sum devolutus tepefactionem, instabilitatem, recidivationem, ingratitudinem, ac mentis caliginem : ita ut merito mihi objiciatur et improperetur illud Apocalypsis a Christo, *Apoc.* II, 4. Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti; et vereor comminationem illam in eadem Apocalypsi scriptam, *Ibid.* III, 16. Jam quoniam tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

Insuper tale quid sibi contigisse interdum conquesti sunt etiam sancti viri : quibus tamen id accidit non directe ex vitio, sed occasione promotionis eorum ad ecclesiasticas dignitates, propter quas circa exteriora occupari habebant, sicque interioribus contemplationum exercitiis minus valebant intendere. Quemadmodum magnus Gregorius in libro Dialogorum sibi evenisse testatur : Mens (inquiens) mea occupationis suæ vulnere percussa, recolit qualis aliquando in monasterio fuit, qualiter ei cuncta caduca atque labentia suberant, ac solis cœlestibus inhiabat; nunc A vero post tam pulchram rerum speciem, terrenorum actuum pulvere fœdatur. Hoc ipsum et S. Eugenio in sui papatus exordio cœperat evenire. Propter quod pater ac filius ejus S. Bernardus satis audacter eum corripuit et reduxit, ut in libro de Consideratione describitur.

Denique nonnulli religiosi in exordiis suæ conversionis fervidi ac devoti, deinceps ad officia quædam promoti, calamitatem hanc patiuntur. Quorum nonnulli redeuntes ad cor, tepefactionem suam de- B plorant, et ad amissum revertuntur fervorem. Alii de statione sua formidantes expelli, addunt iniquitatem iniquitati, manentes in fæcibus suis usque in finem. Qui « falsæ opinionis » suæ luunt « supplicium » : quia de dissolutione et evacuatione sæpe habent remorsum, sed detinet eos in sua vanitate amor proprii commodi et honoris, quo excæcantur. Verumtamen hos ad pœnitendum hortari debemus, et ne desperent etiam consolari: quia adhuc plures habent spirituales amicos et filios, qui C ipsos orationibus suis ac meritis parati sunt adjuvare. « Vivit » quoque « uxor » eorum et sponsa, id est increata Sapientia, quæ ipsis ignoscere cupit atque ad pristinum connubium spirituale recipere, prout per Jeremiam ait prophetam animæ peccatrici : Tu fornicata es cum amatoribus *Jer.* III, 1, 12. multis; tamen ad me revertere, et non avertam faciem meam. Mittit quoque ei in adjutorium fidelissimos fortissimosque amicos angelos sanctos, de quibus quarto libro Regum sanctus loquitur Eliseus: Plu- IV *Reg.* VI, 16. D res nobiscum sunt, quam cum illis. Hi nobis pro ancoris sunt, et a plurimis periculis, fluctuationibus et peccatis eripiunt nos, sicut ait Psalmographus : Angelis suis *Ps.* XC, 11. mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Per quos enatare et salvari confidimus.

Sic ergo theologia lapsum consolatur ac revocat. Qui interdum redire appetit pœnitendo, sed dissolutioni libertatique propriæ assuetus, horret rursus arripere arctam viam salutis, disciplinæ rigorem,

et observantias regulares et canonicas, monachis et canonicis, imo et cunctis presbyteris, a Patribus sanctis præfixas ac jussas. Cui theologia compassive et increpatorie loquitur : « Delicias tuas », hoc est sensualitatem atque carnalia oblectamenta, ferre non valeo, quia deesse tibi aliquid luctuose conquereris, id est, necessariis non es contentus (contra illud Apostoli,
I Tim. VI, 8. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus), sed curiosa, delicata, superflua quæris, quum nihilo minus dicat
Galat. V, 24. Apostolus, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupi-
Rom. VIII, 13. scentiis ; itemque, Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Unde in Ecclesiastico
Eccli. XVIII, 31. legitur : Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Isti ergo sunt milites delicati, vel potius enervati atque effeminati : qui volunt Deo placere et mundo, nuncque gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo, et taliter pœnitentiam agere, ut eorum satietati nil desit : alioqui conque-
Ps. LVIII, 16. runtur, juxta illud in Psalmo, Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. De talibus scribit in sua Canonica Judas apo-
Judæ 16. stolus : Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes.

Frequenter demum contingit quod impatientes, tristes, turbulenti, querulosi consistimus, etiam propter modicas causas, quoniam non pensamus quæ et quanta habeant alii pati. Ideo unicuique tali ait theologia : *Quis est tam compositæ felicitatis ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur ?* Innumerabilibus namque defectibus, displicentiis, tædiis, periculis et peccatis plena est vita præsens, in tantum quod Jeremias in utero
Jer. I, 5; XV, 10. matris sanctificatus, locutus est : Væ mihi, mater mea, quare me genuisti, virum rixæ et discordiæ in universa terra ? Ec-
Eccli. XL, 1. 2. 4. clesiasticus quoque ait : Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium : cogitationes

A eorum et timores cordis, adinventiones exspectationis, furor, zelus, tumultus, fluctuatio, timor mortis. Hinc mundus etiam amatoribus suis amarus est, et si una hora delectat, alia magis diutiusque contristat ; ac super hæc omnia, momentaneum quod nunc inique delectat, pœnam mercatur æternam, et gaudiis privat perpetuis.

Hinc recte ait Philosophia : *Anxia res est humanorum bonorum conditio, et quæ nunquam tota proveniat.* Non enim in uno cuncta bona concurrunt. Propter quod
B ait Apostolus : Unusquisque proprium donum habet ex Deo. I Cor. VII, 7.
Idcirco, si quis in naturalibus donis aut fortuitis bonis defectuosus sit, non ob hoc inordinate tristetur : imo advertat quam multi sint qui maximas Deo gratias agerent, si non graviores paterentur defectus et adversitates quam ipse. Si molestum est tibi sedere in cella, in claustro, in scholis sub virga, considera quam facile, imo optabile esset hoc multis ligatis in carcere, jacentibus ægris in lecto.

C Quumque nil miserum sit nisi quando putatur, si vitare cupis pravas tristitias, noli insistere considerationi molestiarum et adversitatum tuarum in quantum sunt duræ ac graves, sed in quantum sunt animæ tuæ multipliciter utiles ac salubres, si æquanimiter tolerentur : quoniam *beata est omnis sors æquanimitate tolerantis.* Secundum hanc enim considerationem sapientialem, omnia cooperantur in bonum. Rom. VIII, 28.
Hinc sacratissimus Petrus in prima sua fatur epistola : Quis est qui vobis noceat, I Petr. III, 13.
D si boni æmulatores fueritis? Etenim uniuscujusque malum in proprium redundat auctorem : et qui alteri injuriatur, se ipsum gravissime lædit in anima, diabolo tradit, damnationi exponit ; alteri vero coronam patientiæ offert, dummodo ille per propriam impatientiam, iram, invidiam se ipsum non lædat. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Qui fodit foveam, incidet Eccli. XXVII, 29, 30.
in eam ; facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. Hoc est quod in Ecclesiaste legitur : Qui dissipat sepem, Eccle. X, 8.

mordebit eum coluber. Dum ergo injurias, damna, tribulationes, convitia toleras, vide et cave ne a te ipso per impatientiam, iram, rancorem turbulentiamve vincaris : quoniam nulla tibi nocebit adversitas, si nulla tibi dominetur iniquitas.

Quis est ille tam felix, qui quum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? Hoc in omni statu videmus, in tantum quod etiam nonnulli religiosi impatientiæ se subdentes, tandem in tantam ruant amentiam, ut ad alium locum, aut (quod periculosius est) ad alium Ordinem, cupiant se transferre : quod sancti Patres vituperant, nisi forte quis esset inter irreligiose viventes. De hoc in libro de Disciplina scholarium, de filio inconstante Boetius refert exemplum. Et Seneca contestatur : Primum compositæ mentis argumentum existimo, secum posse consistere ac morari; ægri animi est ista jactatio, discurrere et locorum varietatibus inquietari; nusquam est, qui ubique est; non convalescit planta quæ sæpe transfertur. Salomon quoque in Proverbiis : Sicut avis transmigrans de nido suo, ita vir qui relinquit locum suum. *Prov.* xxvii, 8.

Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! Nempe, quum mens humana propter summum bonum creata, ut illo fruatur et ad illud finaliter ordinetur, non possit contentari nec simpliciter quietari nisi cum illo (quemadmodum asserit Augustinus : Domine, creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum quousque perveniat ad te); hinc animus inordinatus sibi ipsi est gravis. Quumque in nulla pura creatura sit omnis perfectio, neque perfectio infinita, sed determinata dumtaxat et coarctata ad certum gradum et ad id genus ac speciem, non potest in ea beatitudo vera consistere : imo pluribus atque majoribus miseriis plena est omnis mundana felicitas ac humana prosperitas, quam jucunditate. Constat hoc in principibus et prælatis, quod quanto in majori sunt honore et potestate, tanto pluribus et gravioribus A occupationibus, curis, contradictionibus resistentiisque gravantur. Rara eis est quies, parva aut nulla tranquillitas, indignatio gravis, inquietudo assidua, suspicio multiplex et molesta.

Quid igitur, o mortales, extra vos *petitis intra vos positam felicitatem? Error vos inscitiaque confundit.* Nihil tam intimum creaturæ ut immensus, incircumscriptibilis supersimplicissimusque Creator, qui solus penetrat universa, qui solus illabitur essentiis rerum, atque intimior B est creaturæ quam ipsamet sibi, et propinquior ei quam essentialia ejus principia. Ad quod insinuandum dixit per Jeremiam: Numquid non cœlum et terram ego impleo? *Jer.* xxiii, 24. Hic igitur intra nos est, sine cujus præsentia et manutentia nec ad momentum possemus subsistere. In eo solo consistit nostra beatitudo, in contemplatione ipsius clara et fervida, secura, æterna et fruitiva : nempe in eo solo est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium plena et infinita possessio; omnium C divitiarum, deliciarum ac honorificentiarum interminabilis, superfluentissima plenitudo.

Ad ipsum oculos mentis jugiter elevemus; in ipsum cordis intuitum defigamus; ad ipsum nos ipsos et universa creata finaliter ordinemus; in ipso simplificentur, stabiliantur et sistant desideria nostra. De rebus creatis nil optemus, nisi in quantum necessarium aut expediens nobis est ad finem illum penitus infinitum. Ecce ipse est Deus et Creator noster; ipse D est supersplendidissima lux, et regio lucis immensa, incircumscripta majestas, et breviter, simplicissimum esse, in quo omnis nobilitas, beatitudo, dulcedo, gloria, libertas, omnis sapientia, scientia, virtus, sanctitas, omnipotentia, æquitas, bonitas, excellentia, absque mensura, sine numero, fine ac dependentia. Quid igitur per diversa defluimus, in circuitu ambulamus, hinc *Ps.* xi, 9. inde jactamur, quum hoc unum solum nobis necessarium sit, et solum sufficiens? *Luc.* x, 42. Hoc bonum incomparabile sortiemur, si

compotes mentis fuerimus, vereque sapientes, non insensati ac stolidi, præeligentes creaturam superdignissimo Creatori. Quem quum feliciter adepti fuerimus, nunquam poterit nobis auferri. Qui ita non sentit, errat ; et qui ita non agit, delirat.

ARTICULUS XIV

DIFFICULTATUM AC QUÆSTIONUM HUJUS PROSÆ QUARTÆ PROPOSITIO BREVISQUE ABSOLUTIO.

JOANNES. — Jam in isto articulo, sicut et supra, multa bona locutus es ; et a principio usque nunc, de fortuna disseruisti quasi sit aliquid. Contra quod, ultra præhabita, objici potest, quod sancti martyres Cosmas et Damianus interrogati a tyranno quæ esset eorum fortuna, dixerunt : Christiani fortunam nesciunt, id est, non ponunt.

DIONYSIUS. — Hoc intellexerunt de fortuna prout tyrannus ille loquebatur de ea, putans quod esset numen quoddam, seu deitas aliqua vel dea, ut plenius dictum est supra. *Cf.* p. 173 B' et s.

JOANNES. — Dictum frequenter est de duplici felicitate ; et quæri solet, an ad felicitatem requirantur amici, potentia, opulentia, sanitas corporis, prosperitas honoris. Quid ergo tu dicis ad ista?

DIONYSIUS. — Duplicem esse felicitatem jam ante dixi : unam vitæ præsentis, aliam futuræ. *Cf.* p. 31 C'. Prima vocatur meritoria : et est imperfecta, nec indesinenter in actu ; nec excludit miserias pœnæ seu mala pœnalia, nec venialia peccata, nec peccandi potentiam, nec includit omnimodam confirmationem in bono. Secunda felicitas appellatur præmiatoria : quæ est perfecta et indesinenter in actu, excludens omnem miseriam pœnæ ac culpæ, tam actu quam potentia, hoc est peccandi potentiam, atque includens in bono confirmationem. Insuper primam felicitatem dixi adhuc duplicem esse. *ibid.* D'. Unam politicam et civilem : quæ essentialiter consistere dicitur in actu prudentiæ. Aliam speculativam : quæ in sapientiæ actu consistit ; estque speculatio primæ ac summæ veritatis. Rursus, utraque ista felicitas iterum dividi potest in felicitatem naturalem et supernaturalem. Felicitas politica seu civilis naturalis est, quæ est secundum virtutes et leges naturales et positivas, ex naturali ratione ac lumine institutas. Et ista felicitas est actus prudentiæ naturalis, humanæ et acquisitæ. Felicitas supernaturalis politica dicitur, quæ est secundum leges supernaturales divinas, quæ in Scripturis traduntur, et ad supernaturalem finem tendit ac ordinatur directe. Ista quoque felicitas est actus sapientiæ supernaturalis infusæ, quæ est donum Spiritus Sancti, imo inter septem dona potissima. *Is.* XI, 2.

Probat autem S. Thomas in Summa contra gentiles idonee, quod ultima hominis felicitas, utpote perfecta et plena, non consistit in divitiis, nec in potentia, neque in voluptatibus et honoribus, nec in parte sensitiva, nec in virtutibus moralibus, nec in ipsa prudentia : quod totum infra probabitur. *lib.* III, c. 27-35. Quantum vero ad propositum respondetur, quod ad felicitatem politicam vitæ præsentis requiruntur et spectant, bona corporis habitudo, potestas sæcularis sufficiens ad reprimendum iniquos et ad exsequendum justitiam, competens quoque opulentia ad vivendum secundum hujuscemodi statum, cum familia competenti necessariisque ministris. In quibus omnibus necessarii sunt fideles amici consiliariique idonei, prosperitas mediocris (quia ut patuit, eufortuniorum nimietas impe- *Cf.* p. 207 B

dit), pax et concordia cum subjectis. Ista et consimilia quasi circumstant, et per modum integralium partium ad felicitatem istam concurrunt : quemadmodum et virtutum quædam sunt partes integrales, quædam subjectivæ, quædam potestativæ. Quumque beatitudo sit perfectissimus actus virtutis perfectæ secundum statum perfectum, beatitudo ista est actus perfectæ prudentiæ, prout in viris consistit heroicis. Et quia vera prudentia, etiam secundum Philosophum, non est nisi in virtuosis, nec perfecta prudentia est nisi in habentibus virtutes morales perfectas : quales sunt perfecte humiles, patientes, mites, casti, justi, atque sinceriter amorosi. Tales autem nec adversis dejiciuntur, nec prosperis extolluntur : imo subjugatis sibi passionibus, in omni eventu instar quadrati constantes sunt.

JOANNES. — Videtur mihi quæstio ista satis soluta. Verum difficiliora mihi circa præhabita dubia oriuntur. Primum, an naturalis felicitas mentis humanæ in increati unione objecti immediate consistat. Ad quod mihi sæpe jam respondisti, allegando illud decimi Ethicorum, quod felicitas contemplativa, de qua nunc sermo, sit speculatio optimi speculabilis. Cui dicto objici potest, quod juxta quosdam magnos philosophos, felicitas ista consistit in applicatione ad intelligentiæ lumen, seu in contemplatione intelligentiæ ultimæ.

DIONYSIUS. — Peripatetici quidam, ut Avicenna et Algazel, asserentes animas rationales ab intelligentia ultima procedere ac creari, aliquid tale sunt opinati, dicentes eas beatificari per conversionem et unionem ad creatricem earum intelligentiam, sicut effectus perficitur per conversionem ad propriam causam : non simpliciter, sed in quantum anima per unionem et contemplationem intelligentiæ causæ suæ, convenientius perducitur ad contemplationem primæ causæ : quia ut etiam ait Averroes, quæsitio de divino intellectu est etiam naturaliter desiderata, nec mens creata finaliter sistere potest in contem-

A platione causæ creatæ, sed procedit usque ad primæ causæ notitiam, de qua modicum scire desiderabilius est, quam multa de rebus creatis, ut libro de Animalibus tangit Philosophus. Absolute ergo dicendum, quod in contemplatione primæ causæ consistit omnis creatæ mentis felicitas. Et opinio illa philosophorum multipliciter comprobatur erronea : imo in sua radice est falsa, quoniam creare, Deo est proprium, nec convenit nisi infinitæ potentiæ. Et quamvis una intelligentia esset B creata ab alia, et anima rationalis ab intelligentia ultima, non tamen sequeretur, quod beatitudo intelligentiæ inferioris consisteret in contemplatione intelligentiæ immediate superioris, a qua ipsa procederet, sed in contemplatione primæ causæ, quæ incomparabiliter optimum est objectum, et principalissima causa, cujus virtute et participatione intelligentiis conveniret creare : ita quod omnis effectus cujuscumque intelligentiæ ac causæ secundæ, magis est effectus causæ illius pri- C mæ quam cujuscumque alterius. Unde in libro de Causis asseritur, quod omnes virtutes quibus est finis, sunt dependentes ab infinito primo, quod est virtus virtutum. Et quamvis perfectio effectus consistit in conversione ad suam causam (juxta illud Procli Platonici, Omne procedens, ad fontem suæ processionis convertitur), conversio tamen ultima et ipsa felicitas sita est in conversione ad primam et principalem ac opulentissimam causam, in qua sola ex se et in se est sufficientia plena, et omne D id quod satiare et contentare potest plenarie desiderium universæ mentis creatæ. Istud quoque consonat dictis Platonis in Phædone.

JOANNES. — Videtur mihi et istud rationabiliter dictum. Verum nunc quæro quod principalius movet me, hoc est, an immortalitas animæ rationalis possit non solum rationabiliter persuaderi, sed et demonstrative probari, ut Philosophia evidenter testatur in littera. Prosa IV in fine.

DIONYSIUS. — Istud est antiquissimum

et difficile satis problema, ad quod famosi philosophi Pythagoras, Socrates, Plato, clare et absolute dixerunt quod imo ; sicque tenuerunt concorditer Platonici omnes, Plotinus, Macrobius, Apuleius, Porphyrius, ac Proclus ille præcipuus. Quid autem Aristoteles de hac senserit quæstione, difficile est certo aperire : multa enim hinc inde deprompsit ex quibus videtur sensisse, quod immortalis sit anima ; sed multa nihilo minus est locutus ex quibus apparet contrarium. Verumtamen quidam non tam sapienter quam audenter respondent, quod Aristoteles senserit omnino animam immortalem exsistere ; alii absolute dicunt oppositum. Itaque advertendum, quod expositores Aristotelis, tam Græci quam Arabes, itemque Latini, verba Aristotelis de ista materia introducta várie intellexerunt. Averroes quippe, Abubather, Alexander, Themistius, Avempote, Theophrastus, et alii quidam, scripserunt Aristotelem sensisse, quod anima rationalis, quæ substantialis forma est hominis, et corpus ejus vere informans, sit mortalis. Avicenna vero et Algazel, Alphorabius, Alkindi, Albumasar Maurus, cum aliis multis, dicunt contrarium. Similiter inter christianos philosophos S. Thomas, Albertus Magnus, Ægidius de Roma episcopus, Udalricus, fatentur Aristotelem docuisse, quod immortales sint hominum animæ. Porro Guillelmus Parisiensis et alii multi oppositum sentiunt. Henricus vero consulte respondet, quod ex libris Aristotelicis certo sciri non valeat quid senserit inde.

Præterea omnes illi philosophi Peripatetici consenserunt in hoc, quod intellectus sit immortalis, hoc est, quod substantia vere ac formaliter intellectiva, et ipsa intellectualis potentia immaterialis, inorganica, vere immortalis incorruptibilisque consistat : quia in libro de Animalibus affirmat Philosophus, quod solus intellectus ab extra sit ; tertio quoque de Anima allegat ac sequitur quod Anaxagoras dixit, intellectum esse immixtum, perpetuum, separatum, cum nullo quid commune habentem. Hinc illi qui fassi sunt animam humanam esse mortalem, dixerunt eam non esse vere ac formaliter intellectivam ex sua natura, nec ullam inorganicam vim habere : imo supremam vim ejus cognitivam, esse intellectum passivum, id est potentiam cogitativam aut imaginativam, secundum nonnullos, nec esse intellectivam, nisi per quamdam irradiationem luminis intelligentiæ super intellectum passivum et ejus phantasmata.

Hujus autem erroris princeps fuit ille maledictus damnatissimusque Averroes, qui tot blasphemias contra Christum christianamque fidem evomuit. Est namque opinio illa in veritate prorsus stultissima, et irrationabilissimus error : imo et contra experientiam generalem ac certam, quum unusquisque in se ipso certissime experiatur se vere et ad libitum intelligere universaliter et abstracte, contemplari quoque immaterialia et æterna, divina et ipsum supersimplicissimum Deum, et tanto limpidius atque profundius speculari, quanto plus a cunctis materialibus et sensibilibus rebus abstraxerit se. Ergo in se ipso habet formale principium ac potentiam productivam actuum horum. Quumque hi actus circa immaterialia, simplicissima ac divina versentur objecta, certissimum est quod vis productiva eorum, in qua subjective consistunt, sit prorsus immaterialis. Similiter species seu formæ intelligibiles per quas exercentur, quæ repræsentant illa objecta, necessario immateriales et ab appendiciis materiæ sunt immunes : ideo esse non queunt in organica ulla potentia. Præterea, quum actus isti sint actiones immanentes, in suo subjecto realiter permanentes et ipsum formaliter denominantes, non poterit homo ab eis denominari intelligens et contemplans, nisi vere realiter, subjective, formaliter exsistant in homine, in anima rationali, in potentia ejus intellectuali. Si vero non sic, sed in intelligentia separata, quamvis per influentiam applicata, realiter formaliterque consistant ; nullo modo per actus illos ipse ho-

mo intelligit, sed intelligitur tantum. Amplius, si suprema vis atque perfectio hominis est intellectus passivus, non intellectiva et proprie rationalis potentia, homo bestia esset, et non rationalis intellectualisque creatura; et speciem sortiretur non ab essentiali intrinseca proprietate et perfectione, sed ab extrinseca, si rationale ponat eum in specie : quod, sicut arguit Albertus, nulli convenit creaturæ, neque in cœlo neque in terra.

Cf. t. XXII, p. 125 C' et s. Istam disputationem sanctus Doctor in Summa contra gentiles, libro secundo, et super secundum Sententiarum, atque in prima parte Summæ suæ, specialiter quoque ac diligentissime in speciali tractatu de Unitate intellectus, contra Averroistas, Albertus quoque, Ægidius, et ceteri quoque præfati christiani philosophi, in diversis tractatibus efficaciter prosequuntur. Denique Guillelmus libro de Universo prolixe contra erroris illius insanias scribit; Henricus quoque in Summa et in Quodlibetis suis, inter cetera loquens : Non videtur mihi mirum, quod multi mirantur ac dubitant quid super his Aristoteles senserit. Imo (ut arbitror) ipsemet Aristoteles in his semper in dubio fuit et fluctuavit, habens pro utraque parte fortia quædam motiva : hinc interdum videtur magis favorabiliter locutus pro una parte, interdum pro alia. Unde expositores ejus Græci et Arabes diversimode eum exponunt, et unus trahit verba ipsius ad unam partem, alter ad aliam.

Joannes. — Quid tu potius sentis?

Dionysius. — In hoc huic doctori consentio, quod ex libris Aristotelis qui leguntur in scholis ac studiis, pro certo haberi non potest quid Aristoteles sensit de his. In hoc tamen non consentio ei, quod dicit Aristotelem magis divertisse ad hoc, quod anima hominis sit mortalis, et quod intellectus possibilis sit unus numero in universis hominibus, ita quod intellectiva forma non sit realiter ipsa anima quæ est substantialis forma hominis, sed intelligentia separata ac infima. Hoc namque A tam absurdum et rude est, ut æstimare non queam summum et ingeniosissimum illum philosophum hoc sensisse. Imo potius reor eum declinasse ad hoc, quod anima rationalis sit immortalis, præsertim quum decimo asserat Ethicorum, quod homo est maxime suus intellectus. Duodecimo quoque Metaphysicæ : In aliquibus, inquit, nil prohibet actum post potentiam, id est formam post corpus suum, manere : ut si anima est talis, non tota, sed intellectus. Porro in libro de Anima apertissime B dicit, quod si anima habet aliquam operationem sine corpore, id est sine corporis communione, concursu et operatione, ita videlicet quod intelligere queat non coagente ad hoc aliqua vi organica, tunc separabilis est a corpore; si non, non est separabilis. Verumtamen deinde in eodem libro determinat, quod intelligentem oportet speculari phantasmata : ex quo sensisse videtur, quod anima in corpore intelligere nequeat sine cooperatione organicæ potentiæ. Sed hoc dictum ipsius dupliciter ex- C ponitur. Primo, quod quum nostra cognitio intellectiva a cognitione incipiat sensitiva, oportet intelligentem speculari phantasmata in ipsa prima scientiæ adeptione atque inventione, non autem quum jam in se habuerit speciem intelligibilem abstractam ac habitum scientialem. Et ita capit verba illa Albertus, ac ejus sequaces, Udalricus et Henricus de Ballivis, ac alii quidam. Et ponunt exemplum de eo qui vult ascendere tectum aut solarium : qui indiget scala; quum autem venerit illuc, potest D sine scala operari ibidem. Secundo exponitur, quod intelligentem oportet in omni actuali intellectione intueri phantasmata : sicque exponunt Thomas, Ægidius, et alii multi. Rursus Aristoteles dixit : Separetur hoc ab illo (videlicet intellectivum a sensitivo), sicut perpetuum a corruptibili. Quod item dupliciter potest intelligi. *Cf.* t. XXI, p. 412 B', 525 B'.

Joannes. — Mirum quod tantus ille philosophus non expressit evidenter quid sensit, nec certo inspicere potuit animam hominis consistere immortalem.

DIONYSIUS. — Hujus causa fuit, quod alia quædam docuit et expressit ac pro posse probavit, quæ revocare et negare compulsus fuisset, si evidenter concessisset animam separari a corpore. Nempe, ut nosti, mundum dixit ab æterno fuisse. Si ergo posuisset animarum immortalitatem, coactus fuisset concedere animas separatas esse actualiter vel numero (vel potius multitudine) infinitas, præsertim quia non posuit animas transcorporari, nec concessit quod in eodem actus præcedat potentiam seu forma materiam tempore. Constat autem, quod non admisit in entibus naturæ permanentis multitudinem actu infinitam, sed bene in entibus successivis, quia in illis nunquam simul sunt infinita in actu. Præterea, primo de Cœlo et mundo videtur absolute sentire, nihil perpetuum esse a parte post, quod non fuit perpetuum a parte ante. Ideo, si sensisset animas posse separari a corpore ac incorruptibiliter permanere, sensisset eas ab æterno fuisse : quod certum est eum non sensisse, quum (ut tactum est) dixerit formam substantialem in eodem non præcedere suam materiam. Itaque sequi videtur, quod in his fluctuaverit semper. Verumtamen in aliis quibusdam scriptis, videtur sensisse animam hominis esse immortalem, puta in libro de Secretis secretorum, in libro quoque de Pomo et morte, et in quibusdam ad Alexandrum epistolis. Quamvis etiam Guillelmus in libro de Universo dicat sicut jam recitavi, attamen in libro de Divina rhetorica protestatur Aristotelem orando dixisse : Nunc te inveni, o causa causarum ; fac me tibi acceptum.

JOANNES. — Putas tu immortalitatem animæ posse demonstrative probari ?

DIONYSIUS. — Puto, vel potius sentio, hoc tam demonstrative probari posse, quam demonstrative reprobari potest opinio illa stultissima de unitate intellectus in cunctis hominibus, et item quam demonstrative probatum est a Platone et Proclo, aliisque præclarioribus philosophis Platonicis ac Peripateticis, nullam vim organicam nullamque formam materialem corruptibilem de potentia materiæ eductam, esse reflexivam super se ipsam et super proprium actum. Unde in libro de Causis ostenditur, quod nulla essentia est rediens ad se ipsam reditione completa, nisi intellectualis et immortalis. Quod etenim ita reflectitur ac redit ad se, intelligendo se ipsum ac proprium actum, hoc secundum quodlibet sui conjungitur sibi, nec valet in eo situalis distantia reperiri. Rursus, omne materiale atque organicum, est divisibile in infinitum ; nec potest hoc actu compleri ac pertransiri. Amplius, quum videamus frequenter justos ac sapientes, imo et viros heroicos, in hac vita ab impiis devastari, opprimi et occidi, si non est post hanc vitam alia vita ac merces, non erit condigna retributio meritorum : quod ineffabiliter derogaret infinitæ perfectioni, providentiæ atque justitiæ summi Dei. Quum enim, teste Aristotele decimo Ethicorum, homo contemplativus, mente bene dispositus, præsertim vir heroicus, sit amatissimus Deo ; si Deus omnipotens tali homini nullum retribuit præmium condignum, non videtur recte, juste, liberaliter sapienterque agere cum amatissimo suo. Postremo, disputationibus istis philosophicis de animarum immortalitate, efficax, certus ac brevis imponitur finis in evangelica lege, in qua pene innumerabiles defuncti noscuntur resuscitati, qui et tormenta impiorum se sensisse testati sunt, et gloriam conspexisse Sanctorum. Nec est jam dicere id quod in libro Sapientiæ impii dixisse leguntur : Non est qui *Sap.* II, 1. agnitus sit reversus ab inferis. Denique, quod Deus Sanctos suos in vita et in morte et post mortem tam innumerabilibus et prorsus supernaturalibus honoravit et mirificavit miraculis, quod in obitu plurimorum visi sunt angeli sancti, atque auditi cantus cœlestes, suavissima item respersa est fragrantia, ac splendidissima lux refulsit de cœlo, imo quod viri sanctissimi etiam miraculose corporalibus oculis con-

Qu'était donc ce meilleur de vous-même dont vous parlez, je me

lui demandé ~~quelle~~ ce qu'il pouvait être.

Et aussi ~~de~~ quel bonheur s'agit-il ?

C'était ~~être~~ parole imprudente : meilleur de moi-même. Que pourrait-il bien y avoir de meilleur chez moi ?

Ésope ~~en~~ répondant la langue. { meilleure & pire

Donner sa langue aux chiens.

Langue parle de l'abondance du cœur.

C'est le cœur quand il est bon qui est la meilleure chose.

Cœur. langue. mains.

se defluentes. *Auster proterrus*, id est A ventus australis duriter flans, *urget*, id est impellit, *viribus totis illud*, puta montis cacumen, seu ædificium in eo locatum ; atque *hæ* arenæ ab invicem *solutæ* præ siccitate *recusant*, id ést, non valent, *ferre*, id est super se portare, *pondus pendulum*, id est ædificium grave super se pendens ac ponderans.

Hic ex prædictis infertur dogma morale. Et est ordo verborum : Tu *fugiens sortem*, id est situationem et dispositionem, *periculosam sedis amœnæ*, id est delectabilis B mansionis, quæ quamvis in loco alto visum delectet, tamen periculum imminet ibi ex causa prætacta, *memento*, id est, cura et provide, *certus*, id est absque periculo, *figere domum*, id est structuram virtutum collocare, *saxo humili*, id est in loco petroso, videlicet firmo ac stabili fundamento.

Quamvis ventus quicumque tempestuosus *miscens æquora*, id est, impellens undas maris, *tonet*, id est, acriter sonet, *ruinis*, id est casibus fluctuum, quos impellendo, elevando, projiciendo, sonitum C efficit magnum ; attamen *tu conditus*, id est deputatus, *quieti* pacis æternæ, *felix* in spe, nondum in re, et « felix » per inchoationem ac meritum, *robore valli*, id est munimine tuæ humilis fundationis, *duces ævum serenus*, id est, totum tempus vitæ tuæ expendes in tranquillitate et serenitate interioris munditiæ, *ridens*, id est, deridens, non curans nec metuens, *iras*, id est tempestates, *ætheris*, id est aeris, quæ scilicet generantur in aere. Æther autem proprie sumitur pro superiori aeris parte contigua igni elementari, in qua tempestates non fiunt. Sic enim cœlum æthereum a cœlo aerio distinguitur a Strabo ac Rabano. Ævum quoque hic capitur large, prout se extendit ad quamcumque mensuram totius periodi rei : juxta quem modum ait Gregorius, Quoniam homo peccat in suo ævo, Deus eum punit in suo æterno. Æther autem accipitur hic extense pro aere, quemadmodum apud Job : Con- *Job* XXXV, 5. templare æthera quod altior te sit. Interdum demum accipitur æther pro cœlo, secundum quod sanctus ait Hieronymus : Præcessit suos Salvator, ut eis præpararet in æthereis mansionibus locum.

ARTICULUS XVI

EXPLANATIO TROPOLOGICA EJUSDEM METRI.

JUXTA tropologiam in hoc metro docemur, quod quicumque voluerit animæ D suæ « perennem » construere, id est promereri, mansionem in cœlis (unde apud *Joann.* XIV, 2. Joannem dixit Salvator, In domo Patris mei mansiones multæ sunt), sit « cautus », vitando fallacias dæmonum, sicut hortatur II *Cor.* II, 11. Apostolus : Non circumveniamur a Satana. I *Petr.* IV, 7 ; V, 8. Propter quod monet Archiapostolus : Vigilate in orationibus, quoniam adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Sit etiam « stabilis », sicut in Ecclesiastico dicitur : Homo sanctus, in sapientia manet ut sol ; *Eccli.* XXVII, 12. nam stultus mutatur ut luna. Ad hanc cautelam prudentiæ hortatur in Evangelio Christus, dicendo : Quis ex vobis volens *Luc.* XIV, 28. turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt ?

Talis itaque « vitet » cacumina montium, id est, omnem tumorem superbiæ, gloriationem inanem, præsumptionem de viribus propriis, omnemque immansionem proprii sensus, non confidendo nec innitendo prudentiæ suæ, quum in Isaia dicatur : Væ qui sapientes estis in oculis *Is.* V, 21.

vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Hinc implendum est quod in Proverbiis
Prov. III, 5. ait sermo divinus : Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Isti sunt montes teterrimi, in vanitate, non in veritate erecti, de qui-
Jer. XIII, 15, 16. bus admonemur per Jeremiam : Nolite elevari, sed date gloriam Domino Deo vestro antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Vitet quoque « bibulas arenas », id est terrenas cupiditates, omnia sibi aggregare gliscentes, quum in Ecclesiastico
Eccli. X, 10. scriptum sit : Nihil iniquius quam amare pecuniam ; avarus namque animam suam habet venalem. Atque ut Salomon loqui-
Prov. XXX, 15. tur : Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer. Non ergo in his, sed in vera humilitate et terrenorum contemptu, in Dei timore et cordis custodia, fundanda est spiritualis structura virtutum, turris evangelicæ perfectionis, habitatio cordis in Deo, ac Dei in corde humano, ne flatibus tentationum, fluctibus vitiorum, amaritudine passionum iræ, impatientiæ, indignationis, invidiæ prosternatur.

Denique metrum hoc consonat verbis
Matth. VII, 24, 25. Christi, dicentis : Omnis qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit.

« Protervus » vero « Auster », puta diabolus sæviens, nil aliud quærens nisi æternam animarum nostrarum damnationem, « totis viribus », quantum permittitur, im-

A pellit virtutum structuram, ut eam dejiciat. Verum electos subvertere nequit in finem. Babylonicam vero turrim filiorum sæculi hujus, et omnem vitiorum congeriem, secum detrahet in infernum, quia qui se exaltant, humiliabuntur, ut sunt Luc. XIV, 11 ; XVIII, 14.
ambitiosi, superbi, intimorati prælati, et principes vitiosi, in deliciis et vanitatibus defluentes, quibus per Amos loquitur Deus : Væ qui dormitis in lectis eburneis, Amos VI, 4, 8, 14.
et lascivitis in stratis vestris ; detestor ego superbiam vestram ; væ qui lætamini in
B nihili, qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ?

Fugiamus igitur « periculosam sortem » ac partem, situm et habitationem sedium amœnarum, pretiosarum et curiosarum domorum, concupiscentias oculorum nostrorum, et quidquid illicite damnabiliterque delectat, quum et per Jeremiam Dominus protestetur : Væ qui ædificat domum Jer. XXII, 13, 14 ; Habac. II, 9.
suam, ut sit in excelso thronus ejus, pingitque sinopide. Atque in « humili saxo » (hoc est in Salvatore : de quo scriptum
C est Regum secundo libro, Dominus petra II Reg. XXII, 2.
mea ; qui ait, Discite a me quia mitis sum Matth. XI, 29.
et humilis corde) ædificemus tale habitaculum animæ nostræ : quatenus in ipso nulla adversitas, nulla commotio nos possit avertere, nec inordinatum terrorem nobis incutere ; imo in omni eventu, in pace serenitateque pectoris conquiescamus in ipso, sic quod ex sententia psallere valeamus : Dominus illuminatio mea et salus Ps. XXVI, 1, 3.
mea, quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant ad-
D versum me castra, non timebit cor meum.

PROSA V

SED quoniam rationum jam in te mearum fomenta descendunt, paulo validioribus utendum puto. Age enim, si jam caduca et momentanea fortunæ dona non essent, quid in eis est, quod aut vestrum unquam fieri queat, aut non perspectum consideratumque vilescat ? Divitiæne vel vestri vel sui natura pretiosæ sunt ? Quid earum potius ? Aurumne, an vis congestæ pecuniæ ? Atqui hæ*

* hæc

effundendo magis quam coacervando, melius nitent : siquidem avaritia semper odiosos, claros largitas efficit. Quod si manere apud quemquam non potest quod transfertur in alterum, tunc est pretiosa pecunia, quum translata in alios, usu largiendi desinit possideri. At eadem si apud unum quanta est ubique gentium congeratur, ceteros sui inopes fecerit. Et vox quidem tota pariter multorum replet auditum ; vestræ vero divitiæ, nisi comminutæ, in plures transire non possunt : quod quum factum est, pauperes necesse est faciant quos relinquunt. O igitur angustas inopesque divitias, quas nec habere totas pluribus licet, et ad quemlibet sine ceterorum paupertate non veniunt ! An gemmarum fulgor oculos trahit ? Sed si quid est in hoc splendore præcipui, gemmarum est lux illa, non hominum. Quas quidem mirari homines, vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu atque membrorum compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur ? Quæ tametsi Conditoris opera suique distinctione, postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatæ, admirationem vestram nullo modo merebantur. An vos agrorum pulchritudo delectat ?

— Quidni ? Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic quondam sereni maris facie gaudemus ; sic cœlum, sidera, solem lunamque miramur.

— Num te horum aliquid attingit ? Num audes alicujus talium splendore gloriari ? An vernis floribus ipse distingueris ? Aut tua in æstivos fructus intumescit ubertas ? Quid inanibus gaudiis raperis ? Quid externa bona pro tuis amplexaris ? Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ a te natura rerum fecit aliena. Terrarum quidem fructus, animantium procul dubio debentur alimentis. Sed si (quod naturæ satis est) replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimisque natura contenta est : cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum quod infuderis fiet, aut noxium. Jam vero pulchrum variis fulgere vestibus putas ? Quarum si grata intuitu species est, aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor artificis. An vero te longus ordo famulorum facit esse felicem ? Qui si vitiosi moribus sint, perniciosa domus sarcina, et ipsi domino vehementer inimica. Si vero probi sint, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur ?

Ex quibus omnibus, nihil horum quæ in tuis computas bonis, tuum esse bonum, liquido monstratur. Quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, quid est quod vel amissis doleas, vel læteris retentis ? Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert ? Nam hæc per se, a tuis quoque opibus sequestrata, placuissent. Neque enim idcirco sunt pretiosa, quod in tuas venere divitias ; sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare maluisti. Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis ? Fugare, credo, indigentiam copia quæritis. Atqui hoc vobis in contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ supellectilis varietatem : verumque illud est, permultis eos indigere qui permulta possident ; contraque minimo indigere, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus sui superfluitate, metiantur. Itane autem nullum est proprium vobis atque

insitum bonum, ut in externis ac sepositis rebus bona vestra quæratis ? Sic rerum versa conditio est, ut divinum merito rationis animal, non aliter sibi splendere nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur ? Et alia quidem suis contenta sunt ; vos autem Deo mente consimiles, a rebus infimis, excellentis naturæ ornamenta captatis. Nec intelligitis quantam Conditori vestro faciatis injuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit ; vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum, eo cujus est constat esse pretiosius, quum vilissima rerum vestra bona esse judicatis, eisdem vosmetipsos vestra existimatione submittitis. Quod quidem haud immerito cadit. Humanæ quippe naturæ ista conditio est, ut tum tantum ceteris rebus, quum se cognoscit, excellat ; eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit : nam ceteris animantibus, sese ignorare, naturæ est ; hominibus vero, vitio venit. Quam vero late patet vester hic error, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis ! At id fieri nequit : nam si quid ex appositis luceat, ipsa quidem quæ sunt apposita laudantur ; illud vero his tectum atque velatum, in sua nihilo minus fœditate perdurat.

Ego vero nego illud esse bonum, quod noceat habenti. Num id mentior ? Minime, inquies. Atqui divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt, quum pessimus quisque, eoque alieni magis avidus, quidquid usquam auri gemmarumque est, se solum qui habeat, dignissimum putat. Tu igitur qui nunc contum gladiumque sollicitus pertimescis, si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam quum adeptus fueris, securus esse desisti !

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS QUINTÆ.

POSTQUAM in præcedentibus consolata A est et instruxit Philosophia Boetium rationibus communioribus ac magis facilibus, tanquam levioribus medicinis, jam idem hic agit efficacioribus et magis distinctis appropriatisque mediis, dicens :

Sed quoniam, id est ex quo, *fomenta,* id est spiritualia alimenta et consolatoria verba, *rationum,* id est argumentationum, *mearum,* quibus probavi in bonis fortunæ felicitatem veram non esse, *descendunt jam in te,* id est, ab ore meo per aures tuas deveniunt in mentem tuam, ita quod B ea intelligis (ex sensatis namque et imaginatis procedit intellectio actualis, ut patet tertio de Anima), *paulo validioribus,* id est remediis aliqualiter fortioribus ac magis idoneis, *utendum puto,* ut a distanti in distans fiat progressio per media ordinata. Sicut enim in educatione corporis a mollioribus nutrimentis ad solidiora paulatim ordinate proceditur, ita in informatione, consolatione profectuque animæ, quemadmodum primo Physicorum tangit Philosophus.

Age enim, seu eia, adverbialiter et ex-

hortatorie, *si jam caduca et momentanea* A *fortunæ dona non essent*, id est, dato quod « dona fortunæ », id est bona fortuita seu fortunales eventus, « non essent jam caduca », id est cito labentia et prorsus instabilia, « et momentanea », id est celerrime transitoria comparatione perpetuorum intemporaliumque bonorum (quum tamen *Cf.* p. 206 D', 209 B' et s. supra ostensum sit, quod caduca et momentanea sint, quoniam sub fortuna et casu non cadunt nisi exteriora et transitoria bona, in quibus est mutatio instabilitasque assidua); *quid est in eis,* id est, B quæ natura, quæ proprietas, quis valor, quæ dignitas, *quod aut vestrum unquam fieri queat,* id est, quod ullo tempore possit « fieri » aut esse proprium seu principale bonum « vestrum » inauferibile a *Cf.* p. 24 C', etc. vobis invitis? Jam enim ostensum est, quod temporalia non sunt hujusmodi bona nostra. Unde et sanctus ait Bernardus : Cur diligitis terrenas divitias, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Denique, si vestræ *Ps.* XLVIII, 18. sunt, tollite eas vobiscum. Sed homo quum dormierit, non sumet omnia. *Aut non per-* C *spectum,* id est perspicaciter visum et cognitum, *consideratumque,* id est cum sidere rationis discussum, *vilescat,* id est, contemptibile cognoscatur, et pro modico habeatur? Nam et vilissimis vermibus viliora consistunt quantum ad naturam specificam : secundum quod non vivum, inferioris naturæ et gradus ac ordinis est in entibus universi quam vivum.

Divitiæne vel vestri vel sui natura pretiosæ sunt? Hoc est argumentum per locum a divisione. Tanquam dicat : Si pre- D tiosæ sunt externæ divitiæ, hoc est vel ex natura earum, vel ex natura vestri, qui eas possidetis. Itaque ait : « Ne », id est utrum, « divitiæ pretiosæ sunt », id est magnæ dignitatis, « vel » ex natura « vestri, vel » ex « natura sui »? Et probat quod non ex propria earum natura. Si enim ex propria natura essent pretiosæ, venerandæ seu dignæ, sequeretur quod tanto laudabiliores essent, quo copiosius haberentur collectæ, quemadmodum spirituales divitiæ, puta virtutes : quod non est ita. Ait ergo :

Quid earum potius? id est, quid est inter divitias dignius? *Aurumne,* id est utrum aurum, *an vis congestæ pecuniæ,* id est vel vigor pecuniæ congregatæ, puta thesauri? Hoc est, utrum ipsa divitiarum collectio superaddat eis aliquid dignitatis aut potestatis? Et probat quod non. *Atqui,* id est pro certo, *hæ* divitiæ *effundendo magis quam coacervando, melius nitent,* id est, laudabilius splendent suumque possessorem splendidum faciunt, per hoc quod effunduntur, id est, aliis, præsertim indigentibus, liberaliter communicantur, quam per hoc quod accumulantur, absconduntur ac retinentur, quum ad communem hominum usum sint datæ et ordinatæ. Et hoc sic probat :

Siquidem, id est utique, *avaritia semper odiosos, claros largitas efficit :* id est, « avaritia », per quam divitiæ colliguntur, augentur et reservantur, facit ipsos avaros « semper » esse « odiosos », id est odio habitos sive odibiles in quantum hujusmodi sunt (nam et Deo odio sunt impius *Sap.* XIV et impietas ejus; hominibus quoque odibilis est avarus, quum sit eis injuriosus : nam detinet solus quod est ad plurium utilitatem concessum); « largitas » vero, per quam divitiæ liberaliter, non prodigaliter, distribuuntur, facit homines « claros », id est virtute nobilitatos, amabiles ac divinos, quum divina exsistat proprietas, propria bona aliis communicare et in multos diffundere. Propter quod Philosophus ait in Ethicis : Bonum quanto communius, tanto divinius. Hinc liberales quum sint benefici aliis, et libenter, prompte, celeriter se diffundant, laudantur, honorantur, atque præcipue diliguntur; econtrario cupidi, parci, tenaces, vituperantur, odiuntur, odiendique sunt secundum quod tales. Liberales quoque dominantur divitiis; divitiæ vero dominantur avaris, qui servi sunt vitiorum, ideo prorsus ignobiles. Hinc Seneca dixit : Avarus nil rectum agit nisi dum moritur.

Tunc quippe dimittit quæ vitiose detinuit. A

Consequenter probat Philosophia, quod divitiæ non sunt pretiosæ ex possidentis natura, quia non possunt ei totaliter nec inseparabiliter adhærere, imo salubrius removentur ab eo, quam ei cohæreant. *Quod si manere apud quemquam non potest quod transfertur in alterum :* quod verum est de terrena substantia, quæ apud possessorem suum non manet dum alteri impertitur ; *tunc est pretiosa pecunia, quum translata in alios* per liberalem communicationem, *usu largiendi,* id est B per actualem elargitionem, seu per usum, id est actum aut consuetudinem, « largiendi » eam aliis cum discretione, *desinit,* id est cessat, *possideri* a possessore priori, qui eas ita exponit. *At eadem* pecunia *si apud unum quanta est ubique gentium congeratur,* id est, « si » tanta reponatur et thesaurizetur « apud » hominem « unum, quanta est ubique gentium », id est, quanta est in omni terra, ita quod universorum pecunia fiat unius, *ceteros sui inopes facit* *, id est, ipsa pecunia uti- C que materialiter faciet ceteros homines, quibus aufertur, se indigentes ac destitutos. Hæc est enim materialium substantiarum natura, quod apud plures simul et semel eædem numero integræ esse non queunt. In quo talium bonorum imperfectio patet : ita quod quantum ad hoc, quodammodo imperfectiora sunt accidentibus nonnullis aliquid spiritualitatis participantibus, ut sunt vox et lux. Unde subjungitur :

* fecerit

Et vox quidem tota pariter, id est una D et integra, *multorum replet auditum,* id est sensum auditus omnium hominum qui simul eamdem audiunt vocem : non quod idem numero accidens sit in diversis subjectis, aut de uno subjecto migret in aliud ; sed eadem numero vox a multis percipitur et auditur, per multiplicationem atque diffusionem orbicularem specierum audibilium ad organum auditus hominum plurimorum, sicut et idem color simul a multis videtur per diffusionem similitudinum visibilium, juxta illud perspectivorum : Omnis visio fit per diffusionem radiorum visualium, quorum pyramis est in oculo, et basis in re visa. De hoc Origenes et Augustinus loquuntur subtiliter ac devote in homiliis, qualiter in hoc, verbum prolatum ab homine similitudinem gerit Verbi increati prolati a Deo Patre. Quemadmodum enim Verbum Patris in corde Patris simplicissimum et unicum permanens, assumpsit naturam humanam, et in ea apparens hominibus ac unum existens, audiebatur a multis, manens in mente Patris : sic verbum hominis in luce intellectus persistens, simplex et unum est ; deinde vocem sensibilem quodammodo induens, procedit unum ad multos, et nihilo minus manet in lumine intellectus.

Vestræ vero divitiæ, nisi comminutæ, in plures transire non possunt, id est, « vestræ » temporales « divitiæ » nequeunt pluribus communicari nisi per partes. *Quod quum factum est, pauperes necesse est faciant quos relinquunt,* ita quod earum ablatio est causa inopiæ horum a quibus tolluntur. Sicque divitiæ faciunt pauperes illos, quemadmodum nauta per suam absentiam causa est periculi submersionisque navis, et sol per suam elongationem a nobis est causa corruptionis cujusdam ac tenebrarum : sicut enim caligo, sic inopia seu paupertas privatio quædam est, non aliquid positivum.

O igitur, id est, exclamatorie dico, *angustas,* id est strictas et repressas, *inopesque divitias* esse terrenas ! id est, in se ipsis defectuosas, et causas paupertatis in illis quibus auferuntur, imo et sæpe in illis quibus adveniunt : qui quo plura acquirunt, plura desiderant ; et sic miseri inopesque probantur, quia pauperior est qui plurima habens, eis non est contentus, quam qui modica habens, contentus est eis. *Quas nec habere totas pluribus licet,* id est, impossibile est atque illicitum ut plures homines habeant easdem et integras, ita quod unusquisque eorum sic habeat eas, *et ad quemlibet sine ceterorum*

paupertate non veniunt, sicut jam patuit. Porro spirituales divitiæ quo liberalius ac universalius communicantur, eo in communicante exuberantius manent : sicut qui plurimos docet, purgat, accendit, ex hoc nequaquam indòctior, sed potius doctior, purior ardentiorque efficitur.

Non ergo in pecunia, non in argento et auro consistit felicitas, sed neque satietas. Imo in abutentibus eis, ac immoderate amantibus nec liberaliter expendentibus ea, est multiplex culpa, offensa gravissima, quum sancti patres ac magni doctores Ambrosius atque Basilius protestentur (quod in Decreto quoque inducitur) : Non minoris est criminis, habenti sua auferre, quam quum possis et habeas, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines ; nudorum indumentum, quod tu includis ; miserorum redemptio, pecunia quam abscondis. Tantorum te scias bona invadere, quantis possis nec vis præstare.

Decret. p. 1, dist. 47, c. 8.

Præhabitis quoque de auri indignitate concordat quod sanctus fatur Bernardus : Filii Adam, genus ambitiosum et avarum, audite : Argentum et aurum quid sunt, nisi terra alba et rubea, quæ solus hominum error pretiosa efficit, aut pretiosiora quam sunt ? Verumtamen præinducta non sunt ita intelligenda, quin hæc metalla speciales, imo et magnas quasdam habeant vires, quum et aurum valeat contra lepram, et vim habeat lætificativam ; sed quod non eatenus prosunt ut cæca mens opinatur avari.

Consequenter idem probat Philosophia de gemmis : in quibus etsi pulchritudo ac decor consistant, tamen ipsarum sunt rerum subjective, non hominum, nisi possessive ; longe quoque inferiores sunt pulchritudine ac splendore, quam rationales intellectualesque creaturæ.

An gemmarum fulgor oculos trahit, id est, allicit et delectat ? *Sed si quid est in hoc splendore præcipui,* id est, si aliquid magni aut magnum quid consistit in hoc splendore, *gemmarum est lux illa,* id est,

A gemmis inest ut accidens, *non hominum* est inhæsive.

Sequitur alia ratio ad hoc ipsum. *Quas quidem gemmas mirari homines, vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu atque compage membrorum,* id est, quid est res inanimata, carens anima, quæ est principium vitæ ac motus ejus in quo est, secundum Philosophum secundo de Anima, carens quoque « compage membrorum », id est connexione (quæ non invenitur in corporibus inanimatis : B propter quod anima dicitur actus seu forma substantialis corporis organici physici, id est corporis naturalis distincta organa seu membra habentis, ut per ea diversas exerceat actiones), *quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur ?* id est, nihil in illis inanimatis habetur quod recte et rationabiliter debeat pulchrum ab hominibus reputari.

Hoc non est ita intelligendum, quasi gemmæ nihil participent de ratione et veritate decoris et claritatis : quod per experientiam C constat esse falsum, præsertim quum juxta S. Dionysii doctrinam quarto capitulo de Divinis nominibus, universa participent pulchro et bono, nec aliquid sit in rebus quod penitus expers sit pulchritudinis omnis. Nec rursus ita intelligenda sunt hæc, quod nequaquam debeamus pretiosorum lapidum pulchritudinem, proprietates, vires, efficacias admirari, quæ tales ac tantæ sunt, quod rationes earum plene cognoscere non valemus, atque quod aliquid de natura quintæ essen-D tiæ in ipsis esse censetur, non substantialiter, sed participanter ac virtualiter magis ; sed quod non debemus talia mirari immoderate, sistendo in ipsis, vel ea nimis appretiando, ita quod per ea retrahamur et impediamur a Deo per inordinatam delectationem complacentiamque in illis, ut hi qui in talibus summum suum bonum constituunt, et rationali creaturæ præferunt ea. Imo debemus gemmarum ac consimilium rerum speciositatem, claritatem, virtuositatem variosque effectus

sapienter mirari, potius tamen sapientiam ac omnipotentiam Dei in illis, et ex omnibus illis ad Creatoris contemplationem ascendere, qui infimis rebus istis tam admirabiles et præclaras qualitates, virtutes, formositates, efficientias indidit ac impressit. Sic quippe Augustinus libro de Civitate Dei, et Hugo ac alii, de gemmarum pulchritudine admirati sunt et locuti. Hinc item subjungitur :

Quæ tametsi Conditoris opera, id est quamvis hæ gemmæ ex diligentia et influxu Creatoris, tanquam ex causa fontali, effectiva et principali, *suique distinctione,* id est ex propria formatione ac ordinatione, tanquam ex causa formali, creata, intrinseca, *postremæ aliquid pulchritudinis trahunt,* id est, aliquid formositatis ultimæ ac infimæ, utpote naturalis et corporalis, sortiuntur : quæ pulchritudo est infima, loquendo in genere, sicut et ipsa inanimata corporalia sunt infima rerum in generali ordine universi, in quo prima sunt intellectualia, ut angeli, secunda vero rationalia, ut homines, tertia sensitiva, quarta vegetativa, quinta inanimata, quamvis multiplicius possit rerum ordo distingui ; *infra tamen vestram excellentiam collocatæ,* quia multo inferioris naturæ ac dignitatis sunt quam homines, *admirationem vestram nullo modo merebantur,* id est, nequaquam dignæ fuerunt tam vehementer et excessive in admiratione haberi a vobis, propter quos creata sunt inferiora hæc omnia.

Consequenter declarat Philosophia, quod nec in naturalibus divitiis aut earum decore, sit immoderate lætandum, nec quærenda felicitas.

An vos agrorum pulchritudo delectat ? Quod autem subjungitur, *Quidni ?* id est, quid aliud ageret, et quare non delectaret? legi potest tanquam responsio ex parte Boetii, et etiam ex persona Philosophiæ. Frequenter namque idem interrogat et respondet, præsertim dum quærit quod alium novit concessurum, quemadmodum in Actibus B. Paulus sciscitatur regem Agrip-

A pam : Credis, rex, Prophetis ? Scio quia credis. (Act. xxvi, 27.) *Est enim pulcherrimi operis pulchra portio,* id est, ager seu agrorum congeries est pulchra pars mundi totius, seu mundi sensibilis, qui est pulcherrimum opus Dei, præsertim totum universum, quod omnium pulchritudinum creatarum totalitatem totiusque ordinis universi decorem includit : et de hoc in primo Timæi disseruit Plato, ut infra dicetur.

Porro pulchrum delectat naturaliter visum, sicut veritas intellectum, bonitasque B affectum. Hinc subditur ex Philosophiæ persona : *Sic quondam sereni maris facie gaudemus,* id est, ita aliquando naturaliter delectamur adspiciendo abyssum seu quodcumque brachium ejus. Imo et flumina, quando tranquilla sunt seu quieta, et lumine solis perfusa, sunt diaphana atque clara. *Sic cœlum, sidera, solem lunamque miramur,* id est, de tanta cœlestium orbium magnitudine, causalitate, virtute, de siderum ac planetarum venustate, celerrimo motu, influentiis efficientiisque stu- C pemus et gloriamur. Unde et Psalmista concinit : Quoniam videbo cœlos tuos, (Ps. viii, 4.) opera manuum tuarum ; lunam et stellas, quæ tu fundasti. Quod agere debemus, quatenus ex tam præclaris effectibus consideremus, miremur, colamus, vereamur ac intime diligamus omnipotentem, supersapientem et superpulcherrimum Creatorem. Ad quod hortatur nos Scriptura, dicens : Levate in excelsum oculos vestros, (Is. xl, 26.) et videte quis creavit hæc.

De hac cœlestium corporum specie et D amœnitate ad intuendum, scriptum est in Ecclesiastico : Species cœli in visione gloriæ ; (Eccli. xliii, 1, 2, 4, 5.) sol in adspectu, vas admirabile, radios igneos exsufflans : magnus Dominus, qui fecit illum. Luna vas castrorum in excelsis, (Ibid. 6, 9, 10.) in firmamento cœli resplendens gloriose ; species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. Hinc eos qui ex horum divinorum effectuum consideratione non agnoverunt Creatorem, aut cognitum non coluerunt, reprehendit Scriptura in libro Sapientiæ : Vani (Sap. xiii, 1, 5.)

sunt (inquiens) omnes homines in quibus A non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est : a magnitudine enim speciei et creaturæ poterit cognoscibiliter creator horum videri.

Num te aliquid horum attingit? id est, numquid aliquid horum tam propinquum est tibi, aut sic spectans ad te, ut de ejus pulchritudine debeas immoderate mirari aut delectari? Vel, « Num te aliquid horum attingit », id est, tantæ dignitatis est ut tu creatura rationalis? Quasi dicat, Non. Verumtamen philosophi asserentes corpora cœlestia esse animata, dixerunt ea hominibus digniora, sicut et auctor libri de Causis. Unde et Aristoteles tertio de Anima, solem appellat patrem virorum atque deorum. Plato quoque in primo Timæi, ex persona primi Opificis dicens, O dii deorum, quorum pater opifexque ego : per deos deorum intelligit sidera ac planetas. Tutius tamen videtur putare quod animata non sint : quod etiam S. Basilius, Damascenus atque Cyrillus affirmant. Porro Au- C gustinus super Genesim et in Enchiridio hoc relinquit sub dubio.

Num audes alicujus talium splendore gloriari? id est, non debes de pulchritudine horum aut consimilium eis inordinate gaudere, quasi digniora sint te. Propter quod in Deuteronomio Moyses loquitur :
Deut. IV, 19. Ne oculis elevatis ad cœlum, videas solem et lunam, et omnia astra cœli; et errore deceptus, adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus. D

An vernis floribus ipse distingueris? id est, numquid tu ipse ornaris vernalibus floribus, quibus tempore veris ornantur campi et arbores decorantur? quasi dicat : Non. Idcirco non debes in illis quasi sint tua ornamenta gaudere. Quod tamen potest et ita exponi : « An vernis floribus » tu « ipse distingueris »? quasi dicat : Tu ipse ornatus es decore multum præclariori quam illi, præsertim quantum ad animam. Est tamen in illis decor naturalis tam ingens, quod decor artificialis ei nequit esse æqualis. Propter quod apud Matthæum loquitur Christus : Videte lilia agri quomodo crescunt; dico Matth. autem vobis, quod nec Salomon in omni 28, 29. gloria sua coopertus est sicut unum ex illis. Etenim quamvis ars humana imitatur naturam, non tamen potest ei æquari, secundum Avicennam : quemadmodum etiam natura imitatur artem divinam et increatam, cui æquari nullatenus valet.

Aut tua in æstivos fructus intumescit B *ubertas?* id est, an « ubertas » seu fertilitas « tua intumescit », id est, augetur et crescit, « in fructus æstivos », qui scilicet maturantur æstate? tanquam dicat : Non est hæc tua fecunditas, sed agrorum, ex influentiis cœlestium corporum, secundum philosophos. Et consonat illud Isaiæ prophetæ : Quomodo descendit imber de Is. LV, 1 cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit. Non ergo de illa fertilitate licitum est tibi inaniter gloriari.

Quid igitur inanibus gaudiis raperis? id est, ad quid inordinate exsultas, et de creaturis aliter quam in Deo lætaris? Ideo dixit Apostolus : Qui gloriatur, in Domino II Cor. glorietur. Porro inane gaudium est quod 17. non est in Deo, nec de Deo, nec relatum ad Deum : potissime quod consistit in actibus vitiosis, et de malo concipitur, sicut in Proverbiis dicitur de iniquis, Lætantur Prov. II, quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. De tali inordinata lætitia in Ecclesiaste legitur : Cor sapientium ubi tri- Eccle. stitia, et cor stultorum ubi lætitia. 5.

Quid externa bona, id est cur bona exteriora, sensibilia et terrena, *pro tuis amplexaris,* id est, avide cupis et apprehendis, quasi sint vera et principalia ac propria tua bona? Quod frequenter est improbatum : nam et teste Ambrosio, non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest. *Nunquam tua faciet esse fortuna,* id est, ipsa « fortuna », quæ est causa per accidens seu effectus fortuitus, ista exteriora temporalia bona « nunquam faciet

esse tua » bona principalia (quæ sunt bona hominis secundum quod homo, id est rationalis creatura : et hæc sunt intellectualia, spiritualia æternaque bona), *quæ a te natura rerum fecit* esse *aliena,* id est, ipse Creator, qui est natura naturans, « fecit » temporalia atque fortuita bona « aliena a te », id est alterius naturæ quam tu es, quum illa sint secundum se tota corruptibilia, nec veræ felicitatis capacia. Natura quoque particularis naturata et causæ illæ secundariæ naturales cœlestes, sunt causæ illarum terrestrium et temporalium rerum, videlicet intelligentiæ, orbes cœlorum ac sidera, atque univocæ et propriæ causæ particulares.

Verum his objici potest, quod in libro de Bona fortuna ait Philosophus : Sine exterioribus bonis, quorum fortuna est domina, neminem contingit esse felicem. Dicendum, quod bona exteriora sunt hominis bona secundum quid, utpute bona adminiculatoria, secundaria, et media quædam ad principalia bona; nec eorum domina est fortuna quasi dea quædam aut causa per se, sed quia interdum subjacent
Cf. p. 28 C, 168 C'. fortunæ et ex ea proveniunt, ut dictum est sæpe. Hinc sequitur :

Terrarum quidem fructus, id est fruges agrorum et terræ nascentia, *animantium procul dubio debentur alimentis,* id est, ex ordinatione Creatoris deputata sunt animalium pastui, et etiam hominum, in quantum cum brutis communicant in sensitiva et vegetativa natura. Unde in Genesi
Gen. I, 29, 30. Dominus ait primis parentibus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ. Idcirco et Plato loquitur in Timæo, quod Deus jussit terram pro parte esse discoopertam ab aquis, propter hominum et animalium habitationem et pastum.

Sed si (quod naturæ satis est) replere indigentiam velis, id est, si cupias satisfacere necessitati naturali, famem exstin-

A guendo, quod sufficit naturæ humanæ quoad ejus refectionem, *nihil est,* id est vanum et vitiosum, *quod fortunæ affluentiam petas,* id est, quod temporalem abundantiam et delicata pretiosaque fercula appetas. *Paucis enim* generibus alimentorum, *minimisque,* id est valde parvis quantitate, *natura contenta est,* utpute simplicibus cibis ac potibus. Quod patet ad sensum in rusticis et egenis, in incarceratis et studiosis, præsertim in sanctis religiosis, qui olim abstinentissime et sobriissime vixe-
B runt in eremo, panem et aquam cum grandi parcitate sumentes, et tamen multo diutius saniusque vixerunt quam sæculares divites delicate viventes. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Qui abstinens est, Eccli. xxxvii, 34; xxxi, 37.
adjiciet vitam; sanitas est animæ et corporis sobrius potus. Rursus quoque in Ecclesiastico dicitur : Noli avidus esse in Ibid. xxxvii, 32-34.
omni epulatione, nec te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, et propter crapulam multi obierunt. Denique, quum anima finis sit cor-
C poris, ita reficiendum est corpus ut expedit animæ, hoc est, secundum quod corpus magis dispositum est ad hoc, quod anima per ipsum suas perficiat actiones, ac Deo deserviat in veritate et sanctitate justitiæ : ad quod certum est sobrietatem et castitatem requiri.

Ex immoderantia quoque plurima mala sequuntur. Unde subjungitur : *Cujus satietatem si superfluis urgere velis,* id est, ventrem jam satis refectum cœperis provocare atque impellere ad plus sumen-
D dum, *aut injucundum quod infuderis fiet, aut noxium :* id est, quod ultra acceperis de alimento, minus bene sapiet tibi, nec delectabit gustum, quoniam satiatus fastidit, et nauseat plus sumendo; aut nocivum erit corpori et animæ, ipsum corpus gravando et ad infirmitatem disponendo, ac vitam abbreviando, animam etiam inclinando ad vitia, et ineptam faciendo ad actus virtutum. Hinc in Luca loquitur Christus : Attendite vobis, ne forte gra- Luc. xxi, 34.
ventur corda vestra in crapula et ebrie-

Luc. VI, 25. tate; et denuo : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Hinc ait Chrysostomus : Simplicior victus et mensa medioeris plurimum habet jucunditatis ; econtrario divitum mensæ exsecrabiles et horridæ, contaminationisque plenæ. Augustinus quoque : Sobrietas, inquit, est mentis et corporis omniumque membrorum tutela, pudicitiæ ac castitatis munimen, pacis et amicitiæ custos, honestati semper conjuncta ; econtra gula obruit mentem, rationem excæcat, compunctionem et Dei timorem excludit, bonorum operum parit fastidium, ad levitates dissolutionesque provocat, atque libidini ministrat fomenta. Ideo in Phædone asserit Plato : Intentio philosophi est minime circa corpus esse, et maxime distare ab eo, et ad animam converti; itemque : Non est (ait) philosophi circa ciborum ac potuum aut venereorum voluptates studere, imo hæc omnia desiderio sapientiæ aspernari.

Præterea, quia « natura paucis minimisque contenta est », recte in Ecclesiastico *Eccli.* XXXIX, 31. conscriptum est : Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, sal, lac, et panis similagineus, mel, botrus uvæ et oleum. Sed infelix et insensata carnalitas ita corrupta est ac irrefrenata, ut recte dicat Innocentius Papa : Initium vitæ hominis, panis et aqua : gulosis autem non sufficit fructus arborum, neque diversa leguminum genera, non radices herbarum, nec pisces aquarum, non bestiæ terræ, nec aves cœli ; sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, nutriuntur altilia, capiuntur obesa, quæ studiose coquuntur, laute parantur officio ministrorum. Verum, ut ait Scriptura : *Prov.* XXI, 17; XX, 1. Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens. Nempe, ut sanctus Job protestatur, *Job* XXVIII, 12, 13. Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium ; et teste Gregorio, Quæ carnem oblectant, spiritum necant. Ideo dixit Apostolus : *Rom.* XIII, 14. Curam carnis ne feceritis in desideriis. Hinc demum in universalibus scholis sobrie vivunt studentes.

Deinde tangit Philosophia, quod nec in vestibus pretiosis ac splendidis sit lætandum, nec summum bonum quærendum. *Jam vero pulchrum variis fulgere vestibus putas?* id est, an tu, Boeti, æstimas « pulchrum », id est delectabile, decens, ornatum, « fulgere vestibus variis », id est plurimis ac diversis, pretiosis et curiose formatis? *Quarum si grata intuitu species est*, id est, si pulchritudo vestium talium « grata », id est, accepta ac placens, « est intuitu », id est in ipso earum adspectu, *aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor artificis*, id est, pulchritudinem vestium adscribam lanæ seu filis ex quibus factus est pannus, aut arti sartoris, non tibi. Et quamvis te ornent forinsecus, non tamen in anima. Imo eam magis deturpant : nam et dives ille damnatus qui epulabatur quotidie splendide, induebatur bysso et purpura. *Luc.* XVI, 19. Ipsa quoque immoderata vestium multitudo est damnabilis, quum beatissimus dixerit Joannes : Qui habet *Ibid.* III, 11. duas tunicas, det non habenti. Denique, ut sancti patres Ambrosius Chrysostomusque fatentur : Vir aut mulier exquisite se vestiens aut ornans, ac per hoc aliorum oculos in se trahens, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia venenum præbuit, si fuisset qui biberet. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : In vestitu ne glorieris unquam. *Eccli.* XI, Plato etiam in Phædone effatur : Philosophus inhonorat et despicit vestimentorum pretio differentium possessiones, calceamentorum quoque, et alios corporis ornatus. Præterea, quum unusquisque debeat se vestire secundum exigentiam et tenorem suæ vocationis ac legis, et lex Christi sit lex totius humilitatis, maturitatis et exemplaritatis ; constat quod ad omnem pertineat Christianum, modesto, exemplari humilique vestitu uti ac indui, non curioso, provocativo, inani.

Deinceps probat Philosophia, quod nec in ministrantium copia consistat felicitas. *An vero te longus ordo famulorum*, id est numerus copiosus servorum te instar caudæ sequentium, *facit esse felicem? Qui si vitiosi moribus sint*, id est immorigerati,

perniciosa domus sarcina, id est, nocivum et magnum sunt onus patrisfamilias domusque suæ, *et ipsi domino vehementer inimica,* præsertim si eos corripiat et castiget, quum in Proverbiis Salomon dixerit : Non amat pestilens eum qui se corripit. *Si vero probi sint, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur?* id est, dato quod probi sint servi tui, probitas eorum te formaliter probum non facit, neque denominat te, nec inter divitias tuas spirituales est computanda : quamvis redundet in te et sis particeps ejus, si eos a vitiis retraxisti et ad virtutes hortatus es.

Prov. xv, 12.

Ex præhabitis Philosophia primo concludit : *Ex quibus omnibus, nihil horum quæ in tuis computas bonis, tuum esse bonum, liquido monstratur,* id est, « ex omnibus » rationibus jam prætactis « monstratur liquido », id est, evidenter probatur, « nihil horum quæ in tuis computas bonis », videlicet, nec divitias, neque familiam, nec pulchras vestes, nec alimenta, « esse bonum tuum », id est reputandum esse principale et proprium bonum tuum, sicut nunc sæpe ostensum est.

Quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, id est nihil decoris absolute optandi, tanquam sit pulchritudo præcipua ad beatitudinem pertinens, *quid est quod vel amissis doleas, vel læteris retentis?* id est, non habes rationabilem causam multum et inordinate dolendi de illarum rerum amissione, nec idoneam causam gaudendi multum de earum retentione. Hæc namque quæ cadunt sub fortuna, in se non sunt bona nec mala moraliter, sed indifferentia, ita quod possunt obesse et prodesse, secundum quod homo bene aut male utitur eis : ideo non sunt per se aut propter se appetenda nec fugienda, sed potius sub conditione saltem implicita, utpote, si et in quantum proficua nobis fuerint ad salutem vel impeditiva.

Quod si natura pulchra sunt, id est, si ex propria natura sunt speciosa et appetibilia bona ista fortuita, sicut et sunt : formaliter quippe ex se pulchra sunt, sicut et bona, non autem efficienter; quemadmodum etiam homo ex sua natura formaliter rationalis est, efficienter autem ex Deo. Creator quippe donavit unicuique rei naturam seu speciem, qua ex se formaliter est ens, et bonum, et pulchrum. *Quid id tua refert?* id est, ad te quid hoc pertinet? quia ex hoc tu in te non es melior, pulchrior, neque felicior. *Nam hæc per se, a tuis quoque opibus sequestrata,* id est seorsum considerata et sumpta, atque divisa a tuis donis ac bonis, *placuissent,* id est, pulchra fuissent ac placita. *Neque enim idcirco sunt pretiosa, quod,* id est quia, *in tuas venere divitias,* id est, quia cœperunt pertinere ad te; *sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare maluisti,* id est, voluisti ea conjungere opibus tuis, magis quam non facere hoc, imo et magis quam licuit, appetendo et amando ea nimis intense : quod patet ex hoc, quia de eorum amissione contristatus es immoderanter. Non enim est dolor in amittendo, nisi sit libido in habendo, ut ait Ambrosius. Propter quod etiam ait Cassianus : Signum quod religiosus seu monachus ad rem usui suo concessam inordinate et velut quodam proprietatis affectu afficitur, est quod de ejus subtractione turbatur.

Consequenter Philosophia ex compassione communi circa mortales, pie reprehendit eorum inordinatum desiderium et conatum circa terrena.

Quid autem tanto fortunam strepitu desideratis?* id est, cur tam inquieto et impetuoso appetitu « desideratis fortunam », id est prosperitatem fortunæ, seu bona fortunæ? *Fugare, credo, indigentiam copia quæritis,* id est, puto quod ideo, quia optatis « indigentiam » vestram « fugare », id est removere a vobis, « copia », id est per abundantiam, sicut infirmitas sanitate expellitur, et universaliter contraria curantur contrariis. In hoc tamen per superfluitatem exceditis ex inordinato affectu et cura superflua, quia penuria

* fortunæ

melius fugatur competentia quam abundantia rerum. Idcirco subjungitur :

Atqui, id est certive, *hoc vobis in contrarium cedit*, id est, ex abundantia ingeruntur vobis multa mala graviora quam indigentia ipsa. *Pluribus quippe adminiculis*, id est auxiliis, *opus est ad tuendam pretiosæ supellectilis varietatem*, id est ad custodiendum, conservandum ac protegendum abundantiam possessionum, ne fraude, dolo, violentia, voracitate, furto, rapina, aut alio modo subtrahantur. *Verumque illud est, permultis eos indigere qui permulta possident*, id est, « verum est » dictum « illud » commune, quod valde multis indigent, qui possident valde multa : indigent enim opulenti multis subsidiis, curis, provisionibus, custodiis et ministris, et raro vel nunquam habent tranquillitatem securitatemque mentis. *Contraque*, id est, et econtra verum est, *minimo indigere*, illos *qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus sui superfluitate, metiantur*, id est, qui mensurant, refrenant ac temperant « abundantiam » rerum « necessitate » suæ « naturæ », non plus appetendo de necessariis vitæ, quam requirit necessitas aut saltem utilitas suæ naturæ, « non superfluitate sui ambitus », id est ambitionis, seu libidinosæ sive inordinatæ affectionis.

Deinde subditur alia ratio reprehensionis istius. *Itane autem nullum est proprium vobis atque insitum bonum*, id est, an ideo ita habetis vos, exteriora ista quærendo, quia « nullum » concessum et deputatum « est vobis proprium bonum », utputa bonum spirituale, competens vobis in quantum estis rationalis naturæ, « atque insitum », id est bonum naturale et intellectuale, animæ vestræ ingenitum, ut sunt, memoria intellectualis, ratio et voluntas, inchoatio quædam scientiarum atque virtutum, seu habitus principiorum in speculativis, qui dicitur intellectus, atque in practicis, qui ab aliquibus appellatur synderesis, *ut in externis*, id est exterioribus, *ac sepositis*, id est seorsum extra vos positis, *rebus*, puta in rebus caducis et vilibus, *bona vestra quæratis*, id est, ea quæ ad perfectionem pertinent ac salutem? Nam ea quæ homo potissime diligit, in his sibi profectum et ultimum finem constituit, quemadmodum de gulosis et carnalibus ait Apostolus : Quorum deus venter est. (Philipp. III, 19.) Sic namque de superbis et ambitiosis dicere possumus : Quorum deus est honor mundanus et excellentia temporalis; et itidem de avaris : Quorum deus denarius est. Propter quod avaritiam vocat Apostolus idolorum servitutem. (Ephes. v, 5 ; Coloss. III, 5.) Quasi dicat Philosophia : Quoniam propria ac innata bona rationalis creaturæ sunt rebus exterioribus multo præstantiora, valde indignum est ut in exterioribus sibi statuat summum bonum. Imo hoc est subversio ordinis rerum. Propterea quasi ironice subditur :

Sic rerum versa est conditio, id est, ordinatio rerum ita mutata est, *ut divinum merito rationis animal*, id est, ut homo, qui est « animal divinum », id est Deo simile, quantum ad similitudinem in specie, « merito », id est jure ac privilegio, « rationis » (vel, « merito », id est per virtuosos ac meritorios actus, « rationis »), *non aliter sibi splendere nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur*, id est, putet se non aliter eminentem et inclytum esse, nisi possideat facultates pecuniæ terrenarumque rerum?

Et alia quidem suis contenta sunt, id est, animalia irrationalia « contenta sunt » et quiescunt, dum obtinuerint et habuerint ea ad quæ naturaliter ordinantur : in quibus secundum gustum et tactum maxime delectantur. *Vos autem Deo mente consimiles* similitudine imitativa, non naturali, utpote ad imaginem et similitudinem Dei creati, (Gen. I, 26, 27.) « mente », id est quantum ad intellectualem et superiorem animæ portionem, in qua ponuntur tres vires, ratio, memoria et voluntas, *a rebus infimis, excellentis naturæ ornamenta captatis*, id est, assidue capitis seu captare conamini « ornamenta excellentis naturæ », id est

profectum, prosperitatem, salutem vestræ A animæ rationalis, seu vestræ naturæ intellectualis, a transitoriis bonis, in quibus vobis finem ultimum collocastis, illis plus adhærendo quam summo et incommutabili bono.

Nec intelligitis quantam Conditori vestro faciatis injuriam, parvi pendendo et transgrediendo ejus præcepta etiam in ejus præsentia, ac bono illi prorsus incomparabili et immenso, in omni sanctitate, dignitate, perfectione et gloria penitus infinito, quod a vobis pater appellari B dignatur, præferendo ista terrena, fœda, carnalia. Quæ injuria tanto est major quanto ipse Deus est præstantior : et ita est quodammodo infinita. Unde et pœna æterna ei debetur. Estque in peccato mortali summa ingratitudo, et certe incomprehensibilis quædam enormitas. Nempe, quum excessus in alium commissus tanto sit gravior, quanto major, dignior, sanctior est is in quem committitur, quanto etiam ipse peccans plura atque majora ab illo beneficia est sortitus ; ideo, sicut nemo C comprehendere valet infinitam excellentiam et beneficentiam Creatoris, ita nec enormitatem peccati mortalis. Quod etiam constat ex hoc, quod pro uno peccato mortali quantumlibet modico, sempiterna infertur damnatio. Propter quod scribit Eusebius Emisenus : Si scire volumus quam graves Deus reputet nostras culpas, respiciamus ad pœnas.

Verumtamen, etiam impii quidam ista aliquo modo intelligunt, qui scilicet ex certa scientia peccant; sed illa eorum in- D tellectio est informis, obscura, insipida, non formata, nec affectum immutans. De quibus verificatur illud Apostoli ad Roma-
Rom. I, 21. nos : Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Hinc quoque secundum Philosophum in Ethicis, Omnis peccans est ignarus. Et Psalmista fatetur :
Ps. XLVIII, 13, 21. Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. Unde ad insinuandum ingratitudinem insipientiamque peccantium, Deus loquitur per Isaiam : Cognovit bos possessorem *Is.* I, 3.
suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit. Et per Jeremiam : Milvus in cœlo cognovit tem- *Jer.* VIII, 7.
pus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini.

Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit, id est, Deus omnipotens « voluit » atque instituit, quod homines præstantiores sint cunctis terrenis : juxta illud in Psalmo, Omnia subjecisti sub pe- *Ps.* VIII, 8.
dibus ejus. *Vos dignitatem vestram infra infima quæque* rerum *detruditis,* id est, peccando propriæ dignitati maxime derogatis, et vilissimos facitis vosmetipsos. Idcirco peccator indignus est pane quo vescitur, aere quem respirat, terra quam calcat : imo peccando inimicus Dei, servus et membrum diaboli, minister peccati efficitur. Ideo in libro Sapientiæ fertur : Cor *Sap.* XV, 10, 11.
iniqui cinis est, et luto vilior vita ejus, quoniam ignoravit qui se finxit. Aristoteles quoque primo Politicorum testatur : Sicut homo ratione utens, est animal optimum, ita a lege et justitia se avertens, est animal pessimum. Imo ut denuo loquitur: Homo iniquus decies millies est pejor bestia.

Nam si omne cujusque bonum, eo cujus est constat esse pretiosius, id est, quoniam « constat » seu certum est, « omne bonum » cujuscumque rei, loquendo de bono objectali perfectivo alterius, « esse pretiosius », id est præstantius, « eo cujus est » bonum, sicut et agens honorabilius est patiente, et perficiens eo quod perficit; *quum vilissima rerum,* id est infima ista terrena, *vestra bona esse judicatis,* id est objecta vestræ felicitatis, in quibus vobis ultimum constituitis finem, *eisdem vosmetipsos vestra existimatione,* id est proprio judicio, *submittitis,* quoniam finis reputatur melior his quæ ordinantur ad ipsum. Hinc secundum Augustinum, pec-

care non est nisi frui utendis, et uti fruen- A dis. Solo etenim summo bono objectaliter est fruendum, id est summe ac finaliter inhærendum ; creaturis vero utendum, ordinando eas ad Deum : cujus contrarium agit peccator.

Quod quidem haud immerito cadit, id est, istud, videlicet tanta vestra vilificatio, non « immerito », imo juste et ex vestro demerito, accidit vobis. Quod consequenter probatur.

Humanæ quippe naturæ ista conditio est, id est ista proprietas, *ut tum tantum* B *ceteris rebus, quum se cognoscit, excellat*, id est, ut tunc solum excellentior sit irrationalibus creaturis, dum « se cognoscit » actu aut habitu, cognitione salubri, formata, approbativa boni et practica : quæ est actio doni scientiæ, non informis ac nudæ scientiæ. De qua salubri scientia
Sap. x, 10. scriptum est in libro Sapientiæ : Justum deduxit Dominus per vias rectas, et dedit illi scientiam sanctorum ; in Isaia quoque :
Is. xxxiii, 6. Divitiæ salutis, sapientia et scientia. *Eadem tamen infra bestias redigatur*, id est, hæc C « eadem » natura humana tunc vilior brutis reddatur, *si se nosse desierit*, id est, quando ab hac formata sui ipsius notitia actuali aut habituali cessaverit. Quum namque ista cognitio sit actus scientiæ
Ibid. xi, 2. quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti, quæ dona insunt unicuique caritatem habenti, prout Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura, super secundum ac tertium Sententiarum conscribunt ; idcirco, quamdiu permanet homo in caritate, tamdiu manet in ista scientia. Nec tenetur D indesinenter ad actualem sui cognitionem, sed tempore opportuno. De qua et Apo-
II Cor. xiii, 5. stolus fatur : An non cognoscitis vosmetipsos ? nisi forte reprobi sitis.

Hæc ergo cognitio non est definitiva, scholastica, qua plurimi vitiosi sciunt quod homo est animal rationale mortale ; sed theologica, devotionalis, qua homo affectiva scientia noscit se Dei creaturam, ad ejus imaginem et similitudinem conditum ad obtinendum æternam salutem per Christum. Verumtamen, sive homo cognoscat se ipsum hoc modo, sive non, attamen excellentior est irrationalibus rebus dignitate naturali, specifica : quia peccata non auferunt naturalia, ut quarto capitulo de Divinis nominibus S. Dionysius loquitur. Sed excellentiam supernaturalem, gratuitam, meritoriam, quæ per caritatem et gratiam condonatur, perdit homo per culpam ; bestiisque vilior redditur, odibilis et abominabilis Deo, quemadmodum in libro Sapientiæ legitur, Odio sunt Deo im- Sap. xiv, 9.
pius atque impietas ejus ; atque in Psalmo, Virum sanguinum et dolosum abomina- Ps. v, 7.
bitur Dominus.

Nam ceteris animantibus, sese ignorare intellectuali notitia, *naturæ est*, id est naturale, et ex natura competit eis, quum non sint reflexiva super se ipsa. Propter quod scriptum est in Job : Deus docet nos Job xxxv, 11.
super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos. *Hominibus vero, vitio venit*, id est, ex vitiis est, juxta illud libri Sapientiæ : Excæcavit illos malitia eorum. Sap. ii, 21.
Michæas quoque ait : Numquid vestrum Mich. iii, 1, 2.
est scire judicium, qui odio habetis bonum ? Vitia namque sunt caligo ac tenebræ inter totius luminis fontem ac mentem creatam dividentes, secundum quod Isaias inducit : Iniquitates vestræ divise- Is. lix, 2.
runt inter vos et Deum vestrum. Itaque, sicut et Rabbi Moyses ait : Propter splendorem intellectus, quid divinum competit homini. Unde et primo Timæi asserit Plato : Hominibus divina præditis firmitate, Divinitatis consortium est et appellationis parilitas.

Quam vero late patet hic error vester ! id est, valde longe ac « late » et plane constat deviatio et inconsideratio vestra, *qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis*, id est extrinsecus, ita quod ex illis additamentis fiat quid in se ipso et in sua substantia pulchrius. Propterea dixit Gregorius : Quibuslibet ornamentis ac vestibus circumponatur induaturque caro, quid est caro, nisi caro ? Hinc unus fratrum S. Bernardi, suæ sorori

adhuc sæculari et sæculariter compositæ dixit : Stercus es involutum.

At id fieri nequit : nam si quid ex appositis luceat, utputa vestis aut ornamentum, *ipsa quidem quæ sunt apposita laudantur,* id est, pulchra ac splendida appellantur; *illud vero his tectum atque velatum, in sua nihilo minus fœditate perdurat.* Quemadmodum S. Cyrillus episcopus, vir eloquentissimus atque doctissimus, in suis refert Proverbiis vulpem dixisse ad simiam pulchre seu potius ridiculose vestitam : O si splendor sapientiæ te intus ornaret, in hac veste te irrisam potius quam vestitam adverteres; nec de vestis decore gauderes, sed de innata tua fœditate verecundareris. Et gloriatio tua inanis te ita infatuat, ut nec catenam neque cippum quibus teneris ligata et libertate cunctis desiderabili destituta, consideres.

Verumtamen his objici potest, quod ait Scriptura : Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. (Ps. CXLIII, 12.) Et multa in Scriptura similia leguntur. Et respondendum, quod talia dicta sunt de ornatu exteriori, apparenti, non vero et exsistenti. Denique, etsi corpora vestibus pretiosis, curiosis, pompaticis decorantur, animæ multo infelicius per easdem deturpantur. Nuncque utriusque sexus personæ tam irreligiose et indecenter incedunt vestitæ, ut inhonestissima brevitate et insensatissima longitudine comprobentur a dæmonibus magis illusæ quam arte humana opertæ : quemadmodum secundo libro Regum, servi regis David a rege Hanon turpiter valde derisi leguntur, vestibus eorum usque ad nates præscissis. (II Reg. X, 4.)

Postremo, adhuc plenius probat Philosophia divitias esse spernendas, propter vitia concomitantia eas. *Ego vero nego illud esse bonum,* id est proficuum ad salutem, *quod noceat habenti,* id est, quod impedit a salute. *Num,* id est numquid, *id mentior? Minime, inquies. Atqui,* id est pro certo, *divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt,* id est, peccandi occasionem, incitamentum, materiam præbuerunt. Non tamen divitiæ in se malæ sunt, dicente ad Timotheum Apostolo : Omnis creatura Dei bona est. (I Tim. IV, 4.) Nec virtus et vitium sunt in rebus, sed in bene aut male utentibus. *Quum pessimus quisque, eoque alieni magis avidus,* id est, ex hoc ipso quod pessimus est, et ex sua malitia, cupidior est rerum alienarum, *quidquid usquam auri gemmarumque est, se solum qui habeat, dignissimum putat,* id est, reputat « se solum » esse « dignissimum » ad habendum « quidquid auri » et « gemmarum est usquam », id est, in quocumque loco aut tempore ita infelix cupiditas ac vitiositas ipsum excæcant, ut quum propter scelera sua etiam minimis sit indignus, dignissimum se ad habendum omnia arbitretur : cujus signum est, quod habitis non contentus, indefesse acquirere plura conatur. Hinc per Isaiam talibus dicitur : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis : numquid vos soli habitabitis in terra? (Is. V, 8.)

Hæc est avarorum insania, excæcatio densissima, stultitia infinita, quod quum anima incomparabiliter sit nobilior corpore, vita quoque futura inæstimabiliter sit diuturnior vita præsenti, itemque interiores divitiæ sine mensura exterioribus sint præclariores, ipsi miserrimi de animarum suarum divitiis ac salute nullam aut novissimam habeant curam, infatigabiliterque solliciti sint congregare terrena, etiam dum revera competentiam habeant eorumdem. Propter quod asserit Augustinus : Avarus similis est inferno; quia infernus quantoscumque devoraverit, non repletur, nec dicit, Sufficit : ita nec avarus, quanquam omnes thesauri in eum confluxerint. (Prov. XXX, 15, 16.) Quid tu, Christiane, divitias cupis, quum audias Christum dicentem, Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei? (Luc. VI, 20.) Itemque, Quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum! (Ibid. XVIII, 24.)

Tu igitur, o avare, *qui nunc contum,* id est fustem seu baculum, *gladiumque sollicitus pertimescis,* ambulando per vias

seu inter alios exsistendo cum tuis divi- A tiis, *si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares*, id est, nec furem nec raptorem neque latronem anxie formidares, quia nil tibi possent auferre. Et hoc communiter ita est, præsertim dum impii illi agnoscerent te nihil tecum habere quod ipsis possit servire. Aliqui tamen ita corrupti sunt et penitus inhumani, ut sola crudelitate in ipsa humani sanguinis effusione lætentur. Hinc, ut beatus refert Hieronymus, dum latrones in cellam irruissent B. Hi- B larionis adhuc adolescentis, atque dixissent, Quid faceres, si ad te venirent latrones? respondit : Nudus latrones non timet. Et illi : Certe occidi posses. At ille : Possum, inquit, et idcirco non timeo, quoniam mori paratus sum. Ecce quanta in tanta paupertate securitas, quanta bonæ conscientiæ quies.

Deinde Philosophia zelo justitiæ irridens divitiarum prosperitatem, ironice subdit : *O præclara opum mortalium beatitudo!* Quod ex contrario accipiendum est sensu : C quasi dicat, Vere misera est opulentia temporalis, propter mala culpæ et pœnæ sibi adjuncta. *Quam quum adeptus fueris, securus esse desisti,* quoniam labor est in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo. Hinc quum Diogeni in lectulo quiescenti fur sacculum pecuniæ juxta lectum pendentem niteretur auferre, ille respondit : Tolle, miser, ut facias duos dormire. Tanquam diceret : Ego timore perdendi, tu desiderio acquirendi, a somno impedimur.

De malis demum cupiditati annexis, ait Chrysostomus : Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperata, furor injustus, arrogantia, ambitio, contumelia, gula, indignatio, et omnis irrationabilis motus. Et rursus : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. *Eccle.* I, 2. Hunc versiculum si saperent qui in divitiis deliciisque versantur, in cunctis parietibus et vestibus suis, in domo, in januis, in cubili, in cœnaculis, et ante omnia in cordibus et conscientiis suis; eum conscriberent, ut eum indesinenter oculis cernerent, ac corde sentirent.

ARTICULUS XVIII

DIFFICULTATUM AC QUÆSTIONUM HUJUS QUINTÆ PROSÆ PROPOSITIO BREVISQUE ABSOLUTIO.

Cf. p. 231 B. JOANNES. — Nunc allegasti Aristotelem libro de Bona fortuna dicentem, quod sine exterioribus bonis, quorum fortuna D est domina, non contingit esse felicem. Ex qua auctoritate concedendum videtur, quod fortuna sit domina rerum quæ cadunt sub ea. Quod non apparet : quia secundum hoc non viderentur errasse gentiles, qui coluerunt fortunam.

DIONYSIUS. — Bona fortunæ et bona naturæ realiter idem sunt, et differunt ratione. Dicuntur quippe bona naturæ, quia ex naturalibus causis directe producta, seu naturali rerum ordine provenientia : sicque temporalia ista, et divitiæ naturales aut etiam artificiales, vocantur bona naturæ. Quæ item dicuntur bona fortunæ, in quantum raro et præter intentionem proveniunt vel contingunt. Hinc aliqui dicunt, quod bona inferiora considerantur tripliciter. Primo, quantum ad suam originem : et ita dicuntur bona naturalia. Secundo, quantum ad suum usum et possessionem : et ita sunt bona humana, quia ad usum et commodum hominum ordinata, quum et secundo Physicorum fateatur Philosophus, quod homo est quodammodo finis omnium. Quod tamen aliqui asserunt de

solis artificialibus dictum : nihilo minus A verificatur de his omnibus quæ naturaliter sunt homine inferiora, quia in ordine universi videmus quod inferiora ad superiora quodammodo ordinantur, et in eorum usum commodumque proveniunt. Unde in
'en. ix, 3 ; 29. Genesi Dominus ait hominibus : Quasi olera virentia dedi vobis omnia ad vescendum. Tertio, quoad proventum seu attributionem : et ita fortuna nominatur domina eorum quæ fortuitu accidunt, in quantum cum fortuna proveniunt, et cum ea recedunt. Est itaque domina talium, non ut B causa per se, neque ut quædam dea, sed ut causa per accidens, atque in quantum quis dicitur ex causis cœlestibus bene for-
'f. p. 28 C, C' et s. tunatus, ut declaratum est supra.

Matth. v, ; viii, 20 ; ix, 21, 29. Joannes. — Si sine divitiis non contingit esse felicem, cur Christus in tantum beatificat pauperes, cunctasque divitias exemplo et verbo docuit esse spernendas ?

Dionysius. — Sine divitiis competentibus non contingit esse felicem felicitate politica. Divitiarum vero abjectio confert ad promerendum ac obtinendum beatitu- C dinem contemplativam : de qua agit Salvator. Qui etiam asserendo, Beati pauperes, loquitur de beatitudine viæ : quæ est meritum, non præmium ultimatum ; nec est felicitas consummata, sed inchoata. Et
'f. p. 31 C', tc. de his jam supra diffusius dictum recordor.

Joannes. — Quomodo verum est quod
Cf. p. 228 dixisti, cuncta creata participare primo pulchro, sicut et primo vero et primo bono primoque uno, ita quod universa et singula creata sunt pulchra, sicut et bona D et vera ?

Dionysius. — Omne creatum aliquid participat pulchritudinis increatæ : propter quod pulchrum vocatur pulchritudine quadam essentiali specifica, in quantum a Deo productum est secundum idealem exemplaremque rationem mentis divinæ, ut in Timæo disseruit Plato, et in libro LXXXIII Quæstionum Augustinus. Hæc quoque specifica pulchritudo, quæ essentialis est rei, nil reale superadjicit ei, sicut nec bonitas nec veritas nec unitas entitati. Quemadmodum etiam unumquodque creatum secundum se sumptum dicitur bonum ; et omnia simul accepta dicuntur valde bona, juxta illud Genesis, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant Gen. i, 31. valde bona : sic unumquodque creatum secundum se dicitur pulchrum ; omnia vero pariter sumpta, sunt valde pulchra. Propter quod ordo universi pulcherrimus est.

Joannes. — Nonne videmus multa quæ in se sunt valde deformia, fœda, solo adspectu horrenda ?

Dionysius. — Quid turpius diabolo, ratione peccati ? Et tamen naturalia in dæmonibus, ut S. Dionysius quarto ait capitulo de Divinis nominibus, splendidissima manent. Nec est turpior in mundo cloaca, quam peccator impœnitens, vitiosusque homo : qui tamen in sua natura et specie multum naturalis pulchritudinis habet. Natura ergo, et forma rei substantialis in se considerata, pulchra censetur. Hinc secundum Hieronymum, ipsa quæcumque gens, in Prophetis frequenter nomine virginis ac nomine filiæ designatur, non solum gens Judæorum, sed etiam paganorum, ut dum in Isaia dicitur de populo Chaldæorum, Descende, sede in pulvere, Is. xlvii, 1. virgo filia Babylon : ut in nomine virginis designetur naturæ in se sumptæ integritas, atque in nomine filiæ, amabilitas ejusdem naturæ secundum se consideratæ. Diligit enim Deus cuncta quæ fecit, secun- Sap. xi, 25. dum bonam eorum naturam, quam ab ipso sortita sunt. Denique pulchritudo est multiplex, videlicet, corporalis et spiritualis, naturalis et supernaturalis, substantialis et accidentalis, et item moralis : de quibus hic prosequi non est opus. In opusculo autem de Venustate mundi et pulchritudine Dei, de his omnibus plenius scripsi.

Joannes. — Videtur Philosophia in hac prosa, de creaturarum pulchritudine minus bene sentire, dicendo in ea gloriandum non esse : quum tamen aliqui scribant qualiter ex corporali pulchritudine

rerum debeamus ad contemplationem increatæ pulchritudinis ac Sapientiæ creatricis ascendere.

DIONYSIUS. — Quamvis juxta superficiem litteræ videatur esse ut dicis, tamen secundum intentionem Philosophiæ et expositionem præhabitam ita non est. *Cf.* p. 228 C' et s. Ideo Augustinus libro de Civitate et alibi sæpe, Hugo quoque de S. Victore, conscribunt qualiter infinita sapientia increataque pulchritudo Dei, etiam in corporalibus rebus, in mixtis et elementis, in floribus, fontibus, arboribus, gemmis, herbis, metallis, animalibus, in cœlestibus orbibus, in planetis et stellis, præsertim in sole, et in omni horum ordine ac decore, mirabiliter ac gloriose resplendet, commendatur ac eminet. Imo quis omnium horum pulchritudinem satis miretur digneque explicet?

A Unde libro de Civitate Dei loquitur Augustinus : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum condecentia partium et congrua pulchritudine ac harmonia reliquit. Ad quod hinc inde allegat Plotinum Platonicum, quem præ ceteris tangit melius intellexisse Platonem.

JOANNES. — Videtur hæc prosa valde sententiosa et pulchra. De cujus sententiis aliquid plus, si placet, prosequere.

B DIONYSIUS. — Jam ante causatus es prolixitatem. *Cf.* p. 89 A'.

JOANNES. — Allicit me et delectat pulchritudo materiæ sententiositasque sermonis, quam Philosophia non nisi brevissime tangit, magis quam exprimit.

DIONYSIUS. — Faciam quod hortaris.

ARTICULUS XIX

QUOD BEATITUDO NON CONSISTAT IN TERRENIS DIVITIIS.

DE hac materia diu ante Boetium, tam sapienter quam eleganter, ut ipse Boetius, in suis Proverbiis scripsit S. Cyrillus, sic inquiens : Quid tibi summum bonum esse existimas? Nonne id quod maxime diligis? Quantitatem enim boni sequitur amor. Quid ergo potissime amas? Aurum, inquis, cui deserviunt universa : pecuniæ namque, juxta Salomonis sententiam, obediunt omnia. *Eccle.* x, 19. Ad quod tibi respondeo : Bene video quod avaritia habet oculum, sed non visum : quia hoc ipsum quod maxime diligis, non cognoscis. Nempe qua ratione aurum et cetera desiderabilia diliguntur? Nonne quoniam bonitate informantur? Sed propter quod unumquodque tale, illud magis. Ergo quod vere est summum bonum et ipsa bonitatis essentia ac prima ratio diligendi, est maxime diligendum. Hoc autem nequaquam est au- C rum. Imo plurimi sapientes ipsum aurum tanquam virtutis ac pacis impedimentum fugiunt et effundunt. Nam et Brachmani, ut libera tranquillitate civiliter conversentur, ipsum totaliter a suis finibus abdicarunt. Hinc zelatores virtutum senserunt ipsum rebus usibusque humanis potius esse malum quam bonum. Amplius, si aurum et corporales opes sunt summum hominis bonum, cur circumspectissima natura et providentia summa, feris magis quam hominibus hæc bona præcipue est D largita? Smaragdinas etenim gemmas arenulasque aureas Scythiæ, ac aureos Indiæ montes, possident gryphi ; metallorum quoque amplissimis venis et multis lapidibus pretiosis nobis abditis, terra gaudet. Nonne hinc patet, quod sagacissima natura perversitatem avaritiæ confutavit? Hæc enim ita a nobis naturaliter alienata, ut-

pote brutis commissa aut in terris abscondita, fatentur a veris nostris bonis se aliena. Si igitur omnium amabilium finem quæris, et summum bonum sincere diligere cupis, fuge aurum, fuge divitias, cupiditatis exstingue flammas : non enim ditant, sed magis depauperant, dum animum vitiositate captivant. Præterea, homini prosperato ac satis habenti, sed plura quærenti, fortuna obvians dixit : Cur, carissime, non quiescis, quum jam tribuerim tibi satis ? Qui respondit : Sua dulcedine me attrahit bonum; et donec additum fuerit, est molestum. Cui illa : Video, inquit, quod pauper effectus es, postquam cupiditate plus sitis. Ecce depauperavit te amara voluntas : nam si satis haberes, nullatenus amplius quæreres. Recte dixit Epicurus philosophus : In multiplicando veras divitias, nullo modo est adjiciendum pecuniæ, sed avaritiæ detrahendum : tanto enim homo est ditior, quanto cupiditas in eo est minor. De his multa pulchra scribit Cyrillus.

Thomas quoque in Summa contra gentiles, tertio libro, probat in divitiis felicitatem non esse. (cap. 30.) Felicitas enim est bonum propter se intentum et dilectum. Divitiæ vero non nisi propter aliud appetuntur : per se namque nihil conferunt boni, sed solum utimur eis ad corporis sustentationem, et ad alia quædam. Insuper, actus virtutis laudabilis est, secundum quod ad felicitatem accedit. Laudabiliores autem sunt actus liberalitatis et munificentiæ, qui sunt circa pecunias ex hoc quod pecuniæ expenduntur, quam quod conserventur. Amplius, illud in cujus consecutione consistit felicitas hominis, oportet esse quid melius homine : pecunia vero est quid vilius eo. Verum hæ rationes Thomæ jam in textu præhabitæ sunt.

Hinc etiam Plato asserit in Phædone : Propter corporis necessitates, pecunias cogimur possidere, servi hujus curæ effecti; philosophi vero est eis ad solam necessitudinem uti. Concordat id Senecæ : Honesta res est læta paupertas. Imo non est paupertas, dum læta est : etenim non qui parum habet, sed qui plus appetit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si immineat alieno, si non acquisita, sed acquirenda potius computet? Nihilo minus idem Seneca iterum protestatur : Ægri et imperfecti animi est, non posse ferre divitias, nec scire his uti moderate, ac virtuose eas expendere. Quod utique verum est, quum in novo ac veteri Testamento multi Sancti fuerint divites ; sed paucissimorum est tanta perfectio. Qui et implent illud Psalmistæ : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; (*Ps.* LXI, 11.) et item quod prima ad Timotheum scribit Apostolus : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare (I *Tim.* VI, 17-19.) in incerto divitiarum, sed divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Quod quam rarum arduumque consistat, tangitur in Ecclesiastico, quo habetur : Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec (*Eccli.* XXXI, 8, 9.) speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic ? et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua. Ideo Sapiens exoravit : Divitias et paupertatem ne dederis mihi ; tribue tantum victui meo necessaria. (*Prov.* XXX, 8.)

Postremo, quum perpetuitas vitæ futuræ incomparabiliter excedat brevitatem vitæ præsentis, bona quoque gratiæ et dona gloriæ æternalis, potissime bonum illud increatum, immensum, universa bona fortunæ et prosperitatis terrenæ ; ideo, quanto mens hominis desuper clarius illustratur, tanto præcordialiter omnia ista caduca perituraque aspernatur, et comparatione bonorum tantorum nullius putat esse momenti, et Christum in omni paupertate, humilitate ac sanctæ caritatis fervore incessanter sectatur.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PROSÆ.

De morali demum intelligentia hujus A prosæ multa addere non oportet, quum littera in se tota consistat moralis; certumque est, quod temporalis prosperitas periculosa sit nimis, et copiosa familia suis dominis damnabilis, nisi fraternæ correptionis præceptum in illa adimpleant, vitiosos corrigere enitantur, seque eis exhibeant exemplares.

Multis etiam nunc inductis consonant quæ in Ecclesiaste habentur de divitiarum, familiarum deliciarumque vanitate, *Eccle.* II, 1-11, passim. ut est illud : Dixi in corde meo, Vadam et B affluam deliciis, et fruar bonis; et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci hortos; possedi servos et ancillas, multamque familiam habui; coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum. Quumque me convertissem ad universa opera mea, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub *Ibid.* V, 10. sole. Rursus in eodem asserit libro : Ubi C multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas; et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

Denique, si tam damnabilis est avaritia in sæcularibus viris, et in patrimonialibus bonis, quam damnabilior est in ecclesiasticis et de patrimonio Crucifixi ditari, thesaurizare, laute et sumptuose consumere, propinquis non indigentibus dare, beneficia plura habere, quorum unum sustentationi competenti ac simplici potest sufficere? præsertim quum sanctus et illuminatissimus pater Bernardus scripserit cuidam illustri canonico unum beneficium solum habenti : Quidquid de beneficio tuo ultra simplicem victum et vestitum habes et detines, tuum non est, furtum est, rapina est, sacrilegium est.

Hinc secundum Guillelmum Parisiensem, Petrum Comestorem, et auctorem Summæ virtutum ac vitiorum, qui plura beneficia habet, quorum unum sufficere potest, matrem suam Ecclesiam suis membris et suppositis privat, Deum suo obsequio, pauperes suis eleemosynis, defunctos suis suffragiis, fundatores suis intentis.

METRUM V

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu;
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande,
Nec Bacchica munera norat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat,
Nec mercibus undique lectis,

Nova littora viderat hospes.
Tunc classica sæva tacebant,
Odiis neque fusus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim furor hosticus ulla
Vellet prior arma movere,
Quum vulnera sæva viderent,
Nec præmia sanguinis ulla ?
Utinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos.
Sed sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Heu ! primus quis fuit ille
Auri qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes,
Pretiosa pericula, fodit ?

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO METRI HUJUS QUINTI.

PRÆCEDENTI prosa probavit Philosophia, felicitatem hominis non consistere in divitiis speciosisve vestibus, nec in grandi familia, neque in delicatis cibariis, in quibus homines tempore Boetii sicut et nunc multipliciter excedebant ; hic econtrario beatificat et commendat primam mundi ætatem, id est homines qui tunc erant, in quibus mala ista non erant.

Felix nimium prior ætas, id est, homines primæ ætatis erant valde felices, id est boni, ad beatitudinem promerendam bene dispositi, et valde beati in spe et merito, comparatione sequentium ; *contenta arvis fidelibus,* id est campis fructuosis, hoc est esu fructuum agrorum et hortorum : qui dicuntur fideles ab effectu, quia produxerunt fructus tempore opportuno, prout homines tunc sperabant ; *nec* ætas illa erat *perdita,* id est vitiata et corrupta, *luxu inerti,* id est vitiis carnis, quæ causant inertiam, id est mentis hebetudinem ac torporem.

Quæ ætas *solebat solvere jejunia sera,* id est usque ad vesperam protracta, *glande facili,* id est comedendo glandes et alios fructus. Unde et Gregorius ait in homilia, quod apud veteres, qui et semel comedebant in die, prandium hora vespertina fiebat. *Nec* ætas illa *norat* per gustum A *munera Bacchica,* id est vina : quoniam nondum colebant vites, nec vinum bibebant. Et ait « munera Bacchica », juxta fabulas poetarum, Bacchum esse deum vinearum ac vini dicentium. Multoque minus norat *confundere,* id est simul fundere ac miscere, cum *melle liquido,* id est humido, ex illis commixtis faciendo claretum : nondum enim procurabant sibi talia gulæ irritamenta. *Nec* insuper noverat *vellera lucida,* id est pannos albos, *Serum,* id est hominum sic dictorum, *miscere veneno* B *Tyrio,* id est colore purpureo, purpuram faciendo : quia in vestium pretiositate necdum peccabant. Porro Seres sunt populi orientales, in quorum terra sunt vermes qui bombyces appellantur, qui in arborum ramis materiam serici pariunt : sicque per « vellera Serum », panni serici designantur. Venenum quoque hic sumitur pro colore : quoniam sicut qui veneno inficitur, nigri coloris efficitur, sic color purpureus nigro conchyliorum conficitur sanguine.

Somnos dabat herba salubres, id est, C in herbis et graminibus, seu in hortis, salubriter dormiebant, sicut adhuc fertur de Brachmanis, nondum in lectis et thalamis ; *amnis quoque lubricus,* id est fluvius defluens, dabat eis *potum* materialiter, quoniam aquam bibebant ; *pinus altissima,* id est arbores sic vocatæ, valde

sublimes, dabant eis *umbras*, quia sub illis quiescebant arboribus.

Amplius, ætas illa *nondum secabat alta*, id est profunda, *maris*, quia non navigabant per mare. Altum autem pro profundo accipi solet : sicut ibi, Puteus altus est [Joann. iv, 11.] : et in Psalmo, Veni in altitudinem maris [Ps. lxviii, 3.]. *Nec hospes*, id est mercator adveniens, *viderat nova littora*, transfretando de gente in gentem, *mercibus undique lectis*, id est collectis ad transferendum et vendendum.

Hic Philosophia prosequitur laudes primæ ætatis, et mala temporis nostri deplangit. *Tunc sæva classica*, id est feralia bella navalia, *tacebant*, id est, nondum sonabant nec cœperant; *neque cruor*, id est sanguis effusus, *tinxerat horrida*, id est horribilia, *arma, odiis acerbis fusis**, [* fusus] id est, odio fraterno nondum inter homines effuso, quia tunc nondum unus possedit quod alius cuperet : ideo bella contra se invicem non movebant. Unde Plato in Phædone affirmat, quod propter pecunias bella consurgunt. Et Seneca protestatur : Tunc magna quiete homines inter se viverent, si hæc duo tollerentur pronomina, Meum, et, Tuum. Hinc quoque, ut Aristoteles in Politicis refert, Socratis et Platonis fuit philosophia, quod omnia de jure naturali deberent esse communia, quatenus homines inter se conversarentur magis pacifice. *Quid enim*, id est ad quid, *furor hosticus*, id est ira seu indignatio gravis cujuscumque, *vellet prior ulla arma movere* contra proximos, *quum* ipsi homines *viderent*, id est intelligerent, *vulnera* esse *sæva*, id est pœnosa, *nec ulla præmia sanguinis*, id est, se non esse consecuturos ullam retributionem pro sua belligeratione et læsione?

Consequenter Philosophia deplorat miserias temporis hujus. *Utinam tempora nostra redirent modo in mores priscos*, hoc est, utinam homines temporis hujus redirent ad mores laudabiles primæ ætatis tactos. *Sed fervens amor habendi*, id est æstus cupiditatis ad plura temporalia acquirenda, *ardet* in corde et appetitiva potentia *sævior*, id est crudelior, *ignibus Ætnæ*, id est montis sic appellati, in Sicilia situati, qui evaporat et ejicit ex se igneas atque sulfureas flammas usque ad septem vel octo milliaria : ex quibus terra in gyro adusta infertilis redditur, ut in epistolis suis refert Petrus Blesensis, addens ibidem, quod ignis ille ex igne inferni erumpat. Consonat his quod super Lucam scribit Ambrosius : Ferventior, inquiens, est æstus concupiscentiæ, quam ignis materialis. Quod probat ibidem exemplo cujusdam, qui oculorum dolore laborans, prohibitus fuit a medico uxorem cognoscere, alioqui visum amitteret. Qui nihilo minus concupiscentia inflammatus, in ipso copulæ apparatu, Vale, inquit, amicum lumen. Unde et Tullius libro de Finibus bonorum et malorum : Cupiditates, ait, universas evertunt familias; ex quibus odia, seditiones, iræ et prælia oriuntur, ac amarissima vita. Hinc quoque sanctus Job protestatur : Si deceptum est [Job 9-12.] cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alteri uxor mea : hoc enim nefas est, et iniquitas maxima; ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans genimina.

Heu! quis fuit ille qui primus fodit, id est, fodiendo invenit, *pericula pretiosa*, videlicet, *pondera auri tecti*, id est sub terra absconditi, *gemmasque volentes*, id est naturali appetitu inclinatas, *latere* in aquarum et fluminum fundis, et item sub terris. Quarum aliquæ a casu inventæ leguntur : quemadmodum quidam latrones in deserto Indiæ fame afflicti, effodiendo herbarum radices ut eis vescerentur, invenerunt pretiosissimam gemmam topazion omni colore fulgentem. Qua reges in thesauris suis nil pretiosius habent, ut Cassiodorus recitat super illud Psalmi : Ideo dilexi mandata [Ps. c… 127.] tua super aurum et topazion. Porro pretiosiores gemmæ in fluminibus ex paradiso manantibus inveniuntur, ac variis ar-

tibus obtinentur, atque ex illis in alias defluunt aquas ipsis viciniores, prout Josephus et Magister in historiis tangunt.

Præterea, contra jam dicta objici potest, quod in Ecclesiaste Salomon loquitur : *Eccle.* VII, 11. Ne dicas, Quid causæ est quod priora tempora meliora fuerunt quam nunc sunt? Stulta est enim hujusmodi interrogatio. — Rursus, in eo quod dicitur, « pretiosa pericula », videtur esse contradictio quædam. — Amplius, multæ commoditates venerunt hominibus ex auro et gemmis : non est ergo eorum inventio deploranda. — Insuper, falsum videtur quod hic dicitur de innocentia primæ ætatis: quoniam Cain primogenitus primorum parentum, fuit nequissimus ; cujus nequitiam posteri ejus in exordio mundi mox sequi exorsi *Gen.* VI. IX. XIII. XVIII, XIX, etc. sunt, ut ex diversis capitulis Geneseos elucescit, et Josephus primo libro Antiquitatum testatur, et in Scholastica recitatur historia, ubi et fertur, quod rapinis, homicidiis, violentiis, pugnis vacabant. *Ibid.* IV, 17. Unde in Genesi legitur, quod Cain ædificavit civitatem, in qua scilicet ipse cum sibi adhærentibus esset tutus.

Et respondendum ad primum, quod Salomon loquitur contra eos qui ipsa tempora secundum se criminabantur, quasi malitia hominum oriretur ex temporum qualitate et pravitate, non ex arbitrii libertate : quum tamen tempus potius nuncupetur bonum aut malum, ex bonis et malis factis hominum qui sunt in tempore *Matth.* VI, 34. ipso, prout ait Salvator, Sufficit diei malitia sua. — Ad secundum, quod in verbis his, « pretiosa pericula », consistit color rhetoricus qui vocatur contentio, habetque fieri, quando in complexo significatio dictionis unius significationi alterius repugnare videtur : quemadmodum dicitur, Felix ruina, quæ comparatur lapso in bonum ; nec est contradictio, quia eidem diversa conveniunt diversis respectibus. Sicque aurum ex sua natura pretiosum est inter metalla, et periculosum hominibus abutentibus eo, juxta illud in Ecclesiasti- *Eccli.* XXXI, 5. co : Qui amat aurum, non justificabitur.

A — Ad tertium, quod majora ac plura incommoda, tam pœnalia quam culpabilia, proveniunt hominibus ex auro, quam commoda. — Ad quartum, quod Philosophia hic loquitur juxta consuetudinem poetarum, dicentium quod homines in principio duxerunt vitam silvestrem ac simplicem. Quod et verificari potest quantum ad aliquas nationes ac gentes, quum et Tullius in sua Rhetorica contestetur : Fuit tempus in quo homines more bestiarum vixerunt ac vescebantur, et vagabantur ac B dormiebant in agris. Absolute tamen verum omnino est quod ex Genesi tactum est. In chronicis quoque habetur, quod Saturnus pater Jovis, pulsus regno a filio suo, intravit Italiam, ibique docuit homines silvestrem vitam agentes, ædificare domos, vineasque plantare, et colere terram. Denique, usque in præsens quidam Hiberni ac alii silvestrem vitam ducere narrantur.

Præterea, de origine auri apud Job inducitur : Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo *Job* XXVIII, 1. C conflatur. Quocirca S. Thomas et alii quidam conscribunt : Metalla generantur ex vaporibus humidis, resolutis ex terra virtute solis atque stellarum, infra terram retentis ; propter quod metalla ductilia et liquabilia sunt : sicut econtra lapides aliaque hujusmodi quæ non malleantur neque funduntur, generantur ex exhalatione sicca infra terram retenta. Diversificantur vero species metallorum secundum majorem et minorem depurationem resoluti vaporis, juxta diversitatem digerentis caD loris : inter quæ aurum videtur purissimum, deinde argentum. Et juxta majorem minoremve puritatem, metalla communiter sortiuntur diversas origines. Quumque aurum purissimum sit, invenitur (ut plurimum) generatum in sua puritate inter arenulas fluminum, propter multitudinem evaporationis et caliditatis arenæ ; argentum autem, in quibusdam venis terræ seu lapidum. Itaque dicitur, Auro locus est in quo conflatur, quia ex multis arenis colliguntur granula auri, quæ in unum

conflantur : non in loco quocumque, sed determinato, in quo debita concurrit proportio virtutis activæ ad materiam tali speciei determinatam *.

* proportionatam

Job xxxvii, 22. Hinc iterum ad Job Eliu ait : Ab aquilone aurum venit, et a Deo formidolosa laudatio. Pars quippe septentrionalis tenebrosa est propter elongationem ejus a sole : nihilo minus in septentrionalibus regionibus multum reperitur de auro, quia ibi calore propter circumstans aeris frigus recurrente ad interiora viscera terræ, ad generationem auri ibidem efficacius operatur.

ARTICULUS XXII

MYSTICUS SENSUS HUJUS QUINTI METRI.

PRÆTEREA, mystice per priorem ætatem intelligi potest status et tempus primitivæ Ecclesiæ Christi in Terra sancta. Quæ ætas vere felicissima fuit. De qua illud Sapientiæ excellenter verificatur : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata ; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata. (Sap. iv, 8, 9.)

Hæc ætas « contenta » fuit « fidelibus arvis, nec perdita luxu inerti », quoniam sobriissime, abstinentissime et continentissime vixit primitiva Ecclesia : quæ etsi interdum pane, vino, piscibus utebatur, hoc tamen tam modice fuit, ut quasi pro nihilo reputetur. Vestium quoque vilitate, asperitate, simplicitate gaudebat; nec mercimoniis insistebat neque mercantiis. Maluit mortem patienter pati pro Christo, quam pugnando resistere, quum tamen in Jerusalem plures exsisterent Christiani quam infideles Judæi, ut in Itinerario S. Clementis narratur. Postmodum vero, tempore S. Antonii cœperunt plurima millia beatissimorum Patrum et Fratrum, eremitæ, cœnobitæ, anachoretæ, in desertis deservire Altissimo, cum incredibili quodam fervore, victualiumque rigore, vestium asperitate ac tenuitate, cum summa patientia, inviolabili caritate, profundissima humilitate, et breviter, cum perfectione incomparabiliter ampliori quam ætas illa de qua in littera fatur Philosophia.

Unde cum ingenti suspirio et lamentatione gravissima dicere possumus, et merito diceremus : « Utinam modo tempora nostra redirent in mores » illorum, ita quod electorum illorum sequeremur vestigia saltem nos religiosi, in quibus, proh dolor! refriguit caritas. (Matt. xxiv, 12.) Verum avaritia, ambitio, concupiscentia flammas jam emiserunt, nec adhuc emittere cessant, flammis igneorum montium periculosiores, ferventiores et inexstinguibiliores, omnia in Ecclesia devastantes. In qua nunc, heu, heu, heu ! universa videntur venalia : in tantum ut nec in claustris et congregationibus simoniaca pravitas, imo et hæresis, evitetur, atque pro consecrationibus episcoporum et abbatum, pro quibus, secundum jura antiqua sanctorumque Patrum canones et decreta, nil temporale licet exigere, jam exigantur præfixæ denariorum immaniter magnæ et solo auditu horrendæ. Quod quam scandalosum, quantarum turbationum, contentionum litiumque origo sit, experientia pandit.

« Heu ! quis fuit primus ille » qui istas abusiones induxit ? Quis itidem fuit ille qui primus Ecclesiam cœpit temporalibus ditare reditibus? Quod quamvis Constantinus egerit imperator pia plane intentione, sicut et alii reges principesque devoti, immoderata tamen opulentia facta est ecclesiastici status, in omni gradu ac ordine, ruina præcipua.

PROSA VI

QUID autem de dignitatibus potentiaque disseram, quas vos veræ dignitatis ac potestatis inscii, cœlo exæquatis ? Quæ si in improbissimum quemque ceciderint, quæ incendia flammis Ætnæ eructantibus, quod diluvium tantas strages dederit ? Certe (uti meminisse te arbitror) consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum vestri veteres abolere cupierunt : qui ob eamdem superbiam prius regium de civitate nomen abstulerant. At si quando, quod perrarum est, probis honores deferantur, quid in eis aliud quam probitas utentium placet ? Ita fit ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat.

Quæ vero est ista vestra expetibilis ac præclara potentia ? Nonne, o terrena animalia, consideratis quibus præsidere videamini ? Nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ ceteris vindicantem, quanto movereris cachinno ? Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas, quos sæpe muscularum quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus ? Quo vero quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in solum corpus, et quod infra corpus est (fortunam loquor), possit exercere ? Num unquam libero imperabis animo ? Num mentem firma sibi ratione cohærentem, de statu propriæ quietis amovebis ? Quum liberum quemdam virum suppliciis se quidam tyrannus adacturum putaret, ut adversum se factæ conjurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, et in os tyranni sævientis abjecit. Ita cruciatus, quos putabat tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit esse virtutis. Quid autem est quod in alium facere quisquam possit, quod sustinere ab alio ipse non possit ? Busiridem accepimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures Pœnorum bello captos, in vincula conjecerat ; sed mox ipse vinctorum catenis manus præbuit. Ullamne igitur ejus hominis potentiam putas, qui quod ipse in alium potest, ne id in se alter valeat, efficere non possit ? Ad hæc, si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, nunquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari : natura respuit ut contraria quæque jungantur. Ita, quum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, quæ se pessimis hærere patiantur. Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus dignius existimari potest, quæ ad improbissimum quemque uberiora proveniunt. De quibus etiam illud considerandum puto, quod nemo dubitat esse fortem, cui fortitudinem inesse conspexerit ; et cuicumque velocitas adest, manifestum est esse velocem. Sic musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetores facit : agit enim cujusque rei natura quod proprium est ; nec contrariarum rerum miscetur

effectibus, sed ultro quæ sunt adversa depellit. Atqui nec opes inexpletam restinguere avaritiam queunt ; nec potestas sui compotem fecerit, quem vitiosæ libidines insolubilibus adstrictum retinent catenis ; et collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostentat indignos. Cur ita provenit ? Gaudetis enim sese res aliter habentes falsis compellare nominibus, quæ facile rerum ipsarum redarguuntur effectu. Itaque nec illæ divitiæ, nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest. Postremo idem de tota fortuna concludere licet : in qua nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis inesse manifestum est ; quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS SEXTÆ.

HÆC est sexta hujus secundi voluminis A prosa : in qua docet Philosophia, in dignitatibus prælaturæ et potestatibus præsidentiæ non consistere summum bonum, quemadmodum prosa præcedenti probavit hoc ipsum de terrenis divitiis.

Quid autem de dignitatibus, id est officiis præsidentiæ spiritualis, *potentiaque*, id est sæculari potestate, *disseram*, id est dicam ? *Quas vos veræ dignitatis ac potestatis inscii*, id est, quas vos ambitiosi et excæcati non advertentes quod ista potestas ac dignitas sint potius onera atque B obsequia, quam prælationes et imperia, quia non ordinantur ad proprios vestros honores et commodum, sed ad subditorum utilitates, nec digne et salubriter committuntur ambitiosis : quas, inquam, *cœlo exæquatis*, id est, in tantum reputatis ac si essent dignitates beatificæ ac supernæ, ita quod beatitudo vestra in ipsis consisteret. *Quæ si in improbissimum quemque ceciderint*, id est, si quicumque inhonestissimus fuerit ad eas promotus, *quæ incendia flammis Ætnæ eructantibus, quod* C *diluvium tantas strages dederit ?* id est, in tali casu dignitas et potestas illa erit causa tantæ devastationis, oppressionis et occisionis quamplurimorum hominum, quot flammæ montis sulfurei nomine Ætnæ, et particularia quæque diluvia, non dederunt, id est, non intulerunt, « tantas strages », id est hominum interfectiones. Istud patet in tyrannis ; et patuit Romæ, sub præsidentiis Syllæ et Marii. Etenim Sylla quodam tempore tot Romanos occidit, ut unus amicorum ejus dixerit ei : Cesset manus tua, ut remaneant quibus imperes. Idem legitur libro primo et secundo Machabæorum de Tryphone vitiosissimo, et de impiissimo rege Antiocho. Unde scriptum est : Erant toto triduo II *Mac.*
octoginta millia ab Antiocho interfecti, v. 14.
quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.

Certe, uti, id est sicut, *meminisse te arbitror* ex historiis et chronicis Romanorum, *vestri veteres*, id est antiqui Romani, prædecessores patresque vestri, *cupierunt abolere*, id est auferre, *consulare imperium*, id est ipsos consules et regimen præsidentiamque eorum, *ob superbiam consulum :* qui primo cœperunt pie ac prudenter præesse ; sed per honores fuerunt in ipsis mutati mores, ita quod magis quærebant se ipsos quam subditorum bonum commune, contra illud Ecclesiastici :
Rectorem te posuerunt ? noli extolli : esto *Eccli.*
in illis quasi unus ex ipsis ; curam illorum xxxii, 1.
habe, et sic considera. *Quod* consulare im-

perium, id est regimen, *fuerat libertatis* A *principium*. Tarquinius enim Superbus, fuit ultimus rex Romanorum, immediate ante institutionem et præsidentiam consulum : atque sub illo rege et aliquando ante, erant Romani in servitutem et servilem timorem redacti ; ipso autem expulso, ad libertatem meliorem reducti sunt, ut tangit Augustinus libro de Civitate Dei. *Qui* Romani, non idem numero, sed specie, *ob eamdem superbiam prius* *regni* * *de civitate nomen abstulerant,* id est, regni præsidentiam a Roma remove- B runt propter regum illorum elationem. Quum enim Tarquinius, ferox filius præfati Tarquinii Superbi, oppressisset Lucretiam, uxorem Collatini principis Romani, clarissimam feminam, indignati Romani expulerunt patrem illum cum filio : quia tunc consules præesse cœperunt. Quæ omnia in Orosio gestisque Romanorum plenius continentur, et Thomas in libro de Regimine regum allegat.

* *regium*

At si quando, id est si interdum, *quod perrarum est,* id est, valde raro contingit, C *probis honores deferantur,* id est, dignitates ac potestates offerantur et committantur viris prudentibus et honestis, *quid in eis aliud quam probitas utentium placet ?* id est, justis et sapientibus nil aliud principaliter placet in ipsis præsidentibus seu potestate et dignitate eorum, nisi ipsorum « utentium probitas », qui potestate et dignitate utentes, ordinando eas ad subditorum suorum profectum, non fruuntur, ponendo sibi finem in excellentia propria, ut agunt ambitiosi, quibus dicitur in libro D Sapientiæ : Discite, reges et judices ; præbete aures, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam quum essetis ministri regni Dei, non recte judicastis, neque secundum voluntatem ejus ambulastis, horrende et cito apparebit vobis.

Sap. VI, 2, 3, 5, 6.

Ita fit ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat : id est, ex his sequitur, quod reverentia exhibeatur « dignitatibus » et constitutis in dignitate atque officio, potius propter eorum virtutes, probitatem, prudentiam, quam « virtutibus » et virtuosis officiatis propter præsidentiæ dignitatem. Verumtamen unum istorum adjuvat aliud, et facit plus honorabile : quoniam magis sunt honorandi virtuosi prælati et principes justi, quam qui solum sunt prælati aut principes, aut solum sunt virtuosi et sapientes, nec præsidentes ; et hoc ceteris paribus. Virtus ergo melior est et magis propter se intendenda, quam dignitas aut potestas. Idcirco felicitas magis consistit in actu virtutis, quam dignitatis aut potestatis dumtaxat.

Virtus quoque videtur præcipua ratio honorandi quemcumque. Unde secundum Philosophum, honor est exhibitio reverentiæ in signum virtutis. Nihilo minus honor et obedientia exhibenda sunt etiam indignis præsidibus, in his quæ ad eorum spectant officium cathedramque concernunt, quum beatissimus princeps Apostolorum B. Petrus in sua prima mandet Canonica : Servi, subditi estote dominis, non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

I *Petr.* II, 18.

Denique multæ sunt rationes et causæ alios honorandi. Una est origo : sicque sunt honorandi parentes. Secunda, propter prælationem seu præsidentiam : juxta illud ad Romanos, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Tertia, propter senectutem : juxta illud, Coram cano capite consurge, et honora personam senis. Quarta, propter accepta beneficia : propter quod Deo, magistris et parentibus nequit reddi æquivalens. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Danti mihi sapientiam dabo gloriam. Quinta, propter sapientiam, scientiam et virtutes : juxta illud, In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ eorum ex corde conjungere ; et denuo, Cum viro sancto assiduus esto. Aliqui autem honorandi sunt propter plures causarum istarum ; Deus vero incomparabiliter propter omnes has causas, quum et antiquitas ei metaphorice adscribatur, æternitas proprie, qui omnem senectutem

Rom. XIII, 1. — *Lev.* XIX, 32. — *Eccli.* LI, 23. — *Ibid.* VI, 35. — *Ibid.* XXXVII, 15.

sicut et omne tempus includit. Unde in A Daniele legitur : Throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. *Dan. vii, 9.*

Præterea, quidam sunt insipientes, ambitiosi et vani, quibus placent ipsa dignitas et potestas secundum se aut annexum honorem aut libertatem seu proprium commodum. Contra quos subditur :

Quæ vero est ista vestra expetibilis ac præclara potentia? Istud partim ironice dicitur, tanquam dicatur : O infelices ambitiosi, « quæ » et quanta res « est ista » temporalis præsidentia atque auctoritas, B quam tam vehementer appretiamini, tam intense appetitis, quasi in ea sit salus vestra? Et utique potestas et dignitas prælatorum ac principum, præsertim in evangelica lege, est grandis sublimitas, divina proprietas, vicariatusque Dei atque auctoritas ingens, præsertim quum ordinetur ad beatitudinem summam et cooperetur ad eam. Attamen donum est gratiæ gratis datæ, commune bonis ac malis, electis ac reprobis, involutum periculis maximis : quod digne exercere ac meritorie exsequi C homo nequit nisi per caritatem et gratiam gratum facientem, imo et per magnam perfectionem, de quibus incertus est an habeat eas. Idcirco incautum, præsumptuosum temerariumque censetur, adspirare et conari ad eam. Hinc subditur :

Nonne, o terrena animalia, consideratis quibus præsidere videamini? id est, merito attenderetis cujus speciei sint subditi vestri, videlicet quod ejusdem naturæ sint cujus et vos, et confratres ac proximi vestri, et forsitan multo meliores quam D vos per gratiam et virtutes, ac forsan magis electi a Deo. Ideo non debetis affici ad præsidentiam super ipsos, sed humiliare vos ipsos, ac Dei judicium formidare, quia judicium durissimum fiet in his qui præsunt, et potentes potenter tormenta patientur, ac fortioribus fortior instat cruciatio, ut dicitur in libro Sapientiæ. *Sap. vi, 6, 7, 9.* Propter quod recte dixit Chrysostomus : Quis est qui cupit præesse, et curam appetit animarum (id est prælationem, dignitatem,

A præbendam, cui cura illa annexa est), nisi qui non timet judicium Dei? O quam verum est hoc! Et quoniam ita non agitis, « terrena animalia », brutis estis similia, in quibus non est ratio recta, nec sapientia vera, sed prudentia carnis, quæ mors est. *Rom. v[...] 6.* De talibus loquitur Deo Jeremias : Recedentes a te, in terra scribentur. *Jer. xvii,* « O » ergo « terrena animalia »! non homines cœlestes angelive terrestres, sed animales, sensualitatem sequentes : de quibus loquitur in sua epistola S. Judas apostolus : Hi sunt *Judæ 1[...]* B qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ ceteris vindicantem, quanto movereris cachinno? id est, utique multum rideres ac derideres, si cerneres in numero murium « unum » murem assumentem « sibi jus », id est auctoritatem et legem, « ac potestatem » præsidendi aliis muribus, quia stulta esset præsumptio ; et diceres : En insensato ac misero illi muri apparet quod sit ceteris C muribus melior atque præstantior. Quanto magis tu, homo ambitiose, infelix et fatuus es? quia quum sis rationalis creatura, tam cæcus es mente, quod ad regimen aliorum te audes ingerere, quum non sufficias regere, refrenare, compescere temetipsum. Nec imples in te ipso illud Apostoli : Cum *Philipp[...] 12.* metu et tremore vestram salutem operamini. Quomodo ergo implebis illud in temetipso ac aliis? Hinc teste Gregorio, unusquisque toties ad apostasiæ crimen prolabitur, quoties præesse hominibus cu- D pit aut delectatur ; et quem delectat esse hominum judicem ac prælatum, non delectabit in die judicii videre Christum judicem summum. Bene quoque ad confutandum ambitiosorum insaniam inducitur similitudo vilissimi et inquietissimi bruti, videlicet muris, ad cujus similitudinem viles et inquieti sunt ambitiosi, aliisque molesti, suspiciosi, ficti, ac alios temere judicantes detractionibusque mordentes.

Insuper tangit aliam rationem quæ debeat unumquemque reprimere a tanta va-

nitate, videlicet considerationem humanæ fragilitatis. *Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas?* id est, si diligenter attendas humani corporis proprietates, quod passibilissimum est, « quid queas reperire imbecillius », id est impotentius, « homine », ad resistendum levius, si tangatur nec defendatur? *Quos sæpe muscularum quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus,* id est, « quos » homines frequenter « necat vel morsus » minutissimarum
Exod. VIII, 16, 17. bestiarum, sicut Deus misit in Ægyptios scinifes, « vel introitus reptantium in quæque secreta », sicut interdum parvi serpentes intrant per os in ventrem, homine dormiente, aut ex situla aquam potante.

Consequenter probat, quod dominatio unius in alium non se extendit nisi in corpus. *Vero* (pro Sed) *quo,* id est in quo, *possit quisquam exercere jus aliquod,* id est potestatem, *in quempiam,* id est in aliquem hominem, *nisi in solum corpus* ipsius *et* in id *quod infra corpus est? Loquor fortunam,* id est, in bona fortunæ, quæ sunt exteriora temporalia fortunæ subjecta. Fortuna vero proprie est ipse practicus intellectus, in quantum est causa alicujus effectus, præter propositum suum et raro : sicque fortuna est superior corpore. *Num unquam libero imperabis animo?* id est, libero arbitrio subditi tui, seu alterius, non poteris imperare. *Num mentem sibi firma ratione cohærentem, de statu propriæ quietis amovebis?* id est, superiorem animæ partem stabili ac rationabili considerationi, proposito seu fundamento innitentem, non valebis turbare, nec de statu suæ tranquillitatis detrudere. Ad quod hortatur Gregorius : Stet, inquiens, inflexibilis mentis nostræ status, nulla nos prospera elevent, nec adversa perturbent. Unde in libro Proverbiorum dicitur :
Prov. X, 25. Justus quasi fundamentum sempiternum, impius sicut tempestas pertransiens; et in
Eccli. V, 11, 12. Ecclesiastico : Non te ventiles in omnem ventum ; esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui. Porro homines passi-

A onati et vitiosi, sunt sicut arundo vento *Matth.* XI, 7.
agitata, et mutantur ut luna. De quibus ait *Eccli.* XXVII, 12.
Psalmista : Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. *Ps.* LXXXII, 14.

Deinde, quod dictum est probat exemplo. *Quum liberum quemdam virum suppliciis se quidam tyrannus adacturum putaret,* id est, dum ferox et impius quidam princeps « putaret se quemdam virum liberum », id est sapientem, non subjectum sed dominantem motibus passionum, « adacturum suppliciis », id est B compulsurum per tormenta, *ut adversum se factæ conjurationis conscios proderet,* id est, ut manifestaret eos qui conjuraverant adversus ipsum tyrannum ; *linguam ille momordit atque abscidit* morsu dentium, *et in os tyranni sævientis abjecit,* id est, in faciem illius projecit. *Ita cruciatus, quos putabat tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit esse virtutis :* id est, philosophus ille pœnas illas quas toleravit, et per quas tyrannus crudelitatem in ipso exercuit, ipse convertit in ma- C teriam virtutum, ostendendo in eis suam fidelitatem ad amicos, suam constantiam in adversis, suam patientiam, imo et fortitudinem, in tormentis. Hunc philosophum quidam dicunt Anaxagoram fuisse. Aliquid simile refert Hieronymus in Legenda beatissimi Pauli primi eremitæ, quemadmodum persecutor non valens quemdam adolescentem per tormenta a fide avertere, fecit eum resupinum in loco jucundo ligari, ut impudica quædam adveniens et illi se applicans, ipsum traheret ad pec- D candum. Qui fortissimus Christi miles inflammari se sentiens, propriam linguam morsu amputans, in os deosculantis meretricis exspuendo projecit.

JOANNES. — Numquid mutilatio talis est licita?

DIONYSIUS. — Si pro corporis sanitate licet unum membrum abscidere, cur non pro animæ salute et conservatione justitiæ, et quando aliter subveniri non valet, præsertim quando hoc fit ex secreto in-

stinctu Spiritus Sancti, prout de quibusdam sanctis feminis recitat Augustinus, quæ ne violarentur, se submerserunt, et Samson se ipsum una cum Philisthæis oppressit ac interfecit?

Jud. XVI 29. 30.

Joannes. — Nonne servi et filii, præcipue religiosi, tenentur suis superioribus obedire? Obedire autem est actus voluntatis ex judicio rationis : ergo non solum in corpus, sed in animam quoque, imo et in vires ejus supremas, servitus ista descendit, et usque ad eas se auctoritas præsidentis extendit.

Dionysius. — Hæc quæstio major est, et objectio ista acutior. Verumtamen verbis istis Philosophiæ concordat quod Seneca protestatur : Errat qui putat servitutem in totum descendere hominem ; pars ejus melior excepta est : corpora servituti obnoxia sunt, mens sui juris est. Quocirca scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quarta : Ex duobus contingit quod inferior non tenetur suo superiori in omnibus obedire. Primo, propter præceptum majoris potestatis in contrarium : sicut magis obediendum est regi quam militiæ principi. Secundo, si superior jubeat quid subjecto, in quo subditus non est illi subjectus : ut si pater præcipiat filio penitus continere nec nubere. Ideo Seneca dixit : Errat qui putat servitutem in totum descendere hominem, etc. Hinc in his quæ ad interiorem voluntatis motum mentisque actum internum pertinent, tenetur homo soli Deo obedire ; homini autem, in his quæ exterius per corpus agenda sunt (et quoad hæc, tenentur inferiores superiori suo parere ex voluntate ac rationis judicio : et juxta hoc verba Philosophiæ ac Senecæ sunt sapienter intelligenda). Denique, in his quæ per corpus agenda sunt, aliqua spectant ad corporis naturam : in quibus non tenetur homo homini, sed soli Deo, obediens esse, quoniam omnes homines natura sunt pares. Ideo si parentes aut domini jubeant prolibus aut ministris non contrahere matrimonium, non generare, nec manducare ;

art. 5.

A non tenentur servi et filii in talibus obedire. Unusquisque vero superiori suo obedire tenetur in his quæ concernunt cathedram seu jurisdictionem et auctoritatem sui superioris : ut miles duci exercitus, in pertinentibus ad bellum ; filii parentibus, in his quæ spectant ad vitæ disciplinam et curam domesticam ; servi dominis, in operibus servilibus ; religiosus abbati seu priori, in contentis in regula seu statutis suæ professionis.

B Consequenter tangitur alia ratio ob quam sæcularis et corporalis potentia non est multum neque ut summum bonum appretianda : quia quod unus alteri per eam irrogat, potest tolerari et pati ab aliquo. Quod probat per duo exempla.

Quid autem est quod in alium facere quisquam possit, quod sustinere ab alio ipse non possit? quasi dicat, Nihil : saltem in aliquo casu, et ab eodem numero vel specie. Qui enim alium decollat, ab eodem numero decollari non potest.

C *Accepimus,* id est, ex historiis cognovimus, *Busiridem* regem Ægypti *solitum necare hospites,* id est eos quos suscepit hospitio, ut eorum bona sibi retineret (sicque crudelissimus et cupidissimus fuit), *mactatum fuisse ab Hercule hospite,* id est hospitato ab illo rege. Hercules namque instar Samsonis fuit fortissimus, valdeque prudens, et bonus bonitate acquisitarum virtutum. Qui hospitatus a rege illo pravissimo, atque perpendens machinationes illius, forti manu invasit illum et occidit in

D propria domo. Fuitque Hercules naturalis filius Jovis.

Regulus plures Pœnorum bello captos, in vincula conjecerat. Iste fuit Marcus Regulus, nobilissimus et senator, qui a Romanis contra Africam missus, multos « Pœnorum », id est Africanorum, præsertim Carthaginiensium, vicit, occidit, vinculavit. *Sed mox ipse vinctorum catenis manus præbuit,* id est, paulo post a Carthaginiensibus fuit captus, vinctus, incarceratus : sicque « præbuit » et extendit

« manus » suas ad vincula, ad quæ vincti manus suas extendunt. De hoc Marco tangit Augustinus in libro de Civitate Dei, et plenius fertur in chronicis et commentariis, quod Carthaginienses ipsum vinctum dimiserunt redire Romam, hoc pacto quod persuaderet Romanis quatenus remitterent ipsis Carthaginiensibus vinctos ex Africa : et si Romani hoc facerent, ipse Marcus maneret liber ibidem; si non, ipse rediret Carthaginem. Quumque venisset Romam, et causam exposuisset Romanis, ipsi totum posuerunt in arbitrio Marci : qui ad commune bonum magis quam ad proprium respiciens, consuluit ut ipse remitteretur, quia jam senex parum reipublicæ posset prodesse, et capti ex Africa multi ac juvenes possent Romanis obesse dimissi, et Africanis prodesse reversi. Sicque Marcus Carthaginem est reversus, et ab eis crudelissima morte peremptus. Ex quo facto Henricus de Hassia et alii quidam doctores probant, quod homo naturali amore potest plus diligere bonum commune quam proprium, et per consequens Deum amplius quam se ipsum. Ex quo ultra concludunt, quod sine revelatione quis pro certo scire non valet se esse in caritate, eo quod amor naturalis tantam conformitatem habere potest cum amore divino infuso : et in hoc Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura aliique concordant. *Cf.* t. XX, p. 24 D' et s.

Ex his Philosophia concludit : *Ullamne igitur ejus hominis potentiam putas,* id est, æstimas tu aliquam esse « potentiam ejus », *qui quod ipse in alium potest, ne id in se alter valeat, efficere non possit,* id est, qui hoc obtinere aut implere non potest, quod nemo alius possit sibi infligere malum quod ipse inferre aliis potest? quasi dicat : Non multum reputanda est potestas hominis talis. Hinc Augustinus loquitur in sermone : Securus minetur mortem, qui non timet mortem ; si autem et ipse timet mortem, advertat in se parem conditionem, et a Domino simul petat miserationem : cur se extollit in comminatione inflatior potestas, in carne æqualis infirmitas? Hinc et Isaias inducit : Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescet? Hinc quoque qui aliis injuriantur, nunquam securi sunt : imo jugiter habent vereri ne ipsis fiat quod ipsi aliis intulerunt, vel etiam ab his qui sciunt eos esse injuriosos in quosdam. Nempe ut Seneca fassus est : Qui uni facit injuriam, multis minatur ; et qui in servos suos crudelis est, ostendit sibi in aliis non deesse voluntatem, sed facultatem. Ideo quoque in Job scriptum est : Sonitus terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, ille insidias suspicatur ; et in libro Sapientiæ : Quum sit timida nequitia, semper præsumit sæva perturbata conscientia. Unde et Seneca rursus testatur : Multos timere debet, quem multi timent ; et iterum : Nequitia ipsa pœna est sui, quoniam mala conscientia nunquam est secura ; idcirco, quod alteri feceris, exspecta tibi ab alio fieri. Præterea his concordat quod in Judicum libro Adonibezec ait : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias ; sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Siquidem filii Israel ante hæc verba amputaverant ei manuum suarum pedumque summitates. *Is.* LI, 12. *Job* XV, 21. *Sap.* XVII, 10. *Judic.* I, 7. *Ibid.* 6.

Deinceps ponit aliam rationem ad idem, videlicet quod potestates ac dignitates non sunt formaliter atque moraliter bonæ in se, neque beatitudinem continentes, quia sæpissime insunt et competunt vitiosis hominibus.

Ad hæc, si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, id est aliquid boni moralis quod sit principale hominis bonum, puta bonum humanum, conveniens homini in quantum est ratione vigens ac utens, ac virtuose se habens, *nunquam pessimis provenirent,* id est, vitiosis hominibus non inessent formaliter, ut bona moralia et gratiarum charismata, quæ et habentem perficiunt, et indignum dignificant : pro-

pter quod aliqui dicunt, quod gratia et A virtutes non insunt indignis, quia eo ipso quo insunt, faciunt sua subjecta eis digna. *Neque enim solent sibi adversa sociari,* id est, contraria seu opposita simul non insunt eidem, ut virtus et vitium, albedo et nigredo, visus et cæcitas, præsertim secundum idem et respectu ejusdem. Verumtamen, secundum B. Dionysium, (De Divin. nom. c. iv.) malum fundatur in bono, quum non sit aliquid essentialiter malum. Non tamen formaliter idem sunt, nec unum taliter prædicatur de alio. Propter quod subditur :

Natura respuit, id est, naturalis proprietas entium non admittit, *ut contraria quæque jungantur* in eodem simul et semel, respectu ejusdem et secundum idem, et per prædicationem de se invicem. Eadem tamen superficies potest esse alba pro una parte, et nigra pro alia ; idem quoque homo potest esse parvus et debilis respectu unius, puta gigantis, et magnus ac fortis respectu alterius. Verumtamen (Lib. II, dist. 34 F : cf. t. XXII, p. 458 A.) Magister in Sententiis ait, quod regula dialecticorum dicens contraria simul esse non posse, fallit in his contrariis quæ sunt bonum et malum, videlicet quia malum fundatur in bono : attamen regula illa sic intellecta ut tactum est, non fallit in eis. Unde et Apostolus ad Corinthios scribit : (II *Cor.* vi, 14.) Quæ societas luci ad tenebras ? Jeremias quoque dicit : (*Jer.* xxiii, 28.) Quid paleis ad triticum ? Consonat item his illud Isaiæ : (*Is.* v, 20.) Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Nihilo minus potestates et dignitates sunt bonæ bonitate entis, sicut et omnia entia positiva : imo, insuper sunt divinæ proprietates et dona gratiæ gratis datæ ; et quædam sunt potestates et dignitates supernaturales in evangelica lege. Quemadmodum etiam insunt hominibus pessimis, ita et optimis. Quæ omnia Hugo super Angelicam hierarchiam magni Dionysii scribit. Unde ad Romanos dicit (*Rom.* xiii, 1, 2.) Apostolus : Non est potestas nisi a Deo ; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Nam et Christus in passione præsidi dixit : Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi datum tibi desuper esset. (*Joann.* xix, 11.)

Itaque *, *quum pessimos plerumque dignitatibus fungi non sit dubium,* ut patet de principibus et prælatis scandalose ac vitiose viventibus, qui teste Gregorio, tot mortibus, tot æternis damnationibus digni sunt, quot subditi aut etiam alii scandalizantur ex eis, *illud etiam liquet, natura sui bona non esse,* id est, hoc itidem constat, B potestates ac dignitates ex sua natura non esse moraliter bonas, *quæ se pessimis hærere patiantur,* id est, quarum naturæ non repugnat quod inhæreant pessimis : quo constat, quod non faciunt hominem moraliter bonum neque felicem. Unde de talibus pessimis Dominus ait per Osee : Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi. (*Osee* viii, 4.) Quod Dominus ideo loquitur, quoniam quamvis potestas talium sit ab ipso, non tamen potestatis abusio, nec ambitiosa et violenta intrusio.

* *Ita*

C *Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus,* id est de omnibus donis et bonis fortuitis, *dignius existimari potest,* quod scilicet non sunt moraliter bona, *quæ ad improbissimum quemque uberiora proveniunt,* id est, vitiosioribus sæpe abundantius conceduntur. Quemadmodum paterfamilias habens filios duos, unum obedientem et bonum, aliumque rebellem ac pravum, bona sua meliora largitur obedienti, viliora rebelli : sic Deus omnipotens electis et bonis dat bona sua præstan- D tiora, hoc est dona gratiæ in præsenti et dona gloriæ in futuro, temporalia quoque ad competentiam, vel etiam ad abundantiam, ad aliorum subventionem ; impiis vero et reprobis, quibus omnia cooperantur in malum, præstat bona fortunæ sæpe abundantius. Quod et ideo agit, quoniam ipse nullum bonum dimittit irremuneratum. Iniqui autem aliqua bona ex genere operantur, quamvis non ex caritate, visitando ecclesiam, eleemosynas dando, etc. Pro quibus omnipotens Deus temporalia

eis rependit, et prospera mundi concedit, A seu vitam prolongat : quæ dona non sunt moraliter bona, ut consequenter probat diffusius.

De quibus, scilicet bonis fortunæ, *etiam illud considerandum puto, quod nemo dubitat esse fortem, cui fortitudinem inesse conspexerit; et cuicumque velocitas adest, manifestum est esse velocem :* accidentia namque denuntiant sua subjecta. *Sic musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetores facit* formaliter, seu in genere causæ formalis. *Agit enim cujus-* B *que rei natura quod proprium est ei* : id est, quælibet materia seu forma habet aliquam naturalem ac propriam actionem, per quam potest suo fini conjungi et propriam perfectionem attingere; alias esset frustra. (Cf. p. 178 D'.) Quod et supra ostensum est. Propter quod asserit Damascenus, quod impossibile est aliquid esse expers propria operatione. Et talis operatio rei ab aliquibus nominatur actio notionalis, quia in ea est quasi refloritio quædam naturæ, et per eam natura rei præsertim cogno- C scitur. Unde communiter dicitur, quod operatio arguit formam. *Nec contrariarum rerum miscetur effectibus,* id est, cum oppositarum naturarum actibus non communicat, quia naturæ contrariæ actiones habent distinctas. Frequenter tamen in eodem supposito sunt, et ad eumdem effectum concurrunt: sicut mixta constant ex elementis contrariis, quorum etiam contrariæ qualitates ad congruam complexionem, harmoniam, mixturam requiruntur ac confluunt; compositum quoque ex D materia et forma constat. *Sed ultro quæ sunt adversa depellit,* id est, contrarium suum expellit pro posse, ita quod simul non stant in gradu perfecto, sed remisse, sicut in tepido est aliquid frigoris et caloris : quia ut ait Philosophus, unumquodque tanto plus aut minus est tale, quanto plus aut minus habet admixtum de suo contrario.

Atqui, id est pro certo, *nec opes inexpletam restringere* avaritiam queunt,* id est, divitiæ non valent insatiabilem cupiditatem reprimere et complere. *Nec potestas sui compotem fecerit,* id est, sæcularis et mundana seu præsidentialis potentia non facit potentem propriæ mentis, ita ut rationi obtemperet, nec dominandi libidine superetur, *quem vitiosæ libidines insolubilibus adstrictum retinent catenis,* id est, quem pravæ affectiones ambitionis et carnalitatis tenent valde indissolubiliter ligatum vinculis vitiorum : sicut præallegatum est illud Proverbiorum, Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur; (Prov. v, 22.) et quod ait Apostolus, Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur. (II Tim. II, 26.) Unde et Isaias asserit : Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. (Is. v, 18.) Verumtamen insolubilitas non dicit omnimodam impossibilitatem, sed grandem difficultatem resipiscendi : alias habituati in vitiis de sua impœnitentia excusarentur, quum Dominus non requirat ab homine impossibile aliquid. Porro ex frequentia actus, habitus generatur, ex habitu consuetudo, ex consuetudine diuturna necessitas quædam, id est vehemens valde inclinatio et impulsio maxima.

Et collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostentat indignos, quia ex dignitate eis collata, peccata eorum sunt graviora: quia quo altior gradus et dignitas, eo major iniquitas; et quo altior est ascensus, eo periculosior est ruina. Ideo dici solet, quod principatus ostendit virum.

Verum his objici potest, quod (ut dictum est) accidens denominat suum subjectum : ergo dignitas facit dignum, sicut albedo album. Denique, si dignitas improbos in prælationibus et dignitatibus positos non efficit dignos, vitiosi principes ac prælati non essent digni honore, nec eis esset obediendum, nec auctoritatem et jurisdictionem haberent. — Et respondendum, quod duplex est dignitas. Una pertinens ad dona gratiæ gratis datæ, ut sunt prælaturæ et principatus : et hac

* restinguere

dignitate ipsa potestas et dignitas suum subjectum efficit dignum. Alia est dignitas gratiæ gratum facientis, qua homo dicitur dignus Deo ac vita æterna. Et sic dignitas ista habentem non efficit dignum, sed magis indignum : non directe, quum non sit mala in se ; sed indirecte atque per accidens, ratione abusionis et ingratitudinis ejus cui collata est, quemadmo-
I Cor. VIII, 1. dum scientia inflat.

Cur ita provenit ? id est, quam ob causam dignitas suum subjectum non efficit dignum ? Ad quod Philosophia respondet : *Gaudetis enim sese res aliter habentes falsis compellare nominibus,* id est, quia placuit vobis res quæ aliter se habent quam prima facie vobis apparet, designare per nomina quæ eis non conveniunt vere, *quæ facile rerum ipsarum redarguuntur effectu,* id est, « quæ » nomina faciliter probantur non convenire rebus significatis per ea, ex rerum illarum operibus. Quod probatur subdendo : *Itaque,* id est certive, *nec illæ divitiæ, nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest :* id est, nullum istorum merito ac vere designari potest et exprimi per nomen hic positum, ita quod divitiæ illæ non sunt veræ divitiæ, quia depauperant magis quam ditant ; nec illa sæcularis potestas est vere potestas, quia habentem non facit potentem contra pericula sua ; nec dignitas illa est dignitas vera, quoniam indignissimis inest.

Verum his objici potest, quod abundantes in possessionibus atque pecuniis sæpissime in Scripturis divites appellantur,
Luc. VI, 24. ut quum ait Salvator : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Similiter principes vitiosi et prælati indigni, in Scripturis nominantur frequenter potentes seu digni, ut est illud in libro Sapien-
Sap. VI, 7. tiæ : Potentes potenter tormenta patientur. — Dicendum, quod nomina dicuntur rebus convenire vere dupliciter. Primo, quoniam ratio nominis veraciter convenit rei significatæ : sicque rex terrenus vere dicitur dominus, quia est rex servos habens.

A Secundo, quoniam ratio nominis perfecte convenit rei. Sicque nulla creatura est dominus, sed ille dumtaxat qui ait per Isaiam : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; Is. XLI
gloriam meam alteri non dabo. Omnis autem creatura subdita est Creatori, et indigens eo. Sic in proposito, terrenæ divitiæ, potestates et dignitates concessæ hominibus, vere sunt divitiæ et potestates ac dignitates primo modo, non modo secundo : et ita nunc loquitur Philosophia, consolando Boetium, et deprimendo bona B fortunæ quæ perdidit.

Postremo idem de tota fortuna concludere licet : id est, vere et licite dici potest de omnibus fortuitis, quod non sunt in se moraliter et beatificabiliter bona, nec directe efficiunt hominem bonum. *In qua nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis inesse manifestum est :* id est, clarum est quod in fortuna « nihil » insit « expetendum », id est nil propter se optandum tanquam principale bonum, « nihil bonitatis nativæ », id est nil bonum moraliter, vel C ita naturaliter bonum ut cum malo culpæ simul esse non queat ; *quæ nec se bonis semper adjungit,* id est, fortuna per suos eufortunatos effectus seu per suas prosperitates non semper adsistit virtuosis hominibus, imo illis multoties contingunt adversa, *et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit,* id est, eos quibus magis arridet, non facit moraliter bonos : imo per prospera sæpe gravius peccant.

In his continentur pene omnia ex qui- D bus sanctus Doctor in Summa contra gentiles, tertio libro, ac alibi, probat quod cap. :
felicitas hominis non consistit in hac vita in potestate sive in exteriori potentia. Nam potentia dicitur in ordine ad alterum, felicitas in ordine ad se. Potentia quoque instabilis est et incerta, nec subjacet hominis voluntati, sed fortunæ, et frequenter magis abundat in impiis.

Denique in Proverbiis suis scribit Cyrillus quemadmodum intellectus prudens voluntati tumidæ ac præesse volenti lo-

cutus est : Cave ne appetendo dominationem et potentiam, incurras superbiæ servitutem, et dum te aliis præfers, tui ipsius dominium perdas. Sed dic, an hoc quod desideras, justum putas? Nempe si justum non est, hoc ipsum appetere, est injustum. Injustitia vero miseria est : ergo ex hoc appetitu es miser. Omnis autem miser suæ calamitatis est servus. Porro, si quid injustum desiderans obtineres, plus miser exsisteres : quoniam unusquisque tanto miserior esse convincitur, quanto ejus voluntas in malis celerius adimpletur. Potentia quoque non excellentiam sed violentiam parit. — Istud breviter tango, ut in libro illo Cyrilli plenius requiratur.

Contra appetitum etiam dignitatis refert proverbium, quemadmodum vulpes per blandimenta cervam duxit ad ursum, quatenus ipsi ursus poneret cornua cervi. Cui cervus obvians dixit : Quo vulpinam sequeris caudam ? At illa : Ad ursum, inquit, quatenus sicut et tu cornibus orner ac gaudeam. An solus vis apparere? Cui cervus compatiens : Cave, ait, ne dum apud ursum perveneris, perdas pellem et vitam. Qui enim cornua cupit, perdit caput discretionis et aures quietis, etc. Quære ibidem.

METRUM VI

Novimus quantas dederit ruinas,
Urbe flammata patribusque cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore ;
Corpus et visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrimis, sed esse
Censor exstincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat
Quos videt condens radios sub undas
Phœbus, extremo veniens ab ortu,
Quos premunt septem gelidi Triones,
Quos Notus sicco violentus æstu
Torret, ardentes recoquens arenas.
Celsa num tandem valuit potestas
Vertere insani rabiem Neronis ?
Heu, gravem sortem, quoties iniquus
Additur sævo gladius veneno !

ARTICULUS XXIV

DECLARATIO METRI HUJUS SEXTI.

In hoc metro Philosophia declarat exemplis quod præcedenti prosa probavit de sæculari potestate, quod nec bonitas moralis neque felicitas in ea consistat. Est ergo ordo et sensus verborum :

Novimus ex chronicis *quantas ruinas,* id est quam multas et magnas destructiones, *dederit,* id est intulerit, is *qui quondam ferus,* id est Nero, qui ferocissimus fuit, *urbe flammata,* id est Roma succensa (cupiens enim videre quale et quantum fuerit incendium Trojæ, fecit Romam succendi, quæ et partim ex hoc fuit combusta), *patribusque cæsis,* id est senatoribus interfectis pro maxima parte, quia optavit planctum magnum audire, *fratre interem-*

pto, quia proprium fratrem fecit occidi, vel ut solus regnaret, vel (ut fertur) quoniam voluit experiri an fratrem suum diligeret, mortem ejus deflendo, *maduit* quoque *effuso cruore matris* suæ, quam jussit occidi, ut locum conspiceret in quo in ejus jacuerat utero : nam et occisam aperuit, et videndo ejus viscera perlustravit. Unde subjungitur : *et pererrans visu,* id est, intuendo percurrens hinc inde loca viscerum, *corpus gelidum,* id est corpus matris occisum et ex defluxu sanguinis infrigidatum, *non tinxit ora lacrimis,* id est, sine lacrimarum effusione viscera matris inspexit, *sed potuit esse,* imo et fuit, *censor decoris exstincti,* id est judex pulchritudinis suæ matris (quæ pulchritudo per mortem matris fuit exstincta) : nam visis matris visceribus, dixit, Fuit mulier pulchra.

Ex quibus patet inæstimabilis vitiositas detestandi Neronis : qui (ut asserit Leo Papa) fuit omnium vitiorum furore repletus. Et sicut supra dictum est de Symmacho, quod fuit adeo bonus, quod ex sapientia et virtutibus videbatur compositus ; sic Nero fuit tam irrationabilis et malitiosus, quod ex amentia et sceleribus compositus videbatur. Quemadmodum etiam Trajanus fuit omnium Romanorum imperatorum gentilium optimus, sic Nero omnium illorum fuit pessimus. Qui et beatissimos apostolos Petrum et Paulum occidit, et primus generalem persecutionem movit in Christianos, ut Leo Papa in sermone testatur.

Hic tamen, id est tam sceleratissimus Nero, *regebat sceptro populos,* quia monarcha fuit, et omnium gentium dominus : non tamen vere regebat, sed tyrannice præfuit ; sed juxta communem modum loquendi fertur rexisse. Proprie autem regit, qui subditos in debitum dirigit finem. « Regebat » autem « sceptro », id est regali imperio, « populos » *quos videt Phœbus,* id est sol, *condens,* id est abscondens, *sub undas,* id est sub aquas, *radios,* id est lucem quam diffundit : quia de sero occumbens, videtur aquas intrare Oceani. Et revera descendit, in sphæra sua persistens, sub elementis et inferioribus sphæris : per quod claritas ejus abstrahitur atque absconditur nobis. « Phœbus », inquam, *veniens ab ortu extremo,* id est ab orientali parte ubi consurgit. *Quos* etiam populos *premunt,* id est, ascendendo in altum sub se habent ; vel « premunt », id est, per impressionem et influentiam suam quodammodo sibi subjiciunt ; *septem gelidi Triones,* id est septem frigidæ stellæ, seu septistellium, quod dicitur Ursa minor. Et dicuntur stellæ hæ frigidæ ab effectu ; et vocantur et sunt stellæ Pleiades, id est aquaticæ. De quibus loquitur Deus ad beatum Job : Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades? *Job* xxxviii, 31. Quæ speciale habent dominium super aquas, sicut et luna. Et sunt plures quam septem, quamvis septem apparent. Alii vero aliter istam clausulam exponunt, sed expositio ista magis apta videtur. *Quos* item populos *Notus,* id est ventus ille australis, *violentus,* id est impetuosus, *æstu sicco,* id est calore siccante (est enim calidus ventus), *torret,* id est, æstuare facit, *recoquens,* id est adurens ; vel, ut aliqui legunt, *retorquens,* id est, suo flatu reprimens et impellens, *arenas ardentes,* id est valide calefactas vi solis.

Num, id est numquid, *potestas celsa,* id est imperialis potentia, *valuit tandem vertere,* id est in melius mutare, *rabiem Neronis insani?* Non utique, sed sicut fuit in eo summa sæcularis potentia, ita et malitia maxima. *Heu! gravem sortem,* id est, duram istam fortunam deploro, *quoties,* id est quod tam sæpe, *iniquus gladius,* id est abusus potentiæ, seu ipsa potestas mundana, quæ non in se, sed propter ipsius abusum vocatur iniqua, *additur veneno sævo,* id est tyranno crudeli seu fraudulentiæ ejus. Tales etenim multoties præsunt ; et per eos Deus corrigit peccatores, ac purgat electos, quemadmodum Attila, rex tyrannide plenus,

dixit : Ego sum Attila, Dei flagellum. Unde per Isaiam Dominus de rege ait
Is. x, 5. Assyriorum : Virga furoris mei et baculus ipse est. Ex his patet quanta sit ambitiosorum fatuitas, atque eorum qui ad mundanam adspirant potentiam.

PROSA VII

TUM ego : Scis, inquam, ipsa minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam ; sed materiam gerendis rebus optavimus, quo ne virtus tacita consenesceret.

— At illa : Atqui hoc unum est quod præstantes quidem natura mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas, allicere possit, gloriæ scilicet cupido, et optimorum in rempublicam fama meritorum. Quæ quam sit exilis et totius vacua ponderis, sic considera. Omnem terræ ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cœli spatium, puncti constat obtinere rationem : id est, ut si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere judicetur. Hujus igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio est, sicut Ptolemæo probante didicisti, quæ a nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, si quantum maria paludesque premunt, quantumque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis ? At quid habet amplum magnificumque gloria tam angustis exiguisque limitibus arctata ? Adde, quod hoc ipsum brevis habitaculi septum plures incolunt nationes lingua, moribus, totius vitæ ratione distantes : ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum commercii insolentia, non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem, pervenire queat. Ætate denique Marci Tullii, sicut ipse quodam loco significat, nondum Caucasum montem, Romanæ reipublicæ fama transcenderat : et erat tunc adulta, Parthis etiam ceterisque id locorum gentibus formidolosa. Videsne igitur quam sit angusta, quam compressa gloria quam dilatare ac propagare laboratis ? An ubi Romani nominis transire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur ? Quid, quod diversarum gentium mores inter se atque instituta discordant, ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum judicetur ? Quo fit ut si quem famæ prædicatio delectet, huic in plurimos populos nomen proferre nullo modo conducat. Erit igitur pervagata inter suos gloria quisque contentus, et intra unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur. Sed quam multos clarissimos suis temporibus viros, scriptorum inops delevit oblivio ! Quanquam quid ipsa scripta proficiunt, quæ cum suis auctoribus premit longior atque obscura vetustas ?

Vos vero immortalitatem vobis propagare videmini, quum futuri famam temporis cogitatis. Quod si ad æternitatis infinita spatia pertractes, quid habes quod de nominis tui diuturnitate læteris? Unius etenim mora momenti, si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem ; at hic ipse numerus annorum, ejusque quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam, infiniti vero atque finiti nulla unquam poterit esse collatio. Ita fit ut quamlibet prolixi temporis fama, si cum inexhausta æternitate cogitetur, non parva, sed plane nulla esse videatur.

Vos autem, nisi ad populares auras inanesque rumores, recte facere nescitis ; et relicta conscientiæ virtutisque præstantia, de alienis præmia sermunculis postulatis. Accipe in hujusmodi arrogantiæ levitate quam festive aliquis illuserit. Nam quum quidam adortus esset hominem contumeliis, qui non ad veræ virtutis usum, sed ad superbam gloriam, falsum sibi philosophi nomen induerat, adjecissetque jam se sciturum an ille philosophus esset, si quidem illatas injurias leniter patienterque tolerasset ; ille patientiam paulisper assumpsit, acceptaque contumelia velut insultans : Jam tandem, inquit, intelligisne me esse philosophum? Tum ille nimium mordaciter : Intellexeram, inquit, si tacuisses.

Quid autem est quod ad præcipuos viros (de his enim sermo est qui virtute gloriam petunt) : quid, inquam, est quod ad hos de fama, post resolutum morte suprema corpus, attineat? Nam si (quod nostræ rationes credi vetant) toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria, quum is cujus ea esse dicitur, non exstet omnino. Sin vero bene sibi mens conscia, terreno carcere resoluta, cœlum libera petit : nonne omne terrenum negotium spernet, quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exemptam?

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS SEPTIMÆ.

PRÆCEDENTIBUS prosis Philosophia ostendit felicitatem non esse in divitiis et potentiis; hic ostendit, quod non consistit in fama et gloria.

Tum, id est post hæc, *ego* Boetius *inquam,* id est dixi : O Philosophia, tu *ipsa scis, ambitionem,* id est superbiam et inordinatam affectionem, *mortalium rerum,* id est temporalium divitiarum, potestatum ac dignitatum, *fuisse dominatam minimum,* id est modicissime seu penitus nihil, A *nobis :* prout hoc in primo libro plenius est expressum. *Sed materiam gerendis rebus optavimus,* id est, desideravimus occupationem bonam circa gerenda, id est circa pertinentia ad bonum reipublicæ, et ad ea quæ rationabiliter sunt agenda in omni materia occurrente, *quo ne virtus tacita consenesceret,* id est, per quam occupationem « virtus tacita », id est prudentia non exercitata, sed in se occultata, non « consenesceret », id est, vetustate sua

Cf. p. [illegible] et s.

in se deperiret : quia virtutes practicæ, quarum finis est operatio, quando non exercitantur, minus vigent et negliguntur, ut etiam de humilitate, patientia, obedientia patet. Meritum quoque et præmium virtutum in actione et exsecutione earum actuali consistunt, nec aliter crescere multum videntur. Propter quod in claustris personæ religiosæ exerceri solent in exercitiis harum virtutum. Unde in Ecclesiastico
Eccli. XLI, 17. asseritur : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

— *At illa,* id est Philosophia, ad hæc respondet : *Atqui,* id est certe, *hoc, gloriæ scilicet cupido,* id est ipsa appetitio laudis humanæ et honoris mundani, *et fama optimorum meritorum,* id est excellentissimorum laudabilium actuum, exhibitorum *in rempublicam,* id est pro bono communi, quod divinius est quam bonum proprium, ut primo dicitur Ethicorum : ideo commendabilius est occupari in illo. « Hoc », inquam, *est unum* principium *quod possit allicere,* id est ad bene agendum inducere, *mentes quidem præstantes natura,* id est ex naturali dispositione nobiles et prædignas, tanquam egregiæ indolis exsistentes : quæ magis afficiuntur ad talia, quam ad divitias atque carnales delicias, quum et in Ecclesiastico scriptum
Ibid. 15. sit, Curam habe de bono nomine; *sed nondum perductas ad extremam manum,* id est ultimam et consummatam exsecutionem laudabilium exercitiorum, *perfectione virtutum,* id est pertingendo ad excellentias virtutum heroicarum.

Imo, ut etiam recitat Thomas libro de Regimine regum, istud quidam philosophi dixerunt esse finem præmiumque virtutum, præsertim hi qui non posuerunt aliam vitam post præsentem : propter quod valde solliciti erant post mortem manere saltem in memoriis ac laudibus hominum. Unde refert Hieronymus in vita S. Hilarionis, quod quum Alexander rex devenisset ad Achillis sepulcrum, dixit : Beatum te, juvenis, qui magni viri, puta Homeri, laudibus frueris. Verumtamen Alexander animam rationalem asseruit immortalem. Iterum gloriosus narrat Hieronymus in libro contra Helvidium, vilem hæreticum, quod tempore gentilitatis, quidam in Asia incendit templum Dianæ. Mane populo concurrente, atque stupentibus universis quis tantum facinus perpetrasset, ille prodidit semetipsum. Qui amplius admirati, cur hoc egisset sciscitabantur. Respondit : Ut quia per opera probitatis non potui, saltem hoc maleficio facerem mihi nomen æternum. Verumtamen, sicut in libro præfato Thomas demonstrat, opinio illa non est vera, quoniam recordatio et laus hominum non est virtutum sufficiens præmium. Quod et consequenter probat Philosophia :

Quæ fama *quam sit exilis,* id est permodica, *et totius vacua ponderis,* id est expers reputationis ac pro nihilo reputanda, præsertim comparative loquendo, hoc est respectu famæ, laudis ac gloriæ regni cœlestis, *sic considera :*

Omnem terræ ambitum, id est totam terram in gyro, *sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti,* id est, verum esse consensisti, quia hoc astrologi Alfraganus, Albumasar, Albategni concorditer probant ac tenent, *ad cœli spatium,* id est ad magnitudinem firmamenti seu primi mobilis, potissime cœli empyrei, *puncti constat obtinere rationem,* id est, se habet quasi punctum ; *id est, ut si* terra *ad cœlestis globi magnitudinem conferatur,* id est, si comparetur ad molem orbis cœlestis, qui instar globi sphæricæ est figuræ, non tamen solidus intus quemadmodum aliquis globus, *nihil spatii,* id est quantitatis, *prorsus habere judicetur.* Verumtamen istud est pie intelligendum. Punctus namque est quid indivisibile : propter quod, juxta Euclidem, positionem non habet in continuo. Indivisibile autem quotiescumque sumptum, non reddit aliquid majus : ideo continuum incomparabiliter excedere dicitur punctum. Sic autem nec cœlum nec totum universum corporeum transcendit terram ; sed moles terræ aliquoties sumpta, esset æqualis, imo et major ma-

gnitudine cœli. Nihilo minus modus iste loquendi admittitur ad insinuandum quasi incomparabilem cœli excessum in magnitudine super terram. Nam et minima stella visu notabilis, major est tota terra : et tamen stella respectu cœli reputatur ut punctus. Ex quibus patescit, quod sicut stella in veritate major est quam apparet, ita et cœlum.

Hujus igitur tam exiguæ in mundo regionis, id est, « hujus » elementaris « regionis » terrenæ, seu elementi terræ, quæ præfato modo est exigua, id est parva, *quarta fere portio est, sicut Ptolemæo probante didicisti, quæ a nobis cognitis animantibus incolatur,* id est, vix quarta pars terræ inhabitatur ab animalibus quæ nobis sunt cognita. Quod dicitur propter pisces qui commorantur in aquis, quorum species pro maxima parte nobis incognitæ sunt, sicut in libro Sapientiæ legitur. De his autem loquitur Ptolemæus in libris suis, Quadripartito, Almagesti, Centilogio.

Cf. *Sap.* IX, 16.

Porro Ptolemæus iste princeps astronomorum, rex fuit Ægypti, cultor unius Dei : ad cujus petitionem Septuaginta interpretes transtulerunt libros veteris Testamenti de Hebræo in Græcum. Erat enim Ptolemæus studiosissimus ; et habuit in bibliotheca sua septuaginta millia librorum, ut Cancellarius Parisiensis Joannes refert in tractatulo suo de Laude scriptorum. Fuit quoque Platonicus : unde in prologo super Genesim narrat B. Hieronymus, quod in Platonis dogma cadere videbatur. Aliqui tamen affirmant quod non fuit rex : sed Hieronymus super Danielem dicit expresse, quod fuit rex Ægypti ; idem testatur Josephus, Magister quoque in historiis.

Huic quartæ, si quantum maria paludesque premunt, quantumque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, id est, si per imaginationem et intellectum separaveris ab illa quarta parte terræ, tantam magnitudinem quanta occupatur ac operitur a particularibus maribus, paludibus, fluviis, stagnis, torrentibus, ac ceteris aquis, tantum quoque quantum est spatium terræ, seu « vasta », deserta et inhabitabilis « regio » præ carentia aquæ et nimia ariditate ; *vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur,* id est, locus valde angustissimus remanebit hominibus ad inhabitandum : angustus, inquam, respective loquendo. Porro area accipi solet pro horreo in quo blada excutiuntur. Deinde transumptive accipitur pro quacumque provincia, terra, regione, quæ aqua cingitur et fluctibus ejus concutitur, et cujus habitatores variis adversitatibus hinc inde tanguntur ac molestantur : sicque Isaias loquitur Judææ ac Synagogæ, Tritura mea, et filia areæ meæ, quæ a Domino Deo audivi, annuntiavi vobis. *Is.* XXI

In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi, id est, vos homines contenti ac commorantes in hac tam parva parte terræ : quæ pars est quasi punctum respectu totius elementi terræ, quæ tota terra elementaris se habet ut punctum comparatione regionis cœlestis : *de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis,* id est, solliciti estis quomodo valeatis famam claram acquirere, ac nomine tenus divulgari, cognosci, laudari ? In quo apparet imperfectio ac vanitas vestra. Et merito ita non ageretis : imo contemptis his vanis et modicis, toto affectu satageretis Deo majestatis immensæ placere, et in patria illa cœlesti per approbationem cognosci, reputari, felicitari. Hinc subditur :

At quid habet (id est, permodicum habet) *amplum* extensive *magnificumque* intensive *gloria,* id est fama seu laudibus hominum juncta notitia, *tam angustis exiguisque limitibus arctata,* id est non diffusa nisi per loca terræ habitabilia, tam stricta et numero parva ?

Insuper nec per omnia loca ista potest diffundi, propter varias causas. Propter quod subditur : *Adde,* id est, per considerationem adjunge jam dictis, *quod hoc ipsum brevis habitaculi septum,* id est quod spatium istud habitabilis terræ, *plu-*

res incolunt nationes lingua, id est idiomatibus, *moribus,* id est consuetudinibus, inclinationibus, observantiis apparatuque gestuum, *totius vitæ ratione,* id est lege et cultu, *distantes : ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum commercii insolentia,* id est destitutione mercationum, *non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem, pervenire queat.* Istud experimentaliter constat, et ex Scripturis probatur, quum et libro quarto Regum legatur, quod Josaphat rex Juda, et Joram rex Israel, atque rex Edom, periclitantes in solitudine præ aquæ penuria, angustiati sunt valde; dixitque Josaphat : Estne hic Propheta Domini, ut per eum deprecemur Dominum? Ad quod dum unus respondisset, Est hic Eliseus propheta, qui fudit aquam super manus Eliæ; Josaphat ait : Est apud eum sermo Domini? Ex quibus videtur quod Josaphat nondum audierat famam Elisei, qui tamen fuerat tam magnus propheta, et plurium auctor miraculorum.

IV *Reg.* III. 9-12.

De isto quoque subdit Philosophia exemplum. *Ætate denique Marci Tullii,* qui fuit tempore Julii imperatoris et Octaviani, et a socio Octaviani Antonio fuit occisus jam senex, ut libro de Civitate recitat Augustinus, ac alio nomine dictus Cicero, inter rhetores princeps, *sicut ipse quodam loco significat,* id est, quodam libro describit, *nondum Caucasum montem, Romanæ reipublicæ fama transcenderat,* id est, nondum devenerat ad homines commorantes trans montem sic appellatum, quum tamen Roma esset domina mundi, et tot bellis victoriisque præclara. Porro, ut legitur, Caucasus mons est in regno Scythiæ, ubi crescit et piper : usque quem montem tunc tendebatur Romanum imperium. In cujus montis australi parte est ingens calor, et in parte ejus aquilonari frigus intensum. In quo etiam monte nives abundant : propter quod a verbo *croucasis,* id est niveus seu candidus, ipse mons nuncupatur. *Et erat tunc adulta,* id est, Romana politia fuit tempore Julii multum provecta, et satis diu duraverat : sicut et unus homo fertur adultæ ætatis, expletis pueritiæ seu infantiæ annis; *Parthis etiam ceterisque id locorum gentibus formidolosa :* id est, tam Parthi, qui dicuntur fugiendo pugnare, sagittando retrorsum, quam aliæ gentes ea loca inhabitantes, tunc timebant Romanos, etiam diu ante tempora Tullii. Unde libro primo Machabæorum habetur : Quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos : quia quibus vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant, quos autem vellent, regno deturbabant; et exaltati sunt valde.

Plin. Hist. nat. lib. VI.

I *Mach.* VIII, 12, 13.

Videsne igitur oculis cordis *quam sit angusta, quam compressa gloria quam dilatare ac propagare laboratis?* Istud patet et sequitur ex prædictis. *An ubi Romani nominis fama transire nequit, Romani hominis gloria progredietur?* id est, non utique verisimile est nec solitum, ut fama unius personæ longius ac latius diffundatur, quam fama communitatis cujus pars est illa persona.

Quid, quod diversarum gentium, id est, « quid » dicis ad istud, et quid putas sequi ex hoc, « quod diversarum gentium » *mores inter se atque instituta discordant,* præsertim apud illos qui habent leges diversas, in quibus variæ ordinationes et observantiæ ordinantur, ut sunt Christiani, Judæi et Sarraceni, *ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum judicetur?* quia quod in una lege jubetur, in alia prohibetur. Attamen jus pure naturale apud omnes est idem, nisi sint aliqui valde corrupti, contra naturalem rationem agendo. *Quo fit,* id est, ex isto contingit, *ut si quem famæ prædicatio delectet,* id est, si quis de sua famatione et laude glorietur, *huic in plurimos populos nomen proferre nullo modo conducat,* id est, nullatenus prosit, quod nomen ejus et fama procul feratur ad gentes diversas diversarum legum ac rituum : quia quod una gens in ipso laudaret, alia vituperaret. *Erit igitur pervagata inter suos gloria quisque contentus,* id est, merito debet

contentari de fama sua inter homines suæ (A) legis, *et intra unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur*. Ista sunt plana.

Joannes. — Sensus, fateor, imo et stilus iste, in superficie planus est ; sed difficile mihi est videre qualiter hæc vera sint. Nonne Abraham, Isaac, Jacob, aliique Prophetæ ac Patriarchæ veteris Testamenti, apud Christianos, Judæos et Sarracenos famosi sunt ; Socrates quoque, Plato, Aristoteles, et alii clariores philosophi ; quidam (B) quoque pugnatores egregii, Hector, Alexander, Julius Cæsar ?

Dionysius. — Philosophia videtur hic loqui secundum ea quæ contingunt ut in pluribus. Isti quoque qui a diversis gentibus collaudantur, in his taliter commendantur in quibus diversæ gentes unanimiter sentiunt : et quantum ad hoc, sunt quasi gens una. Christiani vero Scripturas veteris Testamenti norunt esse divinas : ideo laudant eos qui in Scripturis illis præconizantur. Philosophos item laudamus (C) in quantum naturalem rationem recte secuti sunt, et juxta naturalem legem vixerunt. Porro impiissimus Mahometus sic utriusque Testamenti scripturas a Deo datas fatetur, ut nihilo minus in multis contradicat utrisque.

Joannes. — Quomodo potest hoc esse, quum hoc contradictionem implicare videatur ?

Dionysius. — Nonne Arius, Nestorius, Manichæus, Photinus, Sabellius, Pelagius, ac ceteri hæresiarchæ fassi sunt scripturam (D) evangelicæ legis esse a Deo? Nihilo minus contradixerunt ei in multis ; et quidam eorum asseruerunt eam esse inficiatam in multis passibus certis : quod et Sarraceni Mahometum sequentes, usque in præsens affirmant. Quod quam stultum sit dicere, et quam facillime ac apertissime reprobetur, in libris quos contra Alcoranum (id est contra librum legis Mahometi) edidi, in Dialogo quoque disputationis inter Christianum et Sarracenum, clarius demonstravi.

Joannes. — In quibus ergo conveniunt, et in quibus dissentiunt mutuo Christiani et Sarraceni ?

Dionysius. — Istud est quædam digressio : tamen breviter respondebo. Alcoran, Arabicum nomen est, et interpretatur collectio capitulorum seu legum : quia in libro illo continentur præcepta atque capitula legis, vel potius fæcis, quam Mahometus finxit se accepisse a Deo. In veritate autem accepit eam a Sergio, monacho apostata, hæretico Nestoriano. Nestorius quippe, Constantinopolitanus patriarcha et archiepiscopus, fuit hæreticus, renovans hæresim Photini, hæretici episcopi Mesopotamiæ, asserentis Christum esse hominem purum, non verum Deum. Sicque tenent Sarraceni hucusque, concedentes quod Jesus Christus fuit verus Messias in lege promissus, in Prophetis prænuntiatus, per Apostolos prædicatus : sicque fatentur quod fuit summus propheta, sapientissimus atque sanctissimus homo, filius Virginis, missus a Deo ; non autem admittunt quod fuit verus et naturalis filius Dei, sequentes in hoc præfatos hæreticos. Quæ omnia in Alcorano conscripta sunt. Unde et Avicenna Arabs, et Mahometi legem secutus, saltem in multis, in Metaphysica sua testatur, quod Jesus Nazarenus fuit multo sapientior atque moralior Mahometo : quod et ipsemet Mahon, Balphimius, Varadast, id est Mahometus (multa etenim nomina habet), in suo fassus est Alcorano. Denique ait quatuor fuisse magnos Prophetas : quorum primus fuit Jesus Christus (primus, inquam, perfectione et dignitate, non tempore), secundus Abraham, tertius Moyses, quartus ipse Mahometus.

Joannes. — Magnum est quod fides christiana etiam ab adversariis tot et talia testimonia habet : precor ergo ne tædeat aliqua horum ex Alcorano testimonia allegare.

Dionysius. — Quinto Alcorani capitulo legitur : Angeli Mariam alloquentes, dixerunt : O Maria, omnibus viris mulieribus-

que splendidior, mundior atque jucundior, tibi summi gaudii nuntium cum Verbo Dei, cujus nomen est Jesus Christus, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo et futuro, sapiens vir, optimus, ab universitatis Creatore mittitur. Illa respondit : O Deus, quum virum non tetigi, quomodo concipiam filium ? Angeli responderunt : Deo nihil occurrit impossibile, omnia prout vult operanti. Ipse filium tuum cum divina virtute venientem, librum legiferum, omnisque magisterii peritiam, et testamentum ac evangelium edocebit. Ipse Christus cæcos et mutos curabit, morphæaticos ac leprosos mundabit, mortuos Creatore cooperante vivificabit. Rursus in Alcorano quasi ex Dei persona dicitur ad Judæos : Christum Mariæ filium, cui commisimus Evangelium, quod est lumen et confirmatio testamenti, misimus, o Judæi. In eodem libro legis Sarracenorum bis fertur, quod Judæi idcirco a Deo abjecti sunt ac per mundum dispersi, quoniam Christum pro Messia eis promisso recipere noluerunt. Hæc tibi sufficiant. Nunc ad litteram redeundum.

Sed quam multos clarissimos suis temporibus viros (id est valde multos viros qui in tempore vitæ suæ fuerunt in sapientia ac virtute præclari) *scriptorum inops delevit oblivio,* id est, a cordibus et memoriis hominum removit ipsa oblivio indigens scriptoribus et historiographis ! Qui quoniam talia gesta et verba non descripserunt, ideo viri illi præclari oblivioni sunt dati. *Quanquam quid ipsa scripta proficiunt,* id est, quamvis « ipsa scripta » historialia et alia aliquid prosunt, quia ad aliquid utilia sunt, *quæ,* scilicet scripta, *cum suis auctoribus premit,* id est consumit, *longior atque obscura vetustas,* id est magna et protracta antiquitas, qua paulatim præteritorum memoria obruitur, libri perduntur et corrumpuntur. Ideo in Eccle-
Eccle. 1, 11. siaste inducitur : Non est priorum memoria, sed nec eorum quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri

A sunt in novissimo. Sallustius quoque in Catilinario conqueritur, quod gesta Romanorum sunt minus famosa propter scriptorum inopiam, Atheniensium autem famosiora propter scribentium copiam. Hinc etiam Augustinus asserit expedire ut de eisdem materiis diversi conscribant, quia non omnium scripta ad omnes deveniunt.

Vos vero immortalitatem vobis propagare videmini, id est, vobis apparet quod procuretis quamdam perpetuam permanentiam, *quum futuri famam temporis*
B *cogitatis,* id est, dum cogitatis quod fama vestra et vos ipsi per eam, manebitis deinceps per omne tempus futurum in cordibus hominum. *Quod si ad æternitatis infinita spatia pertractes,* id est, si compares ipsum tempus, *quid* nunc *habes quod de nominis tui diuturnitate læteris?* id est, quid restat tibi, ut merito glorieris de hoc quod post mortem habebis famam diuturnam ? quasi dicat : Non habes rationem aut materiam bonæ gloriationis in hoc.

C *Unius etenim mora momenti,* id est mora quantumlibet brevis et modica modicissimi temporis, ut momenti, quod pro instanti reputatur, *si decem millibus conferatur annis,* id est, si comparetur quantumlibet longo tempori, finito aut finiendo, *quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem,* id est, tempus illud brevissimum « habet aliquam proportionem », quamvis valde parvam, ad tempus illud permaximum, quia utrumque finitum est.
D Propter quod minimum illud toties posset repeti, quod æquaretur maximo illi : quemadmodum una hora, imo minutum unius horæ ac centesima pars ejus, posset toties multiplicari, quod constitueret centum millia annorum. *At hic ipse numerus annorum,* id est numerus iste decem millium annorum, *ejusque quantumlibet multiplex,* id est numerus ejusmodi quantumcumque multiplicatus, ut viginti millia, centum millia, etc., *ad interminabilem diuturnitatem,* id est ad æternitatem, *ne*

comparari quidem potest, id est, certe comparari non valet. Finiti enim et infiniti comparatio nulla est : nam quotiescumque finitum multiplicetur, nunquam constituit infinitum. Et hoc est quod subditur.

Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam, infiniti vero atque finiti nulla poterit unquam esse collatio : id est, « quædam collatio » seu comparatio « fuerit », id est, esse poterit, « finitis ad se invicem », id est uni rei finitæ cum alia re finita, ut uni numero et spatio finito cum alio numero spatioque finito ; sed finito cum infinito et econtra, non est comparatio ulla proprie sumpta et in genere aliquo, quamvis creatura dicatur similis Creatori per imitationem. *Ita fit ut quamlibet*, id est quantumcumque, *prolixi* (id est diuturni) *temporis fama, si cum inexhausta*, id est indeficienti, *æternitate cogitetur*, id est comparetur, *non parva, sed plane nulla esse videatur*, id est nullius momenti.

Vos autem, nisi ad populares aures (vel *auras*) *inanesque rumores, recte facere nescitis :* id est, non scitis juste agere virtuoseque vivere, nisi ad obtinendum laudes hominum et « rumores », id est famas, « inanes ». Vel sensus est : « Nescitis » agere « recte », nisi secundum judicium vulgarium hominum, hoc est, ea agendo quæ ipsi reputant bona, seu eis sunt placita. Et quocumque horum modorum agere bona ex genere, non est vere agere bene, quum sit vana intentio. Nempe, ut ait Ambrosius, Intentio tua imprimit speciem operi tuo ; et Christus, Si oculus tuus fuerit simplex (id est intentio sincera et recta), totum corpus tuum lucidum erit, id est, tota congeries operum inde procedens erit virtuosa. Hinc de Scribis et Pharisæis propter hominum laudes et commoda jejunantibus, orantibus, eleemosynas dantibus, dixit frequenter : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Nec solum privant se mercede salutis æternæ, pro qua hanc temporalem, vilem ac vanam famam, laudem, commoditatem suscipiunt ; verum æternam sibi damnationem mercantur.

(Matth. VI. 22.) (Ibid. 2. 5. 16.)

Et relicta conscientiæ virtutisque præstantia, id est, abjecta dignitate ac attestatione bonæ « conscientiæ », gratiæ ac virtutum : de qua fatur Apostolus, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Verum, ut Seneca est locutus, Famam multi verentur, conscientiam pauci. *De alienis præmia sermunculis postulatis*, id est, « præmia » bonorum quæ videmini agere, constituitis in paucis verbis quibus ab aliis laudari, famari, sublimari expetitis. Istud est opus infinitæ stultitiæ, potius velle et quærere hominibus complacere quam Deo, et magis appetere mercedem temporalem, inanem, quam gloriam æternalem. Hi vani hypocritæ de numero sunt fatuarum virginum, quæ non acceperunt oleum in vasis suis, id est, caritatem (quæ instar olei ungit, lucet et lenit) ac spiritualem lætitiam de actibus virtuosis, non posuerunt in cordibus et conscientiis suis : idcirco a sponsi nuptiis excluduntur. Ideo scriptum est : Numquid Deus exaudiet clamorem hypocritæ, quum venerit super eum angustia? Aut poterit in Omnipotente delectari ?

(II Cor. I, 12.) (Matth. XXV. 3.) (Ibid. 11. 12.) (Job XXVII. 9. 10.)

Consequenter Philosophia ostendit istud per exemplum.

Accipe in hujusmodi arrogantiæ levitate, id est, ad cognoscendum plenius levitatem vanæ gloriæ elationisque hujus, et ad detestandum eamdem, « accipe », id est adverte, *quam festine*, id est quam prompte ac cito (vel, quam *festive*, id est egregie et urbane), *aliquis illuserit*, id est, sapiens quidam recta intentione irriserit quemdam inanem et fictum.

Nam quum quidam Atheniensium *adortus esset hominem contumeliis*, id est, aggressus fuisset per opprobria, ad probandum patientiam ejus, *qui* sic probatus *non ad veræ virtutis usum*, id est fructum, *sed ad superbam gloriam*, id est gloriationem inanem, *falsum sibi philosophi nomen induerat*, id est, mendaciter

reputavit et appellavit se appellarique voluit philosophum; *adjecissetque,* id est, sapiens ille dixisset, *se jam sciturum an ille philosophus esset,* non solum scientia, sed et virtute, *si quidem,* id est certe si, ille probatus *illatas injurias,* id est opprobria sibi illata, *leniter patienterque tolerasset.* Patientia namque est omnium probatrix virtutum : idcirco, si homo in contumeliis ceterisque adversis patientiam habeat et conservet, signum est quod sit virtuosus ac prudens. Ideo in Proverbiis Salomon ait : Doctrina viri per patientiam noscitur. Quocirca scribit Gregorius : Tanto unusquisque convincitur minus doctus, quanto minus patiens. Propter quod denuo Salomon protestatur : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia. His simile est quod Seneca quoque deprompsit : Ignis aurum probat, miseria viros fortes. *Ille patientiam paulisper assumpsit,* id est, probatus ille forinsecus simulavit se patientem, non ex virtute, sed pro laude humana; *acceptaque contumelia* ab illo prudente *velut insultans* probanti, quod scilicet jam per patientiam ipsummet vicisset : *Jam tandem, inquit, intelligisne me esse philosophum? Tum ille* sapiens *nimium mordaciter,* id est, tunc Atheniensis ille acriter valde respondens : *Intellexeram, inquit,* id est, cognovissem te esse philosophum, *si tacuisses,* non prorumpendo in verba propriæ laudis.

Prov. XIX, 11. — Ibid. XIV, 29.

Præterea simile huic videtur quod in Collationibus Patrum et item in Vitis Patrum narratur, quemadmodum quidam Fratrum visitans abbatem Serapionem, posuit se in terra ad pedes abbatis. Quem quum abbas admonuisset ut surgens secum sederet, ille quasi humilians se, respondit se indignum sedere in terra. Quum autem Serapion dixisset ad Fratrem, Fili, mane in cella tua, non expedit tibi ita hinc inde transire; Frater ille ad impatientiam motus est, et impatientiæ signa ostendit in vultu. Cui Serapion : Jam, ait, dixisti te indignum in terra sedere, et modo non potuisti unum verbum piæ admonitionis audire? Heu, quam multi sunt tales, qui se verbis humiliant, increpati autem ab aliis, impatientes redduntur atque redarguunt!

Cf. t. XXVII, p. 348 D'.

A

Postremo tangitur ratio specialis et apta, cur contemnenda sit gloria vana et fama humana.

Quid autem est quod ad præcipuos viros, id est ad sapientes ac virtuosos (*de his enim sermo est,* id est, de talibus loquor hic, *qui virtute gloriam petunt,* id est, propter virtutes suas quærunt gloriam

B

adipisci, non per opera mala, ut jam dictum est supra) : *quid, inquam, est quod ad hos de fama, post resolutum morte suprema corpus, attineat?* id est, « quid » spectat « ad hos de fama » habenda post corporis resolutionem?

Cf. p. 261 B et s.

Nam si (quod nostræ rationes credi vetant) toti moriuntur homines : id est, « si homines moriuntur » non solum quoad corpus, sed etiam quantum ad animam : « quod rationes nostræ » philosophicæ « vetant », id est prohibent, « credi »,

C

quibus probatum est animas rationales esse immortales; *nulla est omnino gloria,* id est, fama illa defuncti non est alicujus rei, nec aliquid ei confert, *quum is cujus ea esse dicitur, non exstet omnino. Sin vero bene sibi mens conscia,* id est, anima sit conscientiæ bonæ, *terreno carcere resoluta,* id est a carne mortali exuta, *cœlum libera petit,* id est, ad Creatorem suum cœlo empyreo præsidentem regreditur, a vinculis vitiorum ac omni reatu erepta et expers : juxta illud Ecclesiastæ, Pulvis revertatur in terram suam, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Nonne omne terrenum negotium spernet,* id est divitias, delicias, potestatem, famam, laudem et gloriam sæculi hujus ac vitæ præsentis, *quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exemptam,* id est, « quæ » mens seu anima « fruens cœlo », id est felicitate cœlesti, ac rege cœlorum Deo omnipotente, « gaudet se » esse « exemptam », id est liberatam, « terrenis », id est a corpore isto mortali, in quo etiam terra quantum ad

Eccle. XII, 7.

D

molem prædominatur? Quod ipsi animæ A fuit frequenter spiritualium actuum impedimentum, juxta illud libri Sapientiæ : Corpus quod corrumpitur, aggravat ani- *Sap.* IX, 15. mam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.

ARTICULUS XXVI

DIFFICULTATUM AC QUÆSTIONUM HUJUS SEPTIMÆ PROSÆ PROPOSITIO ET COMPENDIOSA ABSOLUTIO.

JOANNES. — Oritur mihi dubitatio circa B inducta. Primo, an commendabile sit bonam famam et laudem gloriamque appetere. Et videtur ex considerationibus Philosophiæ nunc introductis, quod non. In oppositum est, quod Augustino testante, qui negligit famam, crudelis est.

DIONYSIUS. — Famam bonam appetere contingit dupliciter. Primo, ex privato amore, et per respectum ad se ipsum, hoc est ad proprium honorem seu commodum. Et hoc est superborum et cupidorum, in se honorari et propria commoda optan- C tium adipisci. Quod item est hypocrita- *Matth.* XXIII, 14. rum, quibus loquitur Dominus : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Secundo, ex caritate, ad Dei honorem et gloriam proximorumque ædificationem, et propter justitiæ debitum adimplendum. Unusquisque enim tenetur Deo conscientiam puram, et proximo bonum exemplum, sicut in Ecclesiastico *Eccli.* XVII, 12. scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Ubi rursus præcipitur : D *Ibid.* XLI, 15. Curam habe de bono nomine. Unde et *Matth.* V, 16. apud Matthæum docet Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. — Sic item non debemus velle laudari in nobis, sed in Deo *Ps.* XXXIII, 3. (juxta illud in Psalmo, In Domino laudabitur anima mea) : sic ut si quid boni in nobis est, hoc Deo attribuatur. — Porro gloria multipliciter sumitur. Primo, pro lætitia : ut quum ait Apostolus, Qui glo- *II Cor.* X, 17. riatur, in Domino glorietur. Secundo, pro majestate et excellentia. Unde dicitur in libro Proverbiorum : Sicut qui mel come- *Prov.* XXV, 27. dit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Et Isaias ait : Plena est omnis terra *Is.* VI, 3. gloria ejus. Tertio, pro clara cum laude notitia. Gloriam primo modo sumptam debemus in Deo appetere, quum dicat Apostolus, Gaudete in Domino semper ; et *Philipp.* IV, 4. Psalmista, Servite Domino in lætitia. Simi- *Ps.* XCIX, 2. liter gloriam secundo modo acceptam, ut in gratia atque virtutibus simus veraciter excellentes, in omni humilitate, patientia, obedientia, sobrietate ac sancta dilectione. Idem dicendum de gloria tertio modo dicta, ut agnoscamur in bonis, et laudemur tempore opportuno in omnium bonorum datore. Tamen, Seneca protestante, Magnum est laudabilem esse et non laudari.

JOANNES. — Placet omnino ista responsio : sed quæro an etiam animæ sanctæ in cœlo receptæ optent et ament has famas et laudes?

DIONYSIUS. — Quemadmodum reproborum augetur damnatio, dum eorum exemplis et documentis iniquis viatores ad peccandum trahuntur ; sic Beatorum augetur felicitas quantum ad præmium accidentale, dum eorum exemplis et doctrinis fideles inducuntur ad bona. Ergo ipsi volunt in Deo laudari, glorificari, ac famosi haberi. Philosophia autem in hac prosa docet ne quis famam et gloriam in se aut

A propter se quærat. Imo, quantum in nobis est, et quoniam Deum tam frequenter enormiterque offendimus, debemus potius velle vituperari, contemni, irrideri, ab omnibus conculcari, præsertim hi qui non præsunt.

Joannes. — Quia in textu expressum est, quod gloriæ cupido et optimorum fama meritorum possint ad bene agendum allicere, quæro an ista sint fines et præmia actuum virtuosorum in præsidentibus. *Cf.* p. 261 B.

B Dionysius. — De hoc S. Thomas in libro de Regimine regum : Quibusdam, inquit, visum est, regis seu præsidentis præmium non esse nisi gloriam et honorem. Unde Tullius libro de Republica dicit, regem gloria esse alendum. Ejus rei rationem assignare videtur Aristoteles, quoniam princeps cui non sufficit honor et gloria, consequenter tyrannus efficitur. Verum ex hac æstimatione inconvenientia multa sequuntur. Nihil enim in rebus humanis videtur esse fragilius gloria et honore fa- C voris humani, quum dependeat ex opinionibus hominum et verbis eorum, quibus nihil mutabilius est in hac vita humana. Denique cupido hujusmodi repugnat veræ magnanimitati. Qui enim favorem hominum quærit, necesse est ut in omni quod dicit aut facit, eorum deserviat voluntati : et ita, dum omnibus studet placere, servus fit singulorum. Propter quod idem Tullius libro de Officiis, cupidinem gloriæ dicit esse cavendam, quoniam eripit animi libertatem. Rursus, ad boni principis spe- D ctat officium, humanam contemnere gloriam, sicut et cetera temporalia bona : imo fortis virtuosique animi est, pro justitia despicere non solum gloriam, sed etiam vitam. Hinc fit quoddam mirabile, ut quia actus virtuosos consequitur gloria, ipsa gloria virtuose contemnatur, et homo ex contemptu gloriæ gloriosior fiat. Propter quod de Catone narrat Sallustius : Quo minus gloriam appetebat, eo plus eam assequebatur. Hinc et communiter dicitur : Honor seu gloria sequitur fugientem. Amplius, ex cupidine gloriæ principes multi se ipsos et suos exercitus exposuerunt magnis periculis. Habet itidem cupido gloriæ simulationem sibi annexam. Quum enim difficile sit paucisque conveniat veras habere virtutes, quibus solis honor debetur et gloria, multi gloriam cupientes, fiunt virtutum simulatores. Ideo ait Sallustius : Ambitio multos mortales falsos fieri cogit, aliud clausum in pectore, aliud promptum habere in lingua. Itaque, quoniam reges et præsidentes sunt Dei vicarii ac ministri, præmium sui regiminis ac laboris præstolari debent a Deo, non principaliter nec ultimate in præsenti, sed in futuro, in regno cœlesti, in quo tanto copiosius præmiabuntur, quanto nunc sincerius quærunt bonum commune et Dei honorem ex vera caritate et zelo justitiæ. lib. i, c. 7. lib. i, c. 8.

Præterea, ex his edocemur, quam contemnenda sit appetitio mundani honoris ac gloriæ temporalis, etiam si homo fieri posset dominus terræ totius, quum tota habitabilis terra sit quantitatis tam modicæ, comparative loquendo. Quanto magis viles, vani et excæcati sunt, qui desiderio prælationis et præsidentiæ unius provinciæ aut urbis, seu congregationis, perdunt animas suas, et ambitioni, quæ innumerabilium vitiorum origo est, succumbunt, et Deum ac cœlestis regni principatum amittunt ?

Erubescant ergo hypocritæ et simulatores ac callidi, qui contra se provocant iram Dei. Audi, qui talis es, Augustinum dicentem : O hypocrita, si bonum est esse justum, devotum et virtuosum, cur vis apparere quod non vis esse ? Si malum est malum esse, cur vis esse quod non vis apparere ? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse ; si malum est malum apparere, pejus est malum esse. Aut ergo appare quod es, aut esto quod appares. Gregorius quoque testatur : Qualis hypocrita imperitis hominibus esse videtur, talis vult ab omnibus reputari, et paratior est mori quam corripi. Hypocrita quot vi- *Job* xxxvi, 13.

tiis plenus est, tot stercoribus coram Deo A anima ejus fœtet. Hypocritarum corda diabolus tacitus tenet, et in ipsis ipse quasi quietus dormit, ubi eos quos possidet, quiescere non permittit. Ideo, coram Deo cor tuum semper constitue, coram ejus conspectu te discute, et coram oculis ejus fictus, turpis, vitiosus consistere erubesce, quum Seneca dicat : Non alius quam optimus animus, pulcherrimus Dei cultor est.

Postremo, argumento Philosophiæ in fine prosæ hujus tacto, simile fuit argumentum Catonis quo sibi animæ immortalitatem persuasit, sic arguendo : Aut immortalis est anima, aut mortalis. Si immortalis, expedit sic credere ac tenere : alioqui post mortem erubescemus de nostro errore. Si mortalis, non nocet ejus immortalitatem putare : quia post mortem inde non erubescemus, et interim bonæ spei exsistimus.

METRUM VII

Quicumque solam mente præcipiti petit
  Summumque credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas,
  Arctumque terrarum situm :
Brevem replere non valentis ambitum
  Pudebit aucti nominis.
Quid o superbi colla mortali jugo
  Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
  Diffusa, linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
  Mors spernit altam gloriam,
Involvit humile pariter et celsum caput,
  Æquatque summis infima.
Ubi nunc fidelis ossa Fabricii manent?
  Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
  Inane nomen litteris.
Sed quod decora novimus vocabula,
  Num scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
  Nec fama notos efficit.
Quod si putatis longius vitam trahi
  Mortalis aura nominis,
Quum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
  Jam vos secunda mors manet.

ARTICULUS XXVII

EXPLANATIO SEPTIMI HUJUS METRI.

HOC in metro Philosophia versibus canit quod in prosa præcedenti prosaice de vanitate gloriæ ac famæ mundanæ deprompsit.

Cujus contemptibilitatem ac modicitatem primo declarat ex parvitate habitabilis terræ respectu cœlestium corporum. Itaque ait : *Quicumque* homo *petit,* id est, cupit et accedit, *mente præcipiti,* id est corde inordinato, festinante, atque se ipsum præcipitante, *gloriam solam,* id est famam et reputationem humanam dumtaxat, *creditque summam* *, id est, quod ipsa sit gloria summa, *cernat,* id est inspiciat, *plagas ætheris,* id est regiones corporis cœlestis, *late patentes,* id est undique apparentes (juxta illud Psalmi, Quoniam videbo cœlos tuos), *situmque terrarum arctum,* id est strictum comparatione cœlestium corporum. *Pudebit nominis aucti,* id est, erubescet de sua fama vulgata : « nominis », inquam, *non valentis replere ambitum* terræ *brevem,* id est, non potentis devenire ad universos commorantes in terra, quæ respectu cœli tam parva est.

* summum

Ps. VIII, 4.

Consequenter idem ostendit ex mortis consideratione. *O quid,* id est ad quid, *superbi gestiunt,* id est cupiunt, *frustra levare colla,* id est erecta cervice ex tumore incedere, *jugo mortali,* id est cum onere suæ mortalitatis, ita quod consideratio propriæ mortalitatis non humiliat eos ? juxta illud Job : Cucurrit impius adversus Deum erecto collo. Quocontra de se sanctus fatetur Hieronymus : Nihil a pueritia vitare sic studui, sicut erecta cervice incedere. Etenim in Ecclesiastico increata Sapientia protestatur : Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. *Licet,* id est quamvis, *fama means,* id est, diffundens se, *per populos remotos,* id est longe ab invicem distantes, *diffusa,* id est undique sparsa, *explicet,* id est, ad loquendum de se resolvat, *linguas, et domus magna fulgeat titulis claris,* id est appellationibus seu laudibus inclytis ; *mors spernit gloriam altam,* id est, non parcit inhabitantibus domos tales, et ipsa mors *involvit,* id est, suæ corruptioni includit, *caput humile pariter et celsum,* id est parvos et magnos, *æquatque infima summis,* id est minimos et abjectissimos homines « summis », id est maximis hominibus, quantum ad hoc, quod indifferenter tollit universos ac singulos, sicut in versibus dicitur :

Job xv, 26.

Eccli. XXIV, 11.

> Mors fera, mors nequam, mors nulli parcit, et æquam
> Cunctis dat legem, tollit cum paupere regem.

Hinc Philosophia per exempla probat hujus vitæ famæque mundanæ brevitatem et instabilitatem.

Ubi nunc ossa fidelis Fabricii manent ? quasi dicat : In tumulo jacent, aut alibi sunt dispersa. Fuit autem Fabricius consul Romanorum : qui vocatur « fidelis », non fide aut fidelitate catholicæ fidei, quia paganus fuit ; sed fidelitate quæ est pars justitiæ naturalis politicæ, quoniam valde fidelis fuit reipublicæ. De quo in gestis Romanorum multa leguntur : quorum unum hoc est, quod dum quadam vice missus a Romanis, obsideret civitatem quamdam Pyrrhi regis, pædagogus nobilium puerorum civitatis illius callide pueros illos adduxit in manum Fabricii. Qui tantam infidelitatem pædagogi detestans puerisque compatiens, remisit per suos ministros, pueros ipsos suis parentibus

una cum pædagogo. Quo cognito, Pyrrhus rex ait : Fabricius est qui difficilius posset a sua probitate deflecti, quam sol a suo motu impediri. *Quid Brutus, aut rigidus Cato?* id est, ubi et « quid » jam sunt viri isti Romani, olim præcipui, rectores boni communis? Brutus autem, expulso ab urbe Tarquinio Superbo, una cum Collatino factus est consul Romanorum. Cato demum « rigidus » appellatur, quoniam justus fuit et plurimum seriosus : qui et prudentissimus fuit, et milites suos, sobolem atque familiam rexit districte.

Fama eorum *superstes,* id est post eos manens, *tenuis,* id est permodica, quia paulatim est minorata, *signat,* id est notificat, *pauculis litteris,* id est per modica scripta, *nomen inane,* id est nomina eorum : quæ dicuntur inania, quoniam res seu personæ significatæ per ea, non subsistunt quantum ad corpora. *Sed quod novimus vocabula decora,* id est, quamvis sciamus illorum virorum nomina pulchra : quæ quamvis modo inania dicta sunt ob causam expressam, tamen nunc decora dicuntur, quia illustrium olim personarum sunt nomina ; *num,* id est numquid, ideo *datur,* id est, conceditur nobis, *scire consumptos,* id est mortuos jamque in pulverem resolutos? *Ergo,* o viri præfati, *jacetis* in sepulcris, quantum ad corpora (totum enim denominatur frequenter a parte), *prorsus ignorabiles,* id est omnino ignoti faciali atque sensibili cognitione ; *nec fama efficit* vos *notos,* id est, ex fama vestra non potestis distincte ac perfecte cognosci.

Quod si putatis vitam vestram *longius trahi,* id est prolongari, *aura,* id est rumore, *nominis mortalis,* id est famæ transitoriæ ; tamen *quum dies sera,* id est ultima, seu tarde veniens, *rapiet,* id est auferet, *vobis etiam hoc,* id est hanc famam, quæ tandem oblivione delebitur, *jam manet,* id est exspectat, *vos mors secunda,* id est damnationis miseria, quæ est privatio vitæ gloriæ. Quæ mors pro peccatis infligitur, etiam secundum veram phi-

A losophiam, et ut Pythagoras, Socrates, Plato dixerunt : quamvis mortem illam non putaverint esse æternam. Vel « mors secunda » vocatur oblivio, hoc est deletio a memoria, qua mortui in memoriis hominum aliqualiter vivunt.

Porro Pythagoras animas iniquorum asseruit descendere in infernum : quem etiam esse perhibuit in medio terræ. Plato quoque in Phædone affirmat : Procul valde sub terra, altissimum (id est profundissimum) est barathrum. Et rursus ibidem :
B Quicumque (ait) non lustratus nec expiatus in Avernum abierit, in cœno jacebit. Verumtamen isti dixerunt animas post certa tempora liberari, et rursus incorporari. Avicenna vero et Algazel, animas semel separatas amplius incorporari negantes, dixerunt pœnas illas finire post competentem purgationem, quoniam nullum violentum est perpetuum ; animasque purgatas intelligentiæ infimæ copulari. Quod tamen non solum est contra evangelicam legem, sed et contra Alcoranum seu legem Maho-
C meti, in qua pœna inferni prædicatur æterna.

Præterea, sicut nos Christiani neminem dicimus veraciter religiosum, imo nec christianum, quantumlibet doctum, nisi simul sit etiam virtuosus ; sic philosophi neminem reputaverunt verum philosophum neque philosophi nomine dignum, nisi virtutibus quoque intentum. Et sicut asserimus, ad vitandum vitia virtutesque acquirendas præcipue suffragari assiduam mortis memoriam, ita et ipsi. Unde in
D Phædone asseruit Plato : Revera philosophantes, morti se præparant ; et circa concupiscentias non obstupescere, solis philosophis competit : idcirco si videris aliquem moleste ferre quum debeat mori, nullo modo fuit philosophus. Et rursus : Meditatio philosophorum est separatio et solutio animæ a corpore. Insuper de his Seneca dixit quamplura : Philosophia, inquiens, facere docet, non dicere tantum ; et hoc exigit ut ad legem suam (id est juxta philosophiæ institutionem) quisque vivat,

ne sermo vitæ dissentiat. Ante omnia vide an in ipsa vita profeceris. Philosophia non est populare artificium; non in ostentatione, nec verbis, sed in rebus consistit: ideo hoc turpissimum est, quod nobis objici solet, quod verba philosophiæ tractamus, nec opera exercemus. Ante omnia mors ipsa ante oculos est habenda, tam seni A quam juveni. Hinc hortatur S. Bernardus : In omnibus tuis memorare novissima tua; mortis horrorem, metuendum judicii divini discrimen, ardentis gehennæ metum nunquam patiaris ab oculis tuæ mentis recedere : nihil sic revocat a peccatis, ut assidua et intenta meditatio mortis. Eccli. VII, 40.

PROSA VIII

SED ne me inexorabile contra fortunam gerere bellum putes, est aliquando quum de hominibus fallax illa nonnihil bene mereatur : tum scilicet quum se aperit, quum frontem detegit, moresque profitetur. Nondum forte quid loquar intelligis. Mirum est quod dicere gestio, eoque sententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus hominibus reor adversam quam prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper specie felicitatis, quum videtur blanda, mentitur; hæc semper vera est, quum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit ; hæc instruit. Illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram; hanc sobriam succinctamque, et ipsius adversitatis exercitatione prudentem. Postremo, felix a vero bono devios blanditiis trahit; adversa plerumque ad vera bona reducens*, velut unco retrahit. An hoc inter minima æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos sodalium vultus ambiguosque secrevit : discedens, suos abstulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer et (ut videbaris tibi) fortunatus, emisses? Desine nunc amissas opes quærere : quod pretiosissimum divitiarum genus est, amicos invenisti.

* reduces

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO OCTAVÆ HUJUS PROSÆ.

IN præhabitis ostendit Philosophia vanitatem atque fallaciam fortunæ in prosperis; hic commendat eam in adversitatibus : et hoc pluribus rationibus probat, simul ostendens temporalia esse potius spernenda quam magnifacienda aut appetenda. Ait ergo Philosophia : B *Sed ne inexorabile contra fortunam gerere bellum me putes,* id est, me æstimes, o Boeti, quod geram implacabilem pugnam seu disputationem contra fortunam, eam ex immoderata detestatione vituperando, *est aliquando,* id est, interdum contingit, *quum de hominibus illa fallax,* id est dum

ipsa fallax exsistens in suis effectibus circa homines, *nonnihil bene mereatur,* id est, aliquid laudabilitatis promereatur, faciendo aliquid boni : *tum scilicet quum se aperit,* id est, tunc quum post fictionem suam ostendit qualis in veritate exsistat, *quum frontem detegit,* id est, modum seu exordium sui accessus, vel simulationem suam, denudat et patefacit, *moresque profitetur,* id est, ipso facto loquitur et declarat suas proprietates.

Nondum forte quid loquar intelligis, id est, sensum verborum istorum et meam intentionem adhuc forsitan non advertis. *Mirum est quod dicere gestio,* id est, quod opto exprimere, *eoque sententiam verbis explicare vix queo,* id est valeo : facilius enim est alta et difficilia mente concipere, quam verbis exprimere, quemadmodum facilius est dicere et docere, quam opere adimplere. *Etenim plus hominibus reor adversam quam prodesse prosperam fortunam,* id est, « fortunam prosperam » in suo effectu, seu effectum fortuitum prosperum, arbitror magis obesse quam prodesse, quantum ad animarum salutem :
Cf. p. 207 B. quod jam frequenter supra positum est.

* specie

Illa enim semper spem felicitatis, quum videtur blanda, mentitur,* id est, fortuna prospera « semper mentitur », id est, false promittit, « spem felicitatis », id est sufficientiæ, « quum videtur blanda », id est demulcens per divitias, delicias honoresque ; *hæc,* id est fortuna adversa, *semper vera est, quum se instabilem mutatione sui demonstrat,* videlicet per mutationem sui effectus, dando adversa post prospera. *Illa fallit,* id est, fortuna prospera decipit, felicitatem promittendo ; *hæc in-*
Is. xxviii, 19. *struit :* quia vexatio adversitatis dat intellectum, per quam intelligit homo, quod fortunæ prosperitas incerta, vana, inconstans est.

Illa mendacio specie bonorum mentes fruentium ligat : id est, fortuna prospera « ligat », id est, excæcat et in errore detinet, « mentes fruentium », id est, eos qui bonis creatis, caducis fruuntur, illis inhærendo finaliter, in quibus sibi felicitatem constituunt, « mendacio », id est falsitate præfata, « specie bonorum », id est sub apparentia et quadam similitudine bonorum verorum : malum enim non appetitur nisi sub ratione et similitudine boni, ita quod est bonum apparens, quum bonum sit voluntatis objectum. Vel, « specie bonorum » *mendacium,* id est fallacium, utputa divitiarum, deliciarum, etc. *Hæc cognitionem fragilis felicitatis absolvit,* id est, fortuna adversa « absolvit », id est, falsam esse demonstrat, « cognitionem » mundanæ beatitudinis : qua cognitione erronea quis putat in terrenis fortuitis felicitatem consistere. Vel, « absolvit », id est, ab errore liberat mentes, *cognitione* « fragilis », id est terrenæ, « felicitatis » : qua cognitione scitur quod felicitas illa sit fallax.

Itaque illam, id est fortunam prosperam, *videas,* id est, consideres esse, *ventosam,* id est elatione tumoris inflatam, quia prosperitas et opulentia talis extollit, *fluentem,* id est instabilem, *suique semper ignaram,* quia excæcat ita, quod ex ea homo putat se esse felicem, quum longe sit aliter. *Hanc sobriam succinctamque, et ipsius adversitatis exercitatione prudentem :* id est, fortunam adversam adverte esse « sobriam », id est non præsumptuosam, sed moderatam, « succinctamque », id est expeditam et paratam ad meliora, per hoc quod facit hominem se ipsum cognoscere, atque « prudentem » et expertam « exercitatione adversitatis », quæ ad cognitionem veritatis præparat et inducit, juxta illud Isaiæ : Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. *Is.* xxv[iii], 19. Et rursus Isaias loquitur Deo : In tribulatione murmuris, *Ibid.* xx[vi], 16. doctrina tua eis. In Jeremia quoque juxta translationem Septuaginta interpretum dicitur : Per omnem flagellationem erudieris. *Jer.* vi, juxta LX[X]. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Vir in multis expertus cogitabit multa. *Eccli.* xxxiv, [9]. Estque commune verbum : Qui non informatur verbis, est informandus verberibus. Philosophus quoque ait : Qui contradicit

sensui aut principiis per se notis, indiget A pœna.

Consequenter subditur distinctio alia inter utramque fortunam.

Postremo, felix a vero bono devios blanditiis trahit : id est, « felix », id est prospera fortuna, « trahit », id est abducit, « devios », id est aberrantes a via salutis, « a vero », id est summo et incommutabili, « bono », quod essentialiter bonum est et bonitas superessentialis, independens, incircumscripta, superpurissima : cujus comparatione omne bonum creatum B est quasi non bonum, quum in Evangelio *Luc.* XVIII, 19. dicat Salvator, Nemo bonus nisi solus Deus. Abducit autem « blanditiis », id est per blanda et delectabilia, quibus affectus allicitur, et judicium rationis corrumpitur, *Prov.* I, 32. juxta illud Proverbiorum : Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Unde in Deuteronomio *Deut.* XXXII, 15. habetur : Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.

Adversa plerumque ad vera bona reducens, velut unco retrahit : id est, fortuna C aspera, quæ sensualitati videtur « adversa, reducens », id est, occasionaliter ac materialiter admonens hominem reverti, « ad vera bona », id est spiritualia et æter- *Ps.* XXVI, 13. na (de quibus in Psalmo : Credo videre bona Domini in terra viventium), item ad dona gratiæ in præsenti, ac munera gloriæ in futuro, finaliter vero ad superditissimum ac supersplendidissimum fontem totius boni. Ideo Seneca dixit : Calamitas occasio est virtutis. « Retrahit » et aversos a Deo « velut unco », id est sua curvitate D seu distortione, qua facit mentem experimentaliter scire quod in temporalibus istis non est salus. Hoc expertus, homo *Jer.* XXXI, 18. electus Jeremias fatetur : Castigasti me, Domine, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus. Hinc animæ peccatrici et ele- *Osee* II, 6, 7. ctæ Dominus ait per Osee : Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria; et dicet, Revertar ad virum meum priorem (id est Sponsum cœlestem), quia melius mihi erat tunc quam nunc. Non enim invenit anima veram, salubrem stabilemque quietem, nisi in Deo, juxta quod loquitur Augustinus : Domine, creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum quousque pertingat ad te.

Deinde tangitur alia fortunæ adversæ utilitas. *An hoc inter minima æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit ?* id est, non utique debes « inter minima » bona computare, quod eventus iste diffortunatissimus, quo a maxima prosperitate ad maximam adversitatem dejectus es, perduxit te ad considerandum et agnoscendum qui sunt tui fideles et constantes amici, qui scilicet in tanta adversitate tibi intime condolent et pro posse succurrunt, non obstante proprio eorum periculo : quia se sciunt per hoc durissimi iram tyranni incurrere. Amicitia quippe in adversis potissime comprobatur. Propter quod libro de Amicitia Tullius protulit : Quid dulcius quam habere fidelem amicum cum quo audeas loqui ut tecum, qui tibi in bonis congaudeat, in adversis condoleat? Qui si in adversis non manserit constans, non verus est amicus. Denique gravissimum crimen est amicum se fingere et non esse, in tantum ut nono Ethicorum dicat Philosophus : Qui fingit se amicum et non est, pejor est eo qui fingit falsam monetam. Hinc quoque in Ecclesiastico docetur : Si possides amicum, in *Eccli.* VI, 7, 8. tentatione posside illum, et non facile credas illi te ipsum ; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Veraciter ergo ait in Proverbiis Salomon : Frater in angustiis *Prov.* XVII, 17. comprobatur. Hinc Christus Apostolorum amicitiam laudans, dixit in Cœna novissima : Vos estis qui permansistis mecum in *Luc.* XXII, 28. tentationibus meis.

Hæc tibi certos sodalium vultus ambiguosque secrevit : id est, fortuna adversa distinxit tibi inter facies amicorum tuorum stabilium atque nutantium, quorum interiores apparatus et dispositiones effectualiter tibi notificavit. *Discedens, suos*

abstulit, tuos reliquit : id est, fortuna pro- A spera recedendo a te, secum asportavit fictos instabilesque amicos, qui non propter te, sed propter tua, propter terrenam prosperitatem, propter propria commoda sua, se tibi amicabiliter applicabant
Prov. xiv, 20. (quemadmodum in Proverbiis legitur, Amici divitum multi); « tuos », id est veros amicos tuos, « reliquit », qui nec propter adversa discedunt a te : de quorum
Ibid. xvii, 17. unoquoque ait Scriptura, Omni tempore
Ibid. xviii, 24. diligit qui amicus est ; et denuo, Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit B quam frater.

Quanti hoc integer, et ut videbaris tibi fortunatus, emisses? id est, « quanti », id est pro quanto pretio, « emisses hoc », utputa discernere inter amicos veros et non veros, tu « integer », id est in cunctis abundans, nondum per adversa plurima laceratus, « et ut », id est dum, « videbaris tibi » adhuc « fortunatus », id est prosperitatibus pollens? Hoc enim ad plura valet, et pericula multa cavet, quoniam multi falluntur et gravia damna patiuntur C ex amicitiis fictis et falsis amicis. Imo ut Seneca Tulliusque testantur : Nulla pestis tam apta ad nocendum, sicut fictus amicus ac domesticus hostis. De quibus in
Jer. ix, 8. Jeremia habetur : Sagitta vulnerans est lingua eorum; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.

Desine nunc amissas opes quærere, id est, noli esse sollicitus ad recuperandum terrenas opes deperditas; *quod pretiosissimum genus divitiarum est, amicos invenisti*, id est veros amicos, quos in ad- D versis expertus es tibi esse fideles, qui multo amabiliores, digniores et pretiosiores tibi sunt et esse debent, quam quæcumque terrenæ divitiæ, juxta illud Eccle-
Eccli. vi, 15, 16. siastici : Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei (id est fidelitatis) illius; amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis. De hac amicitia vera fatur Hieronymus : Vera illa amicitia et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et studia conciliant Scripturarum. Hæc amicitia caritative atque fideliter corripit et emendat quidquid reprehensibile viderit in amico, quemadmodum asserit Augustinus : Objurget amicus amicum, non jactantiæ studio, sed caritatis affectu; neque monitio nimis sit aspera, nec objurgatio contumeliosa.

Omnia autem contenta in prosa ista, præhabita sunt etiam sæpe, nec immorari oportet. Et per fortunam adversam designantur eventus contrarii, seu quæcumque mala pœnalia : de quibus certum, quod frequentius contingant electis quam reprobis. Et per talia, electi a peccatis purgantur, ad profectum gratiæ disponuntur, Christi passionibus conformantur, a futuris quoque eruuntur suppliciis, et ad beatitudinem æternalem compendiosius perducuntur. Et quia per ea crescunt in omni virtute et gratia, idcirco per ea illuminantur, humiliantur, Deo junguntur. Prospera vero multa, sunt causa elationis, excæcationis, innumerabiliumque culparum et infernalium tormentorum. Quorum causa perhibetur fortuna : causa, inquam, per accidens. Voluntas vero est causa peccati; nec per prospera necessitatur ad mala culpæ, sed inclinatur, disponitur, et occasionem sortitur multiplicem.

De his multæ auctoritates frequenter inductæ sunt : ut quod Dominus ait : Ego Apoc. iii, 19.
quos amo, arguo et castigo; et quod in Proverbiis scriptum est : Disciplinam Do- Prov. iii, 11, 12.
mini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit. Unde et Jeremiæ Dominus protestatur : Castigabo te in judi- Jer. xxx, 11.
cio, ut non tibi innoxius videaris. Et secundo libro Machabæorum asseritur : Etenim II Mach. vi, 13.
non diu sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Porro maxima atque gravissima Dei ira est, quod hominem in sua conversatione iniqua permittit

temporaliter prosperari, turpiter delectari, impune peccare, sicut de impiis legitur
Job xxi, 7, 9. in libro Job : Impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis, et non est virga Dei super eos. Et quoniam virga paternæ castigationis non puniuntur in præsenti, flagellis divinæ ultionis atque æternæ damnationis torquebuntur in futuro, quemadmo-
Ibid. 13. dum sanctus Job subdit ibidem : Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Noli ergo ad prosperitatem affici temporalem, adversa simul cum patientia magis glisce quam prospera. Ora Deum quatenus sic te paternaliter castigare, sic A temporaliter visitare dignetur, ne pereas in æternum. Instrueris ex hac prosa diffortunia magis quam fortunia affectare. Nempe, ut asserit Augustinus : Magnæ virtutis est contra prosperitatem luctari ne illiciat, ne corrumpat; magnæ felicitatis est a terrena felicitate non vinci. Nemo autem frangitur adversitatum molestia, qui prosperitatum delectatione non capitur. Et ecce prospera sæculi hujus veram habent asperitatem, falsam jucunditatem, certum dolorem, voluptatem incertam, B durum laborem, frequentem mœrorem; et tandem sequitur omnibus his intolerabilius malum, infernale supplicium.

METRUM VIII

Quod mundus stabili fide
Concordes variat vices,
Quod pugnantia semina
Fœdus perpetuum tenent,
Quod Phœbus roseum diem
Curru provehit aureo;
Ut quas duxerit Hesperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos :
Hanc rerum seriem ligat,
Terras ac pelagus regens
Et cœlo imperitans amor.
Hic si frena remiserit,
Quidquid nunc amat invicem,
Bellum continuo geret;
Et quam nunc socia fide
Pulchris motibus incitant,
Certant (*al.* certent) solvere machinam.
Hic sancto populos quoque,
Junctos fœdere continet;
Hic et conjugii sacrum
Castis nectit amoribus;
Hic fidis etiam sua
Dictat jura sodalibus.
O felix hominum genus,
Si vestros animos amor
Quo cœlum regitur, regat!

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO METRI HUJUS OCTAVI.

QUIA in fine proximæ prosæ Philosophia commendavit amorem, dicens quod cunctis divitiis præferatur; jam in C hoc metro commendat divinum et increatum amorem, ostendens quod ipse sit causa fontalis exemplarisque ratio, imo et

effectivum principium omnium rerum totiusque ordinis universi, atque connexionis et concordiæ tam diversorum entium inter se. Ait ergo :

Amor regens terras ac pelagus, id est mare et omnia elementa, et quæ continentur in eis (de quo dictum est supra, Omnia certo fine gubernans), *et imperitans cœlo,* id est, assidue ac incessabiliter imperans, residens ac præsidens cœlo, ac inde inferiora quoque gubernans, *ligat,* id est, manutenet seu conservat, *hanc seriem,* id est connexionem et ordinem, *rerum :* (Cf. p. 122 A'.)

Quod mundus stabili fide variat concordes vices, id est, mutat uniformiter temporum vices seu horas : quod facit mundus, quoniam fit in mundo ; et naturales cœlestesque causæ hujus mundi hoc agunt exsecutive, et principaliter Deus, cujus institutione ac jussu corpora cœlestia suo motu causant temporum vices, videlicet diem ac noctem, menses et annos. Annus namque accipitur et causatur ex motu solis in propria sphæra ab oriente in occidentem, quem semel complet in anno ; menses vero, ex completione motus lunæ in proprio orbe ab occidente in orientem ; distinctio vero dierum ac noctium procedit ex circumvolutione solis quotidiana, motu raptus primi mobilis : juxta quod legitur in Genesi, Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. (Gen. I, 14.)

Quod semina pugnantia, id est elementa sibi invicem per suas qualitates contrariantia, *tenent fœdus perpetuum,* id est incorruptibilem consistentiam et connexum in ordine universi : ita quod quamvis mutuo contrarientur, et unum agat in aliud quantum ad partes extremas contiguas, nunquam tamen totaliter ab invicem corrumpuntur ; ea quoque quæ sunt invicem propinquiora, symbolum, id est convenientiam ad invicem, habent majorem. Ex hac consideratione, etiam sacra et ingeniosa virgo Barbara adhuc catechu- A mena arguit et conclusit in corde suo, unum esse omnium creatorem, coordinatorem, rectorem et conservatorem : quoniam tam diversa atque contraria, tam multa et magna inter se dissimilia, non potuissent in unum ordinem tam stabilem et concordem, tam decorum et connaturalem convenisse ac permanere, nisi hoc totum ab uno et eodem effectivo sapientiali principio esset effectum. Eodem item argumento utitur Damascenus libro secundo.

B *Quod Phœbus provehit,* id est, successive producit, *diem roseum,* id est clarum ac dulcem, quoniam tempus diurnum nocturno suavius ac medicinalius perhibetur, quousque advesperascat, *curru aureo,* id est motu auriformi, decoro, seu in sua splendenti quadriga, juxta modum loquendi poetarum, etiamque Platonis, ut supra expositum est. *Ut,* id est quod, *Phœbe,* id est luna, *imperet,* id est præsit, *noctibus,* illuminando et influendo, sicut præhabitum est frequenter, *quas* noctes, C *Hesperus duxerit,* id est, stella vespertina adduxerit : quoniam illa apparente, nox communiter inchoatur. (Cf. p. 197 C.)

Ut mare, id est Oceanum cingens et ambiens terram totam, *avidum,* id est omnium fluminum susceptivum, instar avari, qui pecunia non repletur : juxta illud Ecclesiastæ, Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat ; *coerceat,* id est, restringat et coarctet, *fluctus,* id est inundationes suas intumescentesque fluctus, *fine certo,* id est intra ripam et terminum D sibi præfixos, quemadmodum in Job loquitur Deus : Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi infantiæ pannis obvolverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Quod breviter tangens, Psalmista deprompsit : Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Ex quorum (Eccle. V, 9. Ibid. I, 7. Job XXXVIII, 8-11. Ps. XXXII, 7.)

consideratione debemus superdignissimi A Creatoris majestatem ac sapientiam admirari, ejusque omnipotentiam colere ac vereri. Ad quod insinuandum ipse per Jeremiam locutus est : Audi, popule stulte, qui non habes cor : me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit? Intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. *Ne liceat* (supple, mari) *tendere terminos latos,* id est extendere et dilatare suos meatus, *terris vagis,* id est per campos et eremos, in quibus multi B ac multa vagantur. Vel sensus est : « Ne liceat terris » his « vagis tendere terminos latos », ita quod major pars terræ fiat inhabitabilis, quam Deus instituit. Ex his patet error quorumdam philosophorum, dicentium ideo partem terræ in superficie esse ab aquis discoopertam, habitationique hominum ac brutorum patere, quia sol suo calore illam siccat. Et quamvis videatur innaturale quod terra gravior aquis, pro parte emineat aquæ, per respectum ad particularem naturam, qua C gravioribus competit esse deorsum ; attamen per respectum ad universalem naturam istud est naturale, propter conservandum ordinem universi, ad quem exigitur vita hominum ac brutorum. Quod totum Plato in Timæo multo melius clariusque expressit, quam discipulus ejus Aristoteles in libro suo de Cœlo et mundo, aut alio loco, ut tangit Guillelmus in libro de Universo. Hinc ait in primo Timæi : Terram vero matrem et altricem animantium omnium terrenorum constituit, ut D scilicet illorum habitationi et alimoniæ deserviret. Insuper, de curru aureo solis in eodem inducitur : Illa etiam fama, quæ vobis quoque comperta est, Phaethontem quondam solis filium, currus ascendisse luciferos, etc. Quod non juxta litteræ superficiem est sumendum.

Jer. v, 21, 22.

Consequenter pandit Philosophia, quod nisi instituto et influxu quodam divini et increati amoris, creaturæ in suis limitibus atque ordinibus conservarentur, protinus dissolverentur ab invicem, ordoque rerum, imo et mundi machina, repente relaberentur in nihilum.

Si hic amor divinus, qui Deum ad mundi creationem ex propria sua bonitate induxit, quia ut S. Dionysius protestatur, amor Dei non reliquit Deum sine germine, *remiserit frena,* id est, se a creatis subtraxerit et ea conservare destiterit; *quidquid nunc amat invicem,* id est, naturalem inclinationem, connexionem, concordantiam habet cum alio, *continuo geret bellum,* id est, mox discrepabit et dissolvetur ab illo, *et certant,* id est, creata ista certabunt et cooperabuntur, *solvere,* id est ab invicem dissipare, *machinam* mundi, id est species et individua rerum, *quam* machinam *incitant nunc,* id est, conservare satagunt, *motibus pulchris,* id est decentibus actibus, conatibus et proportionibus suis ad invicem. His concordat, quod in primo Timæi Plato introducit summum Deum causis superioribus cœlestibus sic loquentem : O dii deorum, quorum opifex idem paterque ego. Opera siquidem vos mea, dissolubilia natura ; me tamen ita volente, indissolubilia. Omne siquidem junctum, natura dissolubile est; nec tamen unquam dissolvemini, quia voluntas mea major est nexu vestro, et vegetior ad æternitatis custodiam.

De Divin. nom. c. IV.

Hic quoque amor *continet populos junctos,* id est spiritualiter unitos, *fœdere sancto,* id est firmata lege boni amoris. *Et hic* amor *nectit sacrum conjugii,* id est sacramentum Matrimonii, *amoribus castis,* id est mutuis, dilectionis conjugalis, qua conjugati sibi invicem servant fidem, sicut ait Apostolus : Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.

Ephes. v, 25.

Hic, id est amor jam dictus, *dictat etiam,* id est, præfigit et demonstrat, *fidis sodalibus,* id est fidelibus sociis, *sua jura,* id est leges ac debitum modum socialiter vivendi ad invicem, ut habeant mutuo societatem honestam, unusque alteri non in malo, sed in bono adsistat, nec unus alium

ad aliquid vitiosum hortetur, nec propter A alium tale quid operetur. Ideo scriptum est : Noli pro amico inimicus fieri proximo. Atque ut Salomon loquitur : Homo amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater. Sic plane David et Jonathas societatem veram habebant ad invicem. Potissime quoque in evangelica lege Amelius et Amicus, quorum præclari et miri actus leguntur. Qui autem socii sunt in vitiis, erunt socii in tormentis, et peccatum unius redundat in alium. Hæc est societas vitiosa, qua unus alium concitat B ad peccatum : quæ jugiter est vitanda.

Eccli. VI, 1. *Prov.* XVIII, 24. I *Reg.* XVIII, 1, 3; XX, 1 et s.

O quam felix esset *genus humanum**, et ipsi vos, homines, *si amor* divinus *quo regitur cœlum,* id est regnum cœleste, cuncta quoque cœlestia corpora, et ipsa triumphans Ecclesia (cœlestia autem corpora per intelligentias gubernantur et per animas nobiles, secundum philosophos ; principaliter autem originaliterque a Deo, sicut in libro de Causis habetur : Causa prima regit res omnes præterquam quod commisceatur cum eis), *regat animos vestros,* ita quod divinæ pietatis atque æternæ caritatis instinctibus, inspirationibus, influentiis acquiescatis ! Deus autem eodem amore omnia regit, quo condidit. Electos vero et justos non solum efficienter regit suo æterno et increato amore, velut ceteras rationales creaturas, sed et formaliter regit eos directione amoris supernaturalis infusi, utputa caritatis, qua excitat corda obedientia ac devota ad omne bonum. Quæ utique caritas ignis est de quo in Evangelio ait Salvator : Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur ? Regit item nos Deus per angelos sanctos, per prælatos, per præsidentes, per legem naturalem, divinam, positivam, et supernaturalem. Unde loquitur per Osee : Scribam ei multiplices leges meas. In Job quoque scriptum est : Utinam Deus ostenderet tibi secreta sapientiæ suæ, et quod multiplex sit lex ejus.

* hominum

Luc. XII, 49. *Osee* VIII, 12. *Job* XI, 5, 6.

ARTICULUS XXX

PERTRACTATIO MYSTICA METRI HUJUS OCTAVI.

PRÆTEREA spiritualis intelligentia hu- C jus capituli ex præinductis satis elici potest. Hoc etenim agit dilectio Creatoris ac Salvatoris ad nos : *quod mundus,* id est Ecclesia militans, *stabili fide variat vices concordes,* id est, eisdem temporibus redeuntibus, eadem renovat ac persolvit divina Officia, atque cuilibet horæ deputat certa obsequia ac præconia Deo reddenda ; item, *quod semina pugnantia,* id est caro et anima contra se invicem concupiscentia, *tenent fœdus perpetuum,* id est, concorditer et ex pacto serviunt Deo, car- D ne in spiritus servitutem redacta ; *quod* etiam *Phœbus,* id est Christus sol justitiæ, *provehit diem roseum,* id est, producit diem gratiæ et illuminationis divinæ in Ecclesia et anima christiana ; *ut Phœbe* quoque, id est Ecclesia triumphans, seu beatissima Virgo, *imperet noctibus,* id est peccatoribus qui converti voluerint (qualibus scripsit Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino) ; item, *ut avidum mare,* id est hoc sæculum nequam, *coerceat fluctus,* id est, non plus persequatur justos, quam Christus præstituit et permittit.

Galat V, 17. *Ephes.* V, 8.

Præterea, si Salvator caritatem nobis abstulerit, nulla de cetero erit concordia salutaris, et qui consenserunt salubriter, statim dissentient, eritque confusio ordinis et perturbatio multiplex in tota ec-

clesiastica hierarchia : imo qui nunc caritate formati, alios pacificare ac ordinare nituntur, caritate amissa, in ipsis erunt turbulenti, aliosque turbabunt. Porro per caritatem, diversæ gentes, tribus et linguæ sunt unum Christi ovile, et unus sanctus populus Dei, junctus « fœdere » firmo, ita quod parati sunt pro fratribus animas ponere, id est pro salute proximi mori. Nec sine hac caritate valent conjugati sacramentum conjugii inculpabiliter observare, ita ut impleant illud Apostoli, Honorabile connubium et torus immaculatus ; nec se invicem spiritualiter et sincere diligere ac monere quæ sunt salutis. Sic nec commendanda ac felix societas sine caritate potest haberi.

I *Joann.* III, 16.

Hebr. XIII, 4.

De his, quia frequenter præhabita sunt, ita pertranseo. Nec incertum quin sicut in corpore organico multa membra junguntur per varias suas colligationes, et unum corpus constituunt ; sic in Christi Ecclesia fideles personæ per caritatem unitæ, Ecclesiam unam efficiunt, dicente Apostolo : Omnes vos unum estis in Christo.

Galat. III, 28.

In caritate igitur fixi et integri jugiter stemus, sine qua prorsus indigni sumus Christiani nomine, quum S. Joannes protestetur : In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Joann. XIII, 35.

ENARRATIONES IN LIBRUM III
DE
CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

ENARRATIONES IN LIBRUM III

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

PROSA PRIMA

JAM cantum illa finierat, quum me audiendi avidum stupentemque, arrectis adhuc auribus, carminis mulcedo defixerat. Itaque paulo post : O (inquam) summum lassorum solamen animorum, quantum me vel sententiarum pondere, vel canendi etiam jucunditate refovisti ! Adeo ut jam me posthac imparem fortunæ ictibus non arbitrer. Itaque remedia quæ paulo ante acriora esse dicebas, non modo non perhorresco, sed audiendi avidus, vehementer efflagito. — Tum illa : Sensi, inquit, quum verba nostra tacitus attentusque rapiebas ; eumque tuæ mentis habitum vel exspectavi, vel (quod est verius) ipsa perfeci. Talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant. Sed quod tu te audiendi cupidum dicis, quanto ardore flagrares, si quonam te ducere aggrediamur* agnosceres ? — Quonam ? inquam. — Ad veram (inquit) felicitatem : quam tuus quoque somniat animus ; sed occupato ad imagines visu, ipsam illam non potest intueri. — Tum ego : Fac, obsecro ; et quæ sit illa vera, sine cunctatione demonstra. — Faciam, inquit illa, tui causa libenter. Sed quæ tibi causa notior est, eam prius designare verbis atque informare conabor, ut ea perspecta, quum in contrariam partem deflexeris oculos, veræ specimen beatitudinis possis agnoscere.

* *alias* aggredimur

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS PRIMÆ.

POSTQUAM libro secundo Philosophia adhibuit desolato suo alumno Boetio medicinalia mediocria, lenitiva, hoc est musica atque rhetorica argumenta ac media, ad probandum quod de terrenæ prosperitatis amissione non sit contristan-

dum, sed potius gloriandum ; hic ad idem probandum inducit probationes ac media acriora, amplius ponderanda, ostendendo quæ sit et in quo consistat felicitas falsa, et ex opposito quæ et in quo sit felicitas vera.

Denique in hujus tertii libri exordio ostendit Boetius quantum fructum Philosophia in ipso produxerit, consolando et instruendo eum, super hæc se gratum esse declarans, et adhuc plenius edoceri ac consolari peroptans. Itaque ait :

Jam cantum illa finierat, id est, Philosophia jam terminaverat documenta suavia, musica atque rhetorica, id est metrica et prosaica, in secundo libro digesta : quibus finitis, tanquam aliqualiter fatigata, paululum cessavit ac respiravit, quemadmodum itinerator una expleta dieta repausat hospitio. Sic Cicero in suis libris se fatetur interdum ad aliquantulum tempus intermisisse studium suum, quatenus paulo post ardentius illud resumeret. *Quum mulcedo carminis,* id est dum suavitas cantus præfati, *defixerat,* id est, fixum tenuerat in ipsum audiendum, *adhuc auribus arrectis,* id est applicatis ut distinctius et vivacius illud audirem, *me avidum audiendi* tam sapientia verba (sicut in Ecclesiastico dicitur : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Unde super Joannem loquitur Augustinus : Ad sapientiam hauriendam debet homo avidas fauces habere), *stupentemque,* id est, cum mentis quodam stupore admirantem de sententiarum profunditate ac venustate sermonis : sicut et Plato ait in primo Timæi, Principium orationis (id est sermonis tui) admiror.

Eccli. III, 31.

Itaque paulo post, id est post modicum intervallum silentii Philosophiæ, *inquam,* id est dixi : *O tu, Philosophia, solamen summum lassorum animorum,* id est consolatrix valde alta et magna! Propter quod Seneca dixit : Qui vult sine tædio vivere, studeat philosophiæ. Quæ, ut in Ethicis Aristoteles fassus est, admirabiles delectationes habet admixtas. Nempe, quum

A veritatis consideratio sit intellectus refectio, naturaliter eum delectat, quemadmodum melodia auditum. *Quantum,* id est valde multum, *me refovisti,* id est refocillasti, *vel pondere,* id est pretiositate, *sententiarum,* id est sublimium sensuum, *vel etiam jucunditate canendi,* id est dulcedine metrici tui sermonis, in quo sicut metris, est frequens elevatio atque depressio vocis. Imo horum utroque *adeo,* id est in tantum, *ut jam posthac non arbitrer,* id est, non putem aut judicem,

B esse *me imparem,* id est inæqualem, *ictibus,* id est adversis eventibus, *fortunæ,* sed quam importuna et dura fuerit illa in percutiendo, tam fortis et patiens ero in sustinendo : quia ut docuisti, salubrius est pati et habere adversa, quam prospera. Vel sensus est : « Non » arbitror « me imparem ictibus fortunæ », id est, æqualiter sum paratus suscipere accessus fortunæ in prosperis et adversis, et qualitercumque pulset me, constans manere propono : sicut ait Philosophus de homine virtuoso,

Cf. p. 274 B.

C quod est quasi tetragonus, id est firmiter stans, qualitercumque impellatur.

Ex his patet, quod verba philosophiæ sunt ponderosa, veritatis et utilitatis valore. Verba autem insipientium levia sunt et infructuosa, quamvis ipsi in eis delectentur, et sapientialia ea putent. Propter quod, quodam verboso et garrulo verba prophetante, quidam Propheta dixit : Utinam audires te auribus nostris. Hinc in Ecclesiaste scriptum est : Verba sapientium sunt sicut stimuli, et quasi clavi

Eccle. XII 11.

D in altum defixi, id est firma et penetrativa, salubriter pungentia reos, et compungentia pœnitentes atque devotos. In Ecclesiastico quoque scriptum est : Verba prudentium statera ponderabuntur. Unde de homine ad loquendum inconsiderato, non veraci, non fructuoso, communiter dicitur : Ipse est levis in verbis.

Eccli. XXI 28.

Itaque remedia, id est medicinalia documenta, *quæ paulo ante,* id est libro præcedenti, *acriora esse dicebas,* id est ad intelligendum ac implendum difficiliora,

seu magis alta, perfecta ac ardua, *non modo non perhorresco, sed audiendi* ea *avidus, vehementer efflagito.* Qui enim proficere incipit, et scientiarum dulcedinem paulatim plus experitur, ad profectum scientiæ ac virtutum validius inflammatur. Propter quod Sapientia in Ecclesiastico
Eccli. xxiv, 29. testatur : Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.

— *Tum illa,* videlicet Philosophia : *Sensi, inquit,* id est, consideravi sic esse, *quum verba nostra tacitus attentusque rapiebas,* id est, velociter ac fervide audiebas : juxta
III *Reg.* xx, 33. illud libri tertii Regum : Festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus. Sic discipulus debet audire magistrum, prout in
Eccli. xxxii, 9. Ecclesiastico habetur : Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi gratia bona. *Quumque* * *tuæ mentis habitum vel exspectavi,* id est, tunc verba nostra sic advertisti, dum « exspectavi habitum mentis tuæ », id est, dum præstolabar cognoscere tuæ mentis dispositionem, *vel (quod est verius) ipsa perfeci,* id est, « verius est quod » ego Philosophia « perfeci », id est, formavi et complevi, habitum tui cordis, quia per verba mea consolatoria et instructiva impressi dispositive bonam habitudinem, tranquillitatem et docilitatem in mentem tuam : sicque primam illam dispositionem turbulentam habuisti a te, hanc vero tranquillam habes a me. Et quia Boetius fuit hucusque benevolus et attentus ad audiendum, consequenter provocat eum ad diligentiorem dicendorum attentionem, subdendo :

* *Eumque*

Talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, id est, prima et superficiali apprehensione videantur amara, utpote sensualitati molesta, juxta
Eccli. vi, 21. illud Ecclesiastici : Quam aspera nimis est indoctis hominibus sapientia! Unde Gregorius expositorie loquitur : Adversarius noster in via, est sermo divinus, seu sacra Scriptura, carnalibus desideriis nostris contraria in hac vita. *Interius autem recepta dulcescant,* id est, diligenter considerata mentem delectent, dum salubria

A esse noscuntur : quemadmodum potio medicinalis in se amara gustuique pœnalis, placet et dulcis est animo ægri, in quantum curativa. Nam et ratio deprecatur ad optima. Hinc per Michæam loquitur Sapientia increata : Nonne verba mea bona *Mich.* ii, 7.
sunt cum eo qui recte graditur? *Sed quod tu te audiendi cupidum dicis,* id est, quod tu asseris te avidum ad audiendum quæ dicam, hoc approbo. Sic et sanctus Job dixit : Qui audiebant me, aperiebant os *Job* xxix, 21, 23.
suum quasi ad imbrem serotinum. *Quanto*
B *ardore flagrares* (id est, valde ferventi accendereris affectu), *si quonam te ducere aggrediamur agnosceres,* id est, si scires ad quam sublimia atque salubria documenta, ad quam præclaram felicitatem et altam contemplationem incipiemus jam te erigere ac transferre.

— *Quonam? inquam :* id est, ego Boetius dico et quæro, Quo me vis ducere?

— *Ad veram (inquit) felicitatem :* id est, Philosophia respondet, Ad beatitudinem plenarie contentativam totius desi-
C derii tui, te volo perducere. *Quam tuus quoque somniat animus,* id est, quam intellectus tuus obscure et imperfecte apprehendit, et naturaliter tuus cupit affectus. Omnis etenim mens creata beatitudinem naturaliter appetit, quamvis non omnes cognoscant in quo consistat et quid sit vera felicitas : omnes quippe apprehendunt beatitudinem in universali tanquam bonum quoddam perfectum; in particulari vero deviant circa distinctam ejus notitiam. Hinc quarto de Civitate Dei lo-
D quitur Augustinus : Nemo est qui se nolit esse felicem. Quinto quoque de Civitate Dei : Omnium (ait) rerum optandarum plenitudinem (id est plenam consecutionem et possessionem) constat esse felicitatem. *Sed occupato ad imagines visu,* id est, « visu » tuo interiori, videlicet intellectu, intento circa creaturarum « imagines » et sensibilium formas, *ipsam illam non potest intueri,* id est, intellectus tuus ita rerum speciebus depictus, non valet veram illam beatitudinem sinceriter

contemplari. Quum enim juxta Philosophum, contingat plura simul scire habitualiter, unum vero dumtaxat intelligere actualiter ; certum est quod mens tanto impotentior ineptiorque consistit ad considerandum spiritualia et divina, quanto plus immergitur ac detinetur circa inferiora. Hinc et in libro de Causis asseritur, quod virtus tanto est fortior quanto plus unita. Hinc et Plato in Phædone et libro de Prophetiis disseruit, quod homines circa sensibilia occupati et circa exteriora versantes, vera bona speculari et apprehendere negligunt, nec ad illuminationem secretam sunt apti.

— *Tum ego* Boetius dixi : *Fac, obsecro,* o Philosophia, quod tangis. Et sumitur hic « fac », pro dicere seu docere. *Et quæ vera illa sit,* id est, quæ sit vera beatitudo, *sine cunctatione demonstra,* id est, sine dilatione ostende. Fervido namque affectui dilatio est molesta. Ideo Seneca in suis fatur Proverbiis : Celeritas, in desiderio mora videtur. Salomon quoque in
Prov. XIII, 12. Proverbiis ait : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ desiderium veniens.

— *Faciam, inquit illa,* puta Philosophia, *causa tui,* id est amore tui et propter tuam salutem, *libenter,* quod postulas : totum tamen principaliter atque finaliter propter Deum, et ad ejus honorem et gloriam. *Sed quæ tibi causa notior est,* id est

A falsam felicitatem et fortunæ prosperitatem, quam satis expertus es, *eam prius designare verbis atque informare conabor,* id est, in primis illam tibi describam, et de ea te informabo, *ut ea perspecta,* id est plenarie cognita, *quum in contrariam partem deflexeris oculos,* id est, ad beatitudinem veram, illi oppositam, converteris intuitum mentis, *veræ specimen beatitudinis possis agnoscere,* id est, clare agnoscas formam et specificam rationem ac decorem « beatitudinis veræ » veritate rei, quæ
B scilicet est summum hominis bonum. Opposita enim juxta se posita, clarius innotescunt.

Denique res potest cognosci tripliciter. Primo, per accidentia sua, potissime per accidentia propria : quia secundum Philosophum libro de Anima, accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Secundo, per simile : et ita ex creaturis cognoscimus Creatorem, et per effectum causam. De duobus quoque similibus omnino, dicimus : Vidi-
C stis istum, illum vidistis. Tertio, per suum contrarium. Unde secundum Philosophum, eadem est scientia contrariorum. Propterea, qui paupertatem expertus non est nec infirmitatem, non scit perfecte quid sit opulentia rerum : quanquam veraciter in Ecclesiastico scriptum sit, Melius est corpus validum quam census immensus. *Eccli.* XXX, 15.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS PRIMÆ PROSÆ.

HOMO fidelis tentatus, afflictus, periculis angustiisque circumdatus, theologiæ seu sacræ Scripturæ aut increatæ Sapientiæ consolationibus ac doctrinis refectus, refocillatus, corroboratus, fatetur : « Jam cantum illa finierat », id est hym-
D nos, psalmos et cantica spiritualia, quibus Scriptura quotidie consolatur, instruit et confortat fideles ; quibus etiam cantibus jugiter laudat in ecclesiis Deum omnium judicem justum, et devotos oblectat ac admonet, ad Colossenses dicens : Pax Chri- *Ps.* XXV, 12 ; LXVII, 27. *Coloss.* III, 15, 16.

sti exsultet semper in cordibus vestris, A
docentes et commonentes vosmetipsos in
psalmis et in hymnis et canticis spiritu-
alibus, cantantes in cordibus vestris Do-
mino. His theologiæ cantibus delectatus,
homo devotus mira recreatur dulcedine,
eosque diutius cupit audire, cum Psalmi-
Ps. CXVIII, 103. sta confitens Deo : Quam dulcia faucibus
meis eloquia tua! super mel ori meo. De
hoc in libro Confessionum loquitur Augu-
stinus, quemadmodum in psalmodiis ec-
clesiæ suaviter sonantis liquefiebat et ac-
cendebatur, et præ dulcedine resolvebatur B
in lacrimas.

Sic refocillatus fidelis, ad theologiam et
Sapientiam increatam exclamat : « O sum-
mum solamen » omnium « animorum las-
sorum », quæ in Evangelio dulcissime lo-
Matth. XI, 28. queris, Venite ad me, omnes qui laboratis
et onerati estis, et ego reficiam vos; et
Is. XXXV, 3, 4. per Isaiam : Confortamini, manus disso-
lutæ, et genua debilia, roboramini; qui
pusillo animo estis, convalescite, et nolite
timere : ecce Deus vester veniet, et sal-
vabit vos. « Quantum me refovisti pondere C
sententiarum » ac suavitate psalmorum
laudumque divinarum! Quibus sententiis
evangelium S. Joannis specialiter plenum
est; epistolæ quoque Pauli apostoli, in
II *Petr.* III, 16. quibus sunt quædam difficilia intellectu,
sicut et princeps ait Apostolorum in se-
cunda sua Canonica. Atque, ut super Jo-
annem loquitur Augustinus, ex ore beatis-
simi Petri in die Pentecostes prædicantis,
pretiosissima pondera veritatum cadebant.
His legis divinæ sententiis et spiritualibus
consolationibus animus roboratus, ad quos- D
cumque ictus « fortunæ » est præparatus,
Ps. XXVI, 1. et cum fiducia psallit : Dominus illumi-
natio mea et salus mea, quem timebo?

Ideo « remedia acriora » non pertime-
sco : hoc est, quamcumque pœnitentiæ
austeritatem subire paratus sum, imo et
religionem quantumlibet arduam; et cum
Galat. VI, 14. Apostolo humiliter dico, Mihi absit glo-
riari, nisi in cruce Domini mei Jesu Chri-
sti, per quem mihi mundus crucifixus est,
et ego mundo. Hæc exercitia pœnitentialia,

statuta monastica, observantiæ regulares,
« degustata » in principio mordent, ita
ut servus Dei Domino confitens dicat :
Propter verba labiorum tuorum ego custo- *Ps.* XVI, 4.
divi vias duras. Et rursus dicunt electi :
Propter te mortificamur tota die, æstimati *Ps.* XLIII, 22.
sumus sicut oves occisionis. « Interius au-
tem recepta » dulcescunt. Dum etiam in
consuetudinem veniunt et strenue obser-
vantur, facillima fiunt, et cum gaudio ex-
ercentur, juxta illud in Psalmo : In via *Ps.* CXVIII, 14.
testimoniorum tuorum delectatus sum, sic-
ut in omnibus divitiis. Porro in Ezechiele *Ezech.* III, 1-3; *Apoc.* X, 9, 10.
et Apocalypsi describitur quemadmodum
liber datus Ezechieli, liber quoque datus
Joanni ad devorandum, fuit in ore eorum
dulcis tanquam mel, deinde amarescere
fecit ventrem eorum. Sed hoc altiorem
habet elucidationem.

« Sed quanto ardore flagrares, si quo te
ducere » volo « agnosceres? ad veram »
scilicet « felicitatem », quæ est beatifica
et fruitiva visio Dei perpetua. Quam si
sinceriter et condigne attenderemus, ejus
desiderio et amore vehementer accende-
remur, infatigabiliter operaremur, neque
nos aliquid tanta remuneratione dignum
agere posse aut pati devotissime fatere-
mur, dicentes : Non sunt condignæ pas- *Rom.* VIII, 18.
siones hujus temporis ad gloriam illam
æternam. Sed, proh dolor! ita exterius
sumus fusi, sic circa terrena atque car-
nalia occupati, quod propriam dignitatem
advertere, tamque inæstimabilem beati-
tudinem nobis promissam considerare ne-
gligimus. Ideo insipientissimi sumus, et
computruimus in fæcibus nostræ carna- *Joel* I, 17.
litatis, ignaviæ et teporis, sicut jumenta
in suis stercoribus, ita quod Christus ju-
dex noster dicit de quolibet nostrum id
Apocalypsis : Quia tepidus es, incipiam *Apoc.* III, 16.
te evomere ex ore meo. Tanta vero bea-
titudine non est dignus, ut ait Gregorius,
qui pro ea quotidie non exorat cum la-
crimis.

Excutiamur ergo de pulvere, nec tanta *Is.* LII, 2.
salute patiamur nos spoliari, quia qui eam
amiserit, non solum tanta privabitur glo-

ria, imo etiam infernalia et æterna sortietur tormenta. Intueamur quod sanctus loquitur Augustinus : Tanta est pulchritudo summæ et increatæ justitiæ, tanta amœnitas bonitatis incircumscriptæ ac primæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiæ, ut etiam si non liceret in ea manere, ipsam videre eaque frui, nisi unius diei hora, propter hoc merito contemnerentur innumerabiles anni vitæ præsentis pleni deliciis. O quam inæstimabiliter deliciosum, præclarissimum desiderabilissimumque consistit, ipsam supersanctissimam A Deitatem et superbeatissimam Trinitatem in se ipsa clare, fruitive ac secure sine fine conspicere ! Quam excæcati, vani et viles et revera miserrimi sunt, qui propter carnis spurcitias, mundi honores, opes terrenas, tanta se privant felicitate, et insuper intolerabiles sibi merentur pœnas gehennæ, in qua nunquam invenitur spes veniæ ! Cur tu, miser et miserabilis atque ignobilis homo, amplius ad caduca quam ad Creatorem tuum tam infinite et incomparabiliter bonum, pulchrum, suavem, et B in omni perfectione, sanctitate et gloria infinite supereminentem, afficeris ?

METRUM PRIMUM

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos filicemque resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
Dulcior est apium mage labor,
Si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent, ubi Notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos.
Tu quoque falsa tuens bona prius,
Incipe colla jugo retrahere ;
Vera dehinc animum subierint.

ARTICULUS III

EXPOSITIO METRI HUJUS PRIMI.

QUOD in fine prosæ præcedentis Philosophia disseruit, se primo velle falsam felicitatem ostendere quid sit, ut vitetur, sicque veram beatitudinem de- C clarare, ut apprehendatur, hoc in isto metro deducit rationabiliter fieri, per quædam exempla : quia in primis necesse est mala eradicare, errores abjicere, damna-

bilia removere, antequam virtutes, sapientia, beatitudo obtineantur. Ad quod inducit Philosophia quatuor similia.

Primum de agro. *Qui,* id est quicumque agricola, *volet,* id est desiderabit, *serere,* id est seminare, *agrum ingenuum,* id est fertilem terram : sicut in Ezechiele terra promissionis vocatur terrarum egregia. De qua fertur in Psalmo : Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. *Liberat,* id est purgat, *prius arva,* id est sulcos seu terras, *fruticibus,* id est herbis nocivis, fructificationem impedientibus, *resecat* quoque, id est amputat, *falce,* id est hujuscemodi ferreo instrumento, *rubos,* id est spineta, *filicemque,* id est herbam ibi impertinentem sic nominatam, *ut Ceres gravis,* id est gravida causa frugum, seu tellus fecundata, *eat,* id est, processum habeat usque ad messem, *nova fruge,* id est recentibus bladis et fructibus quæ producit.

Ezech. XX, 6. *Ps.* CV, 24.

Consequenter ponitur secundum simile et exemplum. *Labor apium,* id est mel, quod apes laboriose producunt, colligendo ex floribus ejus materiam, *est dulcior mage,* id est magis et perceptibilius, *si sapor malus,* id est amarus, *edat,* id est, afficiat seu mordeat, *prius ora* comedentium mel : quia sic experimentalius percipiunt mellis suavitatem, eo quod opposita juxta se posita, evidentius pateant, et quia dulcedo mellis amaritudinem afflictivam expellendo, gustum relevat ampliusque delectat.

Sequitur tertium simile. *Astra nitent,* id est splendent, *gratius,* id est magis acceptabiliter, *ubi Notus,* id est quando ventus ille australis interdum intempestuosus ac pluviæ adductivus, *desinit dare,* id est, cessat emittere et causare, *sonos imbriferos,* id est commotiones imbribus junctas.

Sequitur exemplum quartum. *Ut,* id est postquam, *Lucifer,* id est stella matutina, *pepulerit,* id est expulerit, *tenebras* noctis : non quod totaliter eas removeat, sed pro parte ; suoque ortu denuntiat eas protinus expellendas per solis adventum ; *dies* A *pulchra agit equos roseos,* id est celeres cursus delectabilesque processus, seu rutilantem auroram ; ipsos quoque equos, instar rosarum decoros atque amœnos, tunc « agit », id est, movet et excitat ad currendum, secundum quod tempus dicitur facere ea quæ fiunt in tempore, ut dictum est sæpe.

Consequenter Philosophia ad propositum applicat ista. *Tu quoque,* o Boeti, *tuens,* id est considerans, *prius bona falsa,* id est felicitatem falsam et ejus effectus, B qui sunt excæcatio mentis, læsio, perditio animæ, ac totius damnatio hominis, *incipe retrahere colla,* id est mentis cervicem et arbitrii libertatem instar colli erectam (sicut in libro Job dicitur de superbo : Cucurrit adversus Deum erecto collo. Quocontra in Ecclesiastico docetur : Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis et vermis), *jugo,* id est a servitute iniquitatis, ac falsæ terrenæ prosperitatis. *Dehinc,* id est statim hoc facto, *vera* bona, id est virtutes et meritorii C actus, *subierint,* id est ingredientur, *animum,* id est spiritum tuum seu mentem. Nec oportet quod ibi sit prioritas temporis, sed naturæ, nisi loquendo de bonis veris secundum esse perfectum. Vitia etenim et errores ac falsitates non expelluntur nisi per veram informationem et veritatis illuminationem atque virtutum adeptionem seu infusionem, sicut nec ægritudo nisi per sanitatis accessum, et peccatum per gratiam. Loquendo quoque de virtutibus acquisitis, virtutes paulatim, D non instantanee, acquiruntur ; et primo acquiritur dispositio, quæ successive fit habitus. Virtutes autem infusæ, in instanti desuper tribuuntur : quibus infusis, non semper protinus expelluntur vitiorum pristinorum reliquiæ, neque infectio fomitis, hoc est pronitas ad peccandum, debilitas resistendi peccatis, et difficultas bene agendi ; sed quanto instantius exercet se homo in actibus bonis exercitiisque virtutum, invocando Dei auxilium, tanto plus istæ reliquiæ exstirpantur, et bona eis

Job XV, 26. *Eccli.* VII, 19.

contraria, hoc est, robur resistendi tentationibus et peccatis, firmitas standi, facilitas et alacritas ad bene agendum, crescunt, augentur et perficiuntur in eo : prout A Alexander, Thomas, Bonaventura, Petrus, Richardus, et alii, super secundum Sententiarum et etiam super tertium, ista concorditer scribunt.

ARTICULUS IV

ENARRATIO METRI HUJUS PRIMI MYSTICA.

JUXTA spiritualem intellectum, ager est B cor humanum : in quo seminandum est verbum Dei, prædicatio salutaris, doctrina salubris. Iterum, semen radicale scientiarum ac virtutum, sunt habitus principiorum, tam in speculativis quam practicis : ex quibus procedimus ad particulares scientias ac virtutes nobis innatas, ut in Regula sua sanctus scribit Basilius, et Damascenus libro secundo. Si ergo in scientiis itemque virtutibus cupis proficere, verbum Dei audi libenter, et juxta illud te rege, juxta illud Psalmistæ : C
Ps. CXVIII, 11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Hinc Tobias dixit filio suo :
Tob. IV, 2. Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo tanquam fundamenta construe. Doctrinas quoque magistrorum et patrum tuorum avide suscipe, firmiter retine, nec a desiderio et conatu proficiendi desistas,
Sap. III, 11. quia ut scriptum est, Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est.

Quumque scientiæ sine virtutibus, sint sicut colores sine lumine, scientiam tuam virtutibus orna. Arva animæ tuæ, id est po- D tentias ejus, a vitiis et passionibus purga, moralibus studendo ac insistendo virtutibus. Et primo omnium, superbiam omnium iniquitatum radicem, prorsus de corde tuo evelle ; humilitatem, mansuetudinem, patientiam, castitatem, temperantiam inibi implantare, stabilire, conservare non cesses, quum per Tobiam
Tob. IV, 14. dicatur : Superbiam nunquam in sensu tuo aut in verbo tuo dominari permittas ; in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio. De hoc in Ecclesiastico multa sunt scripta : Non te (inquit) extollas in co- *Eccli.* VI, 2 gitatione tua velut taurus ; qui in se te- *Ibid.* X, 15 nuerit superbiam, implebitur maledictis, et subvertet eum in finem ; odibilis coram *Ibid.* 7. Deo et hominibus est superbia. Et alibi : Deus superbis resistit, humilibus autem *Jacob.* IV, 6 ; I *Petr.* V, 5. dat gratiam.

Itaque « falce » divini timoris reseca ab interioribus animæ tuæ « rubos », id est spinas et tribulos invidiæ, indignationis, amaritudinis sollicitudinisque terrenæ, cupiditatis iniquæ, sæcularis et inordinatæ tristitiæ. Multos namque occidit talis tri- *Eccli.* XXX, 25. stitia. Et ut Salomon protestatur, Putredo *Prov.* XIV, 30. ossium est invidia. Qui rursus in Proverbiis, in persona Sapientiæ ait de homine negligente, passionato : Per agrum ho- *Ibid.* XXIV, 30, 31. minis pigri transivi, et per vineam viri stulti ; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ.

Insuper, « labor apium », videlicet mel, id est divina consolatio et spiritualis jucunditas, suavior est in mente quæ tribulationes, afflictiones, tentationes perpessa est. Ideo Dominus electos suos in talibus visitat gratiose, secundum illud Tobiæ : Post tempestatem, tranquillum *Tob.* III, 22. facis ; et post fletum, exsultationem infundis. Ideo ad Corinthios scribit Apostolus : Benedictus Deus, qui consolatur *II Cor.* I, 3, 4. nos in omni tribulatione nostra. Et sanctus David regratians psallit Deo : Secun- *Ps.* XCIII, 19. dum multitudinem dolorum meorum in

corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Si ad hanc gratiæ libertatem, sapientiæ caritatem, virtutum splendorem cupis pertingere, « incipe » collum tuum « retrahere » a vilissima vitiorum ac dæmonum servitute (juxta quod in Isaia habetur, Excutere de pulvere, consurge, solve vincula colli tui), et ei toto corde ministra, cui servire, regnare est : quia qui Deo obsequitur, vincit se ipsum, et prævalet, imo et dominatur. Ideo Seneca dixit : Vis habere honorem ? Dabo tibi magnum imperium : impera tibi.

Is. LII, 2.

PROSA II

TUM defixo paululum visu, et velut in angustam * suæ mentis sedem recepta, sic cœpit :

* augustam

Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem est bonum quo quis adepto, nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se continens bona. Cui si quid abforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium aggregatione * perfectum. Hunc, uti diximus, diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas; sed ad falsa devius error abducit. Quorum quidem alii summum esse bonum nihilo indigere credentes, ut divitiis affluant, elaborant. Alii vero bonum quod sit dignissimum veneratione judicantes, adeptis honoribus, reverendi civibus suis esse nituntur. Sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant : hi vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhærere conantur. At quibus optimum quiddam claritas videtur, hi vel belli vel pacis artibus, gloriosum nomen propagare festinant. Plurimi vero boni fructum gaudio lætitiaque metiuntur : hi felicissimum putant voluptate diffluere. Sunt etiam qui horum fines causasque alterutro permutent : ut qui divitias ob potentiam voluptatesque desiderant; vel qui potentiam, seu pecuniæ causa, seu proferendi nominis petunt. In his igitur ceterisque talibus, humanorum actuum votorumque versatur intentio, veluti : nobilitas favorque popularis, quæ videntur quamdam claritudinem comparare ; uxor ac liberi, qui jucunditatis gratia petuntur. Amicorum vero, quod sanctissimum quidem genus est, non in fortuna, sed in virtute numeratur; reliquum vero, vel potentiæ causa vel delectationis assumitur. Jam vero corporis bona promptum est ut ad superiora referantur : robur enim magnitudoque videntur præstare valentiam, pulchritudo atque velocitas celebritatem, salubritas voluptatem. Quibus omnibus solam beatitudinem desiderari liquet. Nam quod quisque præ ceteris petit, id summum judicat esse bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definivimus : quare beatum esse judicat statum,

* congregatione

quem præ ceteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos propositam fere formam felicitatis humanæ : opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates. Quæ quidem sola considerans Epicurus, consequenter sibi summum bonum voluptatem esse constituit, eo quod cetera omnia jucunditatem animo videantur afferre.

Sed ad hominum studia revertor : quorum animus, etsi caligante memoria, tamen bonum summum repetit ; sed velut ebrius, domum quo tramite revertatur, ignorat. Num enim videntur errare hi qui nihilo indigere nituntur? Atqui non est aliud quod æque perficere beatitudinem possit, quam copiosus bonorum omnium status, nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. Num vero labuntur hi qui quod sit optimum, id etiam reverentiæ cultu dignissimum putant? Minime. Neque enim vile quiddam contemnendumque est, quod adipisci omnium fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est numeranda potentia? Quid igitur? Num imbecillum ac sine viribus æstimandum est, quod omnibus rebus constat esse præstantius? An claritudo nihili pendenda est? Sed sequestrari nequit, quin omne quod excellentissimum sit, id etiam videatur esse clarissimum. Nam non esse anxiam tristemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subjectam, quid attinet dicere, quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet? Atqui hæc sunt, quæ adipisci homines volunt; eaque de causa divitias, dignitates, regna, gloriam voluptatesque desiderant, quod per hæc sibi sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, lætitiam credunt esse venturam. Bonum est igitur quod tam diversis studiis homines petunt : in quo quanta sit naturæ vis, facile monstratur, quum licet variæ dissidentesque sententiæ, tamen in deligendo boni fine consentiunt.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS SECUNDÆ.

HIC Philosophia prosequitur quod præmisit, ostendendo quæ sit falsa et quæ vera felicitas. Primo tamen breviter tangit quid et in quo sit vera felicitas.

A

Tum, utputa ultimo metro completo, Philosophia, quæ hic per modum et sub forma honestæ ac sapientis matronæ describitur, *visu* corporali *defixo,* id est inclinato, *paululum,* ut acutius consideraret, maturiusque proferret quæ concepit ; interiori quoque « visu defixo », id est humiliato, seu ad propriæ imbecillitatis considerationem reducto, ut sic magis sobrie et sine præsumptione loqueretur, innitendo Dei auxilio, quemadmodum Plato ait in primo Timæi : Mementote, tam me qui loquor quam vos qui auditis, homines esse, atque ita in rebus sublimibus mediocrem elocutionem, magni cujusdam esse onus laboris. *Et velut recepta,* id est quasi elevata, *in sedem angustam,* id est in apicem, *suæ mentis,* id est ad supremum sui acuminis, seu superiorem partem rationis, quæ intendit rationibus æternis ac divinis consulendis et contemplandis, ut secundum decreta et consilia summæ

B

et increatæ Sapientiæ procedat et agat. A
Hæc sedes et mansio mentis est angusta, id est stricta et ardua, inter errores extremos contrarios medium tenens, quemadmodum via salutis dicitur arcta, prout
Matth. VII, 14. apud Matthæum ait Salvator : Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam ! *Cœpit sic,* id est, ita loqui exorsa est :

Omnis cura, id est sollicitudo, intentio, inclinatio seu affectio, hominum *mortalium, quam* curam *labor,* id est occupatio seu conatus, *studiorum multiplicium,* id B
est actuum diversorum (quod potest esse intransitiva constructio), *exercet,* id est, actuat, format, exsequitur, hæc cura *procedit quidem,* id est pro certo, *calle diverso,* id est per distincta et varia media, seu via multiplici, *sed tamen nititur pervenire ad unum finem beatitudinis* (intransitive, ut ante : quemadmodum dicitur virtus Dei, id est virtus quæ est Deus), hoc est ad unum beatificum finem, quæ est æterna felicitas.

— Denique universi fideles qui vere co- C
gnoscunt ad quam beatitudinem sint creati, solliciti sunt hanc beatitudinem adipisci, et ad eam referunt quidquid agunt et habent : loquendo de eis in quantum fideles sunt, id est ex recta fide agentes.
Rom. VI, 22. Unde ad Romanos ait Apostolus : Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Hinc apud Joannem Christus loquitur Deo Patri de se
Joann. XVII, 2, 3. ipso : Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam ; hæc est autem vita æterna, ut D
cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ad hanc felicitatem quidam tendunt per viam mandatorum, id est observando præcepta Dei atque Ecclesiæ ; aliqui vero per viam consiliorum, observando evangelica Christi consilia, præsertim tria, ut religiosi : et in utraque sunt differentiæ multæ. Nam quidam sunt conjugati, quidam vidui aut viduæ, aliqui adhuc liberi seu soluti, quidam sæculares, quidam canonici, quidam presbyteri : qui tamen aliqua vota faciunt. Religiosorum quoque diversa sunt genera : inter quos sunt quatuor mendicantium Ordines, deinde Benedictini, Cartusienses, Cistercienses, etc.

Hi omnes ad eumdem numero beatitudinis finem tendunt, id est ad summum et incommutabile bonum, utputa Deum excelsum et gloriosum, qui est beatitudo et finis beatificus objectalis, in quo tanquam in summo unicoque objecto consistit omnis creatæ mentis felicitas. Clara vero et immediata ac fruitiva ejus cognitio, est beatitudo et finis simpliciter ultimus formalis : qui finis atque felicitas est formalis immediataque unio mentis creatæ cum beatitudine objectali. Verumtamen ad hujus beatitudinis formalis cognitionem non pervenerunt philosophi in lumine naturali, sed per revelationem ac fidem et theologiæ doctrinam innotuit hominibus ista felicitas. Est demum et naturalis quædam contemplatio summi boni (de qua dictum est sæpe), in qua Philo- *Cf.* p. 32 A, 217 A', etc.
sophus et meliores philosophi beatitudinem hominis statuerunt : ad quam etiam diversi diversis callibus accesserunt ; ad quam etiam per naturalis legis observantiam recte iretur.

Porro loquendo de ultimo fine et beatitudine in communi, omnes tendunt ad beatitudinem eamdem in genere. Constat quoque quod objectalis beatitudo est eadem numero : quæ est summum et prorsus incommutabile bonum. Beatitudo vero formalis et supernaturalis, est eadem specie, imo et specie specialissima ; similiter et beatitudo naturalis, formalis, contemplativa. Beatitudo autem formalis in communi accepta, est eodem genere. Denique ad beatitudinem supernaturalem patriæ unusquisque idonee tendit, ea adimplendo quæ ad suam spectant vocationem, professionem aut statum : ut si quid supererogaverit, hoc proderit illi.

Id autem, id est beatificus ille finis, *est bonum quo quis adepto,* id est fruitive possesso et clare per speciem cognito, *ni-*

hil ulterius desiderare queat, quod ad beatitudinis spectat essentiam. Per quod objectio solvitur qua argui possit, quod animæ sanctæ Deum beatifice conspicientes, adhuc desiderant suorum corporum resumptionem et glorificationem : quæ non ad essentialem et principalem felicitatem remunerationemque pertinent, sed ad præmium accidentale.

Quod quidem est omnium summum bonorum, id est omnium bonorum altissimum, imo universis et singulis bonis infinite præstantius atque perfectius. In quo, ut divinus Dionysius protestatur, est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium infinita simpliciterque perfecta possessio, quoniam ipsum est primum et independens, illimitatum et supersimplicissimum bonum, et est bonitas pura ac ipsa bonitatis essentia : quod etiam in libro de Causis, et in Elementatione theologica Procli, asseritur et probatur. Unde subjungitur : *cunctaque intra se continens bona*, id est, omnium bonorum ac omnium rerum perfectionem in se eminentissime ac simplicissime habens et comprehendens. Omnia quoque in ipso sunt virtualiter, causaliter, conservative, sicut in primo fonte et primo causali principio ; exemplariter etiam, idealiter atque vitaliter sunt in ipso, juxta illud Joannis : Quod factum est (id est omnis creatura), in ipso vita erat. De quo ait Apostolus : Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.

De Divin. nom. c. IV.

Joann I, 3, 4.

Rom. XI, 36.

Cui si quid abforet, id est, si ulla ei deesset perfectio, *summum esse non posset :* quia in omni genere primum est perfectum in genere illo ; ideo primum bonum non esset summum bonum, nisi omnem in se perfectionem absolute includeret. Propterea quinto Metaphysicæ ait Philosophus, quod solum primum ens est simpliciter universaliterque perfectum. Quocirca advertendum est Anselmi documentum, dicentis : Quidquid simpliciter loquendo, melius est inesse quam deesse (hoc est, quidquid perfectionem nominat absolute), hoc

A convenit Deo, estque in eo cum excellentia penitus infinita. Imo consubstantialiter est idem ipse, cui ait Psalmista : Tu autem idem ipse es. *Quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari*, id est, aliqua esset perfectio in ipso realiter non contenta, quæ et ab ipso et ab aliis posset desiderari : et ita nec Deus in se ipso esset perfectus. Unumquodque enim potest appetere perfectionem qua caret.

Ps. CI, 28.

Ex his elicit et concludit Philosophia beatitudinis definitionem, seu potius quam-B dam descriptionem. *Liquet igitur*, id est, ex præhabitis constat, *beatitudinem esse statum bonorum omnium aggregatione perfectum*, id est, consistentiam intellectualis naturæ, continentem in se omne bonum quod absolute perfectionem designat, et appetibilius est habere, quam eo carere. De hac descriptione infra plenius dicam.

Hunc, uti diximus, id est, statum istum, sicut jam tactum est, *diverso tramite*, id est variis viis ac mediis, *omnes mortales* C *conantur adipisci*. Contra hoc objici posset, quod multi non credunt talem statum ac felicitatem homini esse possibilem : sicut qui asserunt animam humanam esse mortalem, sicut infelix Averroes ; similiter, qui opinantur hominem creatum non esse, neque pertingere posse nisi ad beatitudinem naturalem, ut Avicenna et Algazel sensisse videntur ; conformiter, qui impie vivunt, et qui felicitatem constituunt in divitiis aut deliciis honoreve sæculi, aut in potestate, fama aut gloria D temporali, de quibus et quorum opinionibus jam introducta sunt multa libro secundo ; nec hi qui desperant, aut occidunt se ipsos. Verum ad ista patebit post pauca solutio in hac prosa. Et pro nunc poterit responderi, quod « omnes mortales », id est quidam de hominibus, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum ; vel « omnes » recta ratione utentes, qui soli digni sunt homines appellari ; vel simpliciter « omnes » optant adipisci hunc statum absolu-

Pros. III-VI

te, quia credunt eum sibi esse possibilem, vel sub conditione, si esset possibile. Vel optant hunc statum, loquendo de eo in generali, id est, aliquid quod ipsi apprehendunt ut tale bonum, aut ei magis consimile. Vel certe appetunt eum appetitu quodam naturali, secundum quod omnes dicuntur beatitudinem naturaliter desiderare, ut dictum est. Hinc subditur :

Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas : id est, naturalis inclinatio seu appetitus, habitudo et ordo, a Deo insita est et impressa omni menti humanæ seu animæ rationali, ita quod intellectus naturaliter inclinatur, movetur et tendit ad verum, imo ad primam veritatem, actu aut habitu ; et concreatus est intellectivæ potentiæ habitus primorum principiorum in speculabilibus (qui habitus a Philosopho intellectus vocatur in Ethicis), habitus quoque primorum principiorum in agibilibus (quem multi vocant synderesim, ut super secundum Sententiarum diffuse induxi) ; similiter voluntas naturaliter inclinatur ad bonum, et ad summum bonum ac felicitatem. Juxta quem modum Damascenus asserit primo libro, quod omnibus naturaliter inserta est cognitio exsistendi Deum. *Sed ad falsa devius error abducit,* id est, fallax opinio, excæcatio, prava affectio, erronea informatio, mentem corrumpit, « abducit » a vero bono, quod est Deus, atque a bono in universali bene et vere apprehenso, « ad falsa » et deceptoria bona : quæ sunt bona apparentia, in quibus est aliquid utilitatis seu delectationis, sufficientiæ aut honoris, quod trahit et allicit, appetit atque corrumpit et inficit intellectus judicium, ita quod errat in particulari, quamvis rite sentiat in universali.

Cf. t. XXII, p. 296 A et s.

Quorum hominum *alii,* id est nonnulli, *credentes quidem nihilo indigere, esse summum bonum.* Hoc secundum unum intellectum est verum, nec competit nisi beatitudini increatæ ac superbeatissimo Deo : quo indiget omnis creata essentia, in tantum ut nec in momento consistere queat sine præsentia ac manutenentia ejus. Cui cantat Psalmographus : Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Potest et ita intelligi : « Nihilo indigere », id est nullius rei temporalis et corporalis indigentiam habere, « esse summum bonum ». Quod est falsum; nec est mirum si ita putantes, dixerint divitias seu in terrenis divitiis esse summum bonum. Porro, si ita intelligatur, « nihilo indigere », id est competentiam seu sufficientiam simplicem habere, « esse summum bonum » ; nec sic videtur verificari, quia beatitudo plenitudinem et abundantiam comprehendit, præsertim beatitudo supernaturalis. Nullo autem indigere ex his quæ ad beatitudinem requiruntur ac pertinent, est utique vera felicitas, utputa status et consistentia omnium bonorum aggregatione perfecta. Qui autem secundo modo intelligunt, *elaborant,* id est, ultra modum conantur, *ut affluant,* id est abundent, *divitiis* terrenis : quæ tamen non sunt veræ ac principales divitiæ, sicut ostensum est. Divitias tamen potissimum amant, quia sufficientiam quamdam promittunt, quum et Salomon contestatur, Pecuniæ obediunt omnia; et juxta Philosophum, Nummus est quasi fidejussor hominis in indigentiis cunctis.

Ps. xv, 2.

Cf. p. 176 A', 230 D'.

Eccle. x, 19.

Alii vero bonum quod sit dignissimum, id est præstantissimum ac optimum bonum, *veneratione judicantes,* id est, reputantes consistere in honore, *adeptis honoribus, reverendi civibus suis esse nituntur,* id est, student potissime ad hoc quod a concivibus honorentur ; sicque in honoribus istis mundanis et humanis felicitatem summam reponunt : quod reprobatum est supra. Nec tamen hoc est tam detestabile et nocivum in præsidentibus, sicut in voluptatibus et divitiis felicitatem locari : quia quum honor debeatur virtuti, tales solent curare ut saltem specie tenus et apparenter sint honesti et boni ; nec sunt subditis tam violenti et injuriosi ut præsidentes qui divitias et voluptates super omnia quærunt, ut et Philosophus lo-

Cf. p. 248 A et s.

quitur, et Thomas atque Ægidius in libris A suis de Regimine regum ac principum introducunt.

Sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant, id est, quidam exsistunt « qui constituant », id est dicant, « esse » felicitatem « in summa potentia », id est in potestate ac dignitate præsidentiali, quam habent aut obtinere desiderant. *Hi vel regnare,* id est præsidere aliis, *ipsi volunt,* ita quod cum libidine præsunt, aut gliscunt præesse, *vel regnantibus adhærere conantur,* ut pro- B moveantur, et conregnare seu participare in præsidentia possint, aut consiliarii aut secretarii principum prælatorumve fieri.

At (pro Et), supple, aliqui sunt, *quibus claritas,* id est fama et gloria temporalis, *videtur* esse *optimum quiddam,* id est summum bonum ; *hi festinant,* id est accelerant, *propagare,* id est promulgare et sibi efficere atque acquirere, *nomen gloriosum,* id est rumorem magnificum, ad propriam laudem, non ad Dei honorem et proximorum profectum, *vel artibus,* C id est industriis, *belli,* id est per strenuos bellicos actus, ut Alexander rex, *vel pacis* artibus, id est per consilia pacificandi discordes, aut conservandi pacem inter concordes. Quod in se bonum est, sed ex perversa intentione fit pravum, dicente Ambrosio : Intentio tua imprimit speciem operi tuo.

Plurimi vero, id est valde multi, *metiuntur,* id est, mensurant remunerandumque sentiunt, *fructum boni,* id est actum virtutis, *gaudio,* id est voluptate D carnali, et *lætitia,* id est exsultatione proprii cordis gloriando. *Hi felicissimum putant voluptate diffluere,* id est in voluptatibus abundare.

Sunt etiam qui permutent, id est, aliqui sunt qui varient, *fines* et *causas horum alterutro,* id est, qui unum prædictorum ordinant ad aliud, et econtra, et quod unus cupit pro medio, alter acceptat pro fine. Unde expositorie et pro exemplo subjungitur : *ut qui divitias desiderant,* id est, divitias cupiunt tanquam medium quoddam, *ob potentiam* et *voluptates,* id est, quatenus per divitias adipiscantur dominium et delectationes carnales ; *vel qui petunt,* id est, sunt aliqui « qui » econverso « petunt », id est, quærunt et optant, *potentiam,* id est dignitates, officia, principatum, *seu causa pecuniæ,* id est finaliter seu intuitu seu amore pecuniæ lucrandæ per potestatem, *seu* causa *nominis proferendi,* id est, finaliter ut sint magis famosi et cogniti. Istud quoque in Ethicis Aristoteles scribit, quemadmodum unum peccatum assumitur ut finis alterius : ut dum quis furatur aut fœneratur ut luxurietur, ad quod sine pecunia nequit pertingere (et talis potius appellandus est luxuriosus quam avarus, quia a fine denominatio capitur) ; alter luxuriatur ut ditetur, id est, pecunias inde acquirat, qui magis censendus est avarus quam luxuriosus : quamvis utrique in utrisque vitiis rei sint.

Igitur intentio, id est finis seu intuitus, *actuum humanorum votorumque,* id est desideriorum, *versatur in his,* id est, circa hæc occupatur, puta in quinque prædictis, quæ sunt, divitiæ, honor, potestas, gloria et voluptas, ita quod fama continetur sub gloria, *ceterisque talibus,* id est in consimilibus, quæ reducuntur ad ista. De quibus subjungitur : *veluti,* id est, sicut sunt : *nobilitas,* quæ secundum Philosophum, est antiquata opulentia, et ut aliqui addunt, etiam innata probitas, derivata ex parentela : ex qua, secundum Albertum libro de Laudibus beatissimæ Virginis, frequenter contingit, quod filius regis, quamvis melancholicus, sit magis magnanimus quam filius rustici sanguineus sive cholericus ; *favorque popularis,* id est applausus et laus vulgi : *quæ videntur quamdam claritudinem comparare,* id est ad famæ eminentiam pertinere. Sicut etiam *uxor ac liberi,* id est filii, *qui jucunditatis gratia petuntur,* id est, propter delectationem communiter appetuntur.

Amicorum vero, quod sanctissimum qui-

dem genus est, id est « genus amicorum » A pro certo virtuosissimum, utpote in bono honesto fundatum, *non in fortuna, sed in virtute numeratur,* id est, merito computatur non inter bona fortunæ, sicut nec virtus, quæ nec habetur nec acquiritur nec operatur nisi ex proposito, « sed in virtute », id est inter bona virtutum, quæ ex intentione habentur et agunt. Sicque per « sanctissimum genus amicorum » designatur vera et virtuosa amicitia, qua unus vult et exhibet alteri bonum propter ipsius profectum et felicitatem, non pro- B pter proprium commodum aut delectationem. *Reliquum vero,* id est aliud duplex amicitiæ genus, *assumitur,* id est, acceptatur seu exercetur, *vel causa potentiæ,* id est intuitu propriæ potestatis agendæ, seu utilitatis per eam acquirendæ aut conservandæ, *vel* causa *delectationis.* Itaque, sicut triplex est bonum, utputa delectabile, utile et honestum; ita et triplex amicitia seu amatio in ipsis fundata. De quibus pertranseo, quia frequenter præhabita sunt. (*Cf.* p. 109 B, 275 A' et s.)

Consequenter declarat quomodo adhuc aliqua alia corporalia bona reducantur ad quinque præfata. *Jam vero promptum est,* id est, facile est pensare, *ut,* id est quod, *bona corporis,* id est bona corporalia, *referantur,* id est reducantur, *ad superiora,* id est ad quinque bona supra expressa. *Robur enim,* id est fortitudo corporalis, *magnitudoque,* id est proceritas corporis, *videntur præstare valentiam,* id est conferre ac deduci ad potestatem : nam ceteris paribus, in majori corpore dicitur esse major virtus. Hinc in Scripturis magnitudo ac robur quorumdam gigantum describitur, sicut in Genesi et libro Numerorum et libris Regum patet de Og et Goliath ac aliis. (*Gen.* vi, 4; *Num.* xxi, 33; *Deut.* iii, 11, 13; I *Reg.* xvii, 4-7; etc.) *Pulchritudo atque velocitas præstant celebritatem,* id est famam solennem. Hoc patet de Absalon filio David, et de Asael filio sororis ipsius David : qui Asael fuit velocissimus cursor. (II *Reg.* xiv, 25; ii, 18.) *Salubritas voluptatem,* id est, sanitas confert et spectat ad delectationem.

Quibus omnibus, id est in quinque præfatis et ceteris quæ reducuntur ad ea, *liquet,* id est patet, *desiderari solam beatitudinem,* id est felicitatem istam terrenam : quam insipientes reputant solam et veram beatitudinem esse, quoniam bona hæc putant esse potissima. *Nam quod quisque præ ceteris petit,* id est, quod unusquisque appetit præ reliquis rebus, *id summum bonum judicat esse,* quia in illo sibi constituit finem. *Sed summum bonum esse beatitudinem definivimus,* id est determinavimus. *Quare quisque judicat statum* illum *esse beatum* formaliter, *quem desiderat præ ceteris* statibus.

Habes igitur ante oculos, id est, clare nunc vides oculo intellectuali, *formam felicitatis humanæ propositam* tibi in his *fere,* id est quasi totaliter, quamvis adhuc non satis clare. Deinde exprimit ea quæ sunt quasi forma hujus apparentis et falsæ felicitatis terrenæ. *Opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates :* quæ quinque C jam sæpe exposita sunt. *Quæ quidem Epicurus,* id est philosophus nomine Epicurus, de quo dictum est ante, *considerans* (*Cf.* p. 80 A et s.) hæc quinque *sola,* id est præ ceteris, tanquam principalia bona, *constituit,* id est posuit, *consequenter sibi,* id est ex vi argumentationis suæ, tanquam conclusionem ex dictis suis sequentem, *voluptatem* carnalem gustus et tactus *esse bonum summum* formaliter, magis quam aliquid aliorum, *eo quod cetera omnia,* id est ob hoc quod alia quatuor jam expressa, *jucun-* D *ditatem animo videantur afferre,* id est adducere et conferre ad voluptatem, ad quam requiruntur divitiæ, et cetera cooperantur ad habendum materias delectationum exuberanter.

Denique de his quinque assignatur sufficientia quædam : quoniam omne bonum aut est utile, aut delectabile, aut honestum. Illi ergo qui dicunt summum bonum esse bonum utile, felicitatem constituunt in divitiis; et qui dicunt summum bonum esse bonum delectabile, felicitatem ponunt

in deliciis. Qui autem summum bonum asserunt esse bonum honestum, diversificantur : quoniam bonum honestum, est bonum secundum rationem ; ratio autem est duplex, videlicet speculativa et practica. Sed de bono honesto quod in speculatione consistit, rudes isti non loquebantur, qui sola exteriora et manifesta attendebant : et ita de bono rationis practicæ aliquid tractaverunt. Et tale bonum, secundum eos, consistit vel in hominum opinione, et ita est gloria de qua nunc sermo ; vel in exercitio proprii actus circa alios, et sic est potestas ; vel in exercitio actuum aliorum circa se, et ita est honor. Porro Epicurus omnia ad materiam retulit, quam dixit esse totam rerum substantiam. Formas quoque substantiales dixit non esse nisi accidentales modos, dispositiones, harmonias et qualitates in ipsis materiis : unde et animam rationalem dixit esse mortalem. Sicque fuit omnino imperitus philosophus : cujus imperitiam Plato et Aristoteles ostenderunt et destruxerunt.

Consequenter Philosophia applicat præinducta magis determinate ad homines. *Sed ad hominum studia revertor,* id est, mente regredior ad considerandum distinctius conatus intentionesque hominum. *Quorum* hominum *animus,* id est mens, *repetit,* id est, iterum et iterum appetit, quærit, intendit, *summum bonum,* a quo per creationem exivit, et propter quod facta est, id est beatitudinem, sicut expositum est, *etsi,* id est quamvis, *memoria* intellectuali, quæ est realiter idem quod intellectus, secundum quod intellectus locus est specierum, *caligante,* id est, cæcutiente, seu obscure vidente judicando in particulari, *tamen* sic est. *Sed* sic mens *ignorat* in particulari *quo tramite,* id est per quam viam, *revertatur domum,* id est ad beatitudinis veræ fontem ac locum seu patriam, *velut ebrius,* qui scit se domum habere, et cupit ad eam pertingere, tamen errat in via ; vel, Sic mens « ignorat quo tramite revertatur » ad summum bonum, « velut ebrius » nescit viam qua redeat « domum ». Unde in Ecclesiaste scriptum est : Spiritus redeat ad eum qui dedit illum.

Cf. p. 295 B et s.

A

Eccle. xii, 7.

Deinde ostendit in quo hominum mentes non devient, et in quo errent.

Numquid videntur errare hi qui nihilo indigere nituntur,* id est, qui conantur non indigere aliquo, hoc est sufficientiam plenam habere, atque in hoc beatitudinem suam ponunt ? [Quasi dicat, Minime.] Cujus ratio subditur : *Atqui,* id est pro certo,

B

non est aliud quod tam *æque,* id est tam perfecte, *beatitudinem perficere possit, quam copiosus bonorum omnium status :* hoc enim intrinsece tanquam causa formalis specifica perficit beatitudinem, cujus definitio est, sicut jam patuit, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum ; *nec alieni egens,* id est, status beatificus non est indigens extrinseci boni, *sed sibi ipse sufficiens,* id est, intra se habens et continens quæ ad ipsum requiruntur atque sufficiunt : hoc namque

C

est de ratione ipsius, sicut de ratione hominis est quod sit animal rationale. Ex quibus probatur, quod hi qui beatitudinem ponunt in divitiis, non errant in hoc quod ponunt eam in hoc quod est « nihilo indigere » (quod est quasi in majore bene sentire), sed quando sic arguunt : in hoc beatitudo consistit, in quo homo sufficientiam habet ; sed hoc est pecunia. Quod est errare in minore, vel etiam in particulari.

* Num enim

Cf. p. 296 B'.

Consequenter ostendit hoc ipsum de his

D

qui ponunt beatitudinem in honore. *Num vero labuntur,* id est, numquid decipiuntur, *hi qui quod sit optimum, id etiam reverentiæ cultu dignissimum putant? Minime :* id est, illi non errant in generali, « qui putant » illud « cultu reverentiæ » esse « dignissimum », id est exhibitione reverentiæ, « quod sit optimum », utputa summum bonum, quum reverentia debeatur virtuti seu bonitati. *Neque enim vile quiddam contemnendumque est, quod adipisci omnium fere mortalium laborat in-*

tentio : imo utique hoc est valde dignum A et altum. Sed quare hic addit « fere », quum tamen jam absolute universaliter *Cf.* Pros. lin. 2 et 10. dixerit, quod omnes mortales hoc quærunt? nisi forsitan propter eos qui nondum ratione utuntur, aut prorsus irrationabiles facti sunt. In isto ergo non errant, sed in subsumendo quod hoc sit honor humanus ac temporalis.

Deinde idem declarat de his qui felicitatem ponunt in potestate et gloria. *An in bonis non est numeranda potentia?* hoc est, ipsa potestas est utique compu- B tanda inter bona. *Quid igitur?* id est, quid sequeretur si hoc diceretur? *Num imbecillum,* id est infirmum, *ac* (pro, id est) *sine viribus æstimandum est, quod omnibus rebus constat esse præstantius,* utputa summum bonum seu felicitas, quæ ceteris cunctis quæ ordinantur ad eam, est dignior? Ergo ad eam pertinet ac requiritur activa potentia. *An claritudo,* id est celebris fama, *nihili pendenda est?* *Eccle.* VII, 2. Non plane, quoniam scriptum est : Melius est nomen bonum, quam unguenta pre- C *Prov.* XV, 30. tiosa. Et Salomon loquitur : Fama bona impinguat ossa. *Sed sequestrari nequit,* id est, claritudo ista a summo bono seu felicitate separari non valet, nec potest sequestrari a veritate, *quin omne quod excellentissimum sit, id etiam videatur,* id est, vere conspiciatur, *esse clarissimum,* id est celeberrimum fama.

Insuper probat, quod delectatio quoque ad beatitudinem spectet, ita quod non penitus errant, qui in voluptate felicitatem constituunt. *Nam non esse anxiam tri-* D *stemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subjectam, quid attinet dicere?* id est, non est necessarium hoc probare, quum constet per se, loquendo de beatitudine quæ est præmium, tamen non de ea quæ est meritum : de qua ait Salvator, *Matth.* V, 5. Beati qui lugent; et rursus, Beati qui per- *Ibid.* 10. secutionem patiuntur propter justitiam. *Quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet,* hoc est, in rebus valde parvis, ut in cibo et potu, id appetitur quod habere et frui est delectabile.

Postremo Philosophia ostendit qualiter homines deviant, hæc quærendo. *Atqui,* id est pro certo, *hæc sunt, quæ adipisci homines volunt,* utputa, nullo indigere, gaudere, potentem consistere; *eaque de causa,* id est propter hanc causam, *divitias, dignitates, regna,* id est dominia seu potestates, *gloriam voluptatesque desiderant, quod per hæc sibi sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, lætitiam credunt esse venturam,* id est, quia per quinque præfata putant se adepturos veram et idoneam « sufficientiam » et salubrem honorem potestatemque salutarem, et cetera quæ ad veram felicitatem spectant : quia non pensant vanitates, insufficientias, fallacias instabilitatesque istis annexas; nec ea rite attendunt ac diligunt, in quibus vere ac salubriter consistunt, sufficientia, honor, gloria, fama, potestas, videlicet, dona gloriæ, et ea quæ veram felicitatem concernunt, quæ in increato, incircumscriptibili bono superbeatissime continentur.

Bonum est igitur, id est, hoc patet et sequitur ex prædictis, quod « bonum » verum ac summum, seu bonum finale et ipsa felicitas, est *quod tam diversis studiis homines petunt,* id est, quod finaliter optant et quærunt, mediate vel immediate, et vel in generali aut speciali, tam variis viis, « studiis » ac mediis. *In quo,* scilicet conatu et naturali inclinatione ac motu, *facile monstratur,* id est, facile declaratur, *quanta sit vis,* id est vigor naturalis ordinationis atque tendentiæ seu impressionis, *naturæ* creatæ intellectualis, quæ naturaliter beatitudinem appetit; vel « quanta sit vis naturæ » naturantis, videlicet Dei, cujus impressio est tam tenax, et cujus omnipotentia sic resplendet in suis effectibus; *quum licet,* id est quod quamvis, *sententiæ,* id est doctrinæ hominum de viis pertingendi ad felicitatem, item de objectis in particulari in quibus consistat felicitas, sint tam *variæ* et *dissidentes,*

id est dissentientes, sicut jam patuit, *tamen consentiunt,* id est, omnes concordant, *in fine boni deligendo,* hoc est in A bono finali ultimate et principaliter appetendo, videlicet, quod felicitas sit omnibus finaliter appetenda.

ARTICULUS VI

DIFFICULTATUM HUJUS SECUNDÆ PROSÆ PROPOSITIO ATQUE PERBREVIS ABSOLUTIO.

JOANNES. — Circa hæc, quæstiones occurrunt. Et primo apparet quod omnes homines non appetunt beatitudinem, nec appetitu naturali, nec animali, nec intellectuali. Appetere namque est mente in aliquid ire. Sed non omnes tendunt in beatitudinem. Imo quamplures tendunt in id quod est beatitudini directe contrarium, utputa universi qui ex certa scientia atque proposito peccant : qui Salomone *Prov.* II, 14. testante, Lætantur quum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. Rursus, quod inest a natura, omnibus inest æqualiter, nec ad oppositum assuescit, et ut in pluribus adimpletur. Sed non omnes æqualiter optant felicitatem, nec major pars hominum consequitur eam.

DIONYSIUS. — Ad istud ex dictis Aristo- *Cf.* t. XXV, p. 398 B et s. telis, Thomas, Albertus, Ægidius aliique concorditer dicunt, quia ut septimo dicitur Ethicorum, in ordine appetibilium seu agendorum ita se habet finis sicut principium in speculabilibus. Quumque in omni genere, id quod est primum et maximum, causa sit posteriorum ; ideo sicut cognitio primi principii in speculabilibus est causa cognitionis conclusionum, sic appetitio finis est causa appetendi cetera cuncta quæ sunt ad finem : quumque beatitudo sit finis vitæ humanæ, quidquid voluntas appetit facere, ad beatitudinem refert et ejus desiderio agit. Quod et experimentaliter constat. Nemo etenim aliquid cupit, nisi sub ratione alicujus boni, quum bonum sit quod omnia appetunt, ut primo Ethicorum asseritur. Sicque illud B habendo aut obtinendo, se reputat felicitati viciniorem : quoniam bonum additum bono facit magis appropinquare bono perfecto, quod est beatitudo. Hinc quælibet appetitio et operatio in beatitudinem ordinatur. Non tamen quælibet recta est, quia ad hoc quod voluntas sit recta, duo exiguntur : unum, quod habeat debitum finem; aliud, ut per proportionata et debita media tendat in illum. Quamvis autem omnia desideria referantur ad beatitudinem, tamen contingit desiderium utroque C modo esse perversum : primo, si appetatur beatitudo non vera; secundo, si quæratur per media improportionata.

JOANNES. — Quæro ergo, an omnes appetant naturaliter beatitudinem veram. Videtur quod imo : quia si omnes appetunt beatitudinem, ergo aut veram, aut falsam [non falsam, quoniam verum bonum est quod nos beatos vere efficit.]

DIONYSIUS. — Hanc quæstionem atque materiam tractat B. Augustinus tertiodecimo de Trinitate satis diffuse, et Magister D quarto Sententiarum. Ad quam Bonaven- dist. 49. tura in Scripto quarti compendiose respondet : Duo sunt (dicens) quæ pariunt appetitum, videlicet, convenientia appetibilis, et indigentia appetentis. Quumque rationalis anima creata sit ad imaginem *Gen.* I, 26 27. et similitudinem Dei, capax est sufficientissimi boni ; et per hoc invenit in eodem convenientiam magnam. Ipsa etiam in se et ex se nullatenus sufficit sibi ; ac per hoc est in ea indigentia grandis. Ideo dico, quod anima veram beatitudinem natura-

liter appetit. Et si instes : ergo et eam A cognoscit, quia ut frequenter asserit Augustinus, nemo potest diligere quod ignorat. Dicendum, quod duplex est instinctus ad bonum : unus ad bonum in generali, alter in speciali. Similiter duplex est appetitus. Dictamen ergo boni in generali, venit ex cognitione naturali : et quantum ad hoc, non est error. Dictamen vero in speciali hujus aut illius boni, non est omnino ab habitu naturali, sed etiam per subsumptionem factam a ratione deliberante : atque in hoc potest error accidere. Similiter de B appetitu intelligendum est. Omnes itaque habent appetitum veræ beatitudinis in generali : similiter habent cognitionem beatitudinis veræ in generali, utputa quod sit bonum sufficiens; verum sufficientiam illam quidam constituunt in divitiis, alii in deliciis, alii in bono increato. Quod autem tam multi consecutione felicitatis privantur, contingit per accidens ex fragilitate naturæ, imbecillitate intellectualitatis humanæ corruptioneque fomitis, ac variis causis intrinsecis et extrinsecis qui- C bus homo inclinatur et trahitur ad peccata, quæ sola felicitatem impediunt.

Joannes. — Quum voluntas sit libera, quomodo verum est, quod non potest non velle beatitudinem ?

Cf. t. XIX, p. 128 D et s.

Dionysius. — Nulla potentia potest ferri in suum objectum, nisi sub objectali ratione objecti. Quumque objectum appetitus sit bonum, objectum vero voluntatis sit bonum intellectum, id est intellectualiter cognitum, non potest appetitus neque voluntas aliquid velle, nisi sub ratione D aliqua boni; nec in hoc inest ei libertas aliter se habendi : imo in hoc voluntas est quædam natura, et instar naturæ est operans. Libere tamen tendit in beatitudinem talem aut talem. Nec ad veram libertatem requiritur posse in utrumque oppositorum in omnibus : alioqui Sancti in patria, qui ita sunt confirmati in bono quod nullatenus queunt se inde avertere, liberi non essent, imo nec ipse superbeatissimus Deus, qui vere liberrimus est.

Joannes. — Cur ergo quidam Peripatetici dicunt in Deo voluntatem non esse, nec ipsum libere operari ad extra, sed potius necessitate naturæ ?

Cf. t. XX, p. 604 D' et s.

Dionysius. — Albertus in commentario suo super librum de Causis, narrat quod Peripateticorum præcipui, Aristoteles, Avicenna, Averroes, Algazel, Theophrastus, dicunt voluntatem non esse in Deo; sed hoc parum est ponderandum, quoniam philosophi illi hoc dicunt non de voluntate immobilis complacentiæ, quæ utique est in Deo, sed de voluntate indigentiæ, et appetentia perfectionis non habitæ, quæ superperfectissimo Deo non convenit. Porro, quod dixerunt Deum operari ad extra necessitate naturæ, fuit erroneum. Non tamen intellexerunt hoc sic, quasi non ageret sapientialiter et intellectualiter, quum et Avicenna testetur, quod sola prima causa agit pure liberaliter, et Algazel fateatur, quod emanatio creaturarum a Creatore comparetur emanationi donorum a datore, et artificiatorum ab artifice; sed quod prima causa videns quam bonum et condecens sit, quod ipsa bonitatem suam communicet, non potest hoc non facere. Propter quod etiam opinabantur mundum ab æterno fuisse. Nihilo minus Plato, qui ceteris fuit divinior, in primo Timæi clarissime loquitur, quod Dei voluntas sit omnium rerum causale atque fontale principium.

Joannes. — De his amplius sciscitari non audeo, ne prolixitate excedam ; sed descriptionem felicitatis quam Philosophia inducit, cupio explanari. Nempe, quum felicitas sit actio, imo simplex et optima actio, non videtur esse status, nec aggregatione completa.

Dionysius. — Status quamdam quietationem importat; et quia per felicitatem mens quietatur et immobilitatur in summo bono, felicitas status vocatur : nam et actus qui est felicitas, non consistit in motu, sed quiete. Quamvis etiam felicitas, quantum ad suam essentiam, sit actio simplex, multa tamen ad eam concurrunt ac

pertinent : nec enim contemplatio sine dilectione, nec econtra, neque utrumque simul sine delectatione ad felicitatem sufficeret. Idcirco ad hoc innuendum, dicitur : status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Postremo, verbis istis Boetii circa principium hujus prosæ prolatis, « Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum », etc., concordat quod in exordio Ethicorum ait Philosophus : Omnis ars et omnis doctrina et actus et delectio, bonum quoddam appetere videtur. Ad perfectionem enim omnia moventur naturaliter et salutem : propter quod bene dicitur bonum, quod omnia appetunt. Idcirco in ipso tanquam in fine adepto, omnis motus et desiderium quietantur.

Rursus his consonat quod in Collationibus Patrum abbas Moyses anachoreta disseruit : Omnes (inquiens) disciplinæ ac artes, omnisque professio et institutio, σκοπόν, id est destinationem, et τέλος, id est proprium finem, sortitæ sunt. Intellectualis igitur creaturæ conversatio habet σκοπόν seu destinationem, id est quamdam perfectionem finalem, ad quam ordinantur cetera exercitia ejus, quæ est finis ejus interior in hac vita, utputa, puritas cordis, seu contemplatio Dei sincera ; et τέλος, id est beatitudinem objectalem, de qua dicta sunt plura. *cf. t. XXVII, p. 135 A et s.*

Præterea his concordant theoremata Procli in quibus testatur, omne quod procedit ab alio, converti ad id a quo procedit, et præsertim omnem intellectum creatum, ad primum et increatum intellectum converti, in quo ejus perfectio felicitasque consistit. Hinc in Elementatione theologica Proclus disseruit : Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et ad ipsam convertitur ; itemque : Omnis (inquit) conversio, per similitudinem efficitur eorum quæ convertuntur, ad id ad quod convertuntur. Et rursus in alio theoremate sapientissime fatur : Appetibile omnibus est intellectus divinus et primus, et procedunt

A omnia ab intellectu ; et totus mundus ab intellectu substantiam habet, et ad intellectum illum stat incessanter conversus, a quo indesinenter dependet et conservari desiderat.

Hinc etiam omnis mentis creatæ (imo et omnis creaturæ) perfectio est suo Creatori in aliquo ordine assimilari : in qua assimilatione sita est creatæ mentis felicitas, prout hoc Thomas in Summa contra gentiles, libro tertio, per multa ostendit capitula. *cap. 19 et* Unde et super quartum Sententiarum, B distinctione quadragesima nona : Secundos (ait) motores ordinari oportet in finem primi motoris per dispositionem eis impressam a primo motore : ut dum anima movet manum, et manus baculum, et baculus aliquem cædit. Sed hoc distat in motibus naturalibus et violentis, quod in motibus violentis, impressio relicta a primo motore, in secundis motoribus est præter naturam eorum, propter quod operatio sequens est laboriosa ; in motibus vero naturalibus, impressio talis est naturalis C in secundis motoribus, propter quod operatio sequens exstat conveniens. Unde in libro Sapientiæ habetur, quod Sapientia disponit omnia suaviter, quoniam unaquæque res ex natura sibi divinitus indita, tendit in id ad quod ex divina providentia ordinatur. *Sap. VIII,* Quumque cuncta procedant a Deo in quantum est bonus, ideo cuncta creata, secundum impressionem a Creatore acceptam, inclinantur in bonum appetendum secundum modum suum, quatenus sic in rebus inveniatur circulatio D quædam, dum egredientia a bono revertuntur in bonum. Hæc demum circulatio in quibusdam creaturis perficitur, in aliis remanet imperfecta : in intellectualibus namque perficitur, quæ cognoscendo ac diligendo convertuntur in Deum ; in aliis non. Hinc constat, quod nullus possit appetere miseriam, neque malum culpæ, nec malum pœnæ, nec mortem, nisi sub ratione alicujus boni, ad minus apparentis. Sic enim damnati appetunt mortem et prorsus non esse, in quantum mors et

non esse apprehenduntur ut terminus tantæ calamitatis ac pœnæ.

Cf. p. 215 A', 289 B', etc. Quemadmodum autem tactum est sæpe, ex nunc dictis edocemur, in solo summo, incommutabili, incomparabili, superopulentissimo, superdeliciosissimo et superhonorabilissimo bono, in quo gloria infinita, potestas immensa, felicitatem nostram constituere, quærere, stabilire, atque in ipso indesinenter mente quiescere.

METRUM II

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immensum
Legibus orbem provida servet
Stringatque, ligans irresoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
Quamvis Pœni pulchra leones
Vincula gestent, manibusque datas
Captent escas, metuantque trucem,
Soliti verbera ferre, magistrum;
Si cruor horrida tinxerit ora,
Resides olim redeunt animi,
Fremituque gravi meminere sui;
Laxant nodis colla solutis,
Primusque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
Quæ canit altis garrula ramis
Ales, caveæ si clauditur antro,
Huic licet illita pocula melle
Largasque dapes, dulci studio
Ludens hominum cura ministret;
Si tamen arcto saliens tecto,
Nemorum gratas viderit umbras,
Sparsas pedibus proterit escas,
Silvas tantum mœsta requirit,
Silvas dulci voce susurrat.
Validis quondam viribus acta,
Pronum flectit virga cacumen;
Hanc si curvans dextera remiserit,
Recto spectat vertice cœlum.
Cadit hesperias Phœbus in undas;
Sed secreto tramite rursus
Currum solitos vertit ad ortus.
Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent;
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO METRI HUJUS SECUNDI.

Cf. p. 301 D'. QUOD in præhabita prosa dixit Philosophia, magnam valde esse vim et proprietatem naturæ, nec ad oppositum assuefieri, in versibus istis metrice canit. In quibus ordo et sensus verborum est :

Placet mihi Philosophiæ *promere,* id est declarare, *versu** *arguto,* id est versibus istis artificiosis, ponendo singulare pro plurali (seu « versu », id est congerie versuum horum), *fidibus lentis,* id est chordis flexibilibus, utputa pedibus versuum horum morosis, ut melius intelligantur, *quantas habenas* (id est quam multa vincula regitiva, seu colligantias) *rerum natura*

* cantu

potens flectat, id est, ordinatis motibus A
servet. Et potest per naturam potentem,
auctor naturæ omnipotens intelligi, omni-
bus naturam naturalesque vires ac pro-
prietates, cursum ac ordinem tribuens et
conservans : et item, natura naturans ac
naturata, puta intelligentiæ et causæ cœ-
lestes, quæ inferiorum sunt producti-
væ, prout in libro de Causis habetur de
prædictis his : quæ ibidem contra fidei
veritatem contenta sunt.

« Placet » etiam mihi « promere » *qui-
bus legibus*, id est ordinationibus ac præ- B
Ps. CXLVIII, 6. ceptis (juxta illud in Psalmo, Statuit ea
in sæculum sæculi, præceptum posuit, et
Jer. XXXIII, 25. non præteribit ; atque in Jeremia, Si leges
cœlo et terræ non posui : ut supra sæpius
Cf. p. 279 A. ac plenius est allegatum), natura *provida*,
id est, providentialiter agens, et sapien-
tissima in se ipsa, loquendo de natura na-
turante, intelligentiaque quæ est agens
infallibile et non errans, *servet*, id est,
manuteneat in esse et cursu ac ordine suo,
orbem immensum, id est mundum valde
magnum : quia a Deo prorsus incircum- C
scripto decuit produci universum præ-
grande. De quo in Ecclesiastico legitur :
Eccli. XVI, 17. Quæ est anima mea in tam immensa crea-
tura ? Quod est quasi magna domus sui
auctoris, de qua accipi potest illud Ba-
Baruch III, 24, 25. ruch : Quam magna est domus Dei, et
ingens locus possessionis ejus ! Magnus,
et non habens finem. Verumtamen, quum
impossibile sit creaturam Creatori æqua-
ri, oportuit mundum in se esse finitum,
et per consequens suo Creatore infinite
incomparabiliterque minorem, quia finiti D
ad infinitum nulla est comparatio. Ideo
respectu Creatoris, etiam totum universum
est tanquam pulvisculus et arenula mi-
nima, ita quod non solum de terræ ele-
mento, verum etiam de toto universo, ve-
Sap. XI, 23. rificatur illud libri Sapientiæ : Tanquam
momentum stateræ, sic est ante te, Do-
mine, orbis terrarum, et tanquam gutta
roris antelucani.

Denique, de hoc universo, seu potius
de toto mundo sensibili seu materiali,
habuerunt quidam philosophi, præsertim
Platonici cum principe suo Platone, opi-
niones non parum mirabiles, asserentes
totum hunc mundum esse animatum et
animal maximum. Unde in primo Timæi
loquitur Plato : Nec fas (id est decens) erat
bonitati præstanti (videlicet Deo) quid-
quam facere nisi pulchrum ; eratque cer-
tum tantæ Divinitati, nihil eorum quæ
sequuntur hebes dumtaxat nec intelligens,
esse melius intelligente, intellectum vero
non nisi animæ provenire. Hac igitur re-
putatione intellectu in animo posito, ani-
ma quoque in corpore collocata, totum
animantis mundi ambitum cum veneranda
illustratione composuit : ex quo apparet
sensibilem mundum animal esse intelli-
gens divinæ prudentiæ sanctione. Hoc idem
asserit Proclus Platonicus in Elementati-
one theologica, theoremate centesimo sex-
agesimo sexto : Ipse (inquiens) mundus
animatus est, et intellectum habens. Hinc
tertiodecimo de Civitate Dei, capitulo sep-
timodecimo, Augustinus disseruit : Ani-
mam mundi Plato dixit a centro terræ
usque ad cœli summum diffundi et exten-
di per numeros musicos, ut sit mundus
iste animal maximum, beatissimum, sem-
piternum, cujus anima perfectam sapien-
tiæ felicitatem teneret, et proprium corpus
non relinqueret. Cujus etiam animalis qua-
tuor magnas partes esse asseruit quatuor
elementa. Insuper decimo de Civitate Dei c. 2
recitat Augustinus quemadmodum Ploti-
nus Platonicus posuit tres principales sub-
stantias, videlicet patrem, et νοῦν, ac ani-
mam mundi. Verum ista erronea sunt
censenda, non solum secundum inviola-
bilem sanctæ fidei veritatem, sed item
secundum veram philosophiam, et juxta
Peripateticorum doctrinam, prout etiam
S. Thomas in Summa contra gentiles, libro
secundo ac tertio, efficaciter ac rationa-
liter probat.

Stringatque, id est, quibus legibus ipsa
natura connectat omnia, redigendo ea in
unum ordinem universi, *ligans singula*,
id est, ipsas creaturas consocians atque

confœderans, *nexu irresoluto*, id est indissolubili nodo ac vinculo coordinationis : prout supra, quinto metro libri primi, est diffuse expositum, quo habetur, Omnia certo fine gubernans; ac aliis locis.

Cf. p. 122 A'.

Cf. p. 137 B, 280 B, etc.

Hinc Philosophia probat per quatuor similia seu exempla quod dictum est : et primo in animali gressibili, puta leone. *Quamvis leones Pœni*, id est Africæ seu Africani (nam Africanus alio nomine dicitur Pœnus : inde dicitur bellum Punicum, id est Africanum), *gestent vincula pulchra*, id est collaria, quæ eorum collis imponuntur ut mansuescant seu reprimantur a sua feritate, et *captent*, id est, assidue capiant, *escas datas* eis *manibus* magistri eos domantis et custodientis, *metuantque magistrum* eos domantem *trucem*, id est eis crudelem, *soliti ferre*, id est pati, *verbera* ab eodem. Tamen *si cruor tinxerit ora horrida*, id est, si ipsi terribiles leones comederint carnes quarum cruore ipsorum ora madefiant, *redeunt animi olim resides*, id est, naturales eorum crudelitates et corda ferocia, quæ ante a sua quiescebant ferocia, renovantur (imo et si sanguinem videant, mox quasi furere et sævire incipiunt : nempe per esum carnium sanguinisque adspectum renovatur eorum crudelitas, ut scribit Solinus), *fremituque gravi*, id est ingenti terribilique rugitu, *meminere sui*, id est, propriæ naturæ recordantur, per effectus suos ostendendo se esse leones; *laxant colla*, id est, colla sua liberant a vinculis, rumpendo collaria et erigendo propria colla, *nodis solutis*, id est catenis seu vinculis illis confractis; et *domitor* ille leonum *lacer*, id est dilaniatus, *dente cruento*, id est dentibus leonum sanguine tinctis, *primus imbuit*, id est explet, seu materialiter docet propria laceratione, *iras rabidas* leonum, id est leones adhuc iracundos consistere et rapaces.

Consequenter ad idem subjungitur secundum exemplum in animalibus volatilibus. *Ales garrula*, id est avicula quasi loquax, *quæ canit*, id est cantat, *ramis*

A *altis*, super quos sedet, *si clauditur antro caveæ*, id est domuncula, *licet cura hominum ludens*, id est, quamvis sollicitudo habentium avem hujusmodi, « ludens », id est, solatium habens cum ea, *ministret*, id est exhibeat, *huic* avi *pocula illita melle*, id est mellita, *dapesque largas*, id est fercula copiosa, hoc est quæcumque alimenta suæ naturæ convenientia, *studio dulci*, id est blanda diligentia et conatu ; *si tamen* ipsa avis *saliens tecto arcto*, id est stricto domicilio suo, *viderit umbras*
B *nemorum gratas*, id est loca silvestria sibi accepta, *proterit pedibus*, id est, calcando contemnit, *escas sparsas*, id est fusas in sua domuncula; *mœsta*, id est, ipsa avis quæ fuit tristis, coarctata in cavea illa, *requirit tantum silvas*, ubi cum labore invenit simplicia necessaria suæ vitæ, magis amans libertatem volando, quam abundantiam in clausura, *susurrat*, id est, modulando canit, *voce dulci silvas*, id est loca arborea. De hoc Cyrillus in suis Proverbiis fabulariter quidem et moraliter
C introducit, quemadmodum vulpes cernens simiam ridiculose vestitam et catenula irretitam, de gloria sui vestitus intumescentem, irrisit eamdem quod non attendit se illo vestitu magis derisam quam vestitam, ac ipsa catena libertate privatam, quam animalia cuncta desiderant.

Sequitur exemplum tertium in vegetalibus. *Virga acta*, id est mota deorsum, *viribus validis*, id est cum magna violentia, *quondam*, id est ante, *flectit cacumen*, id est altitudinem suam, *pronum*,
D id est deorsum ad humum. Verumtamen *si dextera curvans hanc*, id est virgam, flectendo eam deorsum, *remiserit*, id est, suæ naturæ dimiserit eam, cessando a violenta depressione, ipsa virga *spectat cœlum*, id est, mox sursum se elevat, *vertice recto*, id est statura erecta, ut est suæ naturæ.

[Subditur quartum exemplum.] *Phœbus*, id est sol, *cadit*, id est, cadere videtur, *in undas*, id est aquas, *hesperias*, id est occidentales. Sic namque videtur stantibus in ripa maris, prout hoc supra expressum

Cf. p. 47 A', etc. et expositum est frequenter. *Sed vertit,* A id est mutat, *rursus,* id est de mane, *currum ad ortus solitos,* id est ad consuetos « ortus » sursum versus orientem, *tramite secreto,* id est per viam in sua sphæra sub zodiaco nobis occultam, juxta illud Ecclesiastæ : Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur ; ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Hinc juxta philosophos atque astronomos, hoc fieri dicitur sub circulo obliquo, sub quo et omnes planetæ moveri dicuntur.

Eccle. I, 5, 6.

Consequenter, ex his particularibus exemplis generale documentum infertur, B quod scilicet omnia naturaliter redeunt ad id quod eorum naturis conveniens est. *Quæque,* id est entia cuncta, *repetunt,* id est, iterum petunt et renovant, *proprios recursus,* id est operationes et motus sibi connaturales, dum suæ dimittuntur naturæ nec aliunde impediuntur; *singulaque gaudent,* id est, naturalem complacentiam seu convenientiam habent, secundum quod Sapientia dicitur omnia suaviter disponere, *reditu suo,* id est reditione ad conna- C turalia sibi, præsertim dum per violentiam impediuntur ; dum vero a Deo miraculose aliter disponuntur, hoc proprie non est contra sed supra naturam eorum. *Nec ordo traditus,* id est habitudo et lex seu proprietas creaturis a Deo impressa et naturaliter data, *manet ulli,* id est, inviolate perseverat in aliquo ente, *nisi quod ortum,* id est principium suum, *junxerit fini,* id est, pervenerit per suam operationem ad finem propter quem factum est, tendendo in finem illum quantum in D se est, *feceritque orbem sui stabilem,* id est circularem cursum suæ congruentem naturæ, redeundo secundum modum sibi possibilem ad fontem suæ processionis, id est ad causale principium a quo productum est, quemadmodum in Elementatione sua loquitur Proclus : Omne procedens ab aliquo secundum essentiam, ad id convertitur a quo procedit. Et rursus in alio theoremate contestatur : Omne procedens ab aliquo et ad illud conversum, circularem habet operationem. Hinc totus mundus et omnia quæ sunt, ad primam causam convertuntur, naturaliter, aut cognitive, aut intellectualiter. Propter quod asserit Proclus et auctor libri de Causis : Omnia entia procedunt ab una prima causa ; et rursus : Omnis multitudo ab uno procedit, et redit ad illud. Sicque juxta divinum Dionysium, in omnibus est circulatio quædam.

Sap. VIII, 1.

De Di nom. c

Præterea, præinductis concordat quod super illud Danielis, Misit Dominus angelum suum, et conclusit ora leonum, scribit Hieronymus : Non est feritas leonum mutata, nec eorum ablata natura, sed divina virtute repressa, et ora eorum obstructa, ne læderent Dei Prophetam.

Dan. VI

Verum his objici potest, quod scriptum est alibi : Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentium domita est et domantur omnia a natura humana, id est humana arte atque industria, ut Albertus et Nicolaus de Gorra exponunt. Quocirca loquitur Beda : Legimus in Plinio immanissimam aspidem in Ægypto a quodam patrefamilias domitam, quæ de caverna sua quotidie exiens, a mensa illius suam accepit annonam. Legimus item, scribente comite Marcellino, mansuefactam tigridem ab India Anastasio principi missam. Sic et leo beneficii exhibitione domatur. — Ad quæ respondendum videtur, quod animalia multa aliquid habent disciplinabilitatis, ita quod assuefieri possunt paulatim ad aliqua quæ prima facie videntur eorum naturæ contraria : quæ tamen si sibi ipsis dimittantur, ad pristina revertuntur, aut subito, aut paulatim ; atque faciliter provocantur agere quod eorum est naturæ. Sic denique elephantus maxima bestia, arte capitur, domatur et informatur, ut et regem adoret. Sic igitur prædicta omnia concordantur. In supernaturalibus vero et miraculosis operibus, naturalia frequenter divina virtute ac ministerio angelorum a suis naturalibus actionibus suspenduntur : sicut dum martyres sancti neque ab ignibus neque a ferocissimis bestiis lædebantur.

Jacob. I

ARTICULUS VIII

PERTRACTATIO EJUSDEM METRI MYSTICA.

AMPLIUS, juxta allegoricum et tropologicum sensum, per orbem immensum designatur universalis Ecclesia toto orbe diffusa, quam Christus Deus natura naturans, evangelicis legibus regit ; ac diversa genera hominum ex omni tribu, gente et lingua, in unum populum christianum et in unum ovile ac unum gregem redigit, adunat ac servat, ipsosque electos indissolubili caritatis nexu constringit et ordinate gubernat, prout istud jam supra frequenter est mystice explanatum. *Cf.* p. 281 A, etc.

Insuper, per leones intelliguntur uno modo homines superbi et feroces, qui per gratiam Christi et evangelicæ legis jugum mitescunt. Qui si propter sua demerita deserantur a gratia, protinus sæviunt sicut ante, et contra suos superiores insurgunt, quorum increpationes et disciplinam antea verebantur, et juxta quorum dispositionem jejunabant et abstinebant ac reficiebantur : qui ruptis obedientiæ vinculis, omnia secundum voluntatem propriam contumaciter operantur. — Præterea, diversi homines secundum diversitatem vitiorum suorum, diversarum bestiarum nominibus exprimuntur. Unde in Isaia de diversis vitiosis hominibus ad Christum conversis et in ejus ovili cum virtuosis concorditer commorantibus ac desuper reformatis, legitur prophetatum : Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, vitulus et ovis et leo simul morabuntur. *Is.* XI, 6.

Amplius, per garrulam avem intelligi potest persona mundana et vaga quæ conversa clauditur antro : in quo nisi ad Dei timorem et ad spiritualem amorem ac vitiorum horrorem atque ad mundi contemptum se dederit, cito sanctæ religionis rigorem fastidiet, et ipsam sui clausuram detestans, quamvis in claustro sufficienter, imo et abundanter reficiatur, spiritualibus quoque alimoniis, saluberrimis sacramentis salutaribusque doctrinis abundet, de monastici tecti arcto prosiliens, ad loca mundana sibi accepta redibit. De qualibus in secunda sua Canonica beatissimus Petrus : Melius (ait) illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contingit enim illis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota in volutabro luti. II *Petr.* II, 21, 22. *Prov.* XXVI, 11.

At vero per virgam violenter incurvatam ac depressam, intelligitur cor superbum, non vere, sed ficte, ambitiose aut servili timore se foris humilians, juxta illud in Ecclesiastico : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Quod dum sibi ipsi relinquitur, aut honorem præsidentiamve consequitur, insipienter extollitur, et perdit se ipsum, et quantum in ipso est, etiam sibi commissos. De quo in libro Job scriptum est : Vir vanus, in superbiam erigitur ; et tanquam pullum onagri, se liberum natum putat. De cujus perditione rursus apud Job affirmatur : Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, tanquam sterquilinium in fine perdetur, et velut somnium avolans non invenietur. *Eccli.* XIX, 23. *Job* XI, 12. *Ibid.* XX, 6-8.

Præterea, per solem in aquas hesperias corruentem, significatur quicumque vir perfectus, juxta illud Ecclesiastici : Homo sanctus in sapientia manet ut sol. Qui cadit in aquas, dum variis tribulationibus, tentationibus adversitatibusque pulsatur, vexatur, obruitur, sicut dixit Apostolus : Supra modum gravati sumus. Verumtamen *Eccli.* XXVII, 12. II *Cor.* I, 8.

non superatur : imo implet illud Jacobi. Jac. I. 2. Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Imo denuo oritur, et ad alta conscendit, contemplando divina in adversis more sibi solito, sicut in prosperis.

Postremo, quoniam nihil est perfectum, nil ordinatum, nisi principium suum junxerit suo fini, ordinemus nos ipsos et generationem nostram carnalem ac spiritualem seu baptismalem, ad Dei honorem et beatificum finem : ad quem indesinenter tendamus, fervide adspiremus efficaciterque gradiamur.

PROSA III

Vos quoque, o terrena animalia, tenui licet imagine, vestrum tamen principium somniatis, verumque illum beatitudinis finem, licet minime perspicaci, qualicumque tamen cogitatione prospicitis : eoque vos et ad verum bonum naturalis ducit intentio, et ab eodem multiplex error abducit. Considera namque, an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant, ad destinatum finem valeant pervenire. Si enim vel pecunia, vel honores, ceteraque, tale quid afferunt cui nihil bonorum abesse videatur, nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices. Quod si neque id valent efficere quod promittunt, bonisque pluribus carent, nonne liquido falsa in eis beatitudinis species deprehenditur?

Primum igitur te ipsum qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo : Inter illas abundantissimas opes nunquamne animum tuum concepta ex qualibet injuria confudit anxietas? — Atqui, inquam, tam libero me fuisse animo quin aliquid semper angeret, reminisci nequeo. — Nonne quia vel aberat quod abesse non velles, vel aderat quod adesse noluisses? — Ita est, inquam. — Illius igitur præsentiam, hujus absentiam desiderabas. — Confiteor, inquam. — Eget vero, inquit, eo quod quisque desiderat. — Eget, inquam. — Qui vero eget aliquo, num est usquequaque sibi ipse sufficiens? — Minime, inquam. — Tu itaque hanc insufficientiam plenus (inquit) opibus sustinebas? — Quidni? inquam. — Opes igitur nihilo indigentem sufficientemque sibi facere nequeunt : et hoc erat quod promittere videbantur. Atqui hoc quoque maxime considerandum puto, quod nihil habeat suapte natura pecunia, ut his a quibus possidetur invitis nequeat auferri. — Fateor, inquam. — Quidni fateare, quum eam quotidie valentior aliquis eripiat invito? Unde enim forenses querimoniæ, nisi quod vel vi vel fraude a nolentibus pecuniæ repetuntur ereptæ? — Ita est, inquam. — Egebit igitur, inquit, extrinsecus petito præsidio, quo suam pecuniam quisque tueatur. — Quis id, inquam, neget? — Atqui non egeret eo, nisi possideret pecuniam quam posset amittere. — Dubitari, inquam, nequit. — In contrarium igitur relapsa res est : nam quæ sufficientes sibi facere putabantur opes, alieno potius præsidio faciunt indigentes. Quis autem modus est quo pellatur divitiis indigentia? Num enim divites esurire nequeunt? Num sitire non possunt?

Num frigus hibernum pecuniosorum membra non sentiunt? Sed adest, tu inquies, opulentis quo famem satient, quo sitim frigusque depellant. Sed hoc modo consolari quidem divitiis indigentia potest, auferri penitus non potest : nam si hæc hians semper atque aliquid poscens, opibus expletur *, maneat necesse est quæ possit expleri. Taceo quod naturæ minimum, quod avaritiæ nihil satis est. Quare si opes nec submovere indigentiam possunt, et ipsæ suam faciunt, quid est quod eas sufficientiam præstare credatis?

* non expletur

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS TERTIÆ.

Ab hoc loco deinceps in hoc tertio libro prosequitur Philosophia diffusius, quod in nullo quinque præfatorum, hoc est, nec in divitiis, nec in honore, nec in potestate, nec in fama, neque in voluptatibus consistat felicitas. Quod quamvis jam ante evidenter ostensum sit, nihilo minus adhuc plenius demonstrat : siquidem in hoc libro eadem satis sæpe reiterantur, quia ut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur. (Matth. XII, 34.) Philosophia autem ex ferventi compassionis affectu hic consolatur afflictum Boetium, et sub ejus persona unumquemque virum catholicum sapientem multipliciter tribulatum : cui non sufficit ut semel aut bis consolatoria audiat verba, sed ea sibi frequenter sunt inculcanda, quousque invaleant prævaleantque in ipso. Sic in Prophetis, in libro Psalmorum, in libro Job, in libris Sapientialibus, eadem sub aliis verbis aut sub alia forma verborum sæpius repetuntur, non nugatorie, sed utiliter valde. Jam ergo Philosophia iterum probans quod in divitiis nequaquam beatitudo exsistat, ait :

Vos quoque, o terrena animalia, id est, o homines terrenis atque carnalibus magis quam cœlestibus ac divinis intenti : sicut sacratissimus Joannes Baptista deprompsit, Qui de terra est, de terra loquitur. (Joann. III, 31.) Quocontra de electis suis discipulis loquitur Christus : De mundo non sunt, sicut et (Ibid. XVII, 16.) ego non sum de mundo. Sic et in prima sua epistola, de reprobis iniquis sanctus fatur Joannes : Ipsi de mundo sunt; ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. (I Joann. IV, 5.) *Tenui licet imagine, vestrum tamen principium somniatis :* id est, vos « somniatis », hoc est, instar somniantium imperfecte et obscure apprehenditis, summum bonum, quod est « vestrum principium » effectivum et creativum : a quo, juxta Philosophum, omnibus derivatum est esse et vivere. De quo, theoremate undecimo, loquitur Proclus : Omnia entia procedunt ab una prima causa; et theoremate duodecimo : Omnium entium principium et prima causa est bonum. Hinc, ut in Joanne legitur, Christus interrogatus a Judæis, Tu quis es? respondit : Ego sum principium, qui et loquor vobis. (Joann. VIII, 25.) Somniatis ergo principium vestrum « imagine tenui », id est debili mente, in qua consistit Dei imago : quæ etiam Dei imago vocatur.

Prospicitisque, id est intelligitis, *finem illum verum beatitudinis,* id est « verum illum » beatificum « finem », qui est objectaliter ipsemet Deus, formaliter vero beatifica visio ejus, *cogitatione qualicumque,* id est aliquantula, *licet tamen,* id est quamvis, *minime perspicaci,* id est clara et intuitiva. Nempe, ut dictum est, omnibus naturaliter inserta est cognitio exsi- (Cf. p. 297 C.)

stendi Deum : quod per naturalem rationem a diversis diversimode (hoc est magis et minus) cognoscitur, secundum quod unus est alio ingeniosior, seu magis exercitatus in philosophia ; scitur quoque ex fama communi, et a simplicibus per fidem et per Scripturas. Qui autem sunt illuminati dono sapientiæ ac ceteris donis, clarius Deum cognoscunt, etiam contemplatione et gustu interno. Perfecti vero et sancti, in hoc mundo Deum cognoscunt et superbeatissimam Trinitatem, fide illuminata rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentia, atque per mysticam theologiam et ferventissimam caritatem. Hinc ad insinuandum quam generaliter Deus cognoscatur ab omnibus tempore evangelicæ legis, prædictum est a Jeremia : Non docebit ultra vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus. Isaias quoque ait : Repleta est terra scientia Domini.

Jer. XXXI. 34.

Is. XI, 9.

Eoque, id est propter hoc, *vos et ad verum bonum naturalis ducit intentio,* id est, naturalis inclinatio trahit vos ad desiderium summi boni, ac veræ felicitatis, loquendo de ea in generali, *et ab eodem multiplex error abducit,* sicut expositum est prosa proxime præcedenti. Peccata quippe, errores et passiones a summa bonitate ac prima veritate elongant, juxta illud Isaiæ : Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum. Propter quod Deus, qui ubique est præsens, dicitur longe esse ab impiis, non locali distantia, sed dissimilitudine. Unde nono de Civitate Dei loquitur Augustinus : Nulla est alia a Deo longinquitas, nisi ejus dissimilitudo. Ideo recte disseruit sanctissimus Isaias : Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum. Sola namque peccata impediunt nos a gratia et profectu, juxta illud Jeremiæ : Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis.

Cf. p. 297 C et 8.

Is. LIX, 2.

Hebr. IV, 13.

Prov. XV, 29.

Is. XXVII, 9.

Jer. V, 25.

Consequenter Philosophia probat propositum, hortans Boetium, imo et quemlibet hominem, ad considerandum hoc ipsum. *Considera namque, an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant, ad destinatum finem,* id est ad præintentam felicitatem, *valeant pervenire.* Hæc consideratio utilis est et salubris, ad veram spectans prudentiam, ad quam Salomon nos hortatur : Posside sapientiam, posside prudentiam, et custodiet te; arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab ea, quum eam fueris amplexatus; dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.

Prov. 6, 8, 9

Si enim vel pecunia, vel honores, ceteraque, utputa potestas, fama, voluptas, *tale quid afferant**, id est, talem ac tantam perfectionem et sufficientiam præstiterint, *cui nihil bonorum abesse videatur* homini sapienti non devianti ; *nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices,* quum dictum sit, felicitatem esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum. *Quod si neque id valent efficere quod promittunt,* id est, si hæc temporalia nequeunt dare hominibus veram et salubrem sufficientiam contentantem, quæ omne malum pœnæ ac culpæ excludat, *bonisque pluribus carent,* id est, multæ perfectiones, virtutes et bonitates eis desunt, quæ non comprehenduntur in eis, ut sunt spiritualia animæ bona, a quibus magis impediunt, *nonne liquido falsa in eis beatitudinis species deprehenditur?* id est, utique a bene considerante cognoscitur « liquido » seu aperte, quod in illis sit falsa apparentia felicitatis : falsum enim est signum quod prætendit et designat id quod non est. Dicuntur quoque illa terrena felicitatem promittere materialiter : quoniam sunt materia ex cujus consideratione homines insipientes beatitudinem sibi præsumunt invenire in illis.

* affe

Cf. p B.

Primum igitur te ipsum qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo, id est, quæro primo a te ipso qui ante exsilium abundasti divitiis : *Nunquamne anxietas,* id est afflictio doloris aut mœroris, *concepta ex qualibet injuria,* id est quacumque

offensa, *confudit,* id est turbavit, *animum tuum inter opes illas abundantissimas,* id est valde copiosas? Ad quod respondet Boetius : *Atqui, inquam,* id est, pro certo dico, *reminisci nequeo,* id est, non valeo recordari, *me fuisse* tunc *tam libero animo,* id est mente ita tranquilla, *quin semper,* id est omni die aliqua hora, *angerer aliquo**, id est, angustiarer et turbarer aliqua adversitate, cura, formidine, displicentia aut remorsu. Ex hac responsione Philosophia ulterius sciscitatur : *Nonne* (supple, id contigit) *quia vel aberat quod abesse non velles,* id est, quia defuit tibi quod optasses adesse, *vel aderat quod adesse noluisses?* Respondet Boetius : *Ita est, inquam.*

* angeret aliquid

Ex quibus Philosophia concludit : *Illius igitur præsentiam, hujus absentiam desiderabas,* id est, optabas præsentiam boni amati, et cupiebas absentiam seu carentiam mali quod detestabaris. — *Confiteor, inquam,* id est, ego Boetius istud concedo. Ex eadem quippe radice procedit aliquid velle et amare, et ejus oppositum nolle atque odire, ut in libro LXXXIII Quæstionum asserit Augustinus. Imo omnes animæ affectiones ac passiones aliqualiter profluunt ex amore. Nempe ex hoc quod aliquid amo, in ejus præsentia et possessione delector, in ejus amissione contristor; dum illud non habeo, ipsum desidero; si ipsum tanquam possibile æstimo, spero, alioqui inde despero. Et hoc Thomas in prima secundæ magis declarat. Hinc etiam sancti Patres testantur universa peccata ex privato ac improbo sui amore oriri, quo amat se homo in se, et non in Deo.

q. XXIII, a. 4.

— *Eget vero, inquit, eo quod quisque desiderat :* id est, Philosophia inquit, Unusquisque indiget re illa quam acquirere optat. — *Eget, inquam,* id est, ego Boetius concedo, quod eget re illa. Ad quod Philosophia subjungit : *Qui vero eget aliquo, num est usquequaque,* id est omni modo, *sibi ipse sufficiens?* — *Minime, inquam* ego Boetius, id est, nequaquam sibi in se exstat sufficiens. — *Tu itaque,* o Boeti, *inquit* Philosophia, *sustinebas hanc insufficientiam,* id est paupertatem et indigentiam istam, quando adhuc eras *plenus opibus,* id est abundans terrenis divitiis? — *Quidni? inquam :* id est, ego Boetius dico, Quid aliud quam hoc consequens est?

A

Ex quibus Philosophia infert conclusionem principalem intentam. *Opes igitur nihilo indigentem sufficientemque sibi facere nequeunt,* id est, ex hoc sequitur, quod divitiæ non valent hominem facere nulla re indigentem, neque sibi in se sufficientem. *Et hoc erat quod promittere videbantur,* id est, divitiæ videbantur promittere homini, et ipsum assecurare de hoc, quod eas habendo, aliis rebus non indigeret.

B

Subjungit Philosophia : *Atqui,* id est pro certo, *hoc quoque maxime considerandum puto* (et tangitur hic ratio secunda ad idem : quoniam id sufficientiam nequit præstare, quod auferri valet suo possessori, ipso invito; et talis est pecunia : quæ ratio tacta est sæpe), *quod nihil habeat suapte natura pecunia,* id est, « quod pecunia nihil habeat » ex propria sua « natura », *ut his a quibus possidetur invitis nequeat auferri :* est enim quid pure corporale, ideo potest violenter auferri. — *Fateor, inquam* ego Boetius. Ad quod Philosophia : *Quidni fateare,* id est, quid aliud ageres in hoc, nisi quod hoc verum esse concederes, quod patet ad oculum, sicut subjungitur, *quum eam quotidie valentior aliquis eripiat invito,* ut patet in spoliatore? *Unde enim forenses querimoniæ,* id est querelæ et impetitiones quæ fiunt in foro judiciali contentioso, *nisi quod vel vi vel fraude a nolentibus pecuniæ repetuntur ereptæ,* id est, « nisi » ex hoc « quod pecuniæ ereptæ », id est ablatæ seu detentæ, vel violentia vel dolo, a non volentibus, requiruntur? — *Ita est, inquam* ego Boetius. Et Philosophia : *Egebit igitur, inquit, extrinsecus petito præsidio, quo suam pecuniam quis-*

C

Cf. p. 226 B, 230 D'.

D

quo tueatur, id est, quilibet possessor A pecuniæ indigebit « præsidio petito extrinsecus », id est auxilio aliunde postulato, quo defendat suam pecuniam : nam et reges per suos ministros et alia munimenta custodiunt suos thesauros. — *Quis id, inquam, neget?* id est, ego Boetius dico, quod nemo possit rationabiliter hoc negare. Ad quod subdit Philosophia : *Atqui,* id est certe, *non egeret eo* tali auxilio, *nisi possideret pecuniam,* id est opulentiam, *quam posset amittere.* — *Dubitari, inquam* ego Boetius, *nequit.*

Ex quibus Philosophia concludit : *In contrarium igitur res relapsa est :* id est, pecunia induxit et fecit oppositum ei quod facere promittebat. *Nam quæ sufficientes sibi facere putabantur opes,* id est, facultates seu pecuniæ, de quibus putavit possessor earum quod facerent eum sibi ipsi sufficientem, *alieno potius præsidio faciunt indigentes* eos a quibus possidentur.

Deinde tertia ratio ad idem subjungitur. *Quis autem modus est quo pellatur divitiis indigentia?* id est, non potest modus aliquis rationabiliter assignari, quo indigentia totaliter per divitias expellatur. *Num enim divites esurire nequeunt?* id est, numquid opulenti non possunt esurire? *Num sitire non possunt?* Quasi dicat : Utique ipsi possunt esurire atque sitire, sicut et pauperes. *Num frigus hibernum pecuniosorum membra non sentiunt?* id est, imo utique corpora divitum affliguntur frigore hiemali : quod vocatur hibernum, ab Hibernia, quæ est regio frigida valde.

Deinceps Philosophia solvit instantiam quam contra hoc facere posset Boetius. *Sed adest, tu inquies,* id est, tu forsitan dices, « Adest » *opulentis quo famem satient, quo sitim frigusque depellant,* id est, divites habent facultates et opes per quas evadant indigentias istas, quoniam habent in promptu vestes et alimenta. Ad quod Philosophia respondet : *Sed hoc modo consolari quidem divitiis indigentia potest,* id est, inopia seu defectus sive afflictio potest taliter per divitias refoveri, relevari, atque ad tempus expelli, *auferri penitus non potest* quin redeat tempore suo et casu multiplici. *Nam si hæc semper hians atque aliquid poscens, opibus expletur**, id est, « si » indigentia ista « semper » optans et parata recipere id quo eget, « atque aliquid poscens », id est, ad postulandum inducens, satiatur, *maneat necesse est quæ possit expleri,* id est, ob hoc oportet ut adhuc remaneat in potentia

* non expletur

B indigentia aliqua quæ valeat satiari : quotidie enim renovantur defectus isti. *Taceo quod naturæ minimum, quod avaritiæ nihil satis est :* hoc est, « Taceo », id est, non nisi breviter exprimo, « quod naturæ satis est », id est sufficit, « minimum », id est valde modicum (quemadmodum alibi dictum est, Natura paucis minimisque contenta est); « avaritiæ » vero « nihil » satis : quia ut Salomon loquitur, Avarus non implebitur pecunia.

Cf. p. 231 A'.

Eccle. v, 9.

Ex his infertur : *Quare,* id est propter C quod, *si* (pro quia) *opes nec possunt submovere,* id est penitus tollere, *indigentiam,* sicut probatum est : imo ut Seneca protestatur, Multo ditior minusque indigens ac sufficientior sibi est, qui permodica habens, contentatur eisdem, quam qui plurima habens, cupit et alia. Paupertas vero spontanea, est opulentia maxima, cui promittitur regnum cœlorum : qua electi Dei ditantur, sicut dixit Apostolus, Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Talis fuit san- D ctus atque doctissimus ille Pierius, Christi sacerdos, apud Alexandriam olim degens, rebus pauperrimus, vita et mente mundissimus, doctor Ecclesiæ incomparabilis, atque ad christianæ sapientiæ philosophiam expeditissimus. *Et ipsæ suam faciunt,* id est, « ipsæ » opes « faciunt », id est, adducunt et causant, indigentiam « suam » : quia dives indiget aliorum auxilio, quo suas tueatur divitias, ne auferantur sibi invito. Hinc teste B. Gregorio, sicut hydropicus potando, sibi sitim

Matth. v, 3.

II *Cor.* VIII, 2.

multiplicat; ita avarus congregando sibi pecunias, cupiditatem suam magis accendit : quæ quo magis accenditur, tanto plus a caritate facit distare. *Quid est quod eas sufficientiam præstare credatis?* id est, A irrationabilis est illa credulitas qua putatis quod divitiæ sufficientiam præstent, quum nihil conferat quod non habet. Verumtamen quotidianas indigentias quasdam ad tempus repellunt.

METRUM III

Quamvis fluente dives auri gurgite
  Non expleturas cogat avarus opes,
Oneretque baccis colla Rubri littoris,
  Ruraque centeno scindat opima bove;
Nec cura mordax deserit superstitem,
  Defunctumque leves non comitantur opes.

ARTICULUS X

DECLARATIO METRI HUJUS TERTII.

HIC Philosophia metrice pandit quod prosaice jam deprompsit, videlicet, in divitiis non sufficientiam, sed inquietudinem, curam, timorem, fallaciam esse. Est itaque sensus :

Quamvis dives avarus cogat, id est, simul agat seu congreget, *opes non expleturas,* id est non satisfacturas cupidinem ejus : et hoc dico *gurgite auri fluente,* id est, dato quod profunditas maris assidue ejiceret aurum, sicut ebullit et ejicit aquam; et quamvis *oneret colla,* id est humeros, *baccis,* id est gemmis, *littoris Rubri,* quia in illis littoribus magis inveniuntur; et quamvis *scindat,* id est aret, *rura opima,* id est agros pingues, *bove centeno,* id est centum bobus : attamen *nec cura mordax,* id est sollicitudo mentem corrodens ac pungens, *deserit superstitem,* id est, non recedit ab avaro vivente, nisi forsitan Deo præveniente ac inspirante vere pœniteat; et *opes leves,* B id est terrenæ, celeriter transeuntes, ac modicæ dignitatis parvique valoris, *non comitantur defunctum :* juxta illud in Psalmo, Relinquent alienis divitias suas; *Ps.* XLVIII, 11.
et, Homo quum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Ibid.* 18.
Verum ut in Apocalypsi habetur, Opera illorum sequuntur illos. Unde et Job ait : *Apoc.* XIV, 13.
Dives quum dormierit, nihil secum auferet; apprehendet eum quasi aqua inopia. *Job* XXVII, 19. 20.
Hoc est quod in Psalmo cantamus : Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Ps.* LXXV, 6.
C Imo de earum abusu ratio requiretur districta. Propter quod in libro Job perhibetur : Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. *Job* XX, 15.

Denique his concordat quod sanctus ait Bernardus super psalmum Qui habitat : Cupiditas radix iniquitatis, ex cordis inedia et oblivione procedit, quod idcirco terrenis inhiat, quia oblitum est comedere *I Tim.* VI, 10. *Ps.* CI, 5.

panem suum, panem lacrimarum et com- A punctionis, et minime meditatur cœlestia. Infelicitas in cupiditate, quia non felicitas, ut putatur. Quid enim? Si forte alicui in terrenarum rerum affluentia videatur concupita felicitas arridere, eo ipso infelicior est, quo magis illam amplectitur : divitiarum insatiabilis amor longe amplius desiderio suo animam torquet, quam eam suo refrigeret usu. Hinc demum in Proverbiis suis ait Cyrillus : Totum officium opulentiæ mundialis, in tribus assiduis vitiis et in uno continuo tormento consistit, B videlicet, in insatiabili cupiditate, in inquieta rapacitate, in illiberalitate continua, et in timiditate perpetua. O infelicissimæ mundiales divitiæ, omni studio detestandæ, quarum dilectio cupiditas, acquisitio rapacitas, possessio illiberalitas, et conservatio timiditas est! Quid cupiditate scelestius, quid rapacitate iniquius, et illiberalitate deformius, atque timiditate molestius?

Hinc igitur aspernemur terrena ; et quo corpore nobilior est anima, tanto ardentius satagamus animam locupletare virtutibus, quam exteriorem hominem rebus caducis.

PROSA IV

SED dignitates honorabilem reverendumque, cui provenerint, reddunt. Num vis ea est magistratibus ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent. Quo fit ut indignemur eas sæpe nequissimis hominibus contigisse. Unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam tamen appellat. Videsne quantum malis dedecus adjiciant dignitates? Atqui minus eorum patebit indignitas, si nullis honoribus inclarescant. Tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti ut cum Decorato gerere magistratum putares, quum in eo mentem nequissimi scurræ delatorisque respiceres? Non enim possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos. At si quem sapientia præditum videres, num posses eum vel reverentia, vel ea qua præditus est sapientia, non dignum putare? Minime. Inest enim dignitas propria virtuti, quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta transfundit : quod quia populares facere nequeunt honores, liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud est animadvertendum magis : nam si eo abjectior est quo magis a pluribus quisque contemnitur, quum reverendos facere nequeat quos pluribus ostentat, despectiores potius improbos dignitas facit. Verum non impune : reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant. Atqui* ut agnoscas veram illam reverentiam per has umbratiles dignitates non posse contingere, sic collige. Si quis multiplici consulatu functus, in barbaras nationes forte devenerit, venerandumne Barbaris honor faciet? Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo, quoquo gentium, nullo modo cessarent : sicut ignis ubique terrarum, nunquam tamen calere desistit. Sed quoniam id eis non propria vis, sed hominum

* Atque

fallax annectit opinio, vanescunt illico quum ad eos venerint qui dignitates eas esse non æstimant. Sed hoc apud exteras nationes. Inter eos vero apud quos ortæ sunt, non* perpetuo perdurant. Atqui præfectura*, magna olim potestas, nunc inane nomen est, et senatorii census gravis sarcina. Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur : nunc ea præfectura quid abjectius ? Ut enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii decoris, opinione utentium nunc splendorem accipit, nunc amittit.

* num
* prætura

Si igitur reverendos facere nequeunt dignitates, si ultro improborum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere desinunt, si gentium æstimatione vilescunt, quid est quod in se expetendæ pulchritudinis habeant, nedum aliis præstent ?

ARTICULUS XI

EXPOSITIO HUJUS PROSÆ QUARTÆ.

PRÆCEDENTI prosa Philosophia ostendit, quod felicitas in divitiis non consistat ; hic probat, quod nec in dignitatibus, potestatibus, neque honoribus.

Sed dignitates honorabilem reverendumque, cui provenerint, reddunt : id est, quamvis in divitiis non consistat felicitas, forsitan tamen dices et opinaberis, quod prælaturæ et « dignitates » seu præsidentiæ reddant hominem cui inhæserint « honorabilem », quantum ad exteriorem honoris exhibitionem, et « reverendum », id est reverentia dignum, quantum ad mentis judicium et affectum. Istud, secundum quosdam, negative atque ironice dicitur, quasi dicat : Dignitates istud non faciunt in veritate, quamvis aliqui ita existiment. Huic expositioni videtur consonare quod subditur. *Num vis ea est magistratibus ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant?* id est, numquid dignitates et officia sortita sunt hanc vim ut habeant gratiam et virtutes sibi annexas, et eas secum inducant, ita quod cordibus officiatorum ac præsidentium ingerant eas, ac vitia ipsa abstergant ? quasi dicat, Non. Dignitates enim, prælaturæ atque officia, sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis ac malis, electis ac reprobis sunt communia, ut concorditer scribunt doctores super secundum et tertium Sententiarum, specialiter quoque Thomas in prima secundæ. Nam et Judas proditor fuit apostolus, Balaamque propheta. Hinc subdit :

A

Luc. vi, 16.
Num. xxii-xxiv.

Atqui, id est certe, *non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent,* id est, dignitates et præsidentiæ non solent vitia exstirpare, sed colorare, imo quodammodo dignificare, dum homo vitiosus ob suam præsidentiam honoratur. Unde in Pastorali sanctus ait Gregorius : Culpa in imitatione vehementer extenditur, dum iniquus qui præest, pro gradus sui eminentia in veneratione habetur. *Quo fit,* id est, ex qua re contingit, *ut indignemur eas sæpe nequissimis hominibus contigisse,* id est, indigne et ægre feramus quod dignitates istæ frequenter conceduntur hominibus vitiosis prorsus indignis. Et hæc indignatio potest esse bona, et ex caritate ac zelo justitiæ provenire, in quantum illi indigni sunt, et quia id cedit ad Dei inhonorationem, et plurimorum scandalum ac com-

B

C

munitatis jacturam, quum in Ecclesiastico A scriptum sit : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Propter quod ait Gregorius : Dum rector per vitiorum abrupta graditur, grex hunc sequens, in perditionis profundum præcipitatur. *Eccli.* x, 2.

Unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam tamen appellat : id est, ex hac causa ipse « Catullus », poeta Veronensis, nominavit virum iniquum nomine « Nonium, strumam », id est gibbum B seu vile superfluum, quamvis Nonius ille sederet « in curuli », id est in sede sublimi, quia senator fuit aut consul. *Videsne,* id est, nonne consideras, *quantum malis dedecus adjiciant dignitates,* id est, quam magnam confusionem dignitates superaddant iniquis qui præsunt? Quorum peccata vehementer gravantur ex altitudine officiorum : quia quo gradus est altior, eo ruina est major, ut ait Hieronymus ; atque ut asserit Gratianus, Graviora facit delicta dignitas delinquentis. Quemadmodum ri- C diculum esset, si omnino indoctus poneret se in cathedra ad docendum ; sic præsumptuosum, deforme ac stultum est, quod homo iniquus ponit se in solio judiciali ad judicandum, quum et teste Philosopho, judex debeat esse quasi viva lex et animata justitia. Quumque rex et princeps illitteratus, sit quasi asinus coronatus, quanto magis prælatus indoctus nec virtuosus? *Atqui minus eorum patebit indignitas, si nullis honoribus inclarescant,* id est, nullis officiis ac dignitatibus sublimentur : D quia sic minus vitiosi consisterent. *Tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti* (id est, nunquam « tu », Boeti, « potuisti tot periculis » adversitatibusque circumdari aut involvi) *ut cum Decorato gerere magistratum putares,* id est, ut dignum duceres « gerere », id est exercere, « magistratum », id est consulis et senatoris officium, « cum Decorato », id est consule impio sic vocato, *quum in eo mentem nequissimi scurræ delatorisque respiceres,* id est, quum per certa indicia, verba et opera, attenderes quod esset nequissimus, instar « scurræ » seu mimi, et accusatoris mendosi? Credibile est, quod duo isti iniqui fuerunt a Theodorico tyranno promoti : quorum nequitias atque consortia abhorrebat Boetius.

Non enim possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos, id est, propter dignitates et officia non valemus iniquos præsidentes reputare « reverentia dignos » et venerandos, quos propter eorum facinora arbitramur « indignos ipsis » suis officiis.

At si quem sapientia præditum videres, id est, si conspiceres « quem », id est aliquem, « præditum », id est ornatum, « sapientia », *num,* id est numquid, *posses eum vel reverentia, vel ea qua præditus est sapientia, non dignum putare?* id est, non posses rationabiliter judicare illum esse indignum « reverentia », quæ ei debetur ratione sapientiæ suæ, juxta illud Ecclesiastici : In duobus contristatum est *Eccli.* xxv cor meum : vir bellator deficiens per ino- 25, 26. piam, et vir sensatus contemptus. In quibus verbis innuitur, quod sicut viro bellatori, qui scilicet pugnat pro defensione patriæ (juxta illud Catonis, Pugna pro patria), seu pro æquitate aut bono communi, debetur sustentatio competens, et necessariorum provisio, sic sapienti reverentia. Unde et in libro Proverbiorum legitur : Pretiosi spiritus vir eruditus. Aut esse *Prov.* xvii indignum « sapientia » ipsa quam habet : 27. quoniam sapientia, quemadmodum et gratia et virtutes, dignificat formaliter suum subjectum ipso spirituali habitu seu actu quo perficitur, et formaliter loquendo de subjecto, ut est tale.

Minime, id est, nequaquam id dicere posses. *Inest enim dignitas propria virtuti,* id est, ex propria atque intrinseca ratione convenit virtutibus « dignitas », hoc est bonitas vitii expulsiva, gratifica, meritoria, ad beatitudinem introductiva : quod virtutibus infusis donisque Spiritus

Sancti præcipue competit. *Quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta transfundit,* id est, « quam » dignitatem virtus confestim « transfundit » in homines quibus inest. Nam sicut albedo formaliter dealbat suum subjectum, ita quod non inest non albo ; ita sapientia et virtutes sua dignificant bonificantque subjecta, sic quod non insunt neque inhærent nisi bonis et dignis hominibus, loquendo de vera et salubri sapientia, quæ vitiosis non inest, quum nec prudentia insit nisi virtuosis, secundum Philosophum. Unde dictum est a Sapiente : In malevolam animam non introibit sapientia. *Quod quia populares facere nequeunt honores,* id est dignitates et potestates sæculares, nec etiam gratiæ gratis datæ, neque virtutes informes, quæ omnia stare possunt atque haberi cum peccato mortali, *liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere,* id est, constat quod hujusmodi potestates, dona, virtutes, et gratiæ gratis datæ, non gratum facientes, careant decore bonitatis expellentis peccatum, quæ est bonitas virtutis formatæ.

Sap. I, 4.

Consequenter Philosophia id probat, quoniam dignitates reddunt sua subjecta indigna potius despectiora ac viliora. *In quo,* id est in qua materia, *illud est animadvertendum magis : nam si* (pro quia) *eo abjectior est quo magis a pluribus quisque contemnitur,* id est, quoniam unusquisque est tanto « abjectior », saltem in cordibus cognoscentium ipsum, « quo magis a pluribus » juste despicitur, *dignitas facit potius improbos,* id est, ipsa « dignitas », officium seu honor popularis, « facit » homines pravos magis « improbos », id est detestabiliores, *quum nequeat eos facere reverendos quos ostentat,* id est, assidue ostendit, *despectiores,* id est viliores, *pluribus,* utputa his qui non habent hujusmodi dignitates, et tamen sunt boni, vel non ita mali sicut si essent in dignitatibus constituti. *Verum non impune,* id est, non sine talionis ultione hoc fit, quod scilicet dignitas sic vitiat hominem pravum. *Reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant :* id est, improbi faciunt dignitatibus sicut dignitates faciunt improbis ; nam sicut dignitates dehonorant et maculant improbos, ita econtra improbi reddunt ipsas dignitates minus venerandas, et suo modo spernendas. Verumtamen istud fit diversimode. Dignitates enim non sunt subjecta culparum, neque in se viles sunt, nec directe maculant improbos, quum sint quædam positiva bona ac Dei dona ac simplices formæ ; subjecta vero dignitatum sunt vitiorum subjecta, et propria abusione, negligentia, perversitate fœdantur ac rei redduntur : cujus eventus occasiones sunt dignitates, quæ et ratione vilitatis sui subjecti, dicuntur vilescere atque fœdari minusque honorari.

Deinde tangitur ad idem probatio alia. *Atqui,* id est certe, *ut agnoscas veram illam reverentiam per has umbratiles dignitates non posse contingere, sic collige,* id est, ut certo cognoscas « veram reverentiam » quæ debetur virtutibus, non posse alicui provenire per dignitates transitorias et obscuras, quæ sunt potius umbræ cœlestium dignitatum quam veritates, adverte quod subditur.

Si quis multiplici consulatu functus, id est frequenter consul et officiatus effectus, quemadmodum Sylla et Marius, qui tamen pessimi erant, ut Orosius refert, *in barbaras nationes forte devenerit* (Barbari autem vocantur omnes præter Hebræos, Græcos et Latinos), *venerandumne Barbaris honor faciet?* id est, an « honor », utputa dignitas, « faciet » illum a Barbaris honorari ? quasi dicat, Non. *Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret,* id est, « si hoc munus », videlicet facere aliquid venerabile, esset « naturale dignitatibus », *ab officio suo, quoquo gentium, nullo modo cessarent,* id est, dignitates nullatenus desisterent « quoquo gentium », id est quocumque loco habitationis hominum, « ab officio suo », id est ab hoc suo effectu ; *sicut ignis ubique terrarum,* id est,

in quocumque fuerit loco, *nunquam tamen calere desistit*, id est, nunquam desinit in se calidus esse, seu calefacere, si habuerit calefactibile sibi approximatum : quod enim est alicui proprie naturale, est ab ipso inseparabile. *Sed quoniam id eis non propria vis, sed hominum fallax annectit opinio,* id est, quia facere aliquid esse honorabile, « non annectit », id est, non confert, « eis » dignitatibus « propria vis », id est naturalis proprietas, « sed opinio hominum fallax », qui exteriora magis quam intrinseca pensant ; ipsæ dignitates *vanescunt illico,* id est, mox spernuntur, *quum ad eos venerint qui dignitates eas esse non æstimant,* puta ad Barbaros, aut alios qui ignorant aut non putant eas esse dignitates. Ideo subditur : *Sed hoc apud exteras nationes,* id est, ab alienis gentibus non reputantur aut non cognoscuntur dignitates territorii hujus. Imo nec jugiter durant in eadem urbe aut patria. Unde subjungitur :

Inter eos vero apud quos ortæ sunt, id est, inter quos primo institutæ sunt dignitates, *non perpetuo perdurant :* quod patet in particulari.

Atqui, id est pro certo, *præfectura, magna olim potestas,* id est, ipsa præfectura fuit quondam magna dignitas apud Romanos. Propter quod Symphronius præfectus, pater adolescentis qui S. Agnetem petiit sibi dari in conjugem, dixit se agere in fascibus præfecturæ, et ideo sibi non posse præferri etiam nobilissimum virum, ut narrat Ambrosius. *Nunc inane est nomen:* id est, dignitas illa Romæ cessavit, saltem Boetii tempore ; et sic « nomen » præfecturæ fuit « inane », id est sine effectu et re significata : sicut nunc dicitur patriarcha Alexandrinus, prout in nomine illo designatur relatio. *Et senatorii census gravis sarcina,* hoc est, « sarcina census senatorii » est nunc « gravis », intelligendo per sarcinam onus illius officii : cui olim census et pensio annuatim dabatur, sicque fuit tunc officium honoratum ; postmodum vero factum est « sarcina gra-

A vis » et periculosa, quoniam senatores apud imperatores et reges frequenter accusabantur, et varia sustinebant dispendia occasione officii.

Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur : id est, officium annonatus fuit olim apud Romanos dignitas grandis. Romani quippe monarchiam tenentes, miserunt annuatim quosdam viros ad regiones sibi subjectas, ad recipiendum frumentum ab illis pro tributo : quod frumentum vocabatur annona ; et B qui præfuit viris id exsequentibus, fuit tunc eximiæ dignitatis. *Nunc ea præfectura,* id est illo officio, *quid abjectius* est ? Quia tempore Boetii quasi nullius fuit momenti. Porro præfectura aliquando proprie sumitur pro speciali officio, sicut et paulo ante ; sed in hac clausula capitur extense pro dignitate communiter, et per « ea » contrahitur ad annonatum.

Ut enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii decoris, id est, quod ex C sua natura et propria ratione non habet decus et dignitatem (sicque « decoris » est hic media correpta : tamen potest legi media producta, quia jam dictum est, quod dignitas non habet propriam pulchritudinem), solum *opinione utentium nunc splendorem accipit, nunc amittit,* id est, interdum honoratur, interdum contemnitur, ex varia « opinione » seu æstimatione « utentium » ipso nomine dignitatis, qui dum reputant eam, impendunt ei honorem, alias eam despiciunt. Alii exponunt : D « opinione utentium » ipsa dignitate. Quod non videtur idoneum, quoniam juxta illorum opinionem non impenditur honor dignitati, sed juxta aliorum opinionem : quia nec honor est in honorato, sed in honorante ; jam quoque præhabitum est, quod fallax opinio hominum adjecit reverentiam dignitati.

Postremo epilogando Philosophia concludit : *Si igitur reverendos facere nequeunt dignitates,* id est, « si » (pro quia) « dignitates nequeunt » homines « facere

reverendos », sicut expositum est, *si ultro improborum contagione sordescunt,* id est, quum ultra hoc « sordescunt », id est vilipenduntur, « contagione improborum », id est ex vitiis habentium eas, *si mutatione temporum splendere incipiunt*,* id est, ex variatione eorum quæ fiunt in tempore, « incipiunt » reputari et esse ponderis alicujus, *si gentium æstimatione vilescunt,* quia a Barbaris contemnuntur, *quid est quod in se expetendæ pulchritudinis habeant* (id est, parum aut nihil pulchritudinis veræ veraciterque optandæ includunt), *nedum aliis præstent?* id est, nec aliis multum possunt conferre, quum nihil agat ultra proprium gradum.

* *desinunt*

ARTICULUS XII

DIFFICULTATUM HUJUS QUARTÆ PROSÆ PROPOSITIO AC DILUCIDA ABSOLUTIO.

JOANNES. — Circa hæc oritur mihi quæstio prima hæc : Videtur mihi Philosophia in tota hac prosa prætendere non modo quod dignitas inexsistens iniquis, non eos faciat reverendos, et quod ex dignitatibus suis non fiant digniores, sed viliores et magis despecti, imo et despectiores. Ex quibus sequi videtur, quod talibus non esset obediendum tanquam superioribus atque majoribus. Rursus, asserere quod dignitas non facit dignum, tale est ac si dicatur, quod sapientia non faciat sapientem, neque albedo album. Nonne accidens denominat subjectum suum? Et si dignitas non faciat homines reverendos, cur David in tantum venerabatur Saulem regem iniquum?

[I] *Reg.* XXIV, [7] et seq.

DIONYSIUS. — Bona et utilis est quæstio et argumentatio ista; et tangit Scripturam, quum gloriosus Archiapostolus in sua prima dicat epistola : Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Insuper hæreticum esset pertinaciter affirmare, quod vitiosi prælati aut principes ratione suæ iniquitatis suas amitterent jurisdictiones, potestates, auctoritates aut dignitates, per quas et propter quas sunt honorandi tanquam vicarii Dei. Ad quod insinuandum scribit Apostolus ad Romanos : Reddite omnibus debita; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Prima quoque ad Timotheum : Qui (ait) sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Quod etiam de infidelibus et vitiosis dominis intellexit, ut Haymo et ceteri expositores concorditer protestantur. Unde ad Ephesios docet, etiam sæculari potestati ac dignitati sic esse obediendum : Servi (inquiens), obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Hinc B. Bernardus loquitur in quodam sermone : Non sufficit ut prælatis nostris ad oculum obtemperemus, nisi cum promptitudine et reverentia cordis id faciamus. Quod si alicujus prælati conversatio tam reprehensibilis videatur ut dissimulari non posset, propter eum tamen a quo est omnis prælatio et potestas, est honorandus.

I *Petr.* II, [1]8. — *Rom.* XIII, 7. — I *Tim.* VI, 1. — *Ephes.* VI, 5.

JOANNES. — Per hæc dubitationem meam auxisti, non solvisti, quia Philosophia videtur hic apertissime oppositum confirmare.

DIONYSIUS. — Duplex est dignitas, majoritas seu potestas : una prælationis, seu præsidentiæ; alia conversationis et virtutum, seu meriti vitæ. Prima spectat ad dona gratiæ gratis datæ, ad quam pertinent gradus dignitatum et officiorum ac principatuum ecclesiasticorum, ut super Angelicam hierarchiam Hugo de S. Victore

exponit. Secunda ad dona gratiæ gratum A facientis noscitur pertinere. Dum ergo Philosophia testatur impios in dignitatibus positos, ex ipsis dignitatibus non esse majores, nec reverendos, nec digniores, sed viliores : vult dicere, quod ex dignitatibus illis non debetur nec convenit eis dignitas, veneratio, majoritas pertinens ad dona gratiæ gratum facientis, quæ debetur homini ratione virtutum ac merito fidei ; non autem intendit negare quin ipsis conveniat dignitas administrationis et prælaturæ, ob quam etiam B venerandi sunt et obedientia digni, in quantum sunt Dei vicarii. Porro, secundum modum loquendi doctorum pro nunc, majoritas et dignitas in populo christiano, absolute loquendo, attenditur penes dona gratiæ gratis datæ, videlicet penes gradus prælationum, præsidentiarum, officiorum ac principatuum ecclesiasticorum ; bonitas autem, penes perfectionem caritatis et gradus virtutum. Hinc malus prælatus ac princeps, major ac dignior est subdito virtuoso, non melior : imo subditus vir- C tuosus est melior illo, secundum glossam Decreti. Idcirco Durandus in Summa sua, libro secundo : Majoritas (ait) in tribus attenditur, utputa, in prærogativa ordinis, in prærogativa consecrationis, et in prærogativa dispensationis. Idem loquitur Raimundus, Joannes in Summa confessorum, et Bartholomæus in Summa Pisana ; adduntque quartam prærogativam, videlicet temporis.

Joannes. — Bona, clara utilisque solutio, qua multa concordantur quæ prima fronte videntur contraria. Sed secundo oritur dubitatio mihi de eo quod dictum est, neminem esse indignum sapientia et *Cf.* p. B'.
virtutibus, quibus ex propria natura convenit dignitas, id est bonitas expulsiva iniquitatis. Nonne omnes indigni sumus tot et tantis donis ac beneficiis Dei, quum et sanctus Jacob patriarcha in Genesi fateatur : Domine, minor sum omnibus mi- *Gen.* xx 10.
serationibus tuis ?

Dionysius. — De homine talia dona habente possumus loqui dupliciter. Primo, secundum se, nude seu materialiter : et ita indignus est eis. Sicque devoti et sancti frequenter testantur, se esse indignos gratia devotionis ac divinæ miserationis, quæ eis ubertim et benignissima Spiritus Sancti præventione confertur. Secundo, formaliter, prout sunt talibus donis formati : sicque eis sunt digni, quoniam dona illa dignitatem eis intrinsecam et dignificationem qua subjectum efficiunt dignum, inseparabiliter ferunt secum. Sicque Alexander, Thomas, Bonaventura, Petrus, Richardus de Mediavilla, et alii, super secundum et tertium Sen- *Cf.* t. X
tentiarum affirmant, quod dona gratiæ p. 318 C
gratum facientis non conferuntur nec insunt indignis.

METRUM IV

Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, et niveis lapillis,
Invisus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero sævientis.
Sed quondam dabat improbus verendis
Patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos,
Quos miseri tribuunt honores ?

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO METRI HUJUS QUARTI.

IN hoc metro declarat Philosophia, metrica melodia, quod prosaice in prosa probavit præhabita. Estque ordo verborum :

Quamvis Nero imperator *luxuriæ sævientis,* id est indomitæ, qua quasi nulli pepercit, *superbus se comeret,* id est, ornaret se, *ostro Tyrio,* id est purpurea veste (nam purpura tingitur in sanguine ostri, id est piscis sic nominati, qui in mari juxta Tyrum abundat : hinc purpura alio nomine vocatur ostrum), *et lapillis niveis,* id est gemmis candidissimis instar nivis; *tamen omnibus invisus,* id est odiosus, *vigebat,* id est, in potestate vivebat : non quod boni invidebant ei aut oderant eum ut hominem, sed in quantum tam vitiosum ac pessimum. Sic enim et ipsi
Sap. XIV, 9. Deo odio sunt impius et impietas ejus. Et hoc est odium virtuosum, quo oditur culpa, et amatur persona : de quo ait Psalmista, Perfecto odio oderam illos. Ps. CXXXVIII, 22. *Sed improbus,* id est pessimus ille Nero, *dabat quondam patribus verendis,* id est senatoribus, *curules indecores,* id est sedes et dignitates senatorum et consulum « indecores », id est inhonestas per abusum tanti tyranni, sicut in prosa proxime præcedenti expositum est.

Igitur quis putet (id est, nemo rationabiliter putare judicareve potest) *illos honores* esse *beatos,* id est illas dignitates esse felices in se aut beatificantes, *quos miseri,* id est infelices et pessimi, *tribuunt?* In quibus verbis tangitur duplex ratio cur in dignitatibus non consistit felicitas : prima est, quia impii et miseri, in quibus est miseria pœnæ et culpæ, habent eas; secunda, quoniam tribuunt eas aliis, nec tamen beatificant illos.

PROSA V

AN vero regna regumque familiaritas efficere potentem valent? Quidni, quando eorum felicitas perpetuo perdurat? Atqui plena est exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas, qui reges felicitatem calamitate mutaverint. O præclara potentia, quæ ne ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur! Quod si hæc regnorum potestas, beatitudinis auctor est, nonne si qua parte defuerit, felicitatem minuat, miseriam importet? Sed quamvis late humana tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui, quibus regum quisque non imperet. Qua vero parte beatos faciens desinit potestas, hac impotentia subintrat, quæ miseros facit : hoc igitur modo majorem regibus inesse necesse est miseriæ portionem. Expertus sortis suæ periculorum tyrannus, regni metus pendentis supra verticem gladii terrore simulavit. Quæ est igitur hæc potestas, quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? Atqui vellent ipsi vixisse securi, sed nequeunt : dehinc de potestate gloriantur. An tu potentem censes, quem

videas velle quod non possit efficere? Potentem censes, qui satellite latus ambit, qui quos terret, ipse plus metuit, qui ut potens esse videatur, in servientium manu situs est? Nam quid ego de regum familiaribus disseram, quum regna ipsa tantæ imbecillitatis plena demonstrem? Quos quidem regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem lapsa prosternit. Nero Senecam familiarem præceptoremque suum, ad eligendæ mortis coegit arbitrium. Papinianum diu inter aulicos potentem, militum gladiis Antonius* objecit. Atqui uterque potentiæ suæ renuntiare voluerunt: quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni seque in otium conferre conatus est. Sed dum ruituros moles ipsa trahit, neuter quod voluit effecit. Quæ est igitur ista potentia, quam pertimescunt habentes, quam nec quum habere velis, tutus sis, et quum deponere cupias, vitare non possis? An præsidio sunt amici quos non virtus sed fortuna conciliat? Sed quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. Quæ vero pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus?

* Antoninus

ARTICULUS XIV

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS QUINTÆ.

OSTENSO quod nec in divitiis, neque in honore et dignitate consistat felicitas, hic probatur, quod nec in principatu neque dominio, neque in familiaritate magnatum.

An vero regna regumque familiaritas efficere potentem valent? Hoc interrogative et negative legendum est. « An », id est, quæro utrum, « regna », id est regalia dominia et principatus terreni, « regumque familiaritas », id est singularis amicitia ac secretus convictus, favor et adsistentia principum, « valent » aliquem « efficere potentem » illa potentia quæ excludit possibilitatem incidendi miseriam? *Quidni?* id est, quid ad hoc poterit responderi, nisi quod jam ita sit? Hoc Philosophia ironice dicit, nam subdit: *quando eorum felicitas,* id est terrena prosperitas, *perdurat perpetuo.* Quasi dicat: Si hic immortaliter viverent in prosperitate, cum securitate illam non amittendi. Quod nequaquam ita se habet, quum in Ecclesiastico scriptum sit: Omnis potentatus brevis vita; sic et rex hodie est, et cras morietur. Hinc subditur:

Eccli. x, 11, 12.

Atqui, id est pro certo, *plena est exemplorum vetustas,* id est, antiqua historia plena est exemplis, *plena* est *etiam præsens ætas,* id est historia temporis hujus, *qui reges,* id est qui et quot reges ac principes, *felicitatem calamitate mutaverint,* id est, prosperitatem suam perdiderunt et miseri effecti sunt, vel bello vel morte aut captivitate sublati, sicut in libro Job de Domino dicitur: Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. Verum de his allegata sunt superius multa: quæ non oportet repetere, sed prolixitatem vitare. Nam et difficiliora sequuntur, et harum sensus prosarum præhabitus est: idcirco pertranseundum.

Job XII, 18.

Cf. p. 179 B', s.

Hinc de ista potentia exclamat ironice: *O præclara potentia* regum ac principum sæculi hujus, *quæ ne ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur,* id est, quæ nec se ipsam potest diu servare in esse! Unde Alexandro Magno defuncto,

unus philosophorum deprompsit: Heri Alexander multos a morte potuit liberare; hodie se ipsum ab ea non valuit præservare. Ideo recte dictum est a Baruch : Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias terræ? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. De quibus in Ezechiele frequenter habetur : Dederunt formidinem suam in terra viventium, et dormierunt cum his qui descendunt in lacum, ad terram ultimam. De qua sanctus Job ait : Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hinc quoque primo Machabæorum, Mathathias dixit de Antiocho rege nequissimo : A verbis peccatoris ne timueritis, quoniam gloria ejus stercus et vermis; hodie extollitur, et cras non invenietur.

Baruch III, 16, 19.

Ezech. XXXII, 23 et seq.

Job X, 20-22.

I *Mach.* II, 62, 63.

Præterea, ad idem probandum secunda subjungitur ratio. *Quod si hæc regnorum potestas,* id est dominium temporalium territoriorum, *beatitudinis auctor est,* id est causa et datrix seu forma felicitatis, *nonne si qua parte defuerit,* id est, si potestas ista non extenderit se ubicumque se extendere posset, *felicitatem minuat, miseriam importet?* id est, necessario sequitur, quod defectus illius potentiæ beatitudinem minuat, atque miseriam felicitati contrariam introducat : ubi etenim rei perfectio terminatur, ibi ejus imperfectio inchoatur. *Sed quamvis late humana tendantur imperia,* id est regna mundi, quæ per septem climata, et per quatuor principales mundi plagas, Indiam, Asiam, Africam ac Europam, extenduntur, *plures necesse est gentes relinqui,* id est, adhuc necessario remanent aliquæ gentes, *quibus regum quisque non imperet,* id est, quibus nullus regum potuit imperare. Quod super Danielem aliosque Prophetas S. Hieronymus contestatur, Magister quoque in historiis, ac Josephus. Idcirco, quod in libro Esdræ primo loquitur Cyrus, Omnia regna terræ dedit mihi Deus cœli, et consimilia verba, per hyperbolen exponuntur. *Qua vero parte beatos faciens desinit potestas,* id est, ubi « potestas » ista terrena finitur, quæ a quibusdam putatur felicitare potentem, *hac,* scilicet parte, *impotentia subintrat,* id est, inesse cognoscitur (impotentia namque videtur privatio aut negatio quædam, magis quam aliquid positivum), *quæ miseros facit,* eo modo quo negationes et privationes dicuntur aliquid agere, non effective et positive, sed suo modo formaliter, quemadmodum caligo obtenebrat aerem, cæcitas visum. *Hoc igitur modo majorem regibus inesse necesse est miseriæ portionem,* id est, ex hac ratione rite concluditur, quod « regibus » terræ plus miseriæ insit quam felicitatis, sicut plus terræ est quo unusquisque eorum caret nec regnat, quam quod habet ac regit : imo nec Alexander Magnus obtinuit occidentem, nec omnes partes aquilonares, nec Romani totum orientem; et si qui plus quam mediam terræ partem obtinuerunt, fuerunt perpauci.

I *Esdr.* I, 2.

Sequitur ad idem probandum tertia ratio, sumpta ex particulari facto. *Expertus sortis suæ periculorum tyrannus,* id est, Dionysius, rex crudelis, « expertus periculorum », id est per experientiam sciens pericula, « sortis suæ », id est suæ fortunæ seu partis, vel eventus quem metuit, *regni metus pendentis supra verticem gladii terrore simulavit,* id est, impius ille « simulavit », id est, figuravit et significavit, « metus », id est timores, « regni », id est, quos ipse habuit sibique similes habent in regnando, « terrore gladii pendentis supra verticem » cujusdam sibi familiaris. Nempe (ut legitur) Dionysius iste, quum esset rex potens et timeretur a multis, sæpius metuebat ac contristabatur. Interrogatus a fratre suo cur sic esset dispositus quum tantis abundaret divitiis et honore, respondit illi non verbis, sed rebus, faciens fratrem suum sedere ad mensam regalem, super quam jussit poni

regii cibi ac potus copiam grandem, atque cum tenui filo faciens super fratris caput ensem suspendi, admonens illum ut lætus epularetur. Qui respondit : Quomodo possum, quum me penetret gladii capiti meo imminentis formido? Respondit tyrannus : Talis est jugiter dispositio cordis mei.

Cf. p. 253 A' et B. De hoc superius allegata sunt multa : Job xv, 21. ut quod in libro Job legitur, Sonitus terroris semper in auribus impii, et quum sit pax, ille insidias suspicatur; itemque, Ibid. 24. Angustia vallabit impium, sicut regem qui præparatur ad prælium. Hinc de talibus regibus et principibus Seneca fatur : Regibus pejus est multo plus quam servientibus, quoniam illi singulos timent, isti unum ; et rursus : Multos timere debet, quem multi timent. Specialissime autem tyrannis est cor pavidum et suspectum, qui ab aliis sibi fieri præstolantur quod se aliis norunt fecisse.

Quæ est igitur hæc potestas, quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? quasi dicat : Misera est potius quam beata, et miseros faciens magis quam beatificans. « Quæ nequit » per se nec virtutem largitur « expellere », hoc est ad expellendum, « morsus », id est compunctiones, « sollicitudinum » inordinatarum, mundanarum, carnalium : de quibus in Proverbiis Prov. xi, 7. scriptum est, Exspectatio sollicitorum peribit; Philipp. iv, 6. et Apostolus, Nihil (inquit) solliciti sitis. (Est autem alia sollicitudo, spiritualis et bona, quæ est ingens diligentia de pertinentibus ad salutem : de qua ad Ephesios Ephes. iv, 3. ait Scriptura, Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.) « Quæ » etiam nequit « vitare aculeos formidinum », id est acutas afflictiones irrefrenatorum pavorum. Is. li, 12. De quibus loquitur Isaias : Quis tu, ut timeas ab homine mortali? Et Salvator : Matth. x, 28. Nolite timere eos qui corpus occidunt. Est et alius timor bonus et optimus, timor utique initialis et castus, timor Is. viii, 13. sanctus et filialis. De quo Isaias : Dominum (inquit) exercituum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. Quo ti-A more jugiter formidamus ne Dominum Deum nostrum offendamus in aliquo, et ne separemur et abjiciamur ab eo.

Atqui vellent ipsi vixisse securi, id est, pro certo « ipsi » reges « vellent vixisse » et adhuc vivere cum securitate : quia ut in libro Proverbiorum legitur, Secura mens Prov. x[illegible] 15. est quasi juge convivium. *Sed nequeunt :* quoniam sciunt sibi undique imminere pericula, tam ab his quibus injuriati sunt, quam ab aliis, qui verentur ne ab ipsis injurientur; quoniam qui uni injuriatur, B multis minatur. De talibus regibus atque principibus fertur in Job : Indicabit eis Job xxx[illegible] 9. Deus opera eorum, quia violenti fuerunt. *Dehinc de potestate gloriantur,* id est, quamvis tot mala potestati adjuncta sunt, attamen « de potestate » sua inaniter « gloriantur », quemadmodum Nabuchodonosor, de quo in Daniele narratur : Rex ait, Dan. iv, [illegible] Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? Talibus Dominus loquitur apud C Amos : Væ qui dicitis, Numquid non in Amos [illegible] 14. fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?

Consequenter, ad idem inducitur ratio quarta. *An tu potentem censes, quem videas velle* aliquid *quod non possit efficere?* [quasi dicat Philosophia :] Potentem non potes talem rationabiliter judicare, potentem simpliciter, potestate ad felicitatem sufficiente, qui nec de jure nec de facto potest implere omne quod vult.

Potentem censes, qui satellite latus ambit, D id est, multitudine ministrorum latera sua facit circumdari, ne ab adversariis invadatur? *Qui quos terret, ipse plus metuit,* id est, eos plus timet quos minando perterret, quam timeatur ab eis, a quibus veretur intoxicari, circumveniri, insidiis perimi? *Qui ut potens esse videatur, in servientium manu situs est,* id est, positus est in potestate ministrorum suorum, a quibus repente obrui possit? sicut in libris Regum aliisque historiis multoties factum describitur.

Præterea probat Philosophia, quod nec in familiaritate regum ac principum consistat felicitas. *Nam quid ego de regum familiaribus disseram,* id est dicam, nisi quod subditur, *quum regna ipsa tantæ imbecillitatis plena demonstrem,* id est, jam evidenter probaverim ipsos regios principatus et reges esse tam imbecilles? *Quos quidem regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem lapsa prosternit :* id est, « quos », scilicet servos familiares, « potestas regia incolumis », id est ipsi reges adhuc sani, frequenter occidit; « sæpe autem » hoc facit regia potestas « lapsa », id est adversis dejecta, seu morte prostrata, quemadmodum sanctus rex David in extremis suo successori ac filio Salomoni præcepit ut post mortem suam occideret ipsum Joab et Semei : quod David ut ordinarius atque legitimus judex juste præcepit. De qua etiam re duo subduntur exempla.

III *Reg.* II, 5, 6, 8, 9.

Nero Senecam familiarem præceptoremque suum, ad eligendæ mortis coegit arbitrium : id est, « Nero » imperator compulit « Senecam familiarem suum », utpote consiliarium, et « præceptorem », id est magistrum, « ad arbitrium », id est judicium seu voluntatem, « mortis eligendæ ». Seneca enim, vir moralissimus atque doctissimus, fuit instructor Neronis ante promotionem suam ad imperium, et tunc usque Nero simulavit se pium et docilem; promotus vero, cœpit ostendere quod in ejus latuit pectore. Quem Seneca cum modestia sæpe reprehendit : quod ille non ferens, et vultum Senecæ more solito erubescens ac metuens, exegit a magistro ut sibi ipsi eligeret genus mortis quod mallet.

Sequitur aliud exemplum. *Papinianum diu inter aulicos potentem, militum gladiis Antonius objecit.* Iste videtur fuisse Antonius collega Octaviani imperatoris, vir plurimum vitiosus : a quo (ut recitat Augustinus libro de Civitate Dei) Tullius, permittente Octaviano, fuit occisus. Habuitque Antonius iste sororem Octaviani uxorem, quam repudiavit, atque Cleopatram, reginam Ægypti, duxit in conjugem : ideo Octavianus insequebatur eum in Ægyptum, et fugere compulit; sicque Antonius fugiens, in ipsa fuga proprio gladio se peremit. Papinianus quoque exstitit unus de primis « inter aulicos », id est curiales, in aula Antonii : quem ipse Antonius jussit « gladiis militum » trucidari.

Atqui uterque potentiæ suæ renuntiare voluerunt, id est, tam Seneca quam Papinianus præbuit se paratum ad resignandum suum officium, quatenus vivere permitteretur. *Quorum* unus *Seneca opes etiam suas tradere Neroni seque in otium conferre conatus est :* id est, horum duorum unus, utpote « Seneca, conatus est etiam opes », id est divitias suas, « tradere », id est resignare, « Neroni, seque conferre in otium », id est dare se ad vitam contemplativam in eremo, ut mortem evaderet : juxta quod Satan ait in libro Job, Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, id est pro vita sua servanda. *Sed dum* duos *ruituros moles ipsa trahit,* id est, quum tyrannica ista potentia Antonii et Neronis, gravis instar molis ad sustinendum, « trahit ruituros », id est, jussit trahi præfatos duos ad mortem, *neuter quod voluit effecit,* id est, nullus eorum mortem evasit, resignando potentiam vel divitias suas tyrannis. Unde et in Proverbiis suis Seneca ait : Inimicitiæ potentium graves sunt. Salomon quoque ait : Fremitus leonis ira regis. Denique Seneca videns se mortem non posse evadere, elegit mori in balneo; et fecit se minui sub utraque ascella, bibitque forte vinum, et minutus quasi ridendo spiritum emisit in aqua.

Job II, 4.

Prov. XIX, 12.

Ex his Philosophia concludit : *Quæ est igitur ista potentia, quam pertimescunt habentes ?* id est, imbecillis et insufficiens est ista potestas, « quam » ipsi reges et principes « habentes, pertimescunt » etiam suos ministros. *Quam nec quum habere velis, tutus sis ?* id est, quum obti-

nere studueris, habendo familiaritatem ac participationem ipsius non « sis tutus » ab invasione ipsius potentiæ ; *et quum deponere cupias,* id est dimittere ipsam potentiam et potentem ac ejus familiaritatem et commissionem, attædiatus inquietudine officii et annexis periculis, *vitare non possis?* id est, non valeas resignare et declinare ipsam potentiam, sed potius ab ea occideris ; vel si places principi, incurris ejus offensam ac ultionem recedendo ab eo.

Præterea, ex Scripturis copiose probatur quam incertus, fallax, mutabilis sit regum et principum favor. Quod et clare
Esther III. 1, 2 ; VII, 9. 10. patuit in Aman, summo consiliario et secretario Assueri imperatoris : quem post maximam familiaritatem Assuerus jussit affigi patibulo, sicut in libro Esther scribitur. Sic et secundo Machabæorum narra-
II *Mach.* XIII. 3-8. tur quemadmodum Antiochus rex præcepit præcipitari Menelaum in mortem, qui variis modis ac dolis nitebatur acquirere regis familiaritatem. In domibus etiam regum sunt multi simulatores et callidi, qui frequenter concitant animos regum contra viros bonos et integros, quos opprimi et occidi procurant. Quod expertus,
Esther XVI. 2, 6. rex Assuerus ait : Multi aures principum simplices et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Communiter quoque homines in palatiis principum potius corrumpuntur quam in virtutibus crescant. Unde Seneca in suis ait Proverbiis : Si in clientela potentis aut principis perveneris, aut veritas aut amicitia est perdenda.

Postremo Philosophia declarat, quod nec illa amicitia sit multum curanda, quæ potentia aut divitiis, non virtute, acquiritur. *An præsidio sunt amici,* id est, utrum illi « sunt » veri et fideles « amici », præsidium, id est auxilium, tempore opportuno præstantes, *quos non virtus sed fortuna conciliat,* id est, quos ad amandum inducit non bonum honestum, ut similitudo virtutum et amor earum, sed ea quæ subjacent fortunæ, ut temporalis pro-

A speritas, opulentia, voluptas ? quasi dicat, Non : prout supra jam sæpe probatum est. *Cf.* p. 2.. A, B.
Unde et subditur : *Sed quem felicitas amicum fecit,* id est, qui ex prosperitate alterius ad ejus amorem inducitur, *infortunium faciet inimicum,* id est, adversitas dilecti faciet ab illius amore cessare : quia cessante causa, cessat ejus effectus.

Quæ vero pestis efficacior est *ad nocendum, quam familiaris inimicus?* id est, nulla res pestifera, infectiva, nociva, dispositior et potentior est ad nocendum,
B lædendum, decipiendum, quam hostis domesticus et adversarius tibi, sub specie amici cohabitans. A tali enim minus observat se homo : et ille magis applicatus et proximus est ad nocendum ; actio autem fit per tactum. Talis vero inimicus est vitiosissimus, in tantum ut nono Ethicorum dicat Philosophus : Qui fingit se amicum et non est, pejor est illo qui fingit falsam monetam. Unde et Augustinus : Simulata (ait) æquitas, est duplex iniquitas.

C Itaque amicitia contracta et fundata in bono delectabili et utili, ipsa delectatione seu utilitate cessante, decrescit ; sed quæ fundatur in parilitate virtutum, stabilis perseverat, nec per distantiam corporalem dissolvitur. Aliæ vero amicitiæ, cessantibus suis causis, deficiunt. Itaque detestemur enormissimum vitium amicitiæ fictæ, duplicitatis et calliditatis vulpinæ : quia ut in Proverbiis suis Seneca loquitur, Malus ubi bonum se simulat, pessimus est ; itemque : Deteriora sunt tecta odia, quam
D aperta ; ideo minus te offendit loquens inimicus, quam tacens. Hoc est quod in Proverbiis dicitur : Meliora sunt vulnera *Prov.* XX 6.
diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. Et Psalmographus cecinit : Corripiet *Ps.* CXL,
me justus in misericordia, et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Porro de fictis illis amicis et domesticis hostibus loquitur Jeremias : Sagitta vulnerans est lingua eorum ; *Jer.* IX,
in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.

METRUM V

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus, tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule ;
Tamen atras pellere curas
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

ARTICULUS XV

EXPLANATIO METRI HUJUS QUINTI.

IN prosa mox præcedente, Philosophia A ostendit in principatu atque dominio non esse potentiam veram et salutarem, neque felicitatem. Hic docet in quo potentia talis consistat, utputa in vitiorum edomatione, passionum refrenatione, et sui ipsius virtuoso triumpho.

Qui, id est quicumque, *volet,* id est optabit, *se esse potentem* potentia spirituali, id est fortitudine animi omniumque vigore virtutum, quæ concatenatæ seu connexæ dicuntur, *ille domet,* id est, refrenet ac reformet, *animos feroces,* id est B irrationabiles animi motus, impetuosas animæ passiones, et specialiter affectiones pietati, caritati suavitatique spiritus repugnantes, videlicet amaritudinem, indignationem, iram, elationem, invidiam, crude-
Eccli. XXI, 15. litatem, quum in Ecclesiastico dicatur, Non est sensus ubi abundat amaritudo ; et rur-
Ibid. III, 27. sus, Cor durum male habebit in novissi-
Prov. XXIX, 22. mo. Salomon quoque ait : Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum
Ibid. XVI, 32. proclivior. Hinc iterum protestatur : Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Hæc C vitia in se ipsis amara sunt, et eis in se locum præbere, est se ipsum discerpere, affligere, dilaniare (quod prorsus stultissimum est), et sibi in se ipso infernum efficere. Hinc Seneca : Nequitia ipsa est pœna sui, et mala conscientia nunquam est tuta, nunquam quieta. Unde et Augustinus fatetur : Animus inordinatus sibi ipsi est gravis. Hinc ad Hebræos sanctus hortatur
Apostolus : Pacem sequimini cum omnibus, contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Consonat his quod libro de Clementia asserit Seneca : Magni animi proprium est, placidum ac tranquillum consistere, injurias et offensas parvi pendere, et eas æquanimiter ferre ; muliebris vero est animi, litigare, et iræ suæ gerere morem. Hebr. XII, 14, 15.

Nec submittat, id est, non subdat, *colla* sua, id est superiores animæ suæ vires, quibus sursum erigitur ratio et liberum arbitrium, *victa libidine,* id est concupiscentiis superatis, *habenis fœdis,* id est desideriis actibusque obscenis, quibus tanquam vinculis mens ligatur, et impeditur a luce sapientiæ ac splendore virtutum. Hoc est quod in Ecclesiastico ait Scriptura : Post concupiscentias tuas non eas, et Eccli. XVIII, 30, 31.
a voluptate tua avertere ; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Unde et summus ait

I Petr. II, 11. Apostolus : Obsecro vos a carnalibus abstinere desideriis, quæ militant adversus animam.

Etenim licet tellus Indica longe distans, id est populus Indiæ remote hinc habitans, *tremiscat jura tua,* id est, expavescat præcepta tua, *et Thule,* id est regio sic vocata, *ultima,* id est extrema in occidente, *serviat,* id est, obediat tibi ; *tamen non posse,* id est non satagere, *pellere,* id est superare atque abjicere, *curas atras,* id est sollicitudines inordinatas, obscuras, et non posse *fugare,* id est exstirpare et vincere, *querelas miseras,* id est querimonias viles ex impatientia orientes (quia Prov. XIV, 29. ut in Proverbiis legitur : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam), *potentia non est,* id est, non est virtus, nec animæ fortitudo, sed vilissima servitus vitiorum, dejectio cordis, et enervatio virium Joann. VIII, 34. mentis, quum dicat Salvator : Qui facit peccatum, servus est peccati.

Nempe si homo advertat quam enormiter et frequenter offenderit Deum, quam multa et magna pro ipso sustinuerit Christus, quam saluberrimum sit, propter Deum pati injurias et libenter perferre A adversa ; querelosus non erit : imo nil condignum se pati fatebitur, dicens illud Job, Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Job XXXIII, 27. Hinc ait Apostolus : Jam omnino delictum est in vobis, quod I Cor. VI judicia habetis inter vos : quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Et rursus ad Philippenses : Omnia facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei. Philipp. II, 14, 15. Atque ad Ephesios : Omnis amaritudo et ira Ephes. IV, 31, 32. et indignatio et clamor tollatur a vobis, B cum omni malitia ; estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Sit ergo in nobis vera patientia, robur virtutum armaturaque Dei, confortatio gratiæ, qua omnibus nostræ salutis adversariis prævalemus. Hinc quippe Constantinus imperator optime dixit : Quid juvat Barbaros superasse, si a crudelitate vincamur ? Nam extraneas nationes vicisse, virium est bellantium populorum ; vitia superare, virtus est morum. In illis præliis, fortiores exsistimus aliis ; in his, fortiores C sumus nobismetipsis. Omnium certe se dominum comprobat, qui se servum exhibuerit pietatis.

PROSA VI

GLORIA vero quam fallax sæpe, quam turpis est ! Unde non injuria Tragicus exclamat : Ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν, Οὐδὲν γεγῶσι, βίοτον ὤγκωσας μέγαν. Plures enim magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Quo quid turpius excogitari potest ? Nam qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Quæ si etiam meritis conquisitæ sint, quid tamen sapientis adjecerint conscientiæ, qui bonum suum, non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur ? Quod si hoc ipsum, propagasse nomen, pulchrum videtur ; consequens est ut fœdum non extendisse judicetur. Sed quum, uti paulo ante disserui, plures gentes esse necesse sit, ad quas unius fama hominis nequeat pervenire, fit ut quem tu æstimas gloriosum esse, pro maxima parte terrarum videatur inglorius. Inter hæc vero, popularem gratiam ne commemoratione quidem dignam puto, quæ nec judicio vero provenit, nec unquam firma perdurat. Jam vero quam sit

inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat? Quæ si ad claritudinem referatur, aliena est. Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS SEXTÆ.

JAM supra ostendit Philosophia, quod A nec in divitiis, nec in honore, neque in potestate sit ponenda felicitas ; hic ostendit, quod nec in fama et gloria : quæ prout nunc sumitur, est clara cum laude notitia, secundum quod Tullius eam definivit. De multiplici tamen gloriæ significatione dictum est ante. *Cf.* p. 25 B et s., 268 D et s.

Gloria vero quam fallax sæpe, quam turpis est! id est, celebritas ac claritas famæ est frequenter valde « fallax », utpote ex levi hominum suspicione et incauto procedens judicio; et item ex immo- B derata affectione, quoniam quod quis fervide amat, hoc faciliter ultra modum commendat : unde amor et odium pervertunt rectum judicium. Hinc libro de Quatuor virtutibus Seneca fatur : Parce lauda, parce vitupera. Similiter reprehensibilis est nimia laudatio, ut immoderata vituperatio: illa de adulatione, ista de malignitate suspecta est. Sæpe quoque est « quam » (id est valde) « turpis », id est mendosa, dum quis ultra merita vel demerita sua laudatur, vel de pravis operibus, aut appa- C rentibus et fictis virtutibus : quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. (*Ps.* x, 3, sec. Hebr.) Sæpe quoque quod unus judicat esse laudabile, alter reputat vituperabile.

Unde non injuria Tragicus exclamat, id est, poeta « tragicus », videlicet Euripides, « non » ex « injuria », sed zelo veritatis et æquitatis, vociferatur : Ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν, Οὐδὲν γεγῶσι, βίοτον ὤγκωσας μέγαν : id est, *o gloria, gloria,* id est fama humana, *millibus mortalium nihil aliud facta nisi aurium inflatio magna :* id est, tu, o humana gloria, es res vilis; quamvis a multis millibus hominum exprimaris, tamen nihil aliud esse videris quam magnus strepitus verborum, implentium audientium aures. Quod consequenter probatur. *Plures enim magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt,* id est, multi homines multoties secum tulerunt grandem famam et laudem ex verbis et actibus suis, tanquam excellenter periti et strenui, ex erronea reputatione vulgarium : qui ut sanctus ait Hieronymus, quidquid minus intelligunt, magis appretiantur ; et quem viderint magis promptulum ad loquendum et abundantiorem in verbis, æstimant doctiorem, non advertentes quod in Proverbiis Salomon fassus est : Vidisti hominem velocem ad loquendum ? stultitia magis speranda est quam illius correctio. (*Prov.* xxix, 20.) Et denuo : Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. (*Ibid.* xviii, 13.) Ideo dixit Apostolus : Noli verbis contendere ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. (II *Tim.* ii, 14.)

Quo quid turpius excogitari potest? quia multis virtutibus contrariatur. *Nam qui falso prædicantur,* id est, mendaciter

commendantur, *suis ipsi laudibus erubescant necesse est,* id est, merito erubescerent, et utique verecundarentur, si rite perpenderent ipsas laudes, quum in veritate vituperia sint eorum : ut dum superbus de humilitate laudatur, non ejus humilitas, quæ non est, laudatur, sed ejus superbia reprobatur ; quamvis infelix et miser homo sic sua vanitate, elatione, stultitia obtenebretur, quod coram Deo non erubescit, nec divinum judicium expavescit, nec imminentem sibi damnationem veretur. Quum enim damnabile sit de concessa sapientia et virtute velle laudari atque inaniter gloriari, quanto magis de bonis quæ non habentur?

Quæ si etiam meritis conquisitæ sint, id est, quamvis laudes istas meruerit homo per opera virtuosa, ita quod dignus est eis, dummodo eas vane et inordinate non appetat, *quid tamen sapientis adjecerint conscientiæ?* id est, bonitatem et gaudium ac meritum « sapientis » ac virtuosi non augent, sed potius eum affligunt : quoniam non se, sed Deum cupit laudari ; quumque incertus sit an amore sit dignus, an odio, et qualiter cursum suum implebit, ex fama et laude sua gravius perterretur ne coram Deo in die judicii sui dupliciter confundatur. Verumtamen, si conscientiam bonam habet, potest de hujuscemodi fama, in Deo, sobrie, cum reverentia et timore gaudere, et patienter eam sufferre, in quantum est ad Dei honorem ædificationemque proximorum : ut cum Apostolo dicere queat, Christi bonus odor sumus in omni loco ; quum et Dominus protestetur : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Eccle. ix, 1. — II *Cor.* ii, 15, 14. — *Matth.* v, 16.

Qui sapiens *bonum suum, non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur,* id est, perfectionem virtutum quæ ei adscribitur, non ponderat nec judicat ex hominum fama, sed ex diligenti examinatione « conscientiæ » suæ : cui tamen examinationi atque judicio non consentit cum A certitudine absoluta, sed cum probabili conjectura, quia non potest homo scire pro certo se esse in caritate, nisi ex revelatione divina. Hinc dixit Apostolus : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Gregorius quoque : Sapientes (ait) merita sua non in hominum ora ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Denique, quamvis multa sint signa et argumenta ex quibus valeat homo probabiliter noscere se esse in caritate, hoc tamen potissimum est si de præteritis culpis B cordialiter doleat, nec pro aliqua re mundi velit peccare mortaliter : hoc namque ad minus exigit caritas Dei, qua tenemur Deum super omnia toto corde diligere. O ergo quam longe, imo quam longissime sunt a salute, qui conantur ad hoc ut impleant suam libidinem, aliamque personam pro posse alliciunt ad male agendum ! Nonne talis homo percussit fœdus cum morte, et cum inferno pepigit pactum?

II *Cor.* i, 12. — *Is.* xxviii, 15.

Consequenter ponitur ad idem probandum alia ratio. *Quod si hoc ipsum, propa-* C *gasse nomen, pulchrum videtur,* id est, « si » bonum et clarum est « hoc ipsum », id est « nomen » bonum promulgasse, id est divulgasse de se ; *consequens est ut fœdum non extendisse judicetur,* id est, hoc sequitur « ut non extendisse » ac diffudisse bonam famam de se, « judicetur », id est, esse dicatur, « fœdum », id est turpe et abominandum. *Sed quum, uti paulo ante disserui,* id est, quia ut jam supra probavi, septima prosa libri secundi, *plures gentes esse necesse sit,* id est, D esse oportet homines valde multos, *ad quas fama unius hominis nequeat pervenire, fit,* id est accidit, *ut quem tu æstimas esse gloriosum,* id est famosum, *proxima* * *parte terrarum videatur inglorius,* id est, in provincia propinqua sit ignotus et non famosus, aut certe despectus.

Cf. p. D' et s. — * pro xima

Inter hæc vero, popularem gratiam, id est laudem, famam gratiamque vulgarium, *ne commemoratione quidem dignam puto,* id est, tantum despicio eam quod non reputo eam « dignam » nominari aut recoli,

quæ nec judicio vero provenit, id est, non A
oritur nec procedit ex vera illorum discretione, *nec unquam firma perdurat.* Ideo
I *Cor.* iv, 3. dixit Apostolus : Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Verumtamen cavere quilibet debet ne ex negligentia aut culpa sua nascatur de ipso fama mala, quia hoc exemplaritati repugnaret. Propter quod, qui negligit famam, crudelis est, secundum Augustinum, ut
Cf. p. 75 B. dictum est plenius supra.

Insuper Philosophia ostendit quam vile
sit de nobilitate carnaliter extolli et glo- B
riari, quum illa fortunæ subjaceat, et parvi sit ponderis.

Jam vero quam sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat? id est, quis non intelligat, si bene consideret, « quam inane », id est quam vehementer vanum, « quam futile », id est labile et indignum, « sit nomen nobilitatis », id est rumor seu fama contracta ex innata carnis generositate? *Quæ si ad claritudinem referatur,* id est ad veram claritatem et nobilitatem, quæ pertinet ad C
virtutes, *aliena est,* id est extranea huic qui de sola carnis nobilitate se jactat. *Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum,* id est, vera nobilitas ex possessione seu imitatione virtutum contracta, est commendatio « parentum » qui taliter nobiles erant, nec competit soboli, nisi parentes imitetur in bonis. *Quod si claritudinem prædicatio facit,* id est, si ipsa famatio et reputatio hominum confert homini claritatem, *illi sint clari necesse est, qui prædicantur,* D
id est, necessario sequitur, quod « illi sint clari » et nobiles, qui tales famantur : quod tamen ita non est, quum frequenter vitiosi, viles, degeneres famentur esse clari, boni ac nobiles. *Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit :* id est, parentum tuorum nobilitas te non facit nobilem, si non habes in te propriam nobilitatem veram et virtuosam, ex virtutum imitatione pendentem, de qua dicitur : Nobilis est ille quem nobilitat sua virtus; nec clarus et nobilis est censendus, quem sordida vita et mores indigni vilificant.

Hinc Judæis de nobilitate carnali gloriantibus, eo quod de Patriarcharum semine processissent, beatissimus Joannes
Baptista locutus est : Ne cœperitis dicere, *Luc.* iii, 8;
Semen Abrahæ sumus; dico enim vobis, *Joann.* viii, 33.
quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quibus et Christus
dixit : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ *Joann.* viii,
facite; vos ex patre diabolo estis. De hoc 39, 44.
ad Galatas diffuse scribit Apostolus, pro- *Galat.* iii,
bans gentiles credentes in Christum, non 6-29.
Judæos incredulos, Abrahæ filios esse appellandos.

Quod si quid est in nobilitate bonum, id est, si in carnali nobilitate est aliquid boni, *id esse arbitror solum,* id est, puto hoc « solum » aut præcipue esse, *ut imposita nobilibus necessitudo videatur,* id est, obligatio quædam ipsis videatur esse innata, *ne a majorum virtute degenerent,* id est, ne a patrum et prædecessorum suorum probitate moribusque discedant, quatenus decus parentum in sua resplendeat prole, sicut qualitas causæ in suo effectu.

Præterea, de ipsa nobilitate, quid sit in re, et qualiter secundum Philosophum in Politicis dicatur antiquata opulentia, atque ut alii addunt, quædam innata magnanimi-
tas, probitas et honestas, dictum est ple- *Cf.* p. 298
nius ante. Verum in his quidam carnis C' et s.
propagine clari deviant vehementer, et judicant valde insipienter. Nam dato quod carnalis illa nobilitas alicujus sit dignitatis, sicut et est, non tamen tantæ ut æstimant illi qui se de illa nimis extollunt, magisque reputant illam, quæ est bonum fortuitum, quam dona naturæ aut etiam bona gratuita : quod prorsus erroneum est, et contra justitiam, quæ requirit unumquodque appretiari quantum valet.
Hinc contra tales dicitur a Malachia : Num- *Malach.* ii,
quid non pater unus omnium nostrum? 10.
Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum

nostrorum ? Sed et Jacobus frater Christi, A
Jacob. II, 2-4. contra tales in sua scribit Canonica : Si introierit in conventu vestro vir aureum annulum habens et in veste candida, intraverit autem et pauper in sordido habitu, et dixeritis ei qui indutus est veste præclara, Sede tu hic bene ; pauperi autem dicatis, Tu sta ibi : nonne facti estis judices cogitationum iniquarum ? etc. Humilient ergo se nobiles, illud ad Corinthios
I Cor. I, 26-28. attendentes : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos : sed infirma et igno- B bilia mundi elegit Deus. Hinc asserit gloriosus Hieronymus : Sola apud Deum libertas, est non servire peccatis ; sola apud Deum nobilitas, est clarum esse virtutibus : de carnis nobilitate nunquam inter vos disputetur, nec ex ea unquam te præferas alteri. De vera quoque nobilitate Seneca loquitur : Nobilitas animi, generosus est sensus ; nobilitas hominis, generosus est animus. Hinc Cyrillus disseruit : Vera nobilitas non est nisi virtus possessa ; dumque de nobilitate carnis erigeris, glorificam animæ nobilitatem ventosa vanitate dispergis, et ex pretiositate vilis effectus, ex ipsa nobilitate vilescis.

METRUM VI

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu :
Unus enim rerum pater est,
Unus qui cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios ;
Dedit et cornua lunæ.
Ille homines etiam terris
Dedit, et sidera cœlo.
Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus et proavos strepitis ?
Si primordia vestra
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,
Ni vitiis, pejora fovens,
Proprium deserat ortum.

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO METRI HUJUS SEXTI.

In hoc sexto hujus tertii libri metro, declarat Philosophia quod in fine præhabitæ prosæ deprompsit, videlicet carnalem nobilitatem modici aut nullius esse momenti, eo quod omnium hominum sit idem creator, et unum effectivum principium, Deus.

Omne hominum genus, id est universum genus humanum, *surgit in terris*, id est, in esse procedit (quantum ad animas) im- C mediate a Deo per creationem, non simul, sed successive organizatis corporibus, juxta illud in Psalmo, Qui finxit sigillatim Ps. 15.
corda eorum, id est hominum mentes intellectivasque animas (ad quod insinuandum ait per Isaiam prophetam, Flatus ego Is. LV
faciam), *ab ortu simili*, id est ab eodem fontali principio ; vel a simili modo producendi, puta per viam creationis. *Unus est enim pater rerum, unus qui cuncta mini-*

strat, id est gubernat, quædam immediate A
per se, quædam per causas secundas, ut dictum est sæpe, et infra diffusius exprimetur.

Ille dedit Phœbo radios, id est, soli indidit suam lucem, qua cuncta suæ illustrationis susceptiva irradiat. Propter quod,
De Divin. nom. c. iv. secundum magnum Dionysium, Sol est evidens divinæ et increatæ bonitatis se super omnia diffundentis imago. *Dedit et cornua lunæ :* id est, ex Dei institutione contingit, quod luna in incremento luminis sui atque in ejus decremento videtur B
Cf. p. 120 C et s. cornuta. Quod qualiter accidat, supra expositum est.

Ille etiam dedit homines terris, id est, ordinavit et fecit quod homines terram inhabitarent. Sicque potius terram dedit hominibus in possessionem, quam homi-
Ps. cxiii, 16, sec. Hebr. nes terris, juxta illud in Psalmo : Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum. Dedit *et sidera cœlo,* id est, stellas fixas collocavit in firmamento, jux-
Gen. i, 17. ta illud Genesis : Posuit eas in firmamento cœli. Unumquemque quoque planetam in C
suo orbe ac proprio cœlo constituit, ut probabilior tenet opinio.

Hic clausit animos, id est spiritus rationales, videlicet animas intellectuales, *membris,* id est corporibus organizatis, per membra formatis : non quod in diversis membris diversæ sint animæ, ut opinatus
Cf. t. XXII, p. 125 C' et s. est Plato; sed eadem anima est tota in toto corpore suo, et in qualibet ejus parte,
* Carthaginiensis quanquam Chalcidius, Romanæ * Ecclesiæ diaconus, qui ad commissionem Osii duas partes Timæi Platonis ex Græco transtulit D
in Latinum, dixerit animam rationalem essentialiter solum esse in corde, atque per influentiam in ceteris membris : quam opinionem doctores concorditer reprobant. Porro anima dicitur inclusa « membris » et corpore, non per commensurationem, quum non sit corporea, sed quia diffusive est ibidem, ut libro secundo asserit Damascenus. Sic quoque ibi est clausa, ut ante mortem non egrediatur realiter. Unde nono de Civitate Dei loquitur Augustinus : Plotinus Platonicus, nostræ memoriæ vicinus temporibus, Platonem ceteris excellentius intellexisse laudatur, et ait : Pater misericors humanis animis mortalia vincula fecit.

Celsa sede petitos, id est acceptos et missos a cœlo sublimi : non a stellis comparibus, ut in Timæo et Menone Plato dixit, sed a « celsa sede », id est Creatore et Rege cœlorum, Patre spirituum, secun- Hebr. xii, 9.
dum Apostolum ad Hebræos. Qui per Isaiam ait : Spiritus a facie mea egredietur; Is. lvii, 16.
et per Ezechielem testatur : Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Hæ Ezech. xxxvii, 5.
auctoritates Scripturæ canonicæ valent ad reprobandum errores hæreticorum et quorumdam philosophorum, dicentium animas rationales in exordio mundi omnes simul esse creatas (quod, ut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus, quidam Manichæi Platonici affirmabant); errores quoque asserentium animas rationales im- Cf. t. XXI, p. 60 B et s.
mediate creatas ab intelligentia ultima præsidente sphæræ activorum et passivorum : quem errorem veræ philosophiæ ac theologiæ contrarium secuti sunt Avicenna rex et Algazel sequax ipsius.

Igitur, id est, ex his patet, quod *nobile germen edit,* id est produxit, *cunctos mortales.* Per hoc « nobile germen », id est clarissima illa omnium rerum causa effectiva, potest intelligi Deus altissimus, vel etiam primus hominum parens Adam, a Deo formatus. Verumtamen germen proprie accipi solet pro re producta : ut quum S. Dio- De Divin. nom. c. iv.
nysius loquitur, quod divinus amor non reliquit Deum sine germine esse. Sicque per « germen » potest hic proprie accipi unigenitus Filius Dei, Verbum æternum, per quod facta sunt omnia. De quo per Joann. i, 3.
Isaiam prædictum est : In die illa erit Is. iv, 2.
germen Domini in magnificentia et gloria. Ubi per germen Domini intelligitur Christus Filius Dei, ad litteram, secundum Hieronymum, Bedam et Haymonem, secundum quoque doctores scholasticos, Alexandrum de Hales, qui vocatur Doctor irrefragabilis (qui et edidit Doctrinale, ut

patet ex ultimo metro et commento libri A
Joannis de Garlandia de Mysteriis Missæ),
et S. Thomam et Petrum.

Ex introductis arguit Philosophia super-
bos et fatuos, de carnea nobilitate se ina-
niter jactantes, et illam quasi præcipuum
bonum magnificantes. *Quid,* id est ad
quid, *strepitis,* id est, cum strepitu et
loquacitate jactatis, *genus,* id est proge-
niem vestram, *et proavos,* id est progeni-
tores vestros, ascendendo ad avos, proavos
et atavos? *Si spectes,* id est, frequenter
adspicias, *primordia vestra,* id est origi- B
nalem institutionem vestram et propaga-
tionem ex primis parentibus, *Deumque*
auctorem, id est, qui est omnium ve-
strum creator et pater; *nullus exstat de-*
gener, id est ignobilis et vilior alio ho-
mine, in puris naturalibus seu quantum
ad dignitatem specificam. Unde, ut allega-
Malach. II, 10. tum est, apud Malachiam habetur : Num-
quid non pater unus omnium nostrum?
etc. Ad quod etiam reserandum, Eliu filius
Barachel, nolens parvi pendi a sancto Job,
Job. XXXIII, 6. ait : Ecce me sicut et te fecit Deus, et de C
eodem luto ego quoque formatus sum. De
quo utique luto scriptum est in Genesi :
Gen. II, 7. Formavit Deus hominem de limo terræ.
Ni, id est nisi, *fovens,* id est nutriens,
pejora, id est deteriora, *vitiis deserat pro-*
prium ortum, id est, peccando relinquat
primum suum principium, Deum excel-
sum et adorandum. Quem relinquunt qui
ejus præcepta transgrediuntur, juxta illud
Osee IV, 10. Osee : Dominum dereliquerunt in non
custodiendo. Propter quod de illis conque-
Jer. II, 5. ritur apud Jeremiam : Quid iniquitatis in- D
venerunt in me patres vestri, quia elonga-
verunt a me, et abierunt post vanitatem, et
vani facti sunt?

Ps. I, 1. Denique ille fovet « pejora », qui in ca-
thedra pestilentiæ sedens, alios scandali-
zat, erronee docet, et de iniquitate minori
corruit ad majorem, imo et alios incitat ad
peccandum. Quibus Dominus loquitur per
Isaiam : Væ, filii desertores, ut faceretis *Is.* XX
consilium, et non ex me, ut adderetis pec-
catum super peccatum. De quibus cantatur
in Psalmo : Prodiit quasi ex adipe iniqui- *Ps.* LX
tas eorum; transierunt in affectum cordis.
Tales sunt qui perseverant in vitiis. Qui-
bus in Isaia comminatur Judex altissimus:
Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis *Is.* V
vanitatis, et quasi vinculum plaustri, pec-
catum.

Præterea hic docemur propriam digni-
tatem sapienter pensare, sicque honore *Rom*
invicem prævenire, non alterutrum sper- 10.
nere, neque alicui suam parentelam et
genealogiam improperare; potissime ne
ipsimet prave et viliter conversando, de-
generemus et ignobilitemus nos ipsos,
quemadmodum scriptum est, Qui nutrie- *Thre*
bantur in croceis, amplexati sunt stercora; 5.
et in Psalmo, Homo quum in honore esset, *Ps.*
non intellexit, etc. 13, 21

Hinc Cyrillus in suis refert Proverbiis,
quod burdo obviantem sibi mulum con-
tempsit, eo quod a meliori esset genitus
patre. Cui mulus locutus est : Quid tibi ex
hoc amplius tribuis et adscribis, quum sis
burdo? Bonum namque et fœdum genera-
tionis, ex assimilatis genitoribus profluit
ac dependet : ubi ergo imitationis confor-
mitas tollitur, nihil refert unde quis natus
dicatur. Nonne a dracone, pretiosissima
gemma dracontites oritur, et de gallo, ser-
pentium nequissimus basiliscus seu regu-
lus generatur? Medicinalis ac redolens
rosa, de spinis producitur; atque de heri-
nacio, spinarum acerbitas derivatur. Sic
aurum quoque de sulfure gignitur; et de
flamma perlucida, teter ortus spargitur
fumus. Sed quomodo sursum tolleris ex
parente qui quasi alterum asinum confun-
ditur genuisse? Pater autem meus gloriatur
se procreasse me equo æquivalentem. Ve-
ra ergo nobilitas, est sancta humilitas, quæ
mentem creatam Deo conjungit, gratia re-
plet, ad æternam felicitatem perducit.

ARTICULUS XVIII

DIFFICULTATUM HUJUS SEXTI METRI PROPOSITIO BREVISQUE ABSOLUTIO.

JOANNES. — Videtur Philosophia in hoc A metro intendere ac probare, quod homines universi in puris naturalibus sunt æquales. Unde ergo contingit, quod unus homo ex naturali dispositione alium tam vehementer excedit, ita quod quidam sunt naturaliter valde egregiæ indolis, et ad virtutes valde dispositi, acutissimi quoque ingenii, alii vero corruptæ inclinationis, et ad vitia etiam enormia mirabiliter, vel potius miserabiliter nimium proni?

DIONYSIUS. — Quæstio ista in superficie videtur non multum difficilis, estque com- B munis ad eam responsio, quod diversitas ista animarum seu hominum, ex diversa corporis dispositione contingit. Acutius vero pensando, grandis est in quæstione hac difficultas.

dist. 32 in fine. Noveris ergo, quod Magister Sententiarum, libro secundo hanc movet materiam, et tenet, quod animæ rationales ex sua creatione et natura inæqualitatem sortitæ sunt. Circa quod scribit Thomas : Quidam in angelis et animabus ponunt materiam, et hi forsan aliquo modo possent salvare C differentiam animarum in dignitate. Et hujus opinionis videtur fuisse Magister, dicens quod eo modo sit differentia in animabus sicut in angelis. Sed quoniam alibi satis probatum est, nec in angelis neque in animabus esse materiam, non potest inter animas rationales esse distinctio penes dignitatem naturæ, neque secundum gradus essentialis perfectionis : imo omnes secundum se nude et absolute acceptæ, sunt pares. Diversitas autem et gradus eminentiæ quæ in eis est, consur- D git ex diversa corporis dispositione, secundum quod ait Philosophus : Molles carne apti sunt mente.

Hanc positionem Albertus et Ægidius sunt secuti; et est positio ista communior: a qua tamen Thomistæ, præcipue Petrus de Tarantasia et Richardus de Mediavilla, recesserunt, sequentes Magistrum. Ait enim Petrus : Sicut Magister testatur, quemadmodum est diversitas attributorum in angelis, ita in animabus, quoniam erimus *Matth.* XXII, 30. similes angelis Dei in cœlo. Hinc sicut in angelis est inæqualis aptitudo naturæ ad gloriam, ita videtur esse in nobis. Unde vero inæqualitas ista contingat, diversi diversimode tradunt. Nam aliqui ponunt in animabus quasi spiritualem materiam ex qua sunt, et dicunt, quod quanto illa fuerit in animabus major seu purior, aut minor, secundum hoc animæ sunt magis aut minus subtiles. Alii dicunt, quod non habent materiam nisi in qua sunt, utpote corpus ; et hi dicunt, quod secundum diversitatem corporum provenit a Deo diversitas animarum, quoniam nobiliori perfectibili nobilior semper perfectio infunditur ac debetur. Prima positio verior esse videtur, quia frequenter in corpore fragiliori melior anima invenitur. — Richardus demum hic addit : Sive ponatur materia spiritualis in animabus sive non, credo quod quædam sint quibusdam nobiliores ex creatione, non solum in gratiis supernaturalibus gratis datis, sed item in naturalibus donis. Ad minus enim oportet in animabus ponere quod est et quo est ; et ratione illius quod est, quod se habet per modum materialis et passivi principii, possunt a Creatore diversimode disponi ac transmutari, sicque causari in eis proprietates diversæ, naturales individuis unius speciei. Nam quamvis sint supernaturaliter ac voluntarie datæ a Creatore, tamen

in quantum sunt inseparabiles ab animabus quibus collatæ sunt, et concordantes earum naturæ, nec elevantes eam supra speciem suam, sunt eis quodammodo naturales. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura tendit ad idem : Positio (inquiens) Magistri est satis probabilis, quia quum corpus sit propter animam, non econtra, excellentia ista in naturalibus ex parte animæ venit : non ratione principii ex quo, quia ex nihilo est, sed ratione principii a quo, hoc est a sapientia Conditoris, omnia congruo ordine producentis. Nihilo minus dispositio corporis multum confert ad exercitium habilitatum istarum, quamvis non sit principalis causa diversitatis habilitatum istarum : præsertim quum videamus frequenter homines pejoris complexionis esse melioris ingenii. Quumque videamus quosdam ad metaphysica, quosdam ad physica, alios ad mathematica aptiores : si causa horum quæratur, respondebit theologus esse hoc ex varia distributione donorum Dei, quæ omnia gratiæ appellantur a Sanctis. Philosophus vero diceret hoc esse ex diversa corporis dispositione. Et uterque diceret bene, sed theologus melius, utpote principaliorem causam assignans. Unde et Aristoteles libro de Animalibus, assignando causas dispositionis membrorum, ubi non invenit causam principalem ex parte naturæ, recurrit ad creatricis sapientiæ dispositionem. Hæc Bonaventura. Durandus autem sequitur S. Thomæ responsionem, ad quam etiam magis divertit Henricus.

Hæc hic breviter tetigisse sufficiat, de quibus super secundum Sententiarum plenius scripsi.

Cf. t. XXII, p. 434 D et s.

Joannes. — Quid in his potius sentis?

Dionysius. — Quum species rerum se

A habeant sicut numeri, in quibus unitas addita seu subtracta variat speciem, et species rerum in indivisibili consistere asserantur, nec substantia recipiat magis et minus ; non video quomodo opinio illa Magistri atque sequacium ejus valeat stare. Sed de hoc nolo hic amplius scribere, quamvis multa occurrant. Nam et astronomi circa hæc multa scripserunt, quemadmodum etiam influentiæ cœlestium corporum multiformiter agant et imprimant, inclinent et conferant in ipsis homi-

B nibus. Insunt etiam animabus habitus quidam innati priorum principiorum, tam in agibilibus quam in speculabilibus ; et posset quis opinari, quod in aliquibus essent fortiores, quum et S. Hieronymus in Regula protestetur, quod Aristoteli videtur infusum quidquid naturaliter sciri potest, atque Averroes fateatur, Optimum quod natura facere potest, in Aristotele fecit. Quod an verum sit, Deus novit.

Joannes. — Si tanta est hominum conformitas in natura, cur etiam jura prohi-

C bent illegitime natos a sacris ordinibus ?

Dionysius. — In detestationem peccati, et propter dignitatem ac reverentiam sacramenti.

Joannes. — Quomodo verum est quod dixisti, quosdam Manichæos Platonicos fuisse, quum Manichæus posuerit duo prima principia effectiva rerum, Plato tantummodo unum ?

Dionysius. — Aliquid attribuitur homini dupliciter, utputa simpliciter et secundum quid. Manichæi ergo nonnulli vocantur

D Platonici secundum quid, quoniam in quibusdam Platonem sunt assecuti. Sic et Porphyrius appellatur Platonicus, quia in pluribus imitatur Platonem ; et Avicenna, Peripateticus, quia in pluribus Aristotelem est secutus.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO MYSTICA HUJUS METRI SEXTI.

QUÆ de spirituali intelligentia hujus **A** metri possent induci, videntur satis præhabita. Nempe « omne hominum genus simili surgit ab ortu » : id est, quidam de omni genere hominum regenerantur in Christo et in ejus renascuntur Baptismo. [*Joann.* XII, 32.] De quibus ipse prædixit : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum; [*Ibid.* III, 5.] et rursus : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in [*Malach.* II, 10.] regnum Dei. « Unus » quoque « est » omnium « pater », cui quotidie dicimus : [*Matth.* VI, 9.] Pater noster, qui es in cœlis. De quo in **B** [*Ibid.* XXIII, 9.] Evangelio loquitur Christus : Patrem nolite vobis vocare super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.

« Ille dedit radios Phœbo » : id est, Christo soli justitiæ, contulit secundum naturam ejus assumptam radios sapientiæ, quantum intellectus ejus creatus capere quivit. « Dedit et cornua lunæ » : id est, Ecclesiæ condonavit potestatem et jurisdictionem tam spiritualem quam sæcularem. Quæ designantur per duos gladios de [*Luc.* XXII, 38.] quibus in Cœna dixerunt discipuli : Ecce **C** duo gladii hic. « Ille » itidem « dedit homines », id est carnales, sæculares, « terris », quoniam circa terrena sunt occupati; et plures ex eis plus terrena quam cœlestia quærunt : ideo pereunt. [*Jer.* XVII, 13.] De quibus Jeremias loquitur Deo : Recedentes a te, in terra scribentur. « Sidera » vero dedit « cœlo » : id est, vere devotos, vere religiosos, contemplativos, et qui exemplis ac verbis instruunt alios, deputavit locandos in regno cœlorum, quemadmodum archangelus Gabriel dixit ad Dani- **D** [*Dan.* XII, 3.] elem prophetam : Qui multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

« Mortales igitur cunctos » fideles « edit nobile germen », videlicet Christus Unigenitus Dei Patris ac Virginis matris : quia ut Jacobus apostolus fatur : Voluntarie ge- [*Jacob.* I, 18.] nuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Cur ergo, o Christiani, « genus » carnale et progenitores jactatis, et non potius de cœlesti generatione gaudetis? Quotquot enim receperunt eum, [*Joann.* I, 12, 13.] dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Certe « si primordia vestra » (id est, ecclesiastica sacramenta, et semen verbi cœlestis, atque charismata gratiæ ac virtutum, quibus spiritualiter nati estis et regenerati, juxta illud Apostoli, Per Evangelium in Christo ego vos genui), [I *Cor.* IV, 15.] « auctoremque Deum », a quo omnia bona hæc vobis collata sunt, spectetis, « nullus degener » erit; sed omnes in Christo eritis fratres et unum mysticum corpus, sicut ait Apostolus : In Christo Jesu non est [*Galat.* III, 26-28; *Coloss.* III, 11.] servus neque liber, nec masculus neque femina, neque Barbarus neque Scytha : imo omnes in unum corpus baptizati su- [I *Cor.* XII, 13.] mus. Nisi qui « vitiis » foveat « pejora », et « deserat » hunc cœlestem « ortum ». Cui quo plus datum est, eo plus requiretur ab [*Luc.* XII, 48.] eo; et intolerabiliorem damnationem recipiet, sicut in Evangelio ait Salvator : Ser- [*Ibid.* 47.] vus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis.

De his, quia præhabita sunt, saltem pro maxima parte, pertranseo. Verum tu nobilis, tu doctior aliis, tu qui præsides et alios regis, noli altum sapere, sed time; [*Rom.* XI, 20.] et quo major es, humilia te in omnibus, [*Eccli.* III, 20.] sciens quod hi quibus major videris, te forsan in donis gratiæ gratum facientis

excedunt, aut forsan a Deo magis electi A sunt. Nempe ut ait Apostolus, Si quis existimat se aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit ; itemque, Si quis se existimat aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.

Gal. VI 3

1 Cor. VIII 2.

Præterea adhuc occurrit memoriæ aliquid de prima jam præhabita quæstione : quia positioni Magistri videtur favere determinatio domini Stephani Parisiensis episcopi, et ipsius universitatis Parisiensis ; quoniam inter articulos ibi B damnatos unus est iste : Quod nos pejus aut melius intelligimus, hoc venit ab intellectu passivo, qui dicitur esse potentia sensitiva : error, quia hoc ponit unum intellectum in omnibus hominibus, aut æqualitatem in omnibus animabus. Et rursus in alio continetur articulo : Inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis, quia quum ipsa diversitas esse non possit a corpore, oporteret quod esset a parte intellectuum, et sic animæ nobiles et ignobiles necessario essent diversarum specierum, sicut intelligentiæ : error, quia sic anima Christi non esset nobilior anima Judæ.

an. 1277

Joannes. — Quomodo audet quis aut licitum est contradicere illi determinationi, quum pœna excommunicationis contradicentibus sit illi ? Ita et miror quod S. Thomas hoc fecit.

Dionysius. — Thomas determinationem illam diu præcessit ac dominum Stephanum illum. Scotus vero respondet, quod excommunicatio se non extendit extra diœcesim.

PROSA VII

QUID autem de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ ? Quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ, fruentium solent referre corporibus ! Quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Quæ si beatos explicare possunt, nihil causæ est quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lasciviam * festinat intentio. Honestissima quidem conjugis foret liberorumque jucunditas ; sed nimis e natura dictum est, nescio quem filios invenisse tortores. Quorum quam sit mordax quæcumque conditio, neque alias expertum te, neque nunc anxium, necesse est admonere. In quo Euripidis mei sententiam probo, qui carentem liberis, infortunio dixit esse felicem.

* lacunam

ARTICULUS XX

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS SEPTIMÆ.

NUNC ante ostensum est, quod nec in C divitiis, nec in honoribus, dignitatibus aut præsidentiis, nec in potestate, neque in fama consistat felicitas ; hic probatur, quod nec in delectationibus carnis. Itaque ait Philosophia :

Quid autem de corporis voluptatibus loquar? A quasi dicat : In illis nequaquam poni potest felicitas. Cujus ratio una subjungitur. *Quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ :* id est, « quarum » voluptatum « appetentia », id est concupiscentia sensualis, « plena est anxietatis », id est sollicitudinis atque formidinis non pertingendi ad illas, vel incurrendi aliquod impedimentum aut certe periculum in accedendo aut redeundo, aut consimilis incommodi, quia frequenter sic est, et amor ille carna- B lis inquietudine plenus est (propter quod dixit Ovidius, Res est solliciti plena timoris, amor); « satietas vero », id est perceptio seu expletio fœdæ voluptatis, est plena « pœnitentiæ », id est displicentiæ seu mœroris de ipsa voluptate præterita, non in quantum est Dei offensiva, sed quia ad eam consequuntur multa mala pœnalia. De quibus subjungitur :

Quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ, fruentium solent referre corpo- C *ribus!* id est, « quantos » (id est quam multos) « morbos » et « quam intolerabiles dolores illæ » voluptates « solent referre », id est pro præmio infligere, dare, relinquere, « corporibus fruentium » voluptatibus ipsis, « quasi fructum quemdam nequitiæ », id est tanquam effectum et mercedem voluptatis tam vitiosæ : quia

Cf. p. 253 B'. ut allegatum est, ipsa nequitia pœna est sui; atque ut asserit Leo Papa, Prava mens jam intra se patitur quidquid de bonitate differtur; inordinatus quoque ani- D mus sibi ipsi gravis est. Hinc etiam de conjugatis, Corinthiis scribit Apostolus :

I *Cor.* VII, 28. Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. De illegitime vero convenientibus pro-

Ibid. VI, 18. testatur ac admonet : Fugite fornicationem : omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra ipsum est; qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat, addicens illud pudendo dedecori et indispositioni multiplici.

Quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Si per jucunditatem intelligatur delectatio bona quæ est annexa actui virtuoso (quia secundum Philosophum in Ethicis, signum virtutis est delectatio fiens in opere bono), sic constat quod Philosophia nescivit « quid jucunditatis habeat » venereus actus, quoniam nullam habet, loquendo de actu illo in non conjugatis. In conjugatis vero idem est judicium de actu illo et de delectatione ipsius, prout Thomas, Richardus, Petrus et alii quidam *Cf.* t. XXV, p. 112 B et s.

super quartum Sententiarum testantur : quia secundum Philosophum, idem est judicium de bonitate et malitia delectationis, quod de bonitate et malitia actus cui conjuncta est. Si autem per jucunditatem intelligatur delectatio sensualis, potest dici, quod Philosophia, prout in hoc libro describitur ac loquitur in persona virginalis puellæ seu sapientiæ, non scivit de illa jucunditate per experientiam.

Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget : hoc est, « quisquis », id est quicumque, « volet », id est optabit, « reminisci suarum libidinum », id est concupiscentiarum carnalium, « intelliget », id est cognoscet, « exitus », id est terminationes et sequelas voluptatum, « esse tristes », id est afflictivas.

In quibus voluptatibus non esse felicitatem probat consequenter alia ratione. *Quæ si beatos explicare possunt,* id est, « quæ », scilicet voluptates, « si possunt explicare », id est peragere, « beatos »; *nihil causæ est,* id est, nulla ratio subest, *quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lasciviam festinat intentio.* Quemadmodum Thomas declarat in prima secundæ, quæstione duodecima, intentio proprie est art. 5.

actus voluntatis tendentis in aliquid tanquam in finem; nec proprie convenit brutis, quæ ratione carent ac voluntate, et naturali moventur instinctu sensitivoque appetitu : hinc intentio eis non convenit nisi quasi passive, in quantum moventur ad exsequendum id ad quod ab auctore

naturæ sunt instituta et ordinata, sicut sagitta tendit in signum a sagittante directa. Hinc secundum Damascenum, bruta potius aguntur atque moventur a superioribus causis, quam agant et moveant. Est igitur sensus : « Quarum », videlicet pecudum, « omnis intentio », id est inclinatio naturalis, est « ad explendam corporalem lasciviam », id est voluptatem : non quod solum inclinentur ad delectationem hujusmodi, sed etiam ad alimenta. Unde dum vident pulchrum et floridum pratum, non delectantur in illo, nec alliciuntur nec tendunt ad illud in quantum est pulchrum, sed ut est delectabile ad edendum. Hinc juxta Philosophum libro de Animalibus, bruta inclinantur ad bonum delectabile et utile, non ad honestum. Verumtamen quædam sunt animalia naturaliter casta, ut turtur, elephantus, et consimilia. Philosophia vero hic probat intentum, ex natura animalium non quorumcumque, sed quæ ex natura sua sunt multum libidinosa, et quibus in promptu est objecta concupiscentiarum suarum habere.

Ad harum contemptum philosophi præcipui fervide hortabantur suos discipulos, et ad vitam extreme oppositam, id est totaliter intellectualem, contemplativam, heroicam. Unde in Phædone disseruit Plato : Quoties a corpore allicitur anima in ea quæ nunquam secundum idem se habent (hoc est ad sensibilia atque carnalia), ipsa seducitur et turbatur, et singultit velut inebriata ; quoties autem per se ipsam speculatur, illico defertur in sincerum et semper exsistens immortaleque bonum. Eapropter recte palæstæ abstinent ab his quæ secundum corpus sunt concupiscentiis. Aristoteles quoque Alexandrum ad vitandum venerea frequenter admonuit. Cui etiam Alexandro Antigonus dixit : Indignus es imperare, eo quod voluptati sis subditus. Denique legitur, quod Diogenes philosophus quadam vice ad se homines convocavit in foro tanquam magnum quid eis dicturus. Quibus collectis, præmisso silentio, ait : Homines vocavi, non bestias. Tanquam assereret : Vos bestiæ estis, qui sensualitatem sectamini ; hominis vero est rationem sectari.

Consequenter Philosophia probat, quod nec in voluptate conjugali consistat felicitas, et per consequens minus in alia. *Honestissima quidem conjugis foret liberorumque jucunditas :* hoc est, « jucunditas », id est delectatio, « conjugis », et « liberorum », id est filiorum, esset « honestissima », id est multum honesta marito, utputa delectatio quam habet cum conjuge et ex filiorum possessione ac dilectione. *Sed nimis e natura dictum est,* id est, « dictum » istud quod sequitur, « est nimis e natura », id est juxta naturam, videlicet : *nescio quem filios invenisse tortores :* id est, « nescio », id est, per modum nescientis me habeo, non referendo complete quod scio, utputa, « quem », id est aliquem patrem, « invenisse », id est habuisse, « filios tortores », id est punitores, ita quod filii sui punierunt occideruntque eum. Legitur quippe in gestis Romanorum, quod princeps quidam eorum, filios habuit tres rebelles : quorum duos occidit ; tertius vero fugit, deinde congregato exercitu, patrem suum obsedit : qui cernens se non posse evadere manum filii sui, peremit se ipsum. Item legitur, quod Brutus princeps Romanus, occidit filios suos, eo quod voluerunt intromittere filios Tarquinii regis ab urbe expulsi. Torquatus quoque, Romanorum princeps, interfecit adolescentem filium suum egregiæ indolis, eo quod contra suum præceptum hostes Romanorum invasit, quum tamen eodem prævaluerit bello. Insuper Saturnus legitur occidisse quosdam filios suos : propter quod Jupiter filius ejus expulit eum regno. Sic et Hercules furia concitatus, trucidavit propriam contoralem ac filios.

Quorum quam sit mordax quæcumque conditio, id est, « quorum » filiorum « conditio quæcumque », id est eventus seu status quicumque displicens parentibus,

quam multum sit afflictivus parentum, *neque alias expertum te, neque nunc anxium, necesse est admonere :* hoc est, « necesse est » ut admoneam « te » de his, « neque expertum alias », id est, te qui ante non es istud in te ipso expertus, quoniam virtuosam uxorem obedientesque filios habuisti, « neque nunc anxium », id est, te qui modo non times quod postmodum ita tibi eveniat, nec tristis es quod tibi ita acciderit ante. *In quo Euripidis mei sententiam probo :* id est, in hoc negotio « probo », id est, commendo et approbo, « sententiam », id est verbum prudentiale, « Euripidis », id est philosophi sic vocati, « mei », id est, qui fuit alumnus meus et professor. *Qui carentem liberis, infortunio dixit esse felicem :* id est, « qui » Euripides « dixit » hominem « carentem liberis esse felicem », id est aliquid felicitatis participantem et minus infelicem, « infortunio », id est ex hac ipsa liberorum carentia : quia ex hoc est magis quietus, et minus gravatus sollicitudine atque multiplici onere quo gravantur parentes circa sobolem suam, cui providere tenentur, et eam instruere, corripere, gubernare. Unde dixit Apostolus :
II Cor. xii, 14. Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

Præterea, quum matrimonium ad sobolis procreationem sit institutum, ita quod proles est matrimonii fructus; hinc eufortunium seu prosperitas quædam est, conjugatos prolem habere, et absolute melius quam prolem non procreare, nisi conjugati ex communi consensu, Dei ac castitatis amore vellent totaliter continere. Hinc prole carere, diffortunium appellatur, in quantum institutioni connubii contrariatur. Sed sicut scriptum est, et supra
Eccli. xvi, 3, 4, 1. allegatum : Melior est unus filius timens Deum, quam mille filii nequam ; et utile est sine filiis mori, quam relinquere filios nequam : non ergo jucunderis in filiis ne-

A quam (neque in vagis et insipientibus filiabus) si multiplicentur. Itaque, propter onera atque incommoda variosque eventus adversos conjugio junctos, non consistit in eo felicitas : præsertim quia et raro concordant diu ac perseveranter ipsi conjugati ; quumque nequeant separari, oritur inter eos displicentia gravis, mirabile odium, et vita amara, ut etiam super quartum Sententiarum, tractatu de sacramento Matrimonii, tangit Bonaventura. Propter quod Theophrastus philosophus
B dixit, quod sapienti non expediat nubere. Et rursus in libro de Nuptiis scripsit : Non est uxor sapienti ducenda. Primo, quoniam philosophiæ studia impedit, nec potest libris quisquam et uxori pariter inservire. Multa sunt quæ matronarum usibus necessaria sunt. Deinde per totam noctem quæstiones garrulæ et querelæ : Illa ornatior procedit in publicum ; illa honoratur ab omnibus, ego misera in conventu feminarum despicior. Cur adspiciebas vicinam? Quid cum illa loquebaris?
C De foro veniens : Quid attulisti ?

Hinc etiam Hugo in libro de Vanitate mundi disseruit : Dic mihi, quid vides? Video nuptias multiplicemque jucunditatem in eis ; conspicio sponsum adolescentem, sponsam facetam et speciosam ; audio symphoniam, chorizantes adspicio, et undique cuncta jucunda. Dic mihi, quid vides post hæc? Video sponsam imprægnatam, partui cum formidine propinquantem, cum vehementi dolore miserabilique clamore parturientem ; audio pro-
D lem natam assidue ejulantem, parentum quietem et somnum impedientem ; considero curam, laborem, inquietudinem undique convenientes ; maritum et conjugem quotidie litigantes, nec simul manere neque ab invicem separari valentes. Heu ! quid laudem ? O quam ingens et diuturna tristitia brevem lætitiam est secuta !

METRUM VII

Habet omnis hoc voluptas :
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO METRI HUJUS SEPTIMI.

IN hoc metro Philosophia metrice exprimit quod in fine ante habitæ prosæ dixit de voluptatum venenata ac deceptoria attractione : et hoc sub metaphora apium evolvit.

Voluptas omnis, id est delectatio omnis venerea, præsertim in actu consistens illicito, *habet hoc,* id est istum effectum : *agit,* id est, movet et concitat, *fruentes,* id est, coeuntes qui se invicem non utuntur legitime, ipsum actum ac voluptatem ordinando ad honestum ac debitum finem, sed fruuntur se mutuo, sibi ipsis sibique invicem magis inhærendo quam Deo, cui præponunt se ipsos et suam libidinem, malentes turpiter delectari, Deum offendere et ejus prævaricari præceptum, quam voluptate carere brutali : hos igitur « voluptas agit » *stimulis,* id est stimulationibus carnis, et *par,* id est, similis est, *apium volantum,* id est, cito pertransit, sicut apes volantes. Unde Augustinus exclamat : O quam brevis est concubitus hora, in qua amittitur gratia Dei ac beatitudo æterna, et insuper mercator stultissimus emit ac promeretur sibi sempiterna supplicia ! O quale commercium, insipientia atque insania infinita ! Sceleratissimus ille negotiator ac proditor Judas vendidit Unigenitum Dei Patris pro triginta denariis, et tu in te ipsum crudelior, id pro quo Filius Dei vendi ac crucifigi dignatus est, id est te ipsum, vendis iniquitati ac tradis diabolo pro uno denario.

Matth. XXVI. 14.15.

Ubi (id est postquam, et in loco quo) apis *fudit mella grata,* id est accepta et dulcia, *fugit* avolando, *et ferit* suo *morsu,* id est aculeo, *nimis tenaci,* id est valde firmiter inhærente, *corda icta,* id est percussa, quoniam dolor corporis usque ad cor pertingit. Vel sensus est, quod « ubi » voluptas « fudit grata mella », id est, suaviter oblectavit male agentes, « fugit », quia cito finitur, « et ferit corda icta », id est vulnere iniquitatis oppressa, « morsu nimis tenaci », id est remorsu conscientiæ diuturno. Qui enim peccat ex infirmitate, id est ex vehementia passionis, dolet iniquitate commissa. Et talis, secundum Philosophum, appellatur incontinens : qui passione cessante, continere proponit ; sed superveniente passione intensa, vincitur et excedit. Qui si omnium judicem Deum haberet præ oculis passionemque Christi, et invocaret Omnipotentis auxilium, non peccaret. Age ergo et imple quod in Ecclesiastico legitur : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Eccli. 40.

Itaque hic docemur abhorrere venerea, vitare carnalia, in quibus non solum non consistit felicitas, imo in eis est extrema calamitas, quemadmodum ait Innocentius Papa : O extrema libidinis turpitudo! quæ non solum mentem effeminat, sed et cor-

pus enervat; non solum maculat animam, A sed etiam fœdat personam : quæ teste
I *Cor.* vi, 15. Apostolo, de membris Salvatoris, membrum efficit meretricis; et de milite Dei, facit servum diaboli. Certe ut Hugo testatur, Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ humanum corpus debilitat, ac virilis animi robur evacuat. Hinc in Proverbiis suis ait Cyrillus : Scio quod furibunda luxuria oculis caret : ideo intueri nequit quod ruit. Quid est quod, o luxuriose, effundis? Nonne digestissima B medulla, nonne vitæ admirabilis sementiva vena, atque humanæ naturæ radicalis carnis substantia, generativæ quoque virtutis thesauraria? Ecce quam sapienter hortatus est Seneca : Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede; a verbis quoque lascivis ac turpibus abstineto, quoniam impudentiam nutriunt. Concordat
Ibid. xv, 33. quod ait Apostolus : Corrumpunt bonos mores colloquia mala.

Tu ergo, o studiose scholaris, in virginitate et castitate, non in voluptate, tuam C
Matth. v, 8. felicitatem constitue, quia beati mundo corde castoque corpore. Virginitas est soror angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnis gratiæ ac virtutum : quæ et aureolam promeretur, sicut martyrium. Continentia mentem clarificat, ingenium acuit, sapientiam promeretur; incontinentia mores corrumpit, intellectum obtundit, inquietudinem gignit, et omne in anima meritum demolitur. Adverte
Prov. v, 3-5, 7, 8. quod locutus est Salomon : Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo gut- D tur ejus; novissima autem illius amara sicut absinthium, et lingua ejus acuta ut gladius biceps : pedes ejus descendunt in mortem, ad inferos gressus illius. Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei : longe fac viam tuam ab ea, et ne appropinques foribus domus ejus.

JOANNES. — Multa jam utilia circa hoc breve metrum dixisti : ideo multa sciscitari non audeo. Unum breviter quæro, an in omni voluptate carnali, etiam copulæ conjugalis, consistat peccatum.

DIONYSIUS. — De hoc sunt duæ opiniones. Una, quod in omni copula conjugali ad minus sit culpa aliqua venialis, non in quantum ex prævia ratione ac virtute procedit, sed quia ad eam etiam aliqua carnis libido ac fomes inclinant. Hanc opinionem sequuntur Innocentius Papa et Alexander de Hales, et alii quidam. Quod et B. Augustinus in multis locis sentire videtur. Quibus favere videtur illud Psalmistæ : Ecce *Ps.* L, 7.
enim in iniquitatibus conceptus sum. Alia opinio est, quod actus conjugalis potest esse sine omni peccato : in quantum est actus justitiæ, quoniam conjugati tenentur invicem carnis debitum reddere; et item in quantum est latriæ actus, ita quod exercetur desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, non voluptatis affectu. Hanc positionem sequuntur Thomas, Albertus, Bonaventura, Petrus, Richardus multique alii : quibus in hoc magis consentio. Verum de hoc super quartum Senten- *Cf.* t. XXV,
tiarum plenius scripsi. p. 60 D et s., 111 B' et s.

Postremo, sicut in Summa contra gentiles, libro tertio, ita et in prima secundæ, cap. 27 et s.
quæstione secunda, diffuse ostendit sanctus Doctor, quod in nullo prædictorum, videlicet nec in divitiis, nec in honoribus, nec in potestate, fama, aut voluptatibus, felicitas sita sit. Ubi de his multa pulchra inducit, quæ pro maxima parte sunt habita.

PROSA VIII

* deviæ

NIHIL igitur dubium est quin hæ ad beatitudinem viæ, devia * quædam sint, nec perducere quemquam eo valeant ad quod se perducturas esse promittunt. Quantis vero implicitæ malis sint, brevissime monstrabo. Quid enim? Pecuniamne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? Donanti supplicabis ; et qui præire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiamne desideras? Subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis? Sed per aspera quæque distractus, securus esse desistis. Voluptariam vitam degas? Sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei, corporis, servum ? Jam vero qui bona præ se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione nituntur ! Num enim elephantes mole, tauros robore superare poteritis ? Num tigres velocitate præibitis ? Respicite cœli spatium, firmitudinem, celeritatem, et aliquando desinite vilia mirari. Quod quidem cœlum non his potius est, quam sua qua regitur ratione, mirandum. Formæ vero nitor ut rapidus est, ut velox, et vernalium florum mutabilitate fugacior ! Quod si, ut Aristoteles ait, lynceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia quæque penetraret, nonne introspectis visceribus, illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur ? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Sed æstimate quam vultis nimio corporis bona, dum sciatis hoc quodcumque miramini, triduanæ febris igniculo posse dissolvi. Ex quibus omnibus illud redigere in summam licet, quod hæc, quæ nec præstare quæ pollicentur bona possunt, nec omnium bonorum congregatione perfecta sunt, ea nec ad beatitudinem quasi quidam calles ferunt, nec beatos ipsa perficiunt.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS OCTAVÆ.

POSTQUAM in præcedentibus prosis Philosophia probavit in prædictis quinque nequaquam veram felicitatem consistere, nunc in generali declarat multa mala eis esse annexa.

Nihil igitur dubium est quin hæ ad beatitudinem viæ, id est quinque præfata, quæ putantur esse « viæ » ad felicitatem seu ipsa felicitas, *devia quædam sint,* id est recessus et diverticula a beatitudine : non quod ista omnia sint mala in se, sed occasio sunt peccandi, et plures impediunt a salute per abusum ipsorum ; *nec perducere quemquam eo* (id est ad hoc) *valeant ad quod se perducturas esse promittunt* materialiter, non effective, neque formaliter, quum non sint res vivæ ratione utentes, cujus actus exstat pro-

mittere proprie sumptum. *Quantis vero* A *implicitæ malis sint, brevissime monstrabo,* id est, compendiose docebo quantis culpis et afflictionibus admixta et involuta sint quinque ista, et consimilia quædam quæ reducuntur ad ista.

Quid enim? id est, quid dicis ad ista? *Pecuniamne congregare conaberis?* id est, visne pecuniam colligere ad reponendum et thesaurizandum avare? *Sed eripies habenti :* id est, si hoc agere studueris, incides furtum, rapinam, fraudem, usuram, adulationem, simoniam, aut similes vias B ac modos acquirendi pecuniam aliorum.

Dignitatibus fulgere velis? id est, dato quod cupias ad officia, prælaturas, præsidentias promoveri. *Donanti supplicabis,* id est, precibus eas obtinere niteris a superioribus : et tamen hoc ipsum præsumptionis et arrogantiæ esse censetur, quod homo homini præesse desiderat. *Et qui præire ceteros honore cupis,* id est honorabilior esse, reputari aut apparere, *poscendi humilitate vilesces,* id est, vilis et contemptibilis apparebis ex dejectione C et ficta humiliatione qua te deprimis ut prælationem præsidentiamve acquiras. Etenim nulla res carius emitur, quam quæ precibus obtinetur, ut Seneca loquitur. Qui rursus testatur : Molestum verbum est, humiliato capite dicere, Rogo te.

Potentiamne desideras? id est, utrum quæris temporalem potestatem super subjectos? *Subjectorum insidiis obnoxius,* id est objectus aut patiens, *periculis subjacebis,* id est damnis seu læsionibus : quæ interdum ab inferioribus inferuntur ma- D joribus, quia multos metuere habet, qui a multis timetur.

Gloriam petis, id est celebre nomen et inclytam famam? *Sed per aspera quæque distractus,* id est propter adversa tibi imminentia occupatus, *securus esse desistis,* id est, desinis esse tutus, timendo adversa ab his qui invident tuæ famæ.

* *degas* *Voluptariam vitam diligas*?* id est, si diligis vitam voluptuosam, sperneris ab omnibus. Ideo subditur : *Sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei, corporis, servum?* id est, tunc omnes te despicient tanquam « servum vilissimæ » et « fragilissimæ rei », utputa « corporis » tui, cujus passionibus et concupiscentiis servis et subjaces. Iniqui enim sunt servi corruptionis et pas- *II Petr.* II, 19. sionum : quoniam a quo quis superatus est, hujus et servus est. Hinc Diogenes dixit se esse dominum dominorum Alexandri : insinuans passiones dominari Alexandro, quibus ipse Diogenes dominabatur. Quocontra orat Psalmista : Gressus *Ps.* CXVIII, 133. meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

Consequenter Philosophia reprehendit eos qui corporalia bona et quædam naturalia dona reputant maxima.

Jam vero qui bona præ se corporis ferunt, id est, qui præferunt sibi bona corporis, *quam exigua, quam fragili possessione nituntur!* id est, hi innituntur et affectu inhærent valde exiguæ atque instabili possessioni. Ad quos Philosophia dirigit sermonem. *Num enim elephantes mole, tauros robore superare poteritis?* id est, nequaquam « poteritis superare elephantes mole », id est magnitudine, quum elephantes tantæ sint quantitatis quod super dorsa eorum turres ligneæ construuntur, in quibus stant triginta viri aut circiter, qui desuper præliantur, ut in libris fertur Machabæorum; et « tauros robore » *I Mach.* VI, 37. corporali. Legitur quippe in vita S. Silvestri, quod adductus fuit coram Constantino imperatore taurus vix a centum hominibus tractus : quem ope dæmonum a Judæo occisum, beatissimus Papa Silvester resuscitavit a morte; sicque matrem imperatoris S. Helenam, ac centum viginti doctissimos Judæorum, ac alios multos convertit ad Christum. *Num tigres velocitate præibitis?* id est, non poteritis esse velociores quam tigres, quæ sunt velocissimæ bestiæ, ita quod fugientes nemo attingere, et insequentes nemo effugere et evadere valet, nisi per artem : quia ut refert Hieronymus, venatores ca-

ptis eorum catulis fugientes, clarissima specula ponunt in via, in quibus tigres proprias videndo imagines, putant se cernere catulos suos, et figunt gradum, sicque venatores evadunt.

Hæc brutorum exempla inducit Philosophia, ad probandum quod in corporalibus istis nil præcipue reputandum consistat, quum bruta in his excellant homines ipsos. Denique ad considerandum hoc ipsum, Philosophia erigit et hortatur nos ad contemplandum altiora.

Respicite cœli spatium, id est extensionem sphæricamque figuram, omnium figurarum perfectissimam ac capacissimam, secundum Euclidem; *firmitudinem,* id est indissolubilem firmitatem ac in- Cf. p. 51 B'. frangibilem soliditatem, quia ut supra ex Job xxxvii, 18. libro Job allegatum est, Cœli solidissimi sunt quasi ære fusi : hinc sphæra octava firmamentum vocatur; *celeritatem,* id est velocitatem in motu : motus enim primi mobilis est tam velox quod per naturam non potest esse motus eo velocior, secundum Philosophum octavo Physicorum, et in libro de Cœlo et mundo. Verumtamen Cf. t. XXV, p. 2?? B et s. corpora glorificata electorum post diem judicii multo velociora erunt : non quod movebuntur in instanti, quamvis Guillelmus Parisiensis in libro de Universo hoc dicat et persuadere conetur, sed in brevissimo; atque ut addit Albertus in Scripto quarti, quasi in imperceptibili tempore : in quo totum cœli spatium poterunt pervolare, præsertim corpora sublimorum Sanctorum. Non enim erunt (ut reor) æque omnia velocia, sicut nec æque clara : imo quo perfectiores fuerunt animæ gloriosæ in tribus dotibus suis, eo et dotes corporum erunt excellentiores. *Et aliquando desinite vilia mirari :* id est, tandem post horum considerationem « desinite mirari vilia », id est qualitates istas et quantitates inferiorum ac bestiarum, quarum velocitas, pulchritudo et moles quasi nullius momenti sunt comparatione cœlestium corporum. Propter quod in Isaia scriptum est : Levate in ex- Is. xl, 26. celsum oculos vestros, et videte : itemque in Psalmo : Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Ps. viii

Verumtamen non debemus penitus ab inferiorum ac brutorum admiratione cessare, secundum quod in ipsis relucet sapientia, omnipotentia ac bonitas Creatoris, quum et ipse Deus horum considerationem nobis in divinis proponat Scripturis ad commendandam excellentiam suam, ut quum Dominus Deus ad sanctum Job loquitur : Numquid præbebis equo forti- Job xx[xix], 19-25. tudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Gloria narium ejus terror; terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus; fervens ac fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit : Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Juxta hunc modum multa dicuntur ibi de aliis bestiis. Debemus Ibid. [...] 26-30 ; xli. ergo etiam ista attendere, sed ordinate, non inordinate ; nec stare in istis, sed ad altiora considerando ascendere, et ex omnium admiratione ac speculatione ad supergloriosissimi Creatoris contemplationem, amorem et cultum mentes nostras erigere, in ipso quiescere, ac totam nostram salutem constituere in eodem.

Quod quidem cœlum non his potius est, quam sua qua regitur ratione, mirandum : id est, ipsum « cœlum non est mirandum », id est cum admiratione considerandum, « potius », id est magis, « his », id est ex his proprietatibus suis, videlicet magnitudine, firmitate et velocitate, « quam » ex « ratione sua qua regitur ». Per quam rationem Platonici intelligerent animam mundi, vel ipsam animam cœli (quod animatum dixerunt, sicut et Peripatetici), vel intelligentiam, quæ secundum auctorem libri de Causis et Avicennam, dirigit animam nobilem. Melius vero per rationem hanc intelligitur vis et lex seu ordinantia indita et impressa cœlis

a Deo, qua gubernantur, vel dispositio A gubernationis in mente motorum cœlestium, præsertim in sapientia ac lumine primæ causæ, quæ etiam loquitur in Job : Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ? Unde et paulo post proferetur :

Job xxxviii, 33. — Metr. ix.

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Præterea, Philosophia increpatorie loquens de carnalibus et excæcatis hominibus, « Jam vero qui bona præ se corporis ferunt », loquitur ironice de eisdem B sub similitudine sumpta a simia, quæ (ut legitur) simul parit gemellos, quorum turpiorem tanquam sibi similiorem plus amat, et ante se ponit, aut in brachiis suscipit ; alter vero dorso ejus incumbit : sic insensati ac miseri homines turpiora, id est carnalia et terrena, ante se ponunt et amplexantur ; divina vero et spiritualia aspernantur.

Amplius, Philosophia dicendo, « Quod quidem cœlum non his potius », etc., minus dicit, et magis prætendit, puta quod C cœlum ex ratione qua regitur, sit magis mirandum. Juxta quem modum etiam Tullius dixit in scripto de Senectute : Non tantum admiror pulchritudinem agri bene culti, quantum ipsam dispositionem ipsius ac rationem.

Deinde probat Philosophia, quod nec corporis pulchritudo sit multum curanda aut appretianda.

Formæ vero nitor, id est claritas pulchritudinis, *ut rapidus est, et * velox,* id est, sicut raptim pertransiens est, ita et D fugax, nec diu durans, *et vernalium florum mutabilitate fugacior,* id est instabilior ipsis mutabilibus floribus, qui nascuntur in vere. Hoc tamen non est ita intelligendum quasi pulchritudo hominum nequeat per notabile tempus durare (imo pluribus annis in aliquibus durat, sicut in Genesi scribitur de Sara conjuge Abrahæ, quod nonagenaria adhuc ita fuit formosa quod Abimelech rex abstulit eam : propter quod fuit plagatus), sed quod pulchritudo

* *ut*

Gen. xvii, 17 ; xx, 2 et seq.

hominis facillime atque sæpissime alterari potest ac minui ad tempus, quantum ad ejus nitorem, ex variis causis, ut ex infirmitate, timore, tristitia, fame, etc. Unde in Isaia legitur : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Et Jacobus ait : Dives sicut flos fœni transibit.

Is. xl, 6. — *Jacob.* i, 10.

Quod si, ut Aristoteles ait libro de Animalibus, *lynceis oculis homines uterentur,* id est, si tam acute et clare viderent ut lynces, *ut eorum visus obstantia quæque penetraret,* id est, ita quod per objecta et obstacula transpicerent ; *nonne introspectis visceribus, illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur ?* id est, utique « corpus illud Alcibiadis » (quæ fertur fuisse Herculis mater : quod tamen aliqui negant, quoniam Hercules fuit filius Jovis ex Alcmena ; nec ideo dictus est alio nomine Alcides quia filius fuit Alcibiadis, sed ab ἀλκή, quod est virtus, et ἡδύς, formosus, quoniam virtuosus fuit et formosus, loquendo de virtutibus acquisitis : ideo alii adstruunt, quod Alcibiades fuit vir, filius regis Atheniensis, pulcherrimus ; de cujus pulchritudine Plato edidit librum) « pulcherrimum superficie », id est valde pulchrum forinsecus, « videretur » esse « turpissimum, visceribus », id est intestinis, « introspectis », id est intus clare perspectis, in quibus sunt superfluitates naturæ variique humores : nam et corpus humanum dicitur intus dispositum pro magna parte instar corporis porci, et etiam ursi. De ista Alcibiade non est certum quæ fuerit : ideo possit poni exemplum theologicum prorsus certum de Esther regina, quæ etiam fuit sancta. De qua scriptum est : Esther erat formosa valde et incredibili pulchritudine ; omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

Esther ii, 15.

Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas : hoc est, « infirmitas », id est debilitas, « oculorum » hominum intuentium te, « non tua natura », id est non pulchritudo tibi innata seu naturalis, « red-

dit », id est facit, « te pulchrum videri » A forinsecus, quum sis turpis intrinsecus, quo oculi non pertingunt.

Ex his innotescit, quod lynx excedit hominem in acumine visus, sicut aranea in tactu, vultur in odoratu, simia gustu, aper auditu. Inde sunt versus hi :

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.

Porro verbum hoc Philosophiæ, « Igitur te pulchrum videri », etc., est accipiendum ut non dissonet a Scriptura : in qua de B multis utriusque sexus personis conscriptum est, quod valde speciosæ et pulchræ fuerunt; et de ipsomet Christo in Psalmo : Speciosus forma præ filiis hominum. (Ps. XLIV, 3.) Cujus etiam electissimæ sponsæ in novo Testamento et martyres gloriosæ, Catharina, Ursula, Barbara, Agnes, ac multæ consimiles, admirandæ pulchritudinis exstiterunt. Idcirco simpliciter concedendum, quod multi homines ex naturali dispositione pulchri fuerunt. Nam et de Helena regina Aristoteles dicit, quod philosophi aver- C terunt oculos suos ab ea, ne caperentur amore pulchritudinis ejus. Sed et species Priami digna fuit imperio : cujus filius Paris nonne pulcherrimus fuit? Sicut et Absalon, de quo secundo Regum fertur : Porro sicut Absalon non erat vir pulcher in omni Israel; a planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo ulla macula. (II Reg. XIV, 25.) Vult ergo Philosophia asserere, quod hominem pulchrum videri, omnino non facit sua natura, sed acies oculorum invalida, quia sic foris pulcher apparet, D quod turpitudo interior latet.

Verumtamen, secundum Augustinum libro de Civitate Dei, etiam in interiori humani corporis dispositione mira pulchritudo consistit in comproportione, conversione, cohabitudine nervorum, venarum, arteriarum, musculorum, spirituum, organorum, colligantiarumque aliarum : quæ omnia in corporibus glorificatis corporeo oculo videbuntur, et mirabiliter delectabunt. Hoc quoque verbum B. Augustini prolatum est et verificatur juxta modum loquendi Platonicorum, in quorum philosophia Augustinus fuit instructus : qui omnia ad proportiones et numeros referebant. Penes quem modum Boetius etiam alibi dixit : Omnia quæ a primæva rerum natura processerunt, ratione numerorum subsistunt. (De Arit. lib. I, c.) Hinc Augustinus decimo de Civitate Dei deprompsit : Platonicos eligimus, omnium philosophorum merito nobilissimos, quia senserunt animam hominis immortalem, et non nisi participato Dei lumine posse esse beatam.

At vero, secundum Aristotelem in Ethicis, ad corporalem pulchritudinem tria concurrunt. Primum est elegans statura : unde homines parvæ staturæ, secundum eum, vocari possunt formosi, non pulchri. Secundum est congrua membrorum proportio; tertium, vivacis et clari coloris perfusio.

Sequitur ultima ratio probans bona corporis esse fragilia. *Sed æstimate quam vultis nimio corporis bona :* id est, hæc naturalia dona ad corpus spectantia, ut sunt, pulchritudo, sanitas, et consimilia, « æstimate », id est reputate, « nimio », id est valde multum, « quam » (id est quantum) « vultis », salva veritate. Ideo additur : *dum sciatis hoc quodcumque miramini,* id est, omne tale quod cum admiratione extollitis tanquam magnum, *triduanæ febris igniculo posse dissolvi,* id est, posse destrui, seu multum distemperari, « igniculo », id est incendio seu fervore, « febris » tertianæ, seu febris acutæ trium dierum : quod de pestilentialibus febribus videmus ad oculum.

Ex quibus omnibus, id est præfatis motivis, *illud redigere in summam licet,* id est, licitum est « illud in summam redigere », id est summatim concludere, *quod hæc,* puta divitiæ, honor, potestas, etc., *quæ nec præstare quæ pollicentur bona possunt,* id est, conferre non valent « bona » principalia et beatifica quæ materialiter homini repromittunt, *nec omnium bonorum congregatione perfecta sunt,* id est, in se non concludunt omnia quæ ad

perfectionem et beatitudinem requirun- A tur, quæ contentare et quietare queunt mentem humanam : *ea nec ad beatitudinem quasi quidam calles ferunt,* id est, hoc constat et rite infertur, quod ista « nec ferunt », id est, nec ducunt hominem, « ad beatitudinem » veram, spiritualem, contemplativam, « quasi quidam calles », id est rectæ viæ aptaque media : *Cf.* p. 207 B'. imo ut declaratum est sæpe, impediunt potius a salute. Idcirco, quod Aristoteles dixit, melius esse ditari quam philosophari, non videtur quibusdam sic esse, nisi B forsitan anima rationalis diceretur esse mortalis : quod et ipse in verbis illis innuisse videtur, quamvis hoc non sit *Cf.* p. 218 A et s. certum, ut patuit supra. Imo dato quod anima esset mortalis, adhuc melius et virtuosius esset in mendicitate philosophari, quam divitiis abundare. Philosophari quippe est actus de numero bonorum honorabilium : quæ sunt propter se appetenda, non ad temporalia et corporalia ordinanda, ut ipsemet in libro de Anima protestatur. Opulentia quoque a philoso- C phiæ studio impedit. Propter quod Socrates et alii quidam philosophi eas spreverunt : sicut Craton philosophus, adhuc gentilis, suis jussit discipulis ut aurum dispergerent, ut in Legenda S. Joannis habetur apostoli, qui ipsum Cratonem cum suis discipulis convertit. *Nec beatos ipsa perficiunt,* id est, quinque illa prædicta et eis similia non « perficiunt », id est, perfecte non faciunt, homines esse « beatos ». Imo verissimum est quod Salvator per- *Matth.* v, 3. hibuit : Beati (inquiens) pauperes spiritu, D quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Joannes. — Unum quæro, an scilicet verum sit, quod lynx suo visu penetret spissa et solida corpora, ita quod videt contenta in eis.

Dionysius. — Sive visio fiat extra mittendo, juxta Platonem, sive intus recipiendo, secundum Aristotelem, dictum illud verificari non potest simpliciter sicut sonat, sed est per hyperbolen dictum, ad insinuandum valde vehemens acumen lyncei visus. Philosophia tamen sic loquitur juxta modum loquendi communem, velut si diceremus : Si quis haberet vulturis odoratum, perciperet intestinorum fœtorem. Est autem hyperbole, figura qua aliquid dicitur per excessum : quemadmodum in libro Judicum fertur, quod filii Benjamin erant ita ad certum jacientes *Judic.* xx, 16. fundis lapides, ut et capillum percutere possent, quod non est aliud dicere nisi quod erant fundibularii valde boni. Postremo certum est, quod oculi corporum glorificatorum erunt multo acutiores ad perspiciendum quam lyncei oculi. Attamen Bonaventura aliique doctores qui opinan- *Cf.* t. XXV, p. 302 B' et s. tur quod corpora glorificata, erunt clara claritate condensata, ut aurum et sol, non perspicua, sicut vitrum et aliquæ gemmæ, affirmant quod oculi glorificati non videbunt per corpora illa, neque in eis contenta, multoque minus oculis lynceis. Verum, ut supra monstratum est, sancti doctores Augustinus, Gregorius, Thomas, *ibid.* p. 299 C et s. et communiter alii, conscripserunt quod corpora glorificata prorsus perspicua erunt, pervia, translucentia : sicque contenta in eis clarissime ac jucundissime foris patebunt.

METRUM VIII

Heu, heu ! quæ miseros tramite devio
Abducit ignorantia ?
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vite gemmas carpitis.

Non altis laqueos montibus abditis,
Ut pisce ditetis dapes;
Nec vobis capreas si libeat sequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris:
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ;
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis littora.
Sed quonam lateat quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent,
Et quod stelliferum transabiit polum,
Tellure demersi petunt.
Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Et quum falsa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoscant bona.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO METRI HUJUS OCTAVI.

IN hoc metro octavo Philosophia deplorat ignorantias et errores, clades et perversitates hominum iniquorum: qui quum in terrenis negotiis et sæcularibus causis, et commotionibus vitæ præsentis, sint cauti ac diligentes, in his quæ ad veram concernunt eorum salutem cæci sunt, obtusi et negligentes, felicitatem quærendo in his in quibus inveniri non valet, quum tamen alia quærant ubi reperiuntur.

Heu, heu! quod est signum doloris, et interjectio compassionem seu piam querelam designans. *Quæ ignorantia abducit miseros* homines a vera salute, *tramite devio,* id est per viam perditionis, quæ a recto declinat itinere? Et hæc via devia, est conversatio prava, actio vitiosa, delectatio prohibita, et omne peccatum mortale, tam in cogitatione et affectione, quam in locutione et opere, atque in omissione bonorum. De quo tramite devio scriptum est in Proverbiis: Via impiorum tenebrosa. De qua loquitur Christus apud Matthæum: Lata porta et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, et multi inveniunt eam. Itaque ait: « Heu, heu! quæ ignorantia? » quasi dicat: Infelix et periculosa est ignorantia ista.

Prov. 4. Matth. 13.

In aliquibus autem est ignorantia juris, tam in generali quam in speciali, ut in his qui nihil audierunt de pertinentibus ad salutem: quæ in toto aut pro magna parte excusat, dummodo non procedat ex negligentia aut contemptu, quæ vocatur ignorantia crassa seu affectata. Aliqui vero habent ignorantiam in particulari, non tamen in universali: quod contingit dupliciter. Primo sic, quod penitus nesciunt

hoc aut illud esse illicitum. Secundo, quod A sciunt hoc, non tamen considerant hoc actualiter seu practice, seu consideratione formata, quæ est approbativa exsecutivaque boni : quæ ignorantia est in omni peccante. Unde secundum Philosophum, Omnis peccans est ignorans. In Proverbiis Prov. XII, 15. quoque legitur : Via stulti recta in oculis ejus. Est item ignorantia facti : quæ excusat a culpa, debita cautela adhibita.

O excæcati et insipientes, *non quæritis aurum in arbore viridi :* nam scitis quod ibi non sit; *nec carpitis,* id est, non cona- B mini carpere seu colligere, *gemmas* in *vite,* id est in vineis : quia non æstimatis quod ibi inveniantur. *Non abditis,* id est, non absconditis, *laqueos,* id est retia, in *montibus altis,* in quibus aquà non est, *ut ditetis dapes piscibus**, id est, fercula vestra constent ex piscibus abundanter; *nec captatis,* id est, non assumitis, *vada Tyrrhena,* id est aquas maris Tyrrheni ad navigandum (de quo mari, Juno uxor et soror Jovis ait in fabulis paganorum, quæ teste S. Ambrosio, sunt pabula dæmonum : C Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor), *si libeat vobis,* id est, si vobis placeat, *sequi,* id est insequi, *capreas,* quæ sunt animalia valde velocia ad currendum, habitantia in altioribus eremi locis. Cant. II, 17. Unde in Canticis : Revertere; similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel. Et secundo libro II Reg. II, 18. Regum asseritur : Asael frater Joab, cursor velocissimus fuit, quasi unus ex capreis.

* pisce

Consequenter, propter convenientiam metri, fit mutatio a secunda persona in D tertiam.

Quin etiam homines *norunt,* id est agnoverunt, *ipsos recessus,* id est cavernas et lacus, *æquoris,* id est maris, *abditos fluctibus,* id est aquis opertos, juxta littora sitos. Norunt quoque *quæ unda,* id est aqua seu abyssus, sit *feracior,* id est copiosius abundans, *gemmis niveis,* id est margaritis et consimilibus gemmis albis ac splendidis; *vel quæ* aqua sit fecundior seu plenior *purpuræ rubentis,* id est, piscis cujus sanguine intingitur purpura ut rubescat; *nec non,* id est, et etiam norunt, *quæ littora præstent,* id est excellant, *pisce tenero,* id est piscibus mollioribus, parum aut nihil habentibus de asperitate pellis et ossibus, *vel asperis,* utputa *echinis,* id est piscibus hirsutis, ossatis, seu aculeatis instar hericii. Dicitur autem quod littora his abundent, id est aquæ juxta littora defluentes.

Hæc itaque jam prætacta sciunt mercatores et piscatores. *Sed cæci,* id est homines vitiis excæcati (juxta illud, Excæcavit Sap. II, 21. illos malitia eorum), *sustinent nescire,* id est, damnabiliter patiuntur se ignorare, quia non curant addiscere, *quonam lateat,* id est, ubi sit et in quo consistat, ut quærendo inveniatur, *bonum quod cupiunt,* id est summum bonum seu beatitudinem, quam naturaliter optant, juxta sensum frequenter præhabitum. *Et* ipsi Cf. p. 295 A et s., 312 C. homines carnales *demersi,* id est vitiis obruti (quocontra orat Psalmista, Non me Ps. LXVIII, 16. demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum), *petunt tellure,* id est, quærunt invenire in terra, *quod transabiit polum stelliferum,* id est summum bonum, quod per omnipotentiam suam majestatisque suæ immensitatem, elevatum et altius est omni polo seu cœlo, atque in cœlo empyreo dicitur residere (quamvis ipse incircumscriptibilis sit), quia ibidem se clarius repræsentat, ac excellentius operatur. Unde in Psalmo cantatur : Elevata est magnificentia tua super Ps. VIII, 2. cœlos. Cui tertio Regum Salomon loquitur : Cœlum et cœli cœlorum te capere III Reg. VIII, 27. nequeunt.

Quid dignum imprecer, id est, quid congruum ac debitum meritis impiorum optem et supplicem dari, *mentibus stolidis* impiorum? De quibus Salomon fassus est : Stultorum infinitus est numerus. Sic stulti Eccle. I, 15. sunt universi qui in peccato sunt mortali : in quibus est vitium puerilitatis, sapientiæ dono contrarium, quoniam summo infinitoque bono præferunt ista carnalia et caduca.

Ambiant, id est desiderent, *opes* terrenas et *honores* : hoc est, quia adhuc converti non acquiescunt, interim occupentur circa divitias et honores; non quod hoc sit bonum aut alicui appetendum, sed quia pœnalis ille labor, cura, districtio, in quantum sunt pœnæ quædam, expediunt eis occasionaliter, in quantum per talia admonentur redire ad summum et quietissimum bonum, in quo solo mens pacem invenit salutarem. Propter quod in Job (Job xxvii. 21.) inducitur : Acquiesce Deo, et habeto pacem ; et per hoc habebis fructus optimos. *Et quum* mentes stolidæ *paraverint*, id est, obtinuerint aut obtinere studuerint, *falsa*, id est deceptoria ista terrena (de quibus loquitur Jeremias (Jer. xvi, 19.), Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit), *gravi mole*, id est duro labore, cura et anxietate; *tum*, id est tunc, *cognoscant bona vera*, id est vere salubria, spiritualia et æterna, gratiarum charismata, virtutes et merita ac gloriæ dona, et ipsum incomparabile superbeatissimum bonum, ita quod vexatione eis intellectum (Is. xxviii, 19.) præstante, ad objectum, causam ac fontem suæ salutis redire festinent, dicentes illud Jeremiæ (Jer. iii, 23.): Vere in Domino Deo nostro salus. Sic quippe solet omnipotens Deus electos suos per adversa et aspera ad se revocare, quemadmodum per Osee (Osee ii, 6, 7.) ait : Ecce sepiam viam (id est operationem et vitam) tuam spinis ; et dicet, Revertar ad virum meum priorem, id est ad Sponsum cœlestem. Hinc dixit Propheta (Ps. xxxi. 4.) : Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Præterea, in hoc metro reprehenduntur curiosi, vani et scioli, qui circa inania occupantur : qui relictis necessariis ad salutem, circa alia inordinate versantur, nec ea quæ suam concernunt salutem præcipue meditantur. Hinc scriptum est in Ecclesiastico (Eccli. iii, 22.) : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Hi tales sequuntur Scribas et Pharisæos, quibus loquitur Christus (Matt. xvi, 2-4 ; Luc. xii, 56.) : Vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cœlum ; mane dicitis, Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Hypocritæ, faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire? In quibus verbis reprehendit Judæorum magistros, qui non consideraverunt impletum esse tempus primi adventus Christi a Prophetis, præsertim a Daniele (Dan. ix, 27.), prænuntiatum. Sic omnes redarguit qui prudentes et diligentes sunt circa congreganda temporalia et terrena, negligentes autem ad obtinendum cœlestia et æterna. De quibus prædixit Apostolus (II Tim. iii, 2, 4.) : Erunt homines amantes se ipsos, superbi, cupidi, amatores voluptatum magis quam Dei. De quibus in Jeremia (Jer. iv) habetur : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Ordinatum ergo sit studium tuum, ut in primis agnoscas et impleas quæ a te Deus requirit, et omnem tuum profectum ad veram ordines felicitatem.

PROSA IX

HACTENUS mendacis formam felicitatis ostendisse suffecerit : quam si perspicaciter intueris, ordo est deinceps quæ sit vera monstrare. — Atqui video, inquam, nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reverentiam dignitatibus, nec celebritatem gloria, nec lætitiam voluptatibus posse contingere. — An etiam causas cur id ita sit, deprehendisti ? — Tenui quidem veluti rimula mihi videor intueri, sed ex te cognoscere malim apertius. — Atqui prom-

ptissima ratio est : quod enim simplex est indivisumque natura, id error humanus separat, et a vero atque perfecto, ad falsum imperfectumque traducit. An tu arbitraris, quod nihilo indigeat, egere potentia? — Minime, inquam. — Recte tu quidem : nam si quid est quod in ulla re imbecillioris valentiæ sit, in hac præsidio necesse est egeat alieno. — Ita est, inquam. — Igitur sufficientiæ potentiæque una est eademque natura. — Sic videtur. — Quod vero hujusmodi sit, spernendumne esse censes, an contra rerum omnium veneratione dignissimum ? — At hoc, inquam, ne dubitari quidem potest. — Addamus igitur sufficientiæ potentiæque reverentiam, ut hæc tria unum esse judicemus. — Addamus, siquidem vera volumus confiteri. — Quid igitur ? inquit. Obscurumne hoc atque ignobile censes esse, an omni celebritate clarissimum ? Considera vero ne quod nihilo indigere, quod potentissimum, quod honore dignissimum esse concessum est, egere claritudine quam sibi præstare non possit, atque ob id aliqua ex parte videatur abjectius. — Non possum, inquam, quin hoc uti est, ita etiam celeberrimum esse confitear. — Consequens igitur est, ut claritudinem superioribus tribus nihil differre fateamur. — Consequitur, inquam. — Quod igitur nullius egeat alieni, quod suis cuncta viribus possit, quod sit clarum atque reverendum, nonne hoc etiam constat esse lætissimum? — Sed unde huic (inquam) tali mœror ullus obrepat, ne cogitare quidem possum : quare plenum esse lætitiæ, si quidem superiora manebunt, necesse est confiteri.

— Atqui illud quoque per eadem necessarium est, sufficientiæ, potentiæ, claritudinis, reverentiæ, jucunditatis nomina quidem esse diversa, nullo vero modo discrepare substantiam. — Necesse est, inquam. — Hoc igitur quod est unum simplexque natura, pravitas humana dispertit ; et dum rei quæ partibus caret, partem conatur adipisci, nec portionem, quæ nulla est, nec ipsam, quam minime affectat, assequitur. — Quonam (inquam) modo ? — Qui divitias, inquit, petit penuriæ fuga, de potentia nihil laborat, vilis obscurusque esse mavult ; multas etiam sibi naturales quoque subtrahit voluptates, ne pecuniam quam paravit, amittat. Sed hoc modo ne sufficientia quidem contingit ei, quem valentia deserit, quem molestia pungit, quem vilitas abjicit, quem recondit obscuritas. Qui vero solum posse desiderat, profligat opes, despicit voluptates, honoremque potentia carentem, gloriam quoque nihili pendit. Sed huic quoque quam multa deficiant, vides. Fit enim ut aliquando necessariis egeat, ut anxietatibus mordeatur ; quumque hæc depellere nequeat, etiam id quod maxime petebat, potens esse, desistit. Similiter ratiocinari de honoribus, gloria, voluptatibus licet : nam quum unumquodque horum idem quod cetera sit, quisquis horum aliquid sine ceteris petit, ne illud quidem quod desiderat, apprehendit. — Quid igitur, inquam, si quis cuncta simul cupiat adipisci ? — Summam quidem ille beatitudinis velit ; sed num in his eam reperiet, quæ demonstravimus, id quod pollicentur non posse conferre ? — Minime, inquam. — In his igitur quæ singula quæque expetendorum præstare creduntur, beatitudo nullo modo investiganda est. — Fateor, inquam ; et hoc nihil verius dici potest.

— Habes igitur, inquit, et formam falsæ felicitatis, et causas. Deflecte nunc in

adversum mentis intuitum : ibi enim veram, quam promisimus, statim videbis. — Atqui hæc, inquam, vel cæco perspicua est ; eamque tu paulo ante monstrasti, dum falsæ causas aperire conabaris. Nam (ni fallor) ea vera est et perfecta felicitas, quæ sufficientem, potentem, reverendum, celebrem lætumque perficiat. Atque ut me interius animadvertisse cognoscas, quæ unum horum, quoniam idem cuncta sunt, veraciter præstare potest, hanc esse plenam beatitudinem, sine ambiguitate cognosco. — O te, alumne, hac opinione felicem, si quidem hoc (inquit) adjeceris. — Quidnam ? inquam. — Essene aliquid in his mortalibus caducisque rebus putas, quod hujusmodi statum possit afferre ? — Minime (inquam) puto ; idque a te, nihil ut amplius desideretur, ostensum est. — Hæc igitur, vel imagines veri boni, vel imperfecta quædam dare bona mortalibus videntur ; verum autem atque perfectum bonum conferre non possunt. — Assentior, inquam.

— Quoniam igitur agnovisti quæ vera illa sit, quæ autem beatitudinem mentiantur, nunc superest ut unde veram hanc petere possis, agnoscas. — Id quidem, inquam, jamdudum vehementer exspecto. — Sed quum, uti in Timæo Platoni (inquit) nostro placet, in minimis quoque rebus divinum præsidium debeat implorari, quid nunc faciendum censes, ut illius summi boni sedem reperire mereamur ? — Invocandum, inquam, rerum omnium Patrem : quo prætermisso, nullum rite fundatur exordium. — Recte, inquit ; ac simul ita modulata est.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS NONÆ.

POSTQUAM Philosophia jam per multas prosas ac metra ostendit in quibus non consistat vera felicitas, nunc declarare aggreditur in quibus sit ponenda, et qualiter exquirenda. A

Hactenus mendacis formam felicitatis ostendisse suffecerit : id est, satis sit « ostendisse », id est, quod ostendi et descripsi, hucusque « formam », id est rationem et speciem, « felicitatis mendacis », id est apparentis, non exsistentis : quam definivi quod sit prosperitas fallax. *Quam si perspicaciter intuearis* *, id est, acute B considereς, *ordo est,* id est rectus modus procedendi, *deinceps quæ sit vera* beatitudo *monstrare,* id est, docere quæ sit vera felicitas.

* i..tueris

Ad hoc respondet Boetius : *Atqui video, inquam,* id est, ego Boetius dico, « Atqui », id est certe, « video », id est intelligo, *nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reverentiam dignitatibus, nec celebritatem gloria, nec lætitiam voluptatibus posse contingere :* id est, « nec sufficientiam » veram, quæ ad beatitudinem sufficiat, « opibus posse contingere », id est, non posse alicui provenire « opibus », id est per terrenas divitias, quum et divitibus multa desint ; « nec potentiam » sufficientem posse contingere alicui « regnis », id est per principatus quoscumque, quum et reges indigeant subditis, sicut econtra ; « nec reverentiam », id est sufficientem honorem, « dignitatibus », id est per dignitates ; « nec celebritatem », id est claritatem nominis sufficientem, « gloria », id

est ex hominum fama, quæ sæpe decipitur A ac cito mutatur ; « nec lætitiam » sufficientem, id est indesinentem, salubrem, posse accidere homini « voluptatibus », id est per oblectamenta carnalia : sicut istud jam ante diffuse ac multipliciter est probatum. Pros. iii et s.

Ad hoc Philosophia subjungit : *An etiam causas cur id ita sit, deprehendisti ?* id est, quæro « an etiam deprehendisti », id est considerasti, « causas » propter quas « id ita sit ». Ad quod Boetius : *Tenui quidem veluti rimula mihi videor intueri :* B hoc est : « videor mihi intueri », id est, mihi ipsi apparet quod intuear causas illas, « veluti rimula tenui », id est per obscurum adspectum, sicut quod per parvam videtur fissuram ; *sed ex te cognoscere malim apertius,* hoc est, « malim », id est, potius velim, « cognoscere apertius ex te », id est ex tua informatione, has causas.

Ad quod Philosophia : *Atqui,* id est pro certo, *promptissima ratio est,* id est, ratio paratissima assignari potest ad hoc, puta hæc : *quod enim simplex est indivisumque* C *natura,* id est, « quod » ex sua « natura est simplex », non habens in se diversitatem partium aut aliarum realitatum, utputa veram felicitatem seu summum bonum, *id error humanus,* id est homo errans, *separat,* id est, divisim intelligit, *et a vero atque perfecto, ad falsum imperfectumque traducit :* id est, rationem et proprietatem summi boni adscribit rebus creatis, in se vanis ac diminutis, et uni hujusmodi bono imperfecto adscribit hanc eminentiam, alteri aliam ; sicque in diversis beatitudinem D quærit, quam non nisi in uno, summo, simplicissimo quæreret bono, in quo quinque prædicta, imo omnia bona, pulchra ac desiderabilia, supereminentissime, indivisim, simplicissime continentur. Quod consequenter probat Philosophia : et primo, quod in ipso sit summa et perfecta potestas.

An tu arbitraris, quod nihilo indigeat, id est, quod non indigeat aliqua re, *egere potentia ? — Minime, inquam,* id est, ego Boetius dico, quod minime puto hoc : quia sic imbecille esset, nec posset suis adversariis prævalere. Quocontra ait per Jeremiam : Quis similis mei ? Et quis sustinebit me ? Et quis est iste pastor qui resistat vultui meo ? Ad hæc Philosophia : *Recte tu quidem judicasti : nam si quid est quod in ulla re imbecillioris valentiæ sit,* id est debilioris potentiæ, *in hac præsidio necesse est egeat alieno :* hoc est, « necesse est », id est, necessario sequitur, quod « egeat præsidio » (id est auxilio) « alieno in hac », id est in ista sua imbecillitate. — *Ita est, inquam* ego Boetius. Jer. xlix, 19.

Ex quo Philosophia concludit : *Igitur sufficientiæ potentiæque una est eademque natura,* id est, realiter idem sunt et inseparabilia, summa sufficientia et summa potentia, nec unum sine alio potest esse perfectum. Respondet Boetius : *Sic videtur,* id est, clare conspicio quod sit ita, quum istud argumentum sit demonstrativum.

Consequenter probat, quod hoc ipsum sit honorabile et reverentia omni dignissimum. *Quod vero hujusmodi sit, spernendumne esse censes,* id est, censesne et utrum judicas esse conveniens, quod hujuscemodi ens sit spernendum, *an contra,* id est, utrum potius econtrario judicas, quod sit *rerum omnium veneratione dignissimum,* utpote excellentissimum, sapientissimum, sanctissimum ? — *At hoc, inquam, ne dubitari quidem potest,* id est, istud tam certum est, quod nemo sanæ mentis possit inde ambigere : intellectus namque evidentia et efficacia demonstrationis, sicut et primorum principiorum, compellitur ad consensum.

Ad hæc Philosophia : *Addamus igitur sufficientiæ potentiæque reverentiam,* id est honorabilitatem, *ut hæc tria unum esse judicemus,* videlicet ens summe sufficiens, summe potens et summe honorabile, in quo etiam sufficientia, potentia, honorabilitas realiter idem sunt, utputa divina essentia, et sola ratione distinctæ sunt : ita ut divina essentia in quantum

A absolute perfecta, dicatur sufficientia, in quantum principium producendi et agendi in alia, dicatur activa potentia, atque ut summa majestas in se continens omnis honorificentiæ ac venerationis et venerabilitatis causam, radicem et rationem, dicatur primum et summum honorabile.
I Reg. II, 30. Quod ait primo Regum : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Denique, si honorandi sunt parentes, quanto magis Pater iste cœlestis, ex quo (teste Apostolo)
Ephes. III, 15. B omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur ac derivatur? De quo denuo loquitur
Hebr. XII, 9. ad Hebræos : Patres carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Hinc quoque Aristoteles duodecimo Primæ philosophiæ fatetur, quod Deus est honoratissimus intellectus. — *Addamus,* id est, ego Boetius dico, Placet ut addamus reverentiam sufficientiæ atque potentiæ, *siquidem vera volumus confiteri,* id est, pro certo « volumus confiteri » quod verum est, nec veritati repu- C gnare : quod prosperum successum non
Job IX, 4. sortitur, juxta illud beati Job, Quis restitit ei, et habuit pacem?

— *Quid igitur? inquit :* id est, Philosophia ait, Quid addemus? nisi quod subditur : *Obscurumne hoc atque ignobile censes esse,* id est, an judicas hoc summum bonum esse non celebre, neque famosum, nec clarum, *an omni celebritate clarissimum? Considera vero ne,* id est numquid, seu ut non, hoc ens *quod nihilo indigere, quod potentissimum, quod honore dignissi-* D *mum esse concessum est, egere claritudine* videatur, id est, an possit celebri nomine et fama præclara carere, *quam sibi præstare,* id est facere, *non possit, atque ob id aliqua ex parte videatur abjectius.* Ad quod Boetius : *Non possum, inquam,* id est, de hoc aliud dicere nequeo, *quin hoc uti est, ita etiam celeberrimum esse confitear,* id est, « quin » fatear et protester « hoc » bonum « ita etiam esse celeberrimum », id est famosissimum, « uti est », id est, sicut revera est incomparabiliter celebre, quum in omni perfectione sit infinitæ eminentiæ. Unde et Isaac Israelita philosophus, in principio libri Definitionum effatur : Fama Dei sublimis est. Hanc famam præstat et facit sibi Omnipotens, manifestando hominibus excellentiam suam, atque per opera sapientiæ, misericordiæ ac justitiæ suæ, quemadmodum in Exodo loquitur Pharaoni : Idcirco posui te, ut Exod. [ix,]
ostenderem in te fortitudinem meam, et 16.
narretur nomen meum in omni terra. Etenim tanta est fama Dei, quod excellentiam ejus omnis creatura miratur, nec exprimere valet nec comprehendere eam.

Ex quibus infert Philosophia : *Consequens igitur est, ut claritudinem superioribus tribus nihil differre fateamur,* id est, ut recognoscamus claritatem et famabilitatem summi boni non differre ab opulentia, omnipotentia et honorabilitate ipsius. — *Consequitur, inquam,* id est, dico ego Boetius hoc consequi.

Denique in hoc mundo famosi sunt, qui in una quacumque virtute fuerunt eximii aut in paucis, et hoc tamen finite, ut Sam- Judic. x[…]
son in fortitudine, Absalon in pulchri- XVI. II Reg. x[…]
tudine, Salomon in sapientia, David in 25.
victoriis, et ita in consimilibus, ut in san- III Reg. […] 11, 12; […]
ctitate, in miraculis, in prælaturis et prin- I Reg. x[…]
cipatibus : quanto magis superbeatissimus XXVII; II […] passim.
Deus infinitæ famositatis et incomparabilis celebritatis, claritate est universis et singulis præferendus? De quo aptissime
dixit electus David : Quis sicut Dominus Ps. CXII[…]
Deus noster, qui in altis habitat, et hu- 6.
milia respicit in cœlo et in terra? Unde
et in Job habetur : Perditio et mors dixe- Job XXV[…]
runt, Auribus nostris audivimus famam 22.
ejus.

Deinde ostendit Philosophia, quod hoc bonum altissimum voluptate non careat, imo gaudio intensive prorsus immenso sit plenum. *Quod igitur nullius egeat alieni,* id est, hoc bonum quod nullo alio indigeat, *quod suis cuncta viribus possit,* id est, quod valeat « viribus suis » propriis cetera omnia sustentare ac confir-

mare, *quod sit clarum atque reverendum, nonne hoc etiam constat esse lætissimum?* Lætitia namque est diffusio mentis in conceptu apprehensioneve boni. Deus ergo superdignissimus, intuendo et intelligendo se ipsum esse tam infinitæ pulchritudinis, tam immensæ suavitatis, tam incircumscriptibilis perfectionis, in omnibus gloriatur et gaudet, ac complacentiam habet in semetipso æternaliter, invariabiliter ac penitus infinite. Ecce quam superfelicissimus est Dominus Deus noster : quem si (ut tenemur) super omnia toto corde diligimus, debemus in ipso cordialiter exsultare, ac tantæ ejus perfectioni, felicitati et gloriæ toto corde intime congaudere.

Ad hæc Boetius : *Sed unde huic (inquam) tali mœror ullus obrepat, ne cogitare quidem possum,* id est, fingere nequeo « unde » et ex qua causa possit « ullus mœror » obrepere, id est ulla tristitia accedere. *Quare plenum esse lætitiæ, si quidem superiora manebunt, necesse est confiteri :* id est, fateri oportet ipsum « esse plenum lætitiæ », imo essentialiter esse lætum, ac superinfinitam in se subsistentem lætitiam (cui psallit Propheta,
Ps. xxxv, 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos), « si superiora », id est superius dicta, « manebunt », id est, stabunt in veritate. Nec his obviat, quod Deus in Scripturis dicitur pœnitere, dolere, tristari, affligi, irasci,
Gen. vi, 5-7. ut dum dicitur in Genesi : Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod fecisset hominem, et dolore cordis tactus intrinsecus, Delebo, inquit, hominem a facie terræ. Et per Isaiam ait : Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. (*Is.* xliii, 24.) Et multa consimilia dicuntur in Scripturis : quæ omnia intelligenda sunt per similitudinem effectus, non per veritatem turbationis, mutationis aut passionis in
Malach. iii, 6. ipso, qui per Malachiam protestatur : Ego Dominus, et non mutor; et per Jeremiam :
Jer. vii, 19. Numquid me ad iracundiam provocant? dicit Dominus. Nonne semetipsos in confusionem vultus sui? Et in libro Sapientiæ dicitur : Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. (*Sap.* xii, 18.)

Deinceps ostendit Philosophia, hæc omnia unum esse in Deo. *Atqui,* id est certe, *illud quoque per eadem necessarium est,* id est, per præhabita etiam istud necessario sequitur, *sufficientiæ, potentiæ, claritudinis, reverentiæ, jucunditatis nomina quidem esse diversa,* id est, quod quinque ista per distincta nomina designantur : quia ut tactum est, differunt ratione, sicut et alia varia attributa in Deo, ut sunt, sapientia, justitia, veritas, pietas ; *nullo vero modo discrepare substantiam,* id est, essentiam significatam per ea nequaquam differre, quum sint unum simplicissimum esse Dei.

Respondet Boetius : *Necesse est, inquam,* sic esse. Nempe, quum Deus sublimis et gloriosus, sit ens in se omnino perfectum, non potest esse in eo compositio aut diversitas aut distinctio ulla ex natura rei, sed identitas pura ac infinita. (*Cf.* t. XIX, p. 387 A' et s.) Propter quod in libro de Causis asseritur, quod non est in prima causa distinctio ulla modorum. Omnis quippe compositio, diversitas, distinctio ex natura rei, signum est imperfectionis ac indigentiæ : quia si res totam suam perfectionem haberet in uno illorum, aliis non egeret, sed ea secluderet, quum teste Philosopho, non sit ponenda pluralitas sine necessitate. Hinc merito refutatur misera illa opinio quæ in divinis inter attributa distinctionem ponit formalem ex rei natura, quæ sit quædam non identitas : quod prorsus falsissimum est, nec solum contra Thomam, Albertum, Henricum, sed etiam contra Alexandrum, Bonaventuram, Richardum, etc. Hinc juxta Philosophum, Deus est purus actus. Et sicut per Moysen dixit, ipse est ipsum supersimplicissimum esse. (*Exod.* iii, 14.) Quumque purum dicatur per exclusionem alieni atque contrarii, sicut purum aurum vocatur, cui nihil alieni metalli miscetur ; simul stare non potest, quod in supersanctissimo Deo sit ex suæ dei-

tatis natura simplicitas summa, perfecta, A purissima et penitus infinita (siquidem omnia quæ in Deo sunt, in tali tam summa excellentia sunt in eo), et tamen sit in ipso distinctio aliqua formalis ex natura rei in absolutis. Nam teste Philosopho, unum in substantia facit idem. Ideo, sicut in Deo est pura ac simplicissima unitas, ita et talis identitas, nec ulla non identitas. Hoc hic breviter tetigisse suf-
Cf. t. XIX, p. 149 B et s. ficiat : quæ super primum Sententiarum diffusius sunt expressa.

Subjungit Philosophia : *Hoc igitur quod* B *est unum simplexque natura,* id est ex sua « natura », imo et realiter est simplex essentia et quidditas sua, *pravitas humana dispertit,* id est, in multa divisit, et pluribus male attribuit : non quod aliquis homo tam pravus exstiterit, quod veram et incommutabilem deitatem adscripserit creaturis aut rebus diversis substantialiter differentibus ; sed quod felicitatem, quæ in summo et solo Deo est vere et objective, quidam in rebus posuerunt creatis, et juxta Apostolum ad Ro- C
Rom. I, 25. manos, servierunt et inhæserunt creaturis magis quam Creatori. *Et dum rei quæ partibus caret, partem conatur adipisci,* id est, « dum » pravitas humana, utputa pravus homo, « conatur adipisci partem » beatitudinis, « quæ partibus caret », quoniam simplex est, *nec portionem, quæ nulla est, nec ipsam, quam minime affectat, assequitur :* id est, non obtinet nec acquirit partem beatitudinis, quia non habet partem ; nec obtinet totam, quia nec appetit veram beatitudinem integre et sin- D cere, sed potius vanam, in divitiis, honoribus, aliisque præfatis.

Denique istud de increata beatitudine objectali potissime verum est. Beatitudo autem creata, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, non est penitus simplex, pertinentque ad eam non solum contemplatio, sed dilectio quoque
Cf. t. XXV, p. 394 A et s., 402 B et s. ac delectatio : quamvis secundum Augustinum et Thomam et alios quosdam, essentialiter in actu intellectus ponatur, quia secundum Augustinum, visio est tota merces. Quod etiam gloriosus Hieronymus post obitum suum B. Augustino apparens ac loquens, asseruit : imo et ipsemet Christus, Hæc est (inquiens) vita æterna, ut *Joann.* XVII, 3.
cognoscant te verum Deum ; Psalmista quoque, Ostende (dicens) faciem tuam, et *Ps.* LXXIX, 4, 8, 20.
salvi erimus.

Deinde Boetius postulat hæc clarius sibi exponi. *Quonam (inquam) modo ?* id est, qualiter verum est, o Philosophia, quod dicis, hominem pravum non adipisci felicitatem nec partem ejus ?

— *Qui divitias, inquit, petit penuriæ fuga,* id est, Philosophia « inquit, Qui petit », id est, quærit seu appetit, « divitias fuga », id est propter fugam, « penuriæ », *de potentia nihil laborat,* id est, non « laborat de potentia », id est pro potestate adipiscenda : nisi forsan quærat divitias ut per eas acquirat potentiam ; sicque potius esset superbus seu ambitiosus, quam avarus. *Vilis obscurusque esse mavult,* id est, magis vult haberi sine reverentia tanquam ignobilis, quam pecunias perdere, in quibus sibi finem constituit. *Multas etiam sibi naturales quoque subtrahit voluptates* in esculentis et poculentis atque venereis et ornamentis, *ne pecuniam quam paravit, amittat.* Ista facilia sunt. *Sed hoc modo ne* (id est nec) *sufficientia quidem contingit ei, quem valentia* (id est potentia) *deserit :* id est, imbecilli non adest sufficientia, quum sanitas desit ei (quæ præfertur pecuniæ, juxta illud Ecclesiastici, Melius est corpus validum, quam cen- *Eccli.* XXX, 15.
sus immensus) ; *quem molestia pungit, quem vilitas abjicit,* id est, quem ignobilitas reddit abjectum, *quem recondit obscuritas,* id est, qui ignotus est ex famæ carentia.

Consequenter idem ostendit de quærente finaliter potestatem. *Qui vero solum posse desiderat,* id est, principaliter quærit potentiam, *profligat opes,* id est, divitias prodigaliter consumit, ut adsistentes et fautores acquirat, non attendens quod in Ecclesiastico legitur, Qui potestatem *Ibid.* XX

sibi assumit injuste, odietur ; *despicit voluptates,* ne propter eas vilescat : unde Antigonus dixit ad Alexandrum, Indignus es imperare propter juventutem et voluptates ; *honoremque* (id est promotionem seu dignitatem) *potentia carentem, gloriam quoque,* id est famam celebrem, *nihili pendit.* Quidquid enim quis habet, parum sibi videtur, quamdiu non obtinet quod præ ceteris principaliter cupit : cujus dilatione atque carentia cruciatur, ut
Prov. XIII, 12. in Proverbiis Salomon ait : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ, desiderium veniens. *Sed huic quoque potentiam appetenti, quam multa deficiant, vides. Fit enim ut aliquando necessariis egeat,* dum opes suas dilapidaverit, *ut anxietatibus mordeatur,* ne lædatur ab his quibus dum potens fuerat nocuit ; *quumque hæc depellere nequeat* (quia jam caret divitiis : unde nec habet auxilia), *etiam id quod maxime petebat,* id est, præcipue affectavit, videlicet *potens esse, desistit.*

Consequenter idem probat de aliis. *Similiter ratiocinari de honoribus, gloria, voluptatibus licet :* id est, licitum expediensque consistit « ratiocinari », id est discurrere et probare, « de honoribus, gloria » (id est fama), « voluptatibus », quod in eis non consistat felicitas. *Nam quum unumquodque horum idem quod cetera sit, quisquis horum aliquid sine ceteris petit, ne illud quidem quod desiderat, apprehendit.* Certum est quod voluptas in nobis non sit idem quod fama aut honor, nec divitiæ idem sunt quod potentia ; unum quoque istorum sine altero haberi potest : quomodo ergo vera sunt hæc ? Contra autem, quamvis in Deo sint idem, non tamen in creaturis : non ergo sunt idem realiter, sed consummative, ita quod unum non videtur sine alio perfecte haberi. Ideó qui unum sine altero adipisci conatur, nullum acquirit perfecte, videlicet prout ad beatitudinem pertinet.

Circa quod sciscitatur objicitque Boetius : *Quid igitur, inquam, si quis cuncta simul cupiat adipisci ? Summam quidem ille beatitudinis velit :* id est, si quis conetur omnia illa quinque pariter obtinere, quæro an « ille velit summam beatitudinis », id est plenitudinem veræ felicitatis. Ad quod respondet Philosophia, quod non. *Sed num,* id est numquid, *in his eam reperiet,* id est in his quinque, *quæ demonstravimus, id quod pollicentur non posse conferre,* hoc est veram felicitatem ? sicut jam supra sæpissime dictum est et probatum. — *Minime, inquam.* — *In his igitur quæ singula quæque expetendorum præstare creduntur,* id est, « in his » quinque rebus terrenis, « quæ singula quæque » illorum « expetendorum », id est, quinque illorum quæ mundanis hominibus multum expetenda videntur, « præstare creduntur », *beatitudo nullo modo investiganda est,* id est quærenda. — *Fateor, inquam,* ego Boetius ; *et hoc nihil verius dici potest* de isto puncto. Pros. III-VIII.

Ex quibus Philosophia concludit et exhortatur : *Habes igitur* (tu Boeti), *inquit, et formam,* id est modum et speciem, *falsæ felicitatis, et causas,* sicut expositum est. *Deflecte nunc in adversum mentis intuitum,* id est, considerationem dirige ad oppositum felicitatis fallacis, hoc est ad cœlestia et divina. *Ibi enim veram, quam promisimus, statim videbis,* id est, cognosces in illis « veram » consistere felicitatem, « quam promisimus » te docere.

— *Atqui* (id est certe) *hæc, inquam, vel cæco perspicua est,* id est, ego Boetius consentio, quod vera felicitas tam clare nota est ut a cæco, id est parum intelligente, valeat sciri quantum ad aliquam ejus descriptionem ; *eamque tu paulo ante monstrasti,* id est notificasti, *dum falsæ causas aperire conabaris,* id est, quum studuisti exprimere « causas falsæ » felicitatis, quæ ponitur in rebus terrenis sæpe expressis : in quibus jam et sæpius ibidem. ante ostensum est beatitudinem esse non

posse, quia sufficientiam veram non præ- A stant, nec mentem quietant, nec mala felicitati contraria excludunt. Unde constat in illis beatitudinem esse ponendam, quæ mentem quietare contentareque valent, sufficientiam certam et tutam præstando. Unum namque oppositorum cognoscitur per aliud, quum opposita habeant rationes : nam et opposita juxta se constituta et mutuo comparata, lucidius patent ; et juxta Philosophum, sicut unus et idem sensus est oppositorum, ita et eadem scientia contrariorum.

Hinc quasi expositorie subditur : *Nam (ni fallor) ea vera est et perfecta felicitas, quæ sufficientem, potentem, reverendum, celebrem lætumque perficiat.*

Quod qualiter intelligendum sit, ex præ- Cf. p. 3.. A' et s. habitis clarum est, utputa : de sufficientia omnem indigentiam ac penuriam excludente ; de potentia quoque cui nulla injuria, nulla læsio possit inferri, nullusque hostis violentiam molestiamve inferre ; atque de reverentia illa cœlesti de qua in Joann. XII, 26. Evangelio ait Salvator, Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis ; et de qua ipsemet in Apoc. III, 21. Apocalypsi protestatur : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Et item de celebritate de qua in Eccle- Eccli. XLIV, 15. siastico dicitur : Sapientiam Sanctorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ibid. XXXIX, 13. Ecclesia ; et iterum : Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Hæc est fama D justorum : II Cor. II, 15, 14. qui teste Apostolo, sunt bonus odor Christi in omni loco ; qui adhuc viventes in corpore, non solum præsentes ac intuentes, sed et longe absentes ac audientes ædificant, et demum post mortem, per exempla et memoriam, per scripta et historiam viatores ædificare non cessant. Quod totum est præcipua gratia superpiissimi Dei, qui ministerio et cooperatione unius hominis dignatur aliorum operari salutem. Unde ait Richardus de S. Victore : Nescio an majus gratiæ donum possit a Deo homini conferri, quam ut per ejus obsequium alii convertantur ad Deum. Imo et S. Dionysius contestatur : De Cœles. hier. c. III. Omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum. Hæc est fama salubris, optanda, ad beatitudinem aliqualiter pertinens. De qua Unigenitus Dei Patris promisit beatissimo patri Antonio : Quia viriliter restitisti, faciam te in toto mundo nominari. De qua et in Proverbiis Salomon est locu- B tus : Memoria justi cum laudibus ; nomen Prov. x, 7. autem impiorum putrescet.

Et insuper de lætitia de qua in Isaia habetur : Lætitia sempiterna super capita Is. LI, 11. eorum, gaudium et lætitiam tenebunt, et fugiet dolor et gemitus. Hæc est purissima, divina et gloriosa voluptas electorum cœlesti in patria, de qua idem flos Prophetarum Isaias sanctus fatetur : Gaudi- Ibid. 3. um et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. De quibus et per Malachiam Deus testatur : Orietur vobis Sol Malach. IV, 2. C justitiæ, et salietis quasi vituli de armento.

Atque ut me interius animadvertisse cognoscas, id est, diligenter attendisse certus sis, dico : *quæ unum horum, quoniam idem cuncta sunt, veraciter præstare potest, hanc esse plenam beatitudinem, sine ambiguitate cognosco :* id est, indubitanter scio « beatitudinem plenam hanc esse quæ unum horum veraciter præstare potest ». Imo et alia bona præstat in veræ beatitudinis patria : præstat (inquam) directe, vel concomitanter. Si enim unum horum omnia illa omnifarie seu omnimodo conferret, alia quatuor superflua essent, nec ad felicitatem exigerentur. « Quoniam idem cuncta sunt », id est, quia hæc quinque « idem sunt », non essentialiter, sed consummative, sicut expositum est, nec separabilia sunt, prout Cf. p. 3.. D. hoc loco sumuntur.

Præterea, huic responsioni adgaudens et applaudens, Philosophia subjungit : *O te, alumne, hac opinione felicem, si qui-*

A *dem hoc (inquit) adjeceris :* id est, Philosophia « inquit : O alumne », id est, Boeti a me spiritualiter enutrite moribus et doctrinis, dico « te felicem » felicitate viæ, quæ est inchoatio, via ac meritum felicitatis futuræ cœlestis et perfectæ, « hac opinione », id est ista tua firma sententia, qua recte sentis de felicitate (opinio autem proprie sumpta, vocatur assensus cum formidine de opposito ; sed hic extensius sumitur pro consensu quocumque), « si quidem », id est certe, « adjeceris » verbis tuis jam dictis « hoc » B quod dicam. — *Quidnam ? inquam :* id est, ego Boetius « inquam », id est dico, Quid adjiciam ?

Ad quod Philosophia : *Essene aliquid in his mortalibus caducisque rebus putas, quod hujusmodi statum possit afferre ?* hoc est, « putasne aliquid esse in rebus his mortalibus » et « caducis, quod possit afferre », id est adducere seu præstare, « statum hujusmodi », id est perfectionem seu consistentiam talem, videlicet tam beatam ? — *Minime (inquam) puto,* id est, ego C Boetius « inquam, Puto » hoc « minime », id est nullatenus ; *idque a te, nihil ut amplius desideretur, ostensum est :* hoc est, « idque ostensum » (id est demonstratum) « est a te, ut », id est quod, « nihil » rerum terrenarum « desideretur amplius », id est de cetero, nisi in quantum necessarium aut expediens est ad beatitudinem obtinendam, sicut medium appetitur propter finem, quoniam finis, ut ait Philosophus, necessitatem imponit his quæ sunt ad finem : necessitatem dico condi- D tionatam, non absolutam.

Ex quibus Philosophia concludit : *Hæc igitur* quinque terrena præfata, *vel imagines veri boni, vel imperfecta quædam dare bona mortalibus videntur :* hoc est, « videntur dare mortalibus » hominibus « vel imagines veri boni », id est apparentias quasdam, non exsistentias beatitudinis, « vel bona quædam imperfecta », quoniam corporalia et terrena sunt valde imperfecta in se, et potissime respectu veræ felicitatis, quamvis carnalibus hominibus videatur quod in ipsis exsistat felicitas ; *verum autem atque perfectum bonum,* puta felicitatem, *conferre non possunt.* — *Assentior, inquam,* id est, ego Boetius dico, « Assentior » (juxta antiquam grammaticam), id est, consentio tibi in his.

Deinde Philosophia declarat omnipotentis Dei auxilium esse invocandum ad acquirendum beatitudinem veram.

Quoniam igitur agnovisti quæ vera illa sit, id est, quia ex dictis intellexisti « quæ sit » beatitudo « illa vera », *quæ autem beatitudinem mentiantur,* id est, quæ sint temporalia quæ putantur beatitudinem dare, quum ita non sit ; *nunc superest,* id est restat, *ut unde veram hanc petere possis, agnoscas,* id est, « ut » scias « unde », id est a quo, « possis » de jure, id est, merito debeas, « petere », id est desiderare et rogare dari tibi, « hanc veram » felicitatem. — *Id quidem, inquam, jamdudum vehementer exspecto :* hoc est, « exspecto », id est præstolor, « vehementer jamdudum », id est nunc sicut et diu ante seu olim, « id quidem », id est, pro certo agnoscere a quo postulare debeam veram felicitatem.

— *Sed quum, uti in Timæo Platoni (inquit) nostro placet, in minimis quoque rebus divinum præsidium debeat implorari.* Ordo verborum est : « Sed quum divinum præsidium », id est Dei auxilium, « debeat implorari », id est intime exorari cum lacrimis saltem interioribus, id est suspiriis atque singultibus cordis, juxta illud : Ne avertas faciem tuam a singultu *Thren.* III, meo. *Quid nunc faciendum censes,* id est, 56. « quid » tu, Boeti, « censes », id est judicas, esse « nunc » agendum, *ut illius summi boni sedem recipere* mereamur,* * reperire hoc est, « ut » per actus meritorios valeamus « recipere » pro mercede « sedem », id est mansionem et thronum glorificum, « boni illius summi », id est veræ beatitudinis, tam formalis, quæ est

beatifica contemplatio Dei, quam objectalis, quæ est ipsemet Deus gloriosus ac æternalis ?

— *Invocandum, inquam, rerum omnium Patrem,* id est, ego Boetius dico et censeo, « Patrem omnium rerum », id est universorum Creatorem, esse « invocandum » : *quo prætermisso,* id est non cognito nec invocato, *nullum rite fundatur exordium,* id est, nullum opus legitime inchoatur, in tantum quod et ipsa oratio oratione prævenienda est, quoniam Deum orare debemus ut det nobis gratiam efficaciter ac devote orandi, dicente Apostolo : Quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, Spiritus Sanctus nos postulare facit valde suspiriose. (*Rom.* VIII. 26.) Quumque oraturi sumus, debemus mentem simplificare in Deo, hoc est, ab aliis occupationibus, cogitationibus et distractionibus revocare, in Deo recolligere, ac sensum verborum attendere. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse sicut homo tentans Deum. (*Eccli.* XVIII. 23.)

— *Recte, inquit,* id est, Philosophia dixit, In hoc « recte » respondes ; *ac simul ita modulata est,* id est, hoc dicendo et simul cum actu dicendi, dulciter cecinit, metro ludens, hoc est, delectabiliter proferens metrum quod sequitur.

ARTICULUS XXV

DIFFICULTATUM HUJUS PROSÆ NONÆ PROPOSITIO BREVISQUE ABSOLUTIO.

DIONYSIUS. — Pro horum intelligentia advertendum, quia ut octavo de Civitate Dei recitat Augustinus, Plato Socratem maxime diligebat, et eum in suis libris disputantem inducit. Oportet etiam scire, quod Plato libros suos intitulavit nominibus discipulorum suorum, quorum amore seu occasione libros ipsos composuit. Unde sic allegamus : Plato in Timæo, Plato in Phædone, Plato in Menone, Plato in Protagora, Plato in Hippia. Fecit et alia volumina, quæ aliter intitulantur, videlicet librum de Prophetia, librum de Cogitationibus cognoscendis, etc. Timæus ergo fuit discipulus Platonis, natione Italicus, in astronomia præclarus. Sub cujus nomine loquitur Plato in libro illo, qui est inter libros Platonis famosus : in quo tractat de productione mundi sensibilis. Ubi inducitur Socrates loquens Timæo : Ergo age, Timæe, deliba cœptum, ut mos est, vocata in auxilium Deitate. — Timæus : Vere, mi Socrates. Nam quum omnibus mos sit et quasi quædam religio, qui vel de maximis rebus vel de minimis acturi sunt aliquid, precari ad auxiliandum Deitatem : quanto nos æquius est, qui universitates naturæ atque substantiæ rationem præstituri sumus, invocare divinam opem, nisi plane sæva quadam ac implacabili rapimur amentia ? Sit ergo meis precibus comprehensum, maxime quidem ut ea dicantur quæ placeant Deo, etc. — Hæc Plato.

JOANNES. — Ex his clarissime patet, quod Plato concessit Deum altissimum habere providentiam omnium rerum, et actuum humanorum.

DIONYSIUS. — Utique, etiam in particulari, et usque ad minima ; nec aliter docuisset animas hominum mox dum egrediuntur corpora sua judicari aut remunerari a Deo.

JOANNES. — Ubi hoc docet ?

DIONYSIUS. — In Phædone, quo inter cetera protestatur : Defuncti primum qui-

dem deportantur in causam, hoc est ad A summæ majestatis judicium, utrum bene et sancte degerint, an minime. Et quicumque videbuntur mediocriter vitam transegisse, in Acheronta pervenient, in locum ubi habitabunt, dantes pœnas; atque ab injustitiis expiati, absolventur. Denique, sicut nos juxta beatissimæ nostræ fidei veritatem, dividimus angelos in angelos bonos et malos; angelos quoque bonos, in adsistentes et ministrantes : sic Plato et Platonici posuerunt tres ordines dæmonum, id est intellectualium substantiarum B (δαίμων quippe Græce, Latine dicitur intellectus); sicque dæmones diviserunt in calodæmones, catodæmones, et cacodæmones. Et calodæmones appellabant substantias intellectuales bonas ac sanctas, summo Opifici per contemplationem et laudationem ipsius jugiter adsistentes; sicut nos dicimus de superioribus angelis gloriosis, *Dan.* VII, 10. de quibus in Daniele legitur: Decies millies centena millia adsistebant ei. Porro catodæmones nominabant substantias intellectuales bonas, hominum directores ad vir- C tuosa et sancta : sicut et nos de angelis ministrantibus hominumque custodibus dicimus. Cacodæmones autem dicebant substantias intellectuales vitiosas, instigantes ad mala : quas communiter dæmones nuncupamus. De his omnibus Plato loquitur in Timæo.

Joannes. — Videntur hæc consonare nostræ fidei documentis.

Dionysius. — In multis concordant. Propter quod Henricus in Quodlibetis suis fatetur, Platonem in quibusdam hujusmodi multo melius philosophatum esse quam Aristotelem. Unde et B. Augustinus octavo de Civitate Dei locutus est: Platonici Christianis propius accesserunt. Attamen Alberto, Thomæ, Ægidio, multisque aliis, visum est, quod philosophia Aristotelis et Peripateticorum sacrosanctæ fidei nostræ plus consonet. Et puto, quod in hac comparatione sit dare excedens et excessum.

Præterea, quum etiam apud gentiles mos fuerit Deitatem in omnibus implorare, quanto magis nos Christianos facere hoc oportet? præsertim quum Dominus et legifer noster in Evangelio dicat : Oportet *Luc.* XVIII, 1. semper orare et non deficere; itemque : Petite, et accipietis; quærite, et invenie- *Ibid.* XI, 9, 10. tis; pulsate, et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit. Verumtamen cupiens exaudiri, imploret, id est, intimo cordis affectu cum lacrimis oret, quum in Deuteronomio sit scriptum : Quum quæsi- *Deut.* IV, 29. eris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Hinc alibi scriptum est : Non habetis, quia non postu- *Jacob.* IV, 2, 3. lastis; petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.

METRUM IX

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator; qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri;
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens : tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.

Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam, per consona membra resolvis.
Quæ quum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, et simili convertit imagine cœlum.
Tu causis animas paribus vitasque minores
Provehis, et levibus sublimes curribus aptans,
In cœlum terramque seris : quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.
Da, Pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica. Tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis ; te cernere, finis ;
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

ARTICULUS XXVI

ELUCIDATIO METRI HUJUS NONI.

In hoc nono hujus tertii libri metro prosequitur Philosophia quod in fine præcedentis prosæ se facturam spopondit, invocando Deum omnipotentem. Oratio autem, secundum Damascenum, est petitio decentium a Deo, id est postulatio rerum quas decet peti a Domino. Estque oratio nuntius desiderii, atque expressio et interpres affectionis internæ ; nec proprie appellatur oratio, nisi ex interno erumpat affectu. Cujus affectionis indicium et effectus, est exclamatio oris : idcirco Philosophia orationem hanc ab exclamatione exorsa est, dicens, *O qui perpetua*. Insuper, quoniam cupiens exaudiri, captare debet in primis benevolentiam ejus quem deprecatur, prout Tullius in sua tangit Rhetorica, Guillelmus quoque Parisiensis plenius in Divina rhetorica, id est in libro de Oratione; hinc Philosophia in oratione hac metrica primo captat benevolentiam Dei, eum in se et in suis effectibus multipliciter ac sublimiter commendando. Rursus, quoniam oratio laudibus Dei admixta, præcipue efficax est ad impetrandum, juxta quod ait Psalmista, Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero ; hinc orationem istam laudibus Dei intexuit ac replevit. *Ps.* XVII, 4.

Amplius, quum unumquodque in tribus, hoc est, in posse, scire, et velle, efficax sit idoneumque ad agendum, ita ut potentia sit non impedita, scientia non obnubilata, voluntas longe ab omni invidia atque malitia relegata, prout Plato hoc eleganter deprompsit, applicando hoc ipsum ad pri-

mam omnium causam ; hinc Philosophia A in metro isto de his tribus omnium Creatorem specialiter recommendat, utputa, ejus potentiam in universorum creatione, sapientiam in omnium ordinatione et gubernatione, voluntatem (id est bonitatem, pietatem, dilectionem, quæ ad voluntatem pertinent) in gratuita suæ bonitatis communicatione, quia ex mera suæ liberalitatis ac opulentiæ exuberantia condidit universa. Etenim potentia actionem elicit, sapientia dirigit, bonitas perficit ; sapientia concipit, potentia efficit, bonitas fini B conjungit. Itaque Philosophia exclamat :

O tu, Deus omnipotens, *qui gubernas mundum ratione perpetua,* id est æterna providentia, seu lege æterna idealique ac sapientissima dispositione : quoniam ab æterno universa et singula, in infinita sapientia sua in se ipso prævidit, disposuit, ordinavit, et cunctis inclinationem impressit ad proprium finem ; sic quoque entia invicem coordinavit, quod unum alteri servit, est expediens, suffragatur. Propter
Sap. VIII, 1. quod de increata Sapientia dicitur : Attin- C git a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Unde in libro de Causis probatur, quod regit res omnes per finem decoris, id est pulcherrime. De hoc
Cf. p. 119 B et s., 278 A et s., 306 B et s. jam supra multa sunt introducta, et infra plura, Deo præstante, dicentur.

Capitur autem hoc loco perpetuum pro æterno, quemadmodum et æternum pro perpetuo interdum accipitur, ut in Eccle-
Eccle. I, 4. siaste : Generatio præterit, et generatio advenit ; terra vero in æternum stat. Per mundum autem, totum universum invicem D coordinatum atque ad finem supremum relatum intelligitur ; et dicitur mundus, quasi purus quoad essentialia sua, quia a mundo mundissimo qui est in mente divina, hoc est a mundo exemplari archetypo, emanavit. Hinc, ut recitat Augustinus, Varro doctissimus gentilium Romanorum disseruit, quod Deus est mens mundum ratione ac motu gubernans. Denique regit « mundum », id est totum genus humanum, quod in Scripturis frequenter mundus vocatur, sicut Joannes ait : Mundus *Joann.* I, 10.
eum non cognovit. Cui mundo contulit legem naturalem, legem Mosaicam, et evangelicam legem. Ideo in Isaia scriptum est : Dominus judex noster, Dominus legi- *Is.* XXXIII, 22.
fer noster, Dominus rex noster.

Qui es *sator,* id est creator, *terrarum,* id est totius elementi terræ ac omnium partium ejus, *cœlique,* id est et omnium cœlestium corporum, orbium et sphærarum. Unde in exordio Geneseos fertur : In *Gen.* I, 1.
principio creavit Deus cœlum et terram. Quod quam multipliciter exponatur, super Genesim introduxi, nec opus est hoc hic *Cf.* t. I, p. 13 D et s.
iterare. At vero per cœlum et terram, tanquam per duo extrema, intelliguntur et omnia intermedia et in eis contenta, quibus quasi seminibus implevit et quodammodo seminavit et fecundavit cœlum et terram, prout in Genesi describitur. Et *Gen.* I, 1-25.
sicut in mente Creatoris sunt rationes rerum omnium ideales : ita in cœlestibus corporibus et rerum motoribus sunt rationes inferiorum causales, non primæ ac principales, sed secundariæ ac instrumentales ; in inferioribus vero, ut in elementis et mixtis, et præsertim in terræ elemento, rationes sunt seminales, de quibus in libro de Trinitate loquitur Augustinus : Omnium rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in hujus mundi corporeis latent elementis. De his scribunt doctores diffuse super secundum *Cf.* t. XXII, p. 4 C et s., 166 B et s.
Sententiarum, tractatu de Operibus sex dierum.

Qui jubes tempus ire ab ævo. Per ævum potest designari æternum, et item perpetuum. Proprie autem ævum pro perpetuo sumitur : quod est mensura cœlestium et incorruptibilium creaturarum (ut sunt substantiæ separatæ atque cœlestia corpora), quantum ad suum esse, et quoad suas substantias, quæ non subjacent tempori, sed manent in ævo. Elementa vero quoad partes suas subjacent corruptioni ac tempori. Porro tempus, secundum Philosophum quarto Physicorum, definitur esse mensura motus secundum prius et poste-

rius : sicque, quum sit de numero et genere successivorum, nihil habemus de tempore actualiter nisi indivisibile instans seu nunc, quod reductive ponitur in prædicamento quantitatis ; estque suo modo accidens quoddam, sicut momentum ponitur esse in motu, et punctum in linea.

Sic ergo ex Creatoris præcepto « tempus » it et exit « ab ævo », quia causatur ab illo sicut accidens a substantia. Vel simul cum ævo creatum est ab Æterno, id est a Deo æterno, prout in casuali illo designatur effectiva casualitas, non æterna duratio ; vel potius concreatum est suo subjecto, secundum quod Beda, Strabus et Rabanus super Genesim ponunt quatuor coæquæva, id est primo simul creata, quæ sunt, angelus, cœlum, materia, et tempus : de quibus tractat Albertus libro de IV Coæquævis, et tam ipse quam alii, super secundum Sententiarum. Sic itaque exit tempus ab Ævo, sicut a causa efficiente et effectivo principio. Procedit quoque ab Ævo seu Æterno sicut a causa formali seu exemplari, secundum rationem cujusdam imitationis, prout cuncta creata ab idealibus rationibus mentis divinæ egrediuntur, per quamdam imitationem divinæque bonitatis participationem : nam et tempus quoad suam totalitatem, grandem habet durationem, qua æternitatis aliquantulam participationem sortitur. Rursus, tempus exit ab ævo, id est, egreditur ævi quietem et stabilitatem, cadendo seu deficiendo ab illa, sicut instabile ac mobile exit mensuram ac limitem rei stabilis atque immobilis : sicque exit, id est, defluendo deficit, labitur, et quantum ad partes suas desinit esse, sicut mortale ac moriens exit a vita.

Cf. t. XXII, p. 26 B et s.

Præterea multa hic dici possent de tempore, quid sit realiter, et utrum sit aliquid extra animam, et de difficultate suæ cognoscibilitatis : quæ et infra potius habent locum.

Stabilisque manens, das, id est facis, *cuncta moveri.* Deum esse stabilem, id est prorsus incommutabilem, frequenter expressum est, et a philosophis demonstratum : quod et infra in libro quarto et quinto plenius ostendetur. Ipse etenim ad nil aliud ordinatur, nec indiget aliquo : imo sibi ipsi est finis, eo modo quo sibi competit finem habere ; estque superpurissimus ac simplicissimus actus. De quo in Numeris scribitur : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; neque ut filius hominis, ut mutetur. Et item in Psalmo : Tu autem idem ipse es. De quo in libro Job legitur : Numerus annorum ejus inæstimabilis. Imo annorum ejus nullus est numerus proprie dictus, quoniam infinitum non cadit sub numero. Denique ipse Deus in se prorsus immobilis permanens invariabiliterque consistens, dat, id est facit, « cuncta » creata « moveri », sumendo motum multum extense, pro quacumque tendentia et gressione in finem intentum. Nam cetera omnia ordinantur in finem aliquem diversum ac distantem ab ipsis aut loco aut dissimilitudine, in quem motu seu actu aliquo inclinantur, tendunt, pertingunt. Qualiter autem moveri diversis creaturis diversimode competat, super secundum Sententiarum determinatur, ubi doctores declarant qualiter duplex sit tempus, puta : continuum, in quo moventur corporea ; et discretum, in quo incorporales substantiæ moveri et agere perhibentur : quarum tamen beatifica actio omne tempus excedit.

Num. XXI 19. — *Ps. CI, 28.* — *Job XXXV[I] 26.* — *Cf. t. XX[I] p. 126 B' s., 146 B' s. ; XX, 462 C' et [s.]*

Consequenter tangitur causa inductiva creationis totius universi. Quæ causa non fuerunt merita rerum, quæ nulla præcesserant ; nec indigentia Dei, qui creaturis non indiget, utpote infinite perfectus ; nec ulla utilitas Deo inde proveniens, quoniam ex creaturis nil profectus aut commodi potest ei accidere. Sed causa illa fuit mera et infinita ac munificentissima bonitas et superexuberans opulentia Creatoris, amorque ejus prorsus ac mere gratuitus, qui teste divino Dionysio, non reliquit Deum sine germine esse. Ista fuit et est prima et principalis ratio quæ movit superdignissimum Deum ad rerum creati-

De Divi[n.] nom. c. IV

onem, hoc est, ex qua placuit ei cuncta creare. Deinde assignantur aliæ rationes quasi secundarie se habentes : ut scilicet perfectio Creatoris immensa ac multiplex, in entibus conditis pulchre, ordinate, ac multipliciter reluceret ; et item ut ipse ab omnibus honoraretur, et ab intellectualibus creaturis debite coleretur. Et hoc totum refertur ad ipsum Deum, qui est bonum summum, prorsus incomparabile penitusque perfectionaliter infinitum, et finis omnium finium. De quo in libro Proverbiorum Salomon brevi verbo, non parvo sensu, deprompsit : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. *Prov.* XVI, 4.

Itaque ait : *Quem* Creatorem *causæ externæ,* id est rationes extrinsecæ seu aliunde acceptæ, *non pepulerunt,* id est, non incitaverunt nec induxerunt, *fingere,* id est formare, *opus materiæ fluitantis,* id est, assidue fluentis et tendentis de forma ad formam, ex privatione ei secundum se consideratæ annexa, ut etiam Rabbi Moyses super Genesim et Job exposuit ; *verum,* id est sed, *forma,* id est natura ac formalis proprietas, *boni summi,* id est bonitatis puræ, divinæ, æternæ, connaturalis, *insita,* id est consubstantialis, non accidentaliter adducta, neque adveniens, *carens livore.*

Denique metrum istud pulcherrimum Philosophia ex verbis Platonis in primo Timæi sumpsisse videtur, et sententiam prosaice ibi expressam, metrice hic redegit in formam. Itaque de Creatoris eminentia et incomprehensibili atque ineffabili dignitate loquitur ibi Plato sub persona Timæi : Igitur genitorem opificemque universitatis tam invenire difficile, quam inventum impossibile est digne effari. Deinde humani intellectus imbecillitatem ad determinandum et exprimendum difficilia ac profunda perpendens, adjecit : Quare prædico nunc, o Socrates, si dum de natura universi disputatur, minime inconcussas inexpugnabilesque rationes afferre voluerim, ne miremini ; quin potius mementote, tam me qui loquor, quam vos

A qui auditis, homines esse, atque ita in rebus sublimibus mediocrem elocutionem, magni cujusdam esse onus laboris. Deinde rationem inductivam et item finalem productionis mundi aperiens : Dicendum, inquit, cur conditor universi omne hoc instituendum putaverit. Optimus erat : porro ab optimo invidia longe relegata est. Itaque cuncta sui similia effici voluit, prout natura uniuscujusque capax beatitudinis esse poterat. Quam quidem voluntatem Dei, originem rerum certissimam si quis

B ponat, recte eum putare consentiam. Demum de causa materiali subjungit : Omne visibile corporeumque motu importuno fluctuans nec unquam quiescens, ex inordinata jactatione redegit in ordinem, sciens ordinatorum formam confusis inordinatisque præstare. Causam item formalem seu exemplarem exprimit ibi, ut paulo post dicam.

Nunc scrutandum quomodo intelligendum sit, quod mundus sensibilis dicitur factus et in formam ordinemque redactus,

C ex fluitante, informi, confusa, inquieta materia. Videtur autem quibusdam, quod Plato modum istum loquendi sumpsit ex libro Genesis, in quo habetur : Terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Gen.* I, 2. Octavo quippe de Civitate Dei, capitulo undecimo, videtur Augustinus sentire, quod Plato per interpretem didicit Moysis libros. Et quidquid sit de hoc, eadem est difficultas ac diversitas exponendi auctoritatem illam Geneseos, id

D est, in verbis Platonis jam allegatis, in verbis quoque Boetii hic inductis.

Itaque advertendum, quod textus ille Geneseos tripliciter a diversis exponitur. Primo, quod omnia corporalia sub cœlo empyreo contenta, fuerunt primo a Deo creata in quadam confusa et indistincta materia, non tamen penitus informi, sed informata quadam forma corporeitatis imperfecta, nec ad aliquam speciem contracta ac redacta, et quod ex illa materia per intervalla sex dierum sint corporalia om-

nia a Deo producta, distincta atque ornata. Hanc opinionem sequitur Bonaventura in Scripto secundi Sententiarum : quam Thomas multipliciter improbat ; et Richardus de Mediavilla eam nominat phantasiam.

Secundo littera illa exponitur, quod materia in prima corporalium productione fuit confusa et indeterminata, non quin in diversis partibus suis habuerit diversas formas substantiales, sed ita, quod partes illæ materiæ non fuerint distinctæ ab invicem loco et situ, nec accidentalibus suis formis ac dispositionibus ac qualitatibus formatæ plenarie. Quæ opinio videtur Thomæ, Petro et Richardo rationabilior quam præcedens : quam et Guillelmus Parisiensis in libro de Universo, prima parte, magis sequi videtur. Verumtamen Richardo apparuit quod formæ illæ substantiales in prima illa productione non fuerunt completæ. Ait namque in Scripto secundi : Æstimo quod quamvis materia cœli empyrei creata fuit sub forma completa, materia tamen corporum aliorum non fuit creata sub forma completa ; sed partes molis illius contentæ sub cœlo empyreo, creatæ fuerunt sub formis incompletis illorum corporum quæ postea de partibus illis sunt facta per intervalla sex dierum. Quæ opinio magis placere videtur Magistro in littera, et Hugoni prima parte de Sacramentis, quo ait : In forma confusionis primo materialiter omnia corpora simul et semel creata sunt, et in forma dispositionis postmodum per intervalla sex dierum. Gregorius quoque super illud Job, Ecce Behemoth quem feci tecum, testatur : Quod simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Idem sequitur Beda et doctores communiter, magisque consonat litteræ. Hæc Richardus. Cui objicitur, quod forma substantialis non suscipit magis aut minus ; auctoritas quoque Gregorii et Hugonis potius militare videtur pro opinione illa Bonaventuræ.

Sent. lib. II, dist. 12 E.

Job XL, 10.

Tertio exponitur littera ista ab Augustino, ita quod cœlum et omnia elementa ac prima individua rerum, imo visibilia et invisibilia, totusque mundus sicut nunc stat, non solum quantum ad suam substantiam, sed etiam quantum ad suam distinctionem atque ornatum, quantum ad partes suas ac species quæ sunt de integritate ipsius, ab Omnipotente simul in eodem instanti creata sunt. Ad quod allegat illud Ecclesiastici : Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. De hoc loquitur Thomas in Scripto : Augustinus ait, in distinctione rerum non esse attendendum ordinem temporis, sed naturæ, sicut sonus præcedit cantum : et ita quæ naturaliter sunt priora, prius facta dicuntur, ut terra prius quam animalia, et aqua prius quam pisces ; per intervalla quoque sex dierum, non dierum temporalium successionem, sed totidem repræsentationes rerum creatarum in luce cognitionis angelicæ. Hanc opinionem sequuntur Thomas, Albertus, Udalricus, imo et Alexander ac Thomas de Argentina ; sic tamen quod aliam expositionem, quæ ponit res per intervalla dierum productas, non reprehendunt nec reprobant, quoniam textui Genesis magis consonare videtur. Verumtamen S. Thomas quodam loco fatetur, quod si dies et lux non dicuntur in spiritualibus nisi metaphorice et transumptive, tunc expositio illa Augustini, mystica esset, non litteralis. Quumque Thomas dicat in Summa, quod dies et lux non dicuntur in spiritualibus nisi transumptive, sequi videtur ex dictis Thomæ, quod illa Augustini expositio esset mystica tantum.

Eccli. XVIII, 1.

Cf. Summ. part. 1, q. 67, art. 1, t. XXII, p. 28 C.

Præterea Udalricus in Summa circa hæc scribit : Hieronymus, Gregorius, Beda, ac alii multi, textui Genesis simpliciter incumbentes, asserunt creaturas factas per intervalla dierum, sicut littera Genesis sonat ; Augustinus vero solita sua subtilitate obviat, dicens omnia simul distincte producta, etc., ut supra. Verum expositio illa dicens res esse productas ac distinctas per intervalla dierum, continet aliquid quod est ad magnam indecentiam fidei :

quia non solum exponit Scripturam contra rationem, sed etiam infidelium derisioni eam exponit. Juxta enim hanc expositionem, Scriptura incidit imperitum errorem Epicureorum philosophorum, dicentium res esse productas ex uno mixto confuso. Qui error in philosophia satis est reprobatus, quia nec omnia commiscibilia sunt, nec assignari potest ratio naturalis cur movens moveat illa mixta ex confusione ad determinatum esse nunc et non prius. Rationes etiam Aristotelis probantes mundi æternitatem nequeunt rationabiliter solvi, ponendo successivam mundi productionem. Sequeretur etiam, quod corpora cœlestia non essent naturaliter incorruptibilia. Insuper multa ponuntur in illa opinione quæ rationis nil habent, videlicet, quod confusio illa processit ab operante per sapientiam (cujus est ordinare) prius quam distinctio, et quod Deus non dedit a principio naturis rerum suas naturales virtutes ; item, quod Deus non statim a principio lucem creavit, et cur successive produxit quæ eadem facilitate potuit simul producere. Hæc Udalricus.

Cujus dicta videntur magis audenter quam sapienter esse prolata. Si etenim expositio illa aliquid contineret ad magnam fidei inconvenientiam spectans, falsa esset, quum fides nil indecens tradat aut doceat, quum sit supernaturalis radius Sapientiæ increatæ. Amplius, teste Anselmo, in fide et Scripturis minimum inconveniens, est maximum impossibile. Si ergo expositio illa Sanctorum inconvenientiam indecentiamve includit, impossibilis est et falsa. Iterum, secundum Augustinum et alios Sanctos, quamvis ea quæ fidei sunt, sint supra rationem, non tamen sunt contra eamdem. Si ergo expositio illa Sanctorum censetur catholica, non est irrationabilis nec rationi contraria. Nec verum est quod renovet antiquorum philosophorum errorem, nec cadit in illum. Nam Epicurei dixerunt materiam esse totam rerum substantiam : quod expositio A illa abhorret. Nec verum est quod ratio nequeat assignari cur Deus tunc et non ante, deduxit res ex illo confuso ad esse determinatum. Nempe id egit, quatenus cuilibet diei suum opus corresponderet, similiter unicuique generi operum suus dies. Nec ista rerum successio fuit inordinata, quum naturale sit ex imperfectione ad perfectiora gradatim ascendere. Nec sequitur ex his, quod rationes Philosophi de mundi æternitate insolubiles sint, aut difficiles ad solvendum, imo revera sunt B debiles valde : quoniam sicut Augustinum sequentes, ita et hujus opinionis sequaces non dicunt opus illud sive distinctum sive confusum, a Deo simplici emanatione et ab æterna ac immutabili illius voluntate fluxisse. Si autem sancti Patres dixissent chaos illud ab æterno fuisse ac fluitasse, incidissent philosophorum errores, Aristotelisque motiva aliquid apparentiæ aut forsitan efficaciæ contra eos haberent.

Itaque in tam ardua fidei materia, loquendum est sine temeraria assertione, et C opinative consentiendum uni expositioni sine alterius derogatione; subjicienda quoque est ratio auctoritati divinæ, nec increatæ Sapientiæ sensus est irreverenter discutiendus : quæ omnia discretissimus Augustinus in sua tunc recenti ac speciali expositione servavit. Et quamvis expositio Augustini videatur subtilior, aliorum tamen Sanctorum expositio est securior, utputa sacræ Scripturæ conformior. Hinc Bonaventura : Aliqui (inquit) Sancti in hac quæstione magis secuti sunt theologicam D viam, trahentes rationem ad ea quæ fidei sunt. Quidam vero, ut Augustinus, magis secuti sunt philosophicam viam, ponendo ea quæ videntur rationi plus consona. Quumque expositio Augustini videatur intellectum Scripturæ distrahere, et securius sit magisque meritorium sequi textum Scripturæ ; hinc sancti doctores, tam ante Augustinum quam postea, exposuerunt scripturam istam Geneseos sicut sonat. Hæc Bonaventura. Qui consequenter in Scripto suo super secundum Sententiarum,

ponit quadruplicem rationem successivæ illius productionis, videlicet litteralem, tropologicam, allegoricam, et anagogicam : quod brevitati studens dimitto. De hac quippe materia super secundum Sententiarum plenarie scripsi : ex quibus hæc pauca commemoro.

Cf. t. XXII, p. 4 C et s.

Ideo expositionem sanctorum patrum Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Bedæ, Strabi, imo et S. Basilii, Damasceni, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli, simpliciter sequor. Ad quod etiam non parum me movet auctoritas divini et magni Dionysii, quem a beatissimo Paulo apostolo et aliis apostolicis viris non dubito eruditum : qui libro de Divinis nominibus, quarto capitulo, asserit solem quarto die productum. Quod et Leo Papa affirmat in homilia. Nec aliquis doctorum Mosaicæ legis ante Salvatoris adventum exposuit Genesis textum, nisi ut sonat, de successiva productione per intervalla dierum. Et quamvis gentilibus philosophis convertendis ad fidem, potius conveniret expositio Augustini ; attamen convertendis Judæis in lege Moysis eruditis, multo plus complaceret et conveniret alia expositio.

Sequitur de formali seu exemplari causa mundi. *Tu cuncta superno ducis ab exemplo.* Exemplar proprie appellatur, ad cujus imitationem ac similitudinem producitur aliquid ; exemplum vero, id quod producitur ad imitationem similitudinemque alterius. Idcirco exemplum hoc loco improprie sumitur pro exemplari, ut sit sensus : « Tu », Deus, « cuncta » creata « ducis », id est producis, « ab exemplo superno », id est a ratione exemplari suprema et ab idea æterna.

Imo unumquodque producitur a propria ratione seu forma ac specie quam habet in mente primi ac summi Opificis. Quum enim Deus sit supersapientissimus et invariabilis omnium auctor, nil improvise, casualiter aut fortuito agens aut operans, rationem, exemplar ac similitudinem operis sui in se ipso intuetur, disponit, præconspicit, format. Quæ ratio nominatur exemplar et idea rei creatæ in Deo ; estque realiter idem quod divina essentia. Quum enim Deus naturaliter infiniteque bonus, universa producere voluit et decrevit, quatenus suam bonitatem et perfectionem in aliquo gradu imitarentur ac participarent, ipse suam essentiam intellexit ut a creaturis seu creandis imitabilem ac participabilem : sicque divina essentia ut imitabilis intellecta, vocatur idea, exemplar, ratio, similitudo et species creaturæ ; intellecta demum a mente divina ut imitabilis ab hac aut illa re creata secundum hunc aut illum gradum bonitatis aut perfectionis, sic est plurium rerum idea, imo et universorum, in quantum intellecta a Deo ut imitabilis ab universis. Quumque Deus supersublimis, sit prorsus infinitæ perfectionis, et infinita attributa perfectionalia in se comprehendens, infinita quoque actualiter noscens, et quantum in se est infinitorum productivus, ut super primum Sententiarum scribit Ægidius, atque Henricus in Quodlibetis ; ideo infinitæ ideæ sunt in mente divina. Quæ tamen in simplicissimo Deo nullam penitus realem pluralitatem vel diversitatem inducunt : quoniam ipse superbeatissimus Deus uno indiviso, simplicissimo actu, se ipsum ac universa et singula creanda, creata et creabilia, finita et infinita, intelligit, ordinat, intuetur. Nec ex parte ipsius Dei in se est ulla horum distinctio : imo in ipso omnifariam idem sunt, essentia, potentia, actio, intellectus, et species ac objectum.

Sic igitur non aliunde accepit rationem et ideam operis sui, sed in se et ex se universa cognovit, instituit, determinavit. De quo in Isaia scriptum est : Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientia, et viam prudentiæ ostendit illi ? Hoc est quod ad Romanos ait Apostolus : Quis consiliarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Enimvero juxta concordem

Is. XL, 14.

Rom. XI, 34-36.

theologorum et philosophorum doctrinam, A Deus est omnium causa in triplici genere causæ : quod triplex genus causandi, est in eo una potestas causalis omnium productiva. Est enim omnium causa in genere causæ efficientis, in quantum causat et influit esse ac vivere entibus ; et item in genere causæ formalis, non informantis, sed formantis et exemplaris, secundum quod cuncta operatur per sapientiam suam idealemque rationem rei causatæ ; itemque in genere causæ finalis, in quantum omnia facit propter se, et ordinat B ad se ipsum tanquam ad summum finemque finium omnium rerum. Denique, in quantum est causa efficiens, omnia sunt ex ipso (quod sibi convenit ratione suæ potentiæ) ; in quantum vero est causa exemplaris, omnia sunt per ipsum ; atque ut est causa finalis, omnia sunt in ipso.

De his præ cunctis philosophis Plato egregie disseruit in Timæo : Certe (inquiens) dubium non est ad cujusmodi exemplum animadverterit mundani operis fundamenta constituens, utrum ad immu- C tabile perpetuamque obtinens proprietatem, an ad factum et elaboratum. Nam si (ut quidem est) pulchritudine incomparabili mundus est, opifexque et fabricator ejus optimus, perspicuum est quod juxta sinceræ atque incommutabilis proprietatis exemplum, mundi sit instituta molitio ; sin vero (quod neque cogitari quidem aut mente concipi fas est), ad elaboratum : quod quum sit rationis alienum, liquet opificem Deum sempiterni exempli formam in constituendo mundo D secutum. Hinc demum Avicebron in libro Fontis vitæ asserit, omnium patrem Deum cuncta producere per verbum intus conceptum, per verbum intelligendo intelligibilem rationem ac speciem rei creatæ : tamen, secundum Guillelmum Parisiensem libro de Universo, per verbum intellexit
Joann. I, 3. Unigenitum Dei, per quem facta sunt omnia.

At vero de ideis Augustinus libro LXXXIII Quæstionum pulchrum introducit capitulum : Ideas, dicens, Plato primus dicitur posuisse ; sed non quia nomen primitus posuit, rem ipsam hoc nomine designatam primus agnovit aut posuit. Etenim εἶδος Græce, Latine dicitur forma. Inde dicuntur ideæ, quæ sunt principales rerum formæ stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ sunt, jugiter se eodem modo habentes : quæ divinæ mentis intelligentia continentur ; et quum ipsæ nec oriantur neque intereant, secundum eas tamen formatur quidquid oritur et interit. Denique tanta est vis idearum, ut nisi eis intellectis, esse sapiens nemo possit.

Denique de ideis ait Thomas in prima parte, quæstione quintadecima : Idea valet art. 1.
et ponitur propter duo. Est enim principium cognoscendi, quum sit exemplar rei cujus est idea ; est quoque principium producens ideata. Quumque Deus sit causa rerum per intellectum propter aliquem finem, constat quod habeat in se rationes exemplares, id est ideas, omnium quæ producit. Hinc patet, quod ea quæ non art. 3 ad 2um.
fuerunt, non sunt, nec erunt, non habent ideam in Deo, nisi in quantum est principium cognoscendi.

De his ideis dictum est plenius super primum Sententiarum, ubi tacta et im- *Cf.* t. XX, p. 393 A et s.
probata est opinio dicentium, quod ideæ sunt ipsæ res seu objecta secundum quod intellectualiter apprehensa.

Tu *ipse* Deus *pulcherrimus, mente gerens,* id est, habens in intellectu, *mundum pulchrum,* id est mundum archetypum intelligibilem, exemplarem : qui est plena idea, superpulcherrima similitudo, forma et species totius mundi sensibilis, imo totius universi ex visibilibus invisibilibusque constantis. Quemadmodum enim artifex volens construere domum, præconcipit in se similitudinem, formam ac speciem domus fiendæ ; sic supersapientissimus conditor Deus intra se concepit et vidit similitudinem et exemplar mundi istius. Unde et septimo Metaphysicæ ait Philosophus, quod sanitas est a sanitate,

et domus a domo, hoc est, sanitas corporalis a sanitate intellectualiter apprehensa in mente medentis, similiter domus materialis a domo taliter intellecta.

De hoc mundo ideali archetypo, fertur apud Joannem : Quod factum est, in ipso vita erat. (*Joan.* i. 3, 4.) Nempe, quod est in alio, est in illo secundum modum ipsius ; quumque Deus sit vita et lux, sapientia et intellectus (juxta illud Platonis in secundo Timæi, Ipse est mens cujus vita contemplatioque intellectus), omnia sunt in Deo intellectualiter atque vitaliter, imo vita et lux. Unde verbis prætactis Plato adjecit : Idearum genera contemplatur intelligibili modo. Quæ ideæ sunt quasi serenissimi atque splendidissimi fontes universorum quæ producuntur ac fluunt ex ipsis. Et quamvis sint omnes realiter idem, eadem scilicet Deitatis essentia ; tamen propter relationem et respectum ad creata et ideata, pluraliter designantur, et fontes vocantur, quum in re omnes sint unus fons : de quo in Psalmo dicitur Deo, Quoniam apud te est fons vitæ ; (*Ps.* xxxv. 10.) et in Ecclesiastico, Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. (*Eccl.* i. 5.)

Præterea, Deus vere, essentialiter et supersubstantialiter pulcher est et superpulcherrimus, pulchritudo separata, fontana, penitus infinita, ad intuendum incomprehensibiliter amœnissima, dulcissima, convenientissima, quum in Canticis loquatur Sponsa : Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. (*Cant.* i. 15.) Ecce quid pulchrius veritate ? Quid splendidius sapientia? Quid justitia, sanctitate, caritate formosius ? Quam pulcher est ergo qui essentialiter verus est et veritas supermundissima, sapientia infinita, sol justitiæ, lux sanctitatis immensæ ? Cujus superexaltatam, supersplendidissimam, desiderabilissimam pulchritudinem attendere contemplarique possumus in universis et singulis, atque in toto ordine universi. Quemadmodum enim quarto capitulo de Divinis nominibus magnus Dionysius docet, bonum et pulchrum commutabiliter idem sunt : et sicut nihil est in rebus quod non in aliquo divinam participet bonitatem, sic nec quod non in aliquo pulchritudinem participet divinam et increatam ; nec quidpiam tam deforme ac turpe ac fœdum est in accidentalibus suis, cujus forma et quidditas non sit quid pulchrum ac bonum. Imo quod in uno aut respectu unius videtur nocivum et vituperabile, in alio aut respectu alterius est proficuum atque laudabile : sicut araneæ sunt cibi avicularum quarumdam, et venena nonnulla sunt homini medicinæ.

Si pulchritudinem intueamur cœlorum, solis ac planetarum, præsertim spirituum supernorum, præcipue in gratuitis ac gloriæ donis, et maxime pulchritudinem mundi ac corporum electorum post diem judicii ; poterimus aliquantulum speculari quam speciosus sit Deus omnipotens in se ipso. Præterea, si superexcellentissimus Deus tantam pulchritudinem ponit in modica carnis mortalis parte, puta in hominis facie, ut delectemur et inspiciendo vix satiemur, quam incomparabiliter pulcherrimus est Deus altissimus in se ipso, et quam incomparabiliter delectabilissimum est eum in se ipso clare et immediate conspicere ? Beati igitur mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth.* v. 8.) Miseri vero et prorsus miserrimi, qui propter hæc fœda et vilia, vana, turpia et caduca, tanta se privant felicitate et gloria.

Ex hac consideratione Plato in Timæo disseruit, probans Deum nequaquam constituisse hunc mundum intuendo ad exemplar extraneum : Omnium (inquit) causatorum mundus speciosissimus est ; auctor vero ejus, efficientium omnium optimus. Liquet ergo opificem Deum non secundum elaboratum (id est aliunde sumptum) exemplar, universitatis machinam esse molitum. Hinc præelectus et seraphicus ille Dionysius protestatur : Supersubstantiale pulchrum dicitur pulchritudo, quia pulchrificat exsistentia universa secundum propriam singulorum proportionem, et causat universalem omnium harmoniam, ornatum et claritatem, immittitque univer- (*De Divin. nom.* c. iv.)

sitati rerum pulchrificas distributiones fon- A tani radii sui. Hinc in prima parte Summæ, quæstione quinta, asserit Thomas : Bonum et pulchrum sunt idem in subjecto : utrumque namque super formam fundatur. Sed differunt ratione. Nam bonum respicit appetitum, pulchrum vero vim cognoscitivam : pulchra enim dicuntur, quæ ex sua natura visui placent.

rt. 4 ad 1um.

Sequitur : *Similique imagine formans,* id est, tu, Deus, es « formans », id est distincte producens mundum, « imagine simili », id est sub forma imitante rati- B onem exemplarem quam habet in mente divina. Propter quod omnis creatura est quasi radius sui Creatoris, sicut et omnis effectus vocatur quædam participata suæ causæ similitudo. Hinc Proclus in Elementatione theologica loquitur : Omne producens, similia ad se ipsum ante dissimilia substituit; itemque : Omnis processus efficitur per similitudinem secundorum ad prima.

Perfectasque jubens perfectum absolvere partes. Hic Philosophia tangit quatuor C principales inferioris mundi partes, videlicet quatuor elementa, ut sit sensus : Tu, Creator, es « jubens » mundum « perfectum absolvere » et explicare seu explicite, repræsentare et exhibere « partes perfectas », id est quatuor elementa, quorum unumquodque est perfectum in genere suo, et una de principalibus partibus universi.

Tu ligas elementa, id est, ea connectis, et unumquodque eorum in loco sibi connaturali locatum conservas ac detines, D *numeris,* id est in numero certo : quia sunt quatuor. Vel « numeris », id est certis et congruis proportionibus : quoniam elementa symbolum habentia, ad invicem proxime collocasti. *Ut frigora,* id est elementa frigida, utputa terra et aqua, *conveniant,* id est, comproportionentur ac apte jungantur, *flammis,* id est calidis elementis, puta igni et aeri. Sic enim ista elementa sunt ad invicem disposita, collocata et juncta, quod elementum maxime simplex, subtile, formale, activum, scilicet ignis, maxime distat ab elemento maxime grosso, materiali, passivo, quod est terra. Rursus, secundum Philosophum secundo de Generatione, in elementis habentibus symbolum, facilior est transitus. Qualitas enim in qua elementa duo conveniunt, symbolum appellatur. Transitus quoque dupliciter vocatur facilior : primo, quia in passo est resistentia minor; secundo, quia pauciora corrumpuntur : ut dum ex aere generatur ignis. Nam aer et ignis conveniunt in calore, terra et aqua in frigore, aqua quoque et aer in humiditate; ignis vero et terra potissime dissonant. Item, ut *arida,* id est elementa sicca, ut terra et ignis, conveniant in ordine rerum *liquidis,* id est humidis elementis, ut aquæ et aeri. Et hoc, *ne ignis purior,* id est aliis elementis simplicior, *evolet,* id est, ordinem et situm suum excedat; *aut pondera,* id est moles gravitatis, *deducant,* id est, ultra congruentiam universi deprimant, *terras mersas,* id est elementum terræ cum partibus suis : quod dicitur mersum, id est loco infimo positum, vel quoniam pro maxima parte est aquis opertum.

Hæc autem elementa, infinita atque omnipotens sapientia Dei sic collocavit, quod inter ignem et terram, quæ maxime inter se disconveniunt, mediat aqua, symbolum (id est convenientiam) habens in frigiditate cum terra, et cum aere in humiditate; aer quoque, convenientiam habens cum igne in caliditate : et ita in his est propinquitas, contemperatio atque connexio, sicut in speciebus numerorum. Est item in eis temperies in gradu subtilitatis et corporalitatis, seu raritatis et densitatis : quoniam aqua est decies subtilior terra, et aer est decies subtilior aqua, ignis quoque decies subtilior aere; sicque aer est centies subtilior terra, ignis vero pure elementaris, de quo sermo, est millies subtilior terra. Unde consequitur, quod sicut ex uno pugillo terræ fiunt decem pugilli aquæ, ita ex uno pugillo terræ generantur

centum pugilli aeris et mille pugilli ignis. Juxta præhabita commiscet et temperat Deus elementa in mixtis. Et totum istud ex verbis Platonis in Timæo sumptum videtur.

Consequenter commendat excellentiam Dei in dispositione, gubernatione et actibus animæ mundi : de qua dictum est supra et modo dicitur. (Cf. p. 3[illegible] A.)

Tu, Deus, *connectens,* id est, conjungens et applicans, *animam naturæ triplicis,* id est tripartitæ virtutis seu proprietatis et operationis, *mediam,* id est, inter te creatorem et inferiora mediantem, et in medio consistentem, seu medio modo se habentem (quam tanquam instrumentum omnipotentiæ tuæ applicas, moves ac dirigis ad agendum et prosequendum quæ per eam agenda disposuisti), *moventem cuncta* quorum ipsa est anima ; hanc *resolvis,* id est, diffundis, extendis, distribuis, *per membra consona,* id est ei proportionata et convenientia, quæ moventur et suo modo vivificantur ab ea.

Quæ anima *secta,* id est divisa : non quoad suam essentiam, quæ simplex indivisibilisque consistit, sed quoad operationem. Unde subjungitur : *quum glomeravit,* id est duplicavit, seu circulariter duxit, *motum in duos orbes,* id est in orbem planes et aplanes, seu in primum mobile et sphæram illi suppositam, quæ movetur motu raptus primi mobilis, *meat,* id est, in actu suo procedit et spiritualiter transit, contemplando ac practice considerando quæ operatur, *reditura in semet,* id est ad se ipsam conversura per actus interiores, sicut in libro de Causis asseritur propositione quintadecima : Omnis sciens qui scit essentiam suam, est rediens ad essentiam suam reditione completa. *Circuitque,* id est, undique pensat, *mentem profundam,* id est divinæ et increatæ mentis ordinationem, intentionem, propositum, quatenus juxta ejus imperium agat ac moveat : ideo subditur, *et convertit,* id est revolvit, *cœlum imagine simili,* id est modo conformi imperio divinæ volun-

A tatis, imitando exemplar mentis æternæ, juxta cujus dispositionem omnia agit quæ agit.

Circa ista multi multa dixerunt et conscripserunt, videlicet quid sit anima mundi. Et quidam dixerunt, quod per animam mundi intelligatur Spiritus Sanctus. Qui quum sit verus Deus, non potest anima mundi vocari, imo nec alicujus rei, nisi metaphorice seu per similitudinem quamdam, quomodo scriptum est, Juravit Dominus Deus in anima sua ; et alibi, Juravit Deus per animam suam. Qui rursus loquitur per Jeremiam : Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Sic quoque quidam philosophi dixerunt Deum altissimum esse animam mundi. Unde quarto de Civitate Dei recitat Augustinus : Varro acutissimus auctor dixit : Hi soli videntur advertisse Deum, qui tradiderunt eum esse animam motu et ratione mundum regentem. Idem dicit Apuleius sensisse Socratem et ejus discipulos. Quod si intelligatur de anima proprie dicta, quæ scilicet sit forma substantialis et constitutiva pars rei, nullatenus verum est. Imo hoc esset incidere in perniciosum errorem hæresimque dicentium quod Deus sit formale esse omnium : quocontra dicunt Henricus et alii quidam theologi, quod Deus est singularitas quædam ; atque in libro de Causis asseritur, quod causa prima est per se maxime hæc, et per suam puram bonitatem individua. Quum enim intelligentia tantæ sit excellentiæ quod suæ naturæ repugnat esse actum formamque corporis per informationem, incomparabiliter plus repugnat hoc invariabili, superexaltatæ ac perfectissimæ primæ causæ. Idcirco, quod divinus Dionysius perhibet Deum esse omnium rerum esse ac vitam, intelligendum est per modum prædicationis causalis, quoniam Deus est causa totius esse ac vitæ universorum.

(*Amos* vi, 8.) (*Jer.* li, 14.) (*Ibid.* xv, 1.) (De Divin. nom. c. 1.)

Alii vero per animam mundi intellexerunt quemdam omnium rerum vigorem. Quod est obscure prolatum. Aut enim in-

telligitur de vigore extrinseco, causante et A conservante, aut de vigore intrinseco. Primum non potest dici : quoniam ille vigor est potissime Deus (juxta illud in Hymno, Rerum, Deus, tenax vigor), aut aliqua substantia separata, aut cœlum seu motus ipsius, de quo octavo dicitur Physicorum, quod est quasi quædam vita et vis omnium inferiorum. Quorum nulli competit proprie esse animam mundi, imo nec animam, quum anima proprie sit rei animatæ forma substantialis. Insuper nullus rerum vigor intrinsecus potest vocari anima mundi : quia B aut esset vigor accidentalis, qui non est substantia rei, nec pars substantiæ ; aut vigor substantialis, qui est intrinseca et constitutiva pars rei : nulla autem hujuscemodi forma substantialis eadem numero est aut esse potest in toto mundo et in omnibus principalibus partibus ejus.

Quidam vero dixerunt, animam mundi esse primam et summam animam nobilem, quam dixerunt animam primi mobilis. Sed dato quod illa anima sit, non tamen potest dici anima mundi, nisi per C similitudinem quamdam, in quantum per motum sui orbis causat vitam et motum in inferioribus, in genere causæ efficientis instrumentalis ; nec anima illa extenderet se realiter extra proprium orbem.

Nulla quoque opinionum istarum loquitur de anima mundi sicut de ea hic loquitur Philosophia, et sicut de ea Plato locutus est, ex cujus dictis Philosophia ista accepit. Itaque advertendum, quia tertiodecimo de Civitate Dei recitat Augustinus: Animam mundi Plato dixit ab intimo me- D dio terræ, seu centro, usque ad cœli summa et extrema diffundi atque extendi per numeros musicos, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima perfectam sapientiæ beatitudinem obtineret, nec proprium corpus relinqueret. Hæc B. Augustini recitatio concordat verbis Platonis, in primo Timæi dicentis : Nec fas (id est conveniens) erat bonitati præstanti quidquam facere nisi pulchrum ; eratque certum tantæ (id est summæ) Divinitati, nihil eorum quæ sequuntur hebes et non intelligens, esse melius intelligente, intellectum vero non nisi animæ provenire. Hac igitur reputatione intellectu in anima posito, et anima in corpore collocata, totum animantis mundi ambitum cum veneranda illustratione composuit : ex quo apparet sensibilem mundum animal esse intelligens divinæ prudentiæ sanctione.

Quocirca sciendum, quod Platonici sectando Platonem posuerunt tres divinas ac supremas substantias : Deum videlicet omnium patrem, νοῦν, et animam mundi. Unde decimo de Civitate Dei Augustinus disseruit : Plotinus Platonicus disputans de tribus principalibus substantiis, ponit Deum patrem, et mentem paternam, id est mentem ex patre manantem, et animæ naturam, id est animam mundi. Similiter Porphyrius Platonicus ponit tria, videlicet, Deum patrem, Deum filium, quem nominat mentem paternam, et medium utriusque, quem obscure expressit.

Joannes. — De hac positione quid sentis tu ?

Dionysius. — Nullatenus sentio mundum sensibilem esse unum simpliciter, neque quod sit vere et proprie animatus aut animal. Ad quod multæ rationes accipi possunt ex dictis S. Thomæ in Summa contra cap. 90. gentiles, libro secundo; nec ipsa elementa apta sunt informari ab anima, præsertim ab anima intellectuali, qualis esset anima mundi. Præterea, secundum Platonem, unumquodque corpus cœleste, hoc est quælibet sphæra cœlestis, unusquisque planeta et quælibet stella habet propriam animam intellectivam : siquidem stellas dixit non esse fixas in cœlo, sed moveri in eo choreamque ducere, sicut moventur pisces in aqua et aves in aere. Quod si ita est, non apparet quod anima mundi posset esse etiam actus et forma seu anima corporum illorum cœlestium : alioqui in eisdem corporibus essent duæ animæ intellectivæ. Iterum, quum corpora cœlestia et

elementa ab invicem specifice distinguantur, habeantque formas proprias substantiales ab invicem specie differentes, non apparet quod ultra hæc habeant eamdem animam intellectualem omnibus eis communem. Amplius, motus corporum cœlestium a philosophis præcipuis adscribuntur animabus eorum aut intelligentiis, non ergo animæ mundi : nec propter causandum motum illum oportet ponere hujusmodi animam. Rursus, mundus non est quid unum simpliciter, sed aggregative : in quo sunt tot species et individua animalium corporumque cœlestium et specierum universi. Non ergo convenit ei unam animam habere. Præterea, in libro de Causis, non anima mundi, sed anima nobilis, per quam ibi intelligitur anima cœli, dicitur tres operationes habere : quod in hoc metro dicitur « triplicis » esse « naturæ ». Cur ergo hoc animæ mundi tribuitur? Sic quippe habetur tertia propositione libri de Causis : Omnis anima nobilis tres habet operationes, puta animalem, intellectualem, et divinam.

Joannes. — Istis satis consentio. Et nonne putas esse contra fidem, ponere animam mundi? Et si sic, cur Boetius sub nomine Philosophiæ eam sic ponit?

Dionysius. — Non solum Boetius, sed etiam vir valde magnæ scientiæ, Gilbertus Porretanus episcopus, qui diu post Boetium fuit, videlicet tempore S. Bernardi, in libro suo de Sex principiis nominat animam mundi, quasi sentiens esse ponendam. Præterea non reor quod Plato posuit animam mundi esse animam totius mundi per informationem, sicut nos ponimus animam rationalem esse humani corporis ἐντελέχειαν et formam. Imo nec animam rationalem dixit hominis formam informantem actum intrinsecum ; sed posuit corpori eam uniri sicut motor conjungitur mobili, et nauta navi. Denique qui ponunt in homine unam tantum formam substantialem, utputa animam rationalem, diversas dicunt hominis partes ab anima illa diversimode actuari et vivificari. Ossa

A enim, capilli et ungues, vegetativam, non sensitivam sortiuntur ab anima vitam. Proportionabiliter ergo potuit dicere Plato diversa mundi corpora ab anima illa diversimode actuari ac perfici. Nempe, ut octavo de Civitate Dei asserit Augustinus, Platonis sententiæ de rebus magnis, non facile perspici possunt. Unde quum istam materiam non intelligam resolutorie ac perfecte, non audeo assertive judicare de ea. Fateor tamen, quod non videtur dictis concordare Sanctorum, præsertim secun-
B dum quod sonat. Nec certus sum, quod Boetius et præfatus Gilbertus sumant animam mundi ut Plato. Quid autem de animatione cœlestium corporum videatur censendum, supra expressi. *Cf.* p. 52 B' et s.

Consequenter Philosophia commendat Omnipotentem de productione et dispositione rationalium animarum irrationaliumque formarum, dicens :

Tu, Deus, *provehis*, id est, desuper ducis cœlitusque emittis, *animas vitasque*
C *minores*, id est animas rationales vitales, inferiores anima mundi, *causis paribus*, id est ex causis cœlestibus consimilibus animæ mundi, in quantum causæ illæ universales dispositive et instrumentaliter cooperantur ad animæ infusionem, corpus præparando, seu animam deducendo ; vel « causis paribus », id est ex eadem sapientia, bonitate et omnipotentia qua et animam illam superiorem formasti et adduxisti. Vel per « animas » intelligit animas rationales, et per « vitas minores », animas
D brutorum. *Et* tu *aptans*, id est, convenienter applicans, animas *sublimes*, id est rationales immortalesque animas, *curribus levibus*, id est vehiculis altis et splendidis, non terrenis et ponderosis, *seris*, id est, diffundis, spargis et seminas animas istas, *in cœlum terramque*, collocando virtuosas in cœlis, et corporibus organizatis animas infundendo.

Quas animas rationales *ad te conversas*, id est, tibi finaliter adhærentes teque perfecte colentes, *lege benigna*, id est adim-

plendo legem divinam ac naturalem, *facis reverti* ad te post separationem a corpore, ut remunerentur a te beatifica visione, et collocentur in regione Beatorum cœlesti. Quas angeli sancti reducunt ad te mox dum separantur a corpore, si sint satis perfectæ et puræ : alioqui ad tempus purgantur, et purgatæ ascendunt. Ideo subditur : *igne reduci,* id est, igne tribulationis in vita præsenti, vel igne purgatorii post hanc vitam, eas reducente dispositive ad I *Cor.* III, 15. te, quemadmodum et Apostolus ait : Salvæ erunt ; sic tamen quasi per ignem. Electi quippe in præsenti per adversa disponuntur ad gratiæ incrementum ac gloriæ adeptionem ; in quibus si quid restat purgandum, purgatur in alia vita : sicque ignis est redux, id est reducens. Potest quoque per ignem reducem intelligi caritas, de *Luc.* XII, 49. qua loquitur Dominus : Ignem veni mittere in terram ; et quid volo, nisi ut accendatur? I *Cor.* XIII, 1, 3. Atque Apostolus : Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. De igne autem afflictionis purgante fatentur probati : *Ps.* LXV, 12. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

Denique, quamvis anima rationalis creando infundatur, id est, simul creetur ac infundatur, seu in ipsa sua passiva creatione corpori infundatur ; nihilo minus dicitur desuper mitti, quia a summo Deo producitur et descendit, juxta illud Jacobi : *Jacob.* I, 17. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Verumtamen Philosophia rursus videtur hic loqui juxta morem Platonicorum, et sequi traditionem Platonis, qui dixit universas animas rationales simul creatas, atque in stellis comparibus collocatas, ita quod tot fuerint conditæ quot sunt stellæ, et illinc eas deferri ad corpora tempore opportuno, per lumina tanquam vehicula, dirigentibus et exsequentibus superioribus causis cœlestibus. Propter quod quidam hoc loco reprehenderunt Boetium.

Ad quod poterit dici, quod loquendo velut Plato, hæc ipse spiritualius intelligit quam verba hæc sonant, ut currus leves mystice exponantur pro sustentatione et deductione Dei benevola, ac gratiosis vehiculis atque auxiliis, sicut in Psalmo : *Ps.* LXVII, 18. Currus Dei decem millibus multiplex ; et in *Is.* LXVI, 19, 20. Isaia : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam ; et adducent omnes fratres vestros in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis. Per quæ vehicula S. Hieronymus etiam ad litteram intelligit angelorum præsidia. Constat autem, quod Boetius nullatenus sensit omnes animas simul creatas, neque ita in stellis locatas.

Quidam vero excusant Boetium pariter et Platonem, dicendo quod illa non fuit Platonis opinio. Quocirca dicendum, quod illa utique fuit Platonis positio, et contra eum Aristoteles disputat sæpe, probans quod in eodem composito actus non præcedit potentiam, seu forma materiam. Hinc decimo de Civitate Dei testatur Augustinus : Platonici dixerunt, mundum et deos ac animas rationales Deo esse coæternos, et tamen ab illo esse creatos. Idem patet ex verbis Platonis in Timæo, ubi effatur : Conditor universitatis Deus observanda hæc et exsequenda jubet causis cœlestibus sancitque tali oratione : Dii deorum, quorum opifex idem paterque ego, hujus universi generis sementem (id est seminalem causam) ego faciam, vobisque tradam ; vos cetera exsequi par est, ita ut immortalem cœlestemque naturam (id est animam rationalem) post dissolutionem animæ et corporis recipiatis. Coagmentataque mox universæ rei machina, delegit animas stellarum numero pares, singulasque singulis comparavit, easque vehiculis competentibus superimpositas, universæ rei naturam spectare jussit ; et leges immutabilis decreti edocuit. Quæ si perturbationes frenarent ac subjugarent, justam et alacrem vitam haberent ; si vincerentur ab illis, injustam et laboriosam. Et victricibus quidem, ad comparis stellæ contubernium

sedemque reditum patere, acturis dein- A ceps vitam beatam ; victas vero, pœnas et rejectiones pati in deteriora. Hæc et multa consimilia Plato ibidem ac alibi introducit : quæ et ex Elementatione theologica Procli possent probari ; verum hæc reor sufficere.

Præterea animas brutorum Plato asseruit immortales, et transire de corpore ad corpus. Dixit quippe, quod anima esset numerus movens se ipsum. Quod non intellexit de numero qui est in genere quantitatis, sed qui est in prædicamento sub- B stantiæ : quoniam omnem animam dixit continere in se materiale et formale principium, et constare ex eodem et diverso. Sensum quoque dixit esse vim activam potius quam passivam : sicque hujusmodi animabus conveniret operari et manere ex se. Sed in his rationabilior visa est, et a Christianis amplius approbata, Aristotelis philosophia. Si enim animæ rationales præexsisterent suis corporibus, et exsistentes in stellis haberent scientias et virtutes sibi innatas, unio cum corpore corrupti- C bili esset eis in detrimentum.

Deinde, præmissis istis divinæ majestatis præconiis tanquam præambulis, oratio sequitur.

O *Pater,* id est tu, Deus, omnium primus auctor, cui nomen et ratio patris excellentissime competunt, quum a te sit omnis fecunditas, omnis paternitas, universa causalitas (unde ad Ephesios ait Apostolus, Ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur), *Ephes.* III, 15 *da menti* humanæ et omni homini rationali *conscendere* D *sedem augustam,* id est thronum gloriæ tuæ præclarum, imperialem ac nobilem, seu tui ipsius majestatem : ad quam sedem conscenditur per contemplationem et ferventem amorem excellentiæ ac residentiæ tuæ et judiciariæ potestatis.

Denique multis creaturis convenit esse sedem illocalis et incircumscriptibilis Dei : in quibus ipse morari et requiescere perhibetur, qui nusquam verius magisque proprie quam in se ipso habitat ac quiescit, sicut fatetur Apostolus, Lucem habitat inaccessibilem. I *Tim.* VI, 16. Et ut S. Dionysius loquitur : Ipse est lux et regio lucis. De Divin. nom. c. IV. Cujus supersplendidissima, infinita et prorsus incomprehensibilis luminositas nuncupatur divina caligo, in qua ipse habitare censetur, ut in epistola ad Dorotheum Dionysius fatur. Et in epistola ad Caium : Divinæ Epist. I. (inquit) tenebræ operiuntur omni lumini, et absconduntur omni cognitioni, propter invisibilem et impenetrabilem propriæ claritatis splendorem. Hinc secundo Paralipomenon Salomon ait : Dominus dixit II *Par.* VI, 1 ; III *Reg.* VIII, 12. ut habitaret in caligine. Iterum, sedes Dei est cœlum, præsertim cœlum empyreum. Unde in Isaia dixit : Cœlum mihi sedes est. *Is.* LXVI, 1 ; *Act.* VII, 49. Sed et infimus chorus angelorum supremæ hierarchiæ, specialiter dicitur sedes et thronus Dei : qui chorus tanta gaudet tranquillitate, quod in eo Dominus residere et per eum sua judicia fertur decernere. Hinc in Psalmo dicitur : Sedisti super thronum, *Ps.* IX, 5. qui judicas justitiam. De alio quoque choro angelico in libro cantatur Psalmorum : Qui sedes super Cherubim, manifestare. *Ps.* LXXIX, 2. Sic et anima justi sedes sapientiæ nuncupatur. *Sap.* VII, 27. Hinc Hebræos hortatur Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thronum *Hebr.* IV, 16. gratiæ.

Potest quoque sic legi : « Da menti conscendere sedem » *angustam,* id est subtilem et strictam, hoc est apicem mentis ac quietem internam ac abditam, utputa mysticam visionem, pectoris pacem, et contemplationis secretum : quod est solitudo interior, in qua intus auditur cum mente sermocinatio Dei, qui ait, Ducam eam in *Osee* II, 14. solitudinem, et loquar ad cor ejus. Hæc solitudo, est mentis depuratio, simplificatio, et mera abstractio a rebus creatis et sensibilium formis omnique dispersione inani. De quibus primo Mysticæ theologiæ capitulo divinus Dionysius cohortatur : Tu, puer Timothee, circa mysticas visiones te ipsum relinque et cetera universa, et in caliginem intra, in qua vere est Deus. Iste ascensus, est a sensatis et imaginatis ad divina et intelligibilia mentem levare, et

supergressis relictisque creaturis, in solo A Creatore quiescere.

Da quoque *lustrare,* id est circuire, *fontem boni,* id est te ipsum, qui es origo, causa et fons omnis boni, tam naturæ quam gratiæ ac gloriæ. Verum, quum Deus sit æternaliter incircumscriptus, quomodo potest mens ipsum circuire? Et respondendum, quod mens creata circuit Deum, non ipsum intra se terminando, aut sub certis limitibus concludendo, sed undique per circuitum ipsum quærendo, et ipsum in universis suis effectibus contemplando, B
Ps. VII, 8. sicut ait Psalmista, Synagoga populorum
Ps. LXXXVIII, circumdabit te ; itemque, Magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

Da etiam *defigere* (id est stabilire ac profundare) *in te visus conspicuos animi,* id est intuitus interiores claros et gratiosos ac sapientiales, ex dono sapientiæ et fide illuminata progredientes, sicut ait
II Cor. III, 18. Apostolus : Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in clari- C tatem. Visus quoque animi conspicui, sunt oculi mentales desuper illustrati donis Spiritus Sancti ad speculandum mirabilia legis divinæ. Propter quod orat vir san-
Ps. CXVIII, 18. ctus : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua ; Apostolus
Ephes. I, 17, 18. quoque : Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri. *Luce reperta,* id est claritate gratiæ tuæ adepta et agnita atque a te nobis infusa, quam orando quærimus invenire ; luce etiam intellectus naturali D inventa, id est rite discreta et abstracta ab involutione phantasmatum et tenebris
Ps. IV, 7. vitiorum : de qua loquimur Deo, Signatum est super nos lumen vultus tui, Do-
Is. LII, 2. mine. Hinc per Isaiam dicitur menti : Excutere de pulvere, id est, te ipsam excute et eleva de materialibus et rebus carnalibus ad divina. Potest etiam exponi de luce increata, quam reperimus dum ejus gratiosam præsentiam cordialiter affecta-
Ps. XLI, 3. mus, juxta illud : Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. De qua superserenissima et supersuavissima luce ait Michæas : Quum sedero in tenebris, Dominus Mich. VII, 8, 9.
lux mea est ; et educet me in lucem sempiternam, et videbo justitiam ejus. De qua fertur in prima S. Joannis Canonica : Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo I Joann. I, 5.
ullæ.

Disjice, id est, diversimode dejice et dissipa radio sapientiæ tuæ, *nebulas,* id est ignorantias et errores ac passionum caligines, *et pondera,* id est desideria prava, terrena et carnalia, deorsum trahentia (imo in æternæ damnationis profundum mergentia, juxta illud ad Timotheum : Qui volunt divites fieri, incidunt in ten- I Tim. VI, 9.
tationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem), *terrenæ molis,* id est substantiæ. Hinc dicitur ad Hebræos : Deponamus omne pon- Hebr. XII, 1.
dus et circumstans nos peccatum. *Atque mica,* id est, cor nostrum perfunde, illustra, adorna, *splendore tuo,* id est jubare gratiæ tuæ, imo et per Unigenitum tuum, qui est splendor gloriæ, candor lucis æter- Ibid. I, 3; Sap. VII, 26.
næ, et speculum immaculatum majestatis divinæ : quemadmodum orat vir sapiens, Miserere nostri, Deus omnium, et ostende Eccli. XXXVI, 1.
nobis lucem miserationum tuarum. Unde Isaias promittit : Si glorificaveris Domi- Is. LVIII, 13, 11.
num, implebit splendoribus animam tuam.

Tu namque serenum, id est ipsa superessentialis serenitas infinitaque puritas in te ipso, et dum mentem visitas, doces, ungis, inhabitas, protinus fugit omnis distortio, turbulentia, inquietudo, distractio, anxietas, amaritudo, turbatio et caligo. Propter quod in libro Sapientiæ dicitur : O quam bonus et suavis est, Domine, spi- Sap. XII, 1.
ritus tuus in omnibus ! Et in Psalmo : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Ps. XXX, 20.
Domine ! *Tu requies tranquilla,* id est quies pacifica, mentibus *piis,* quibus es causa internæ quietis et objectum totius tranquillitatis : quoniam creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum quousque pertingat ad te. Ideo dixit contem-

(Ps. XLI, 7; IV, 9.) plator sublimis : Ad me ipsum anima mea conturbata est ; et, In pace in id ipsum (Ps. CXVIII, 165.) dormiam et requiescam ; itemque, Pax multa diligentibus legem tuam. Istud experiuntur viri devoti, vere interni et sancti religiosi, etiam in præsenti. Quibus (Is. XXXII, 17, 18.) per Isaiam Deus promisit : Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum ; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

A

Te cernere clare per speciem, est *finis*, id est summa et ultima nostra perfectio ac vera felicitas. Quo constat, quod beatitudo in actu intellectus consistit, sicut (Joann. XVII, 3.) et Christus testatur, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum : prout de (Cf. p. 210 D', 299 A', 300 D.) ipso dictum est sæpius.

B

Tu es *principium*, id est primum ens et originale universorum exordium : qui (Apoc. I, 8; XXII, 13.) in Apocalypsi locutus es, Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus : principium sine principio, sicut et finis cujus nullus est finis. *Vector,* id est ad omne bonum ductor et ad omne meritum tractor, sicut in Evan- (Joann. VI, 44.) gelio protestaris : Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Cui et Sponsa (Cant. I, 3.) ait in Canticis : Trahe me post te. *Dux :* (Ps. LXXXV, 11.) cui ait devotus, Deduc me, Domine, in via tua ; et de quo in libro Sapientiæ legitur, (Sap. X, 10.) Justum deduxit Dominus per vias rectas.

C

Recte ergo assimilamur infantulis, qui nisi ducantur, errant et cito labuntur : ita et nos, nisi ducamur et teneamur a Domino. Cui ait electus, beneficia Dei advertens : Tenuisti manum dexteram meam, (Ps. LXXII, 24.) et in voluntate tua deduxisti me. *Semita.* Tu enim es via per quam, veritas (Joann. XIV, 6.) in qua, vita ad quam gradimur. Tu via, quoniam nos te imitari oportet, qui per Moysen præcepisti : Estote sancti, quo- (Lev. XI, 44; XIX, 2.) niam ego sanctus sum. Propter quod monet Apostolus : Imitatores Dei estote sicut (Ephes. V, 1.) filii carissimi. Et Salvator ait : Diligite (Luc. VI, 27, 35.) inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos ; et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

Et tu *idem* es *terminus* ad quem, et finis finiens, summe et ultimate perficiens, qui solus potens es contentare et quietare cor nostrum, quum sis bonum omnifarie infinitum omniformiterque perfectum : tu, inquam, finis objectalis. Multipliciter demum accipitur finis. Primo, ultima pars rei, ut finis terræ seu agri ; vel potius ultimum rei, sicut punctus est lineæ finis : ultima autem pars continui dividi potest. Secundo, consumptio seu corruptio rei : prout mors dicitur finis vitæ. Tertio, id cujus gratia seu propter quod aliquid fit : et sic beatitudo et Deus est finis noster. De quo ait Propheta : In (Ps. LXI, 8.) Deo salutare meum et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

ARTICULUS XXVII

DIFFICULTATUM HUJUS METRI NONI PROPOSITIO AC BREVIS ABSOLUTIO.

JOANNES. — Aliqua mihi dubia circa præhabita oriuntur. Primo, quomodo sine periculo valeat inter doctores tanta esse diversitas circa intellectum Scripturæ canonicæ, cujus veritas cadit directe sub fide.

D

DIONYSIUS. — In his quæ directe cadunt sub fide, summa concordia est inter Catholicos : ut quod omne ens citra Deum est a Deo, et quod mundus non fuit ab æterno. Verumtamen circa expositionem intelligentiamque Scripturæ, est frequenter diversa opinio. Nam et Græci doctores, etiam sancti, ut Athanasius, Gregorius Na-

zianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, et etiam A Damascenus, dicunt angelos omnes diu ante mundum sensibilem esse creatos. Augustinus vero atque Gregorius Papa et posteriores Latini dicunt oppositum. Sic et angelos esse creatos, est de fidei necessitate ; an vero in caritate et gratia, et qualiter ab invicem distinguantur, opinabile est, et inde opiniones sunt variæ. *Gen.* I, 1. Sic et in principio Deum creasse cœlum et terram, necesse est credere ; qualiter autem hoc ipsum sit intelligendum, variam habet opinionem. Postquam vero Ec- B clesia aliquid inde determinavit, non est amplius licitum aliter opinari.

JOANNES. — Quomodo cuncta creata dicuntur mobilia, quum dicat Averroes, intelligentiam loco et operatione esse immobilem ?

DIONYSIUS. — Quidquid sit de verbis illis Averrois, quæ etiam sunt contra articulum Parisiensem, tamen solutio quæstionis patet ex dictis in expositione versi- *Cf.* p. 368 culi : « Stabilisque manens, das cuncta moveri ». Motus enim in verbis his mul- C tum extense accipitur. Porro ad intelligendum resolute ac clare, qualiter omnis creatura sit modo aliquo mobilis, oportet scire, quod in Metaphysica Aristoteles ait, quod actus et potentia dividunt ipsum ens, suntque in omni genere entis, ita quod in omni ente creato inveniuntur actus et potentia : quod intelligendum est de potentia passiva. Et sicut formæ est movere et agere, materiæ vero moveri et pati ; sic in verbis prætactis actus sumitur multum extense, non prout idem D est quod actus seu actio, sed pro natura seu re cujus est in aliud agere et illud movere. Atque ut ait Philosophus, actus est principium transmutandi (id est aliquo modo movendi, perficiendi alterandive) alterum in quantum alterum. Potentia vero est realitas aliqua cujus est aliunde moveri, alterari aut perfici : unde, secundum Philosophum, est principium transmutandi ab altero secundum quod alterum. Hinc Deus dicitur actus purus, id est natura seu forma non informans, in se ipsa tam infinite perfecta ut sibi nequaquam conveniat ab alio moveri, alterari, perfici, aut quidquam recipere : imo econtrario ejus est cetera universa producere, movere, alterare, perficere. Sicque omni creaturæ competit mobilitas, mutabilitas, dependentia aliqua, ratione suæ potentialitatis : imo et vanitas quædam, in quantum ex nihilo est, juxta illud Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum, et omnia *Eccle.* I, 2. vanitas. Quæ vanitas, secundum Alexandrum super primum et secundum Sententiarum, non est nisi quædam defectibilitas a vero et incommutabili esse.

JOANNES. — Bona responsio : ex qua multa possunt intelligi quæ non quæsivi ; ex qua etiam melius quam ante intelligo quomodo intelligendum sit quod duodecimo Metaphysicæ Philosophus probat et asserit, Deum esse purum actum.

DIONYSIUS. — Concordat et id quod Jacobus asserit de eodem : Apud quem non *Jacob.* I, 17. est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

JOANNES. — Quia dixisti, omnium rerum *Cf.* p. 372 B'. creatarum ideam esse in Deo, secundum quod aliquid divinæ perfectionis participant ; quæro ergo an etiam materia prima secundum se considerata et ut pura potentia, habeat in Creatore ideam. Et videtur quod non, quum ut sic, nihil actualitatis, nihil perfectionis includat : ergo nequaquam imitatur Creatorem, qui purus est actus.

DIONYSIUS. — Ad hoc Thomas in prima parte Summæ suæ, quæstione quintade- art. 3 ad 3um. cima, respondet : Quoniam Plato posuit materiam non esse creatam, asseruit eam non habere ideam. Sed quia materia vere creata est, non tamen nuda, neque per se stans, sed simul cum forma ; ideo habet ideam in Deo : non tamen aliam ab idea compositi, quia secundum se non habet esse nec cognoscibilitatem (et ita, secundum alios, est quasi coideata). Porro, quod S. Thomas affirmat, materiam secundum *Cf.* t. XXI, Platonem non esse creatam, etiam alii p. 89 C' et s.

multi dicunt, imo et S. Ambrosius in suo A Hexaemeron; et idem allegat Magister Sententiarum, libro secundo. Quibus objicitur, quod Proclus Platonicus ex documentis Platonis ait in sua Elementatione: Extremum entium est simplicissimum, sicut et primum, quia a solo primo processit. Per extremum quippe seu ultimum entium intelligit materiam primam, quam dicit esse simplicissimam per totius actualitatis exclusionem, quemadmodum primum entium, utputa Deum, dicit simplicissimum per totius potentialitatis carentiam: B et hoc est quod Aristoteles asserit, Deum esse purum actum; et ita hoc fuit a Platone probatum ante Aristotelem. Hinc in eadem Elementatione Proclus denuo contestatur: Ex his manifestum est, quod materia ex uno subsistens, entis secundum se est expers speciei. Et post pauca: Materia omnium subjectum exsistens, ex omnium causa processit. Hinc etiam Plato posuit bonum ante ens, sicut et S. Dionysius in libro de Divinis nominibus, ubi tractat de bono prius quam de C ente.

dist. I A

Cf. t. XIX, p. 367 A' et s.

Joannes. — Ergo secundum Platonem materia est creata.

Dionysius. — Non aliud video. Quidam autem ista concordant distinguendo de creatione: quorum responsio videtur inepta. Nihilo minus Plato in primo Timæi disseruit: Hæc est mens meæ sententiæ, esse nunc et ante mundi sensibilis productionem tria hæc, videlicet opificem et ideam atque materiam. Ibi tamen non dicit tria illa consistere increata. Imo ex verbis illis quidam sumpserunt occasionem dicendi, quod Plato testatus est Deum fecisse mundum intuendo ad exemplar seu ideam extra se: quod penitus falsum est, quum (sicut jam patuit in Timæo) ex intentione probaverit, quod Deus nequaquam respexit ad exemplar extra se aut aliunde acceptum. Attamen Plato dixit, materiam ante mundi productionem fluxisse a Deo.

Cf. p. 374 C'.

Joannes. — Quomodo verum est quod ex Augustino allegasti, Porphyrium posuisse Deum patrem, et Deum filium, et tertium utriusque medium? An Porphyrius deitatem Filii Dei cognovit?

Cf. p. 377 B'.

Dionysius. — Magni Platonici dixerunt a summo Deo fluxisse quamdam mentem sublimem, in qua omnium creaturarum species relucerent, et esse præ cunctis creatis Deo valde consimilem ac dilectam (quam et aliquando Deum et Dei unigenitum nominabant), non tamen esse verum Deum Patri consubstantialem, sicut nos credimus. Ex qua positione postmodum orta est impiissimi Arii hæresis, prout Thomas in Summa contra gentiles hæc plenius refert. lib. IV, c. 6.

PROSA X

Quoniam igitur quæ sit imperfecti, quæ etiam perfecti boni forma, vidisti; nunc demonstrandum reor, quonam hæc felicitatis perfectio constituta sit. In quo illud primum arbitror inquirendum, an aliquod hujusmodi bonum, quale paulo ante definisti, in rerum natura possit exsistere, ne nos præter rei subjectæ veritatem cassa cogitationis imago decipiat. Sed quin exsistat, sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id diminutione * perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque

* imminutione

aliquid esse necesse sit : etenim perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest. Neque enim ab diminutis inconsummatisque natura rerum cepit exordium ; sed ab integris absolutisque procedens, in hæc extrema atque effeta dilabitur. Quod si (uti paulo ante monstravimus) est quædam boni fragilis imperfecta felicitas, esse aliquam solidam perfectamque non potest dubitari. — Firmissime, inquam, verissimeque conclusum est.

— Quo vero (inquit) habitet, ita considèra. Deum rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum : nam quum Deo nihil melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet ? Ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium princeps esse non poterit. Erit enim eo præstantius aliquid perfectum possidens bonum : quod hoc prius atque antiquius esse videatur ; omnia namque perfecta, minus integris priora esse claruerunt. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est, summum Deum, summi perfectique boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus : veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est. — Accipio, inquam, nec est quod contra dici ullo modo queat.

— Sed quæso (inquit) te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. — Quonam (inquam) modo ? — Ne hunc rerum omnium Patrem, illud summum bonum quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit, eo quod acceperit, existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed est ratione diversum ; quum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Postremo, quod a qualibet re diversum est, id non est illud a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summo bono diversum est sui natura, id summum bonum non est : quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit exsistere : quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum, verissima ratione concluserim. — Rectissime, inquam. — Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. — Ita est, inquam. — Igitur, inquit, Deum esse ipsam beatitudinem necesse est confiteri. — Nec propositis (inquam) prioribus refragari queo, et ab illis hoc illatum consequens esse perspicio.

— Respice, inquit, an hinc quoque idem firmius approbetur, quod duo summa bona quæ a se diversa sint, esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum, liquet : quare neutrum poterit esse perfectum, quum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est. Nullo igitur modo quæ summa sunt bona, ea possunt esse di-

versa. Atqui et beatitudinem et Deum, summum bonum esse collegimus : quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa Divinitas. — Nihil, inquam, nec reipsa verius, nec ratiocinatione firmius, nec Deo dignius concludi potest.

— Super hæc, inquit, igitur veluti geometræ solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, quæ πορίσματα ipsi vocant ; ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero est ipsa Divinitas, Divinitatis adeptione fieri beatos manifestum est. Sed uti justitiæ adeptione justi, sapientiæ sapientes fiunt ; ita Divinitatem adeptos, deos fieri, simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus, deus ; sed natura quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quamplurimos. — Et pulchrum (inquam) hoc, atque pretiosum, sive πόρισμα, sive corollarium vocari mavis.

— Atqui hoc quoque pulchrius nihil est, quod his annectendum esse ratio persuadet. — Quid? inquam. — Quum multa, inquit, beatitudo continere videatur, utrumne hæc omnia unum veluti corpus beatitudinis quadam partium varietate conjungant, an sit eorum aliquid quod beatitudinis substantiam compleat, ad hoc vero cetera referantur? — Vellem, inquam, id ipsarum rerum commemoratione
* censemus patefaceres. — Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse censuimus *? — Ac summum quidem, inquam. — Addas (inquit) hoc omnibus licet : nam eadem suffi-
*, et cientia summa est *, eadem summa potentia, reverentia quoque, claritas et volu-
*. bonum ptas, beatitudo esse judicatur. Quid igitur? Hæccine omnia bona *, sufficièntia, potentia, ceteraque, veluti quædam beatitudinis membra sunt, an ad bonum veluti ad verticem cuncta referuntur? — Intelligo, inquam, quid investigandum proponas ; sed quid constituas, audire desidero. — Hujus rei discretionem sic accipe. Si hæc omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent : hæc est enim partium natura, ut unum corpus diversa componant. Atqui hæc omnia idem esse monstrata sunt : minime igitur membra sunt. Alioqui ex uno membro beatitudo videbitur esse conjuncta : quod fieri nequit. — Id quidem, inquam, dubium non est ; sed id quod restat, exspecto. — Ad bonum vero cetera referri palam est : idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse judicatur ; idcirco potentia, quoniam id quoque esse creditur bonum ; idem de reverentia, claritudine, jucunditate conjectare licet. Omnium igitur expetendorum summa atque causa bonum est. Quod enim neque re neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest ; contraque, etiam quæ natura bona non sunt, tamen si esse videantur quasi vera bona sint, appetuntur : quo fit uti summa, cardo atque causa expetendorum omnium, bonitas esse jure credatur. Cujus vero causa quid expetitur, id maxime videtur optari : veluti si salutis causa quispiam velit equitare, non tam equitandi motum desiderat, quam salutis effectum. Quum igitur omnia boni gratia petantur, non illa potius quam bonum ipsum desiderantur ab omnibus. Sed propter quod cetera optantur, beatitudinem esse concessimus : quare sic quoque sola quæritur beatitudo. Ex quo liquido apparet, ipsius boni et beatitudinis unam

atque eamdem esse substantiam. — Nihil video cur dissentire quispiam possit. — Sed Deum veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus. — Ita est, inquam. — Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS DECIMÆ.

FUSA oratione ad Deum devota pro illuminatione superna ad contemplandum sinceriter totius beatitudinis fontem, jam Philosophia, quasi desuper exaudita, elevat aciem mentis ad superaltissimum illud objectum, per naturales rationes pulchre probando quid ipsum sit. Nec est hic specialis difficultas ; et rationes hic contentæ, in scriptis scholasticorum doctorum copiose habentur.

Quamvis autem omnis cognitio et contemplatio divinorum in hac vita possibilis, obscura ac modica sit comparatione beatificæ contemplationis Sanctorum in patria (propter quod, teste Apostolo, Videmus nunc per speculum in ænigmate) ; I Cor. xiii, 12. attamen per respectum humani intellectus imbecillitatis præsentisque status dejectionis, aliqua contemplatio hujus exsilii vocatur serena, sublimis ac fervida : imo ecstatica, mentem contemplantis in superamabilissimum et superpulcherrimum ac superdilectissimum Deum rapiens et absorbens. De qua non est modo dicendum per singula. Ait ergo Philosophia :

Quoniam igitur quæ sit imperfecti, quæ etiam perfecti boni forma, vidisti : id est, quia tu, Boeti, jam ex mea informatione intellexisti « quæ sit forma », id est species, ratio, proprietas, « boni imperfecti, quæ etiam » sit forma boni « perfecti », id est veræ et plenæ felicitatis formalis, quæ definita est, quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus ; Cf. p. 296 B', 303 D'. et item « boni perfecti », id est summi et incommutabilis boni, quod solum est absolute A perfectum, et vocatur beatitudo objectalis, quia in ipso sicut in summo proprioque objecto, fonte et causa, consistit plena et essentialis felicitas omnis mentis creatæ. *Nunc demonstrandum reor,* id est demonstrative probandum. Probatio quippe seu argumentatio duplex est, vel potius triplex. Una per necessarias et insolubiles rationes, sive sumatur per media a priori, sive a posteriori : et ista appellatur probatio demonstrativa. Alia est per quasdam persuasiones, ut per locum a simili. Tertia B habet se medio modo, et nominatur discursus probabilis : ut sunt argumenta Thomæ quibus probat, quod in rebus creatis esse realiter differt ab essentia, et argumenta Henrici quibus probat et tenet contrarium. *Quonam hæc felicitatis perfectio constituta sit,* id est, in quo objecto, in quo actu, seu in quo loco consistat perfecta ista felicitas.

In quo processu hujus prosæ *illud primum arbitror inquirendum, an aliquod hujusmodi bonum, quale paulo ante definisti,* Cf. p. 362 B. C id est, definitive novisti, meque definire fecisti, et per approbationem esse dictasti, *in rerum natura possit exsistere, ne nos præter rei subjectæ veritatem,* id est, ne non exsistente vere, realiter subjecto seu genere scibili, utputa summo bono, de quo hic agitur et tractatur, *cassa imago,* id est inanis atque phantastica similitudo seu species, *cogitationis,* qua tale bonum esse putatur, *decipiat.*

Sed quin exsistat, sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum, nequit ne-

gari, id est, rationabiliter nemo potest A negare, quod tale bonum actualiter sit in rerum natura, vel potius super omnem rerum naturam, quoniam in vicesima secunda propositione libri de Causis habetur : Causa prima est super omne nomen quo nominatur, quia non pertinet ei imminutio, nec complementum solum, quoniam ipsa est bonitas cui non est finis, et implet omne sæculum bonitatibus : verumtamen omne sæculum non recipit de illa bonitate nisi secundum modum suæ potentiæ. Hinc decimo de Civitate B Dei loquitur Augustinus : Deus est fons nostræ beatitudinis, et ipse omnis appetitionis est finis ; ad eum dilectione tendimus, ut in ipso feliciter quiescamus : bonum etenim nostrum nullum est aliud quam illi cohærere. Ideo dixit Psalmista :
Ps. LXXII, 28. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam ; Jere-
Thren. III, 24, 25. mias quoque in Threnis : Pars mea Dominus, dixit anima mea ; bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Deinde subditur hujus ratio. *Omne enim* C *quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur,* id est, per hoc et ob id asseritur imperfectum, quoniam deficit a perfecto, ita quod imperfectionem habet adjunctam ac diminutionem respectu perfecti : propter quod comparatione illius dicitur imperfectum, sicut potestas militis respectu potestatis principis militiæ.

Quo fit, id est, ex quo sequitur, *ut si in quolibet* (id est in quocumque) *genere,* id est communitate seu ambitu rei, D *imperfectum quid esse videatur :* sicut in genere substantiæ intellectualis, multum imperfecta est anima rationalis, imo ita se habens in genere illo, quemadmodum materia prima in ordine rerum, ut dixit Averroes ; *in eo* genere *perfectum quoque aliquid esse necesse sit :* sicut in genere calidorum, ignis perfecte est calidus. Hinc probat Philosophus, quod in omni genere primum, est potissimum et perfectum in genere illo, atque mensura sequentium, ita quod posteriora in genere illo tanto plus habent de perfectione in genere sui, quanto propinquiora et similiora sunt illi primo. *Etenim perfectione sublata,* id est ponendo quod non sit aliquid perfectum ac primum, *unde illud quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest,* id est, nec rationabiliter nec apparenter poterit quis excogitare a quo ente seu causali principio fluxerit tale imperfectum. Nempe, ut in primo Timæi loquitur Plato, Nihil fit cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat aliqua. Hoc est quod fertur in
Job : Nihil in terra sine causa fit. *Job* V, 6.

Neque enim ab diminutis inconsummatisque natura rerum cepit exordium, id est, exsistentia rerum, ordo ac species, nec efficienter neque formaliter sumpsit initium ab ente imperfecto, quum nihil agat nisi secundum quod est in actu, et aliquo modo perfectum, atque perfectius suo effectu : quod in libro de Causis et Elementatione Procli copiose ac evidenter ostenditur. *Sed ab integris absolutisque procedens, in hæc extrema atque effeta dilabitur :* id est, natura rerum « procedens », id est, primordium sui esse suique ordinis habens, « ab integris » et « absolutis », id est a causis seu principiis non diminutis nec imperfectis, « dilabitur in hæc extrema atque effeta », id est, tandem pertingit, descendendo per species universi et ordinem, usque ad infima et non causalia, quæ tam imperfecta consistunt quod nec sibi similia nec aliud quid valent causare : nam ut ait Philosophus, Unumquodque perfectum est, dum sibi simile potest producere. Idcirco vocantur « effeta », id est extra fetum seu sine fructu.

Nihilo minus in evangelica lege supernaturali, desuper data, sancta virginitas,
quæ implet cœlum, præfertur conjugio, I *Cor.* VII, 38.
quod replet terram : quanto magis illegitimæ prolificationi ? Cujus contrarium scripsit Jovinianus, turpis (quamvis acutus) hæreticus. Contra quem scripsit gloriosus

ac cœliformis Hieronymus. Verum istud ignoraverunt pagani : ideo Athenienses arguerunt et immolare [naturæ] coegerunt Platonem, quia in virginitate permansit, ut sanctus recitat Augustinus in libro de Vera religione. Hinc, secundum Apostolum,
I Cor. III, 19. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.

Præterea, quod ait Philosophia, « ab integris absolutisque », dupliciter potest intelligi. Primo, de attributis divinæ naturæ, hoc est de omnipotentia, sapientia bonitateque Dei; vel de ideis et exemplaribus rationibus mentis divinæ : quæ sunt velut formales et effectivæ causæ omnium rerum. Et quamvis in se realiter unum et idem sunt et summæ simplicitatis, tamen pluraliter exprimuntur, vel propter diversitatem suorum effectuum (quemadmodum misericordia Dei una et simplex in se, pluraliter designatur, dum psallitur,
Ps LXXXVIII, 2. Misericordias Domini in æternum cantabo), vel propter respectum et relationem ad diversa creata : quæ relatio, ex parte Dei est solum relatio rationis, realis vero ex parte creaturæ. Juxta hunc modum ait
Rom. I, 20. Apostolus ad Romanos : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Ubi per invisibilia Dei, secundum expositores, intelliguntur invisibiles Dei proprietates, quæ sunt, sapientia, potentia ejus, etc. Secundo, per integra et absoluta possunt intelligi summæ ac perfectissimæ creaturæ, videlicet substantiæ separatæ, seu angeli, a quibus ordo entium inchoatur formaliter, ita quod et ipsæ in hoc ordine continentur, solusque superessentialis et incomprehensibilis Deus est extra et supra omnem ordinem rerum, ut etiam Avicenna et Algazel contestantur.

Denique, secundum utramque expositionem intelligi potest quod ad Hebræos
Hebr. XI, 3. ait Apostolus : Fide intelligimus aptata esse sæcula, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Sic quoque in verbis istis innuitur ordo rerum : quia ex invisibili sapientia, potentia, bonitate, prius factæ sunt invisibiles creaturæ, utputa angeli (prius, in-

A quam, non tempore, sed natura, id est ordine dignitatis, quia priores, id est præstantiores, sunt corporalibus rebus); rursus, ex invisibilibus, id est post invisibiles creaturas, ordine jam præfato, visibilia facta sunt : imo et multa visibilia, scilicet mixta, præsertim irrationabilia et mineralia, quorum formæ de potentia materiæ educuntur a cœlestibus corporibus, et eorum motoribus generantur. Nam et teste Philosopho, etiam hominem generat homo et sol. Et ita in his innuitur rerum ordo :
B quoniam quæ Deo sunt similiora et propinquiora, prius facta dicuntur. Unde Proclus fatetur : Omnis causa superior similia ante dissimilia substituit. Et juxta Philosophum, Unumquodque producit simile sibi.

Quod si (pro quia) *uti paulo ante monstravimus,* id est, sicut prosis præhabitis Pros. III-VIII.
probavimus, *est quædam boni fragilis imperfecta felicitas,* id est, quum sit quædam terrena prosperitas transitoriorum bonorum, puta divitiarum, honorum, potesta-
C tis, famæ atque deliciarum sæculi hujus; *esse aliquam solidam perfectamque non potest dubitari,* id est, nemo rationabiliter potest de jure ambigere quin sit aliqua perfecta et firma beatitudo, quamvis multi de facto dubitent inde, imo et negant hoc. Ad hoc respondet Boetius : *Firmissime, inquam, verissimeque conclusum est,* id est, valde firmiter, vere ac insolubiliter intulisti propositum.

Consequenter Philosophia ostendit in quo constitutum sit et consistat hoc sum-
D mum et beatificum bonum.

Quo vero (inquit) habitet, ita considera: id est, « vero » (pro sed) ego Philosophia dico, « Considera ita » ut subditur, « quo habitet », id est, in quo inveniatur et sit. *Deum rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum :* id est, communis conceptio omnis intellectus humani concorditer « probat » et approbat hoc, quod Deus summus, qui est omnium entium princeps, causa prima et rector, sit bonus. De quo

undecimo Metaphysicæ ait Philosophus : Entia nolunt male disponi : pluralitas principum mala : unus ergo princeps. Quem naturaliter et eminentissime bonum esse, omnes sapientes, tam philosophi quam theologi, concorditer docent. Qui et tantæ est bonitatis ut ejus comparatione alius nullus sit bonus, sicut in Evangelio ait Salvator : Nemo bonus nisi solus Deus. (*Luc.* xviii, 19.) Quod et probant philosophi : quoniam quidquid perfectionis est in causatis et creatis, multo excellentius est in prima causa. De qua duodecimo theoremate Elementationis theologicæ loquitur Proclus : Omnium entium principium et prima causa est bonum.

Præterea advertendum, quod communis conceptio animi, nuncupatur propositio per se nota ; atque ut alibi, hoc est libro de Hebdomadibus, tangit Boetius, tales animi conceptiones sunt duplices : quædam omnibus notæ, ut quod omne totum majus est sua parte ; quædam vero solis sapientibus per se notæ censentur, ut incorporalia non esse in loco commensurative. Rursus, communis conceptio animi duplex est : quædam enim communis et indifferens est ad omnem scientiam, ut de quolibet esse vel non esse ; quædam specialiter determinatam concernit scientiam, ut in mathematica, si ab æqualibus æqualia abstrahantur, quæ remanent exstant æqualia.

Nam quum Deo nihil melius excogitari queat (nam Deus est ens omnino perfectum : quod necessario est infinitum, non quantitativa extensione, sed formali et intensiva perfectione ; talique infinito « nihil melius » aut majus potest excogitari), *id quo melius nihil est,* id est nullum ens, *bonum esse quis dubitet ?* id est, de hoc nemo ambigere merito debet, quum et comparativus positivum præsupponat et aliquid superaddat.

Ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo esse convincat, id est, insolubiliter probet. Propter quod etiam Alphorabius et Theo- A phrastus Peripatetici probaverunt, quod prima causa est bonitas pura, omnifarie simpliciterque perfecta. De qua in libro de Causis et Proclo asseritur, quod omnes virtutes finitæ dependent a principio infinito, quod est virtus virtutum, cujus perfectio nescit finem.

Nam ni tale sit, id est, nisi esset bonum perfectum, *rerum omnium princeps esse non poterit,* id est præsidens primus ac summus. *Erit enim eo præstantius aliquid,* id est, sequeretur quod aliud aliquid B esset dignius eo, *perfectum possidens bonum,* id est, continens in se bonitatem omnino perfectam. *Quod hoc prius atque antiquius esse videatur :* id est, recte apparebit, quod illud perfectum possidens bonum, erit « prius hoc » dignitate et « antiquius » duratione, si res dicantur factæ de novo ex fluitante materia, seu omnia simul in tempore, aut magis cum tempore. Verumtamen antiquitas proprie non convenit bono perfecto, quum sit incommutabile et æternum ; sed improprie, in C quantum omne tempus includit omnique tempori coexsistit, ut infra patebit : sicque in Daniele legitur, Antiquus dierum sedit, id est, Deus æternus majestative ad judicandum resedit. (*Dan.* vii, 9.) *Omnia namque perfecta, minus integris priora esse claruerunt :* id est, cuncta entia « perfecta », sive sint perfecta simpliciter, sive in certo genere, « claruerunt », id est, clare probata sunt et esse innotuerunt, « priora », id est digniora, « minus integris », id est imperfectioribus in suo genere.

D *Quare ne in infinitum ratio prodeat,* id est, ne argumentatio aut ascensus procedat in infinitum, *confitendum est,* id est concedendum, *summum Deum, summi perfectique boni esse plenissimum,* id est, quod summus et verus Deus sit absolute plenus bonitate summa atque perfecta, ita tamen quod in ipso omnimodo idem sit ipse, et id quo plenus esse asseritur, præsertim in his quæ absolute, non relative, ad intra ei conveniunt : ideo aptius dicitur Deus esse bonitas perfecta et summa,

quam plenus seu plenissimus hujusmodi bonitate.

Sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus, id est probavimus : ita quod beatitudo objectalis, est bonum increatum, per se subsistens, simpliciter ac infinite perfectum, et omnium fontale ac causale principium; beatitudo vero formalis mentium creatarum, est bonum creatum, accidentale, perfectum in genere, utputa optima actio optimæ potentiæ ac virtutis. *Veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse,* id est consistere, *necesse est.* Quod dupliciter verum est. Primo, de increata beatitudine, qua superbeatissimus Deus in se ipso invariabiliter et infinite beatus est : quæ est in ipso, quemadmodum sapientia, pulchritudo, dulcedo sua in ipso est; estque idem quod ipsemet Deus. Secundo, de vera illa beatitudine intellectualium creaturarum, quæ in solo Creatore consistit. Propter quod decimo Ethicorum ait Philosophus, quod felicitas contemplativa sita est in speculatione optimi speculabilis. Ad hoc respondet Boetius : *Accipio, inquam, nec est quod contra dici ullo modo queat.*

Consequenter Philosophia declarat quæ dixit.

Sed quæso (inquit) te, id est, Philosophia dixit, Rogo te, o Boeti, *vide,* id est considera, *quam id sancte* (id est religiose seu devote et pure) *atque inviolabiliter probes,* id est commendes, *quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum.* Ad quod Boetius : *Quonam modo, inquam,* est? id est, qualiter intelligendum est hoc ?

Ad quod Philosophia : *Ne hunc rerum omnium Patrem, illud summum bonum quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam :* id est, sic istud intellige, « ne præsumas », id est, ut non audeas æstimare, « Patrem hunc omnium rerum », id est Deum universorum creatorem, « vel accepisse extrinsecus », id est aliunde, « bonum illud summum quo perhibetur », id est dicitur, « esse plenus, vel ita habere » illud « naturaliter », id est ex sua natura aut naturali proprietate, « quasi », id est tanquam, « cogites », id est sentias, « substantiam », id est essentiam, « Dei habentis » beatitudinem, et « beatitudinis habitæ », id est possessæ ab eo, « esse diversam », id est realiter differentem. Hoc namque derogaret simplicitati divinæ; et secundum hoc, essentia Dei in se et ex se esset imperfecta ac indigens. Idcirco subjungitur :

Nam si extrinsecus acceptum putes, id est, si senseris Deum aliunde accepisse summum bonum, *præstantius id quod dederit, eo quod acceperit, existimare possis :* id est, ex primo illo inconveniente dato seu concesso, sequeretur et istud, quod posses « existimare id quod dederit », id est datorem illum qui contulerit Deo summum bonum, esse « præstantius », id est digniorem, « eo quod acceperit », id est Deo, qui acceperit ab alio bonum hoc. *Sed hunc,* scilicet verum Deum, *esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime,* id est cum omni reverentia ac rationabilissime, *confitemur.*

Quod si natura quidem inest, id est, si Deo ex sua natura convenit habere summum bonum, *sed est ratione diversum,* id est, ipsum summum bonum « est diversum ratione », id est ex rationabili causa realiter distinctum a Deo; *quum de rerum principe loquamur Deo,* id est, ex quo jam loquimur de vero Deo, qui est universorum principium primusque princeps, *fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit,* scilicet Deum, et bonum ab eo realiter differens. Quasi dicat : Hoc nemo potest excogitare, quoniam implicat contradictionem, quum de ratione Dei sit esse primum bonum et perfectum, nec alicujus indigere, nec quidquam de novo posse accipere.

Ad quod subditur alia ratio. *Postremo, quod a qualibet* (id est quacumque) *re diversum est* realiter, *id non est illud a quo*

intelligitur, id est, vere cognoscitur, *esse diversum.* Intellectus etenim est verorum. *Quare quod a summo bono diversum est sui natura,* id est essentialiter, *id summum bonum non est : quod nefas* (id est impium et blasphemum) *est de Deo cogitare* cum consensu, *quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit exsistere,* id est, nequaquam potest essentia aliqua esse perfectior « suo principio » primo, principali, effectivo, totali. Quod addo, quoniam multis modis unum vocatur alterius rei principium : nam et materia est rei naturalis principium, et tamen natura ejus specifica est melior quam materia ; punctus quoque est principium lineæ. *Quare quod omnium principium sit,* id est causa principaliter effectiva, *id etiam sui substantia,* id est propria natura ac dignitate, *summum esse bonum, verissima ratione concluserim. — Rectissime, inquam* ego Boetius. — *Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. — Ita est, inquam.*

Cf. p. 295 D' et s.

— *Igitur, inquit,* id est, Philosophia ex hoc concludit, *Deum esse ipsam beatitudinem necesse est confiteri,* loquendo de beatitudine increata ; Deus vero non est beatitudo nostra, nec beatitudo creata, nisi causaliter et objective. — *Nec propositis (inquam) prioribus refragari queo,* id est, reluctari non valeo huic consequentiæ, « prioribus », id est præmissis et præinductis rationibus, « propositis » oculo mentis, id est bene consideratis ; *et ab illis hoc illatum consequens esse perspicio,* id est, clare intueor « hoc illatum », id est conclusionem istam illatam, quod scilicet Deus est ipsa beatitudo, « esse consequens », id est necessario sequi, « ab illis » prioribus.

Deinde Philosophia confirmat probata, et ostendit non posse dici, quod sint plura summa bona substantialiter diversa.

Respice, inquit, id est, Philosophia dixit, O Boeti, « respice » oculo cordis, *an hinc quoque,* id est utrum ex rationibus A jam inductis, *idem firmius approbetur,* id est, multum efficaciter deducatur et concludatur, *quod duo summa bona quæ a se diversa sint,* id est substantialiter distincta, *esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona,* id est bona ab invicem substantialiter differentia, *non esse alterum quod sit alterum, liquet,* id est, certum est quod unum eorum non sit aliud. *Quare neutrum,* id est nullum eorum, *poterit esse perfectum, quum alterutri alterum deest,* id est, quum perfectio, imo tota et B infinita unius perfectio, desit alteri. *Sed quod perfectum non sit, id summum* bonum *non esse manifestum est. Nullo igitur modo quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa.* Hæc ratio est communis, et etiam continetur in libro de Causis ; soletque sic formari : Si duo aut plura sunt summa bona seu veri Dei, aut in omnibus conveniunt, nec in aliquo distinguuntur : et ita non essent duo, nec diversa, imo neque similia, quum similitudo sit rerum differentium eadem qualitas ; sed C essent penitus unum et idem. Aut distinguuntur in aliquo : sicque id in quo distinguuntur deest alteri ; et ita nullum eorum est vere perfectum. *Atqui,* id est certe, *et beatitudinem et Deum, summum bonum esse collegimus,* id est, conclusimus quod tam increata beatitudo quam verus Deus, sit summum bonum. *Quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa Divinitas.*

Ad quod Boetius : *Nihil, inquam, nec reipsa verius, nec ratiocinatione firmius,* D *nec Deo dignius concludi potest :* id est, nihil potest inferri magis verum quam ista conclusio, nec ulla probatio est efficacior ista, nec quidquam plus pertinet ad dignitatem ac honorificentiam Dei, quam istud, scilicet quod Deus est talis ac tantus quod nec habet nec habere potest parem neque majorem.

Deinceps Philosophia ex dictis infert corollaria duo.

Super hæc, inquit, igitur veluti geometræ solent, demonstratis propositis, ali-

quid inferre, quæ πορίσματα ipsi vocant : A id est, sicut « geometræ », id est periti in geometria (quæ est ars mensurandi rerum dimensiones, estque species mathematicæ; et dicitur a γῆ, quod est terra, et μέτρον, quod est mensura), « solent inferre », id est concludere, « aliquid », et per modum corollarii adjicere « propositis », id est intentis, « demonstratis », id est sufficienter probatis (mathematica quippe, quum circa quantitates versetur, quæ subjacent sensui, certitudinem habet præcipuam) : « quæ » postposita tempore « ipsi » geo- B metræ « vocant πορίσματα », a πόρος, quod est foramen parvum seu apertura, quoniam sicut lux ingreditur per aperturas atque illuminat domum, ita per hujusmodi proposita demonstrata, lux veritatis eorum quæ inferuntur ex illis, intrat mentes studiosorum. *Ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo,* videlicet istud :

Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, sicut adeptione sapientiæ sapientes, et acquisitione albedinis fiunt albi (formæ namque accidentales C denominant sua subjecta), *beatitudo vero est ipsa Divinitas :* quod verum est de beatitudine objectali et increata, non de beatitudine formali, quæ inest Beatis et eos denominat; *Divinitatis adeptione fieri beatos manifestum est,* id est, clarum est homines « fieri beatos adeptione », id est participatione, « Divinitatis », id est alicujus divinæ perfectionis : non quod Deitas multiplicetur, mutetur, aut aliquid formaliter ac inhæsive perficiat; sed suam perfectionem communicat, producendo D quosdam effectus sibi imitative consimiles.

Sed uti justitiæ adeptione justi, sapientiæ sapientes fiunt, id est, sicut homines fiunt justi ac sapientes adipiscendo justitiam ac sapientiam; *ita Divinitatem adeptos,* id est Deitatis imitativam participationem sortitos, *deos fieri,* juxta sensum mox exprimendum, *simili ratione necesse est,* ita quod participatio illa denominat
Ps. LXXXI, 6. eos, juxta illud in Psalmo : Ego dixi, Dii estis. Unde in Evangelio ait Salvator : Illos dixit deos, ad quos sermo Dei *Joann.* X, 35. factus est.

Omnis igitur beatus, deus est, non plene et naturaliter, sed imitative et participanter. Propter quod subditur : *sed natura quidem unus,* id est, per veram deitatis naturam non est nisi unus verus Deus (qui in Deuteronomio testatur, Videte quod *Deut.* XXXII, 39. ego sim solus, et non sit alius Deus præter me); *participatione vero nihil prohibet,* id est, inconveniens non est, *esse quamplurimos,* id est valde multos deos, hoc est divinos et Deo per gratiæ dona consimiles, quemadmodum in secunda sua epistola sacratissimus ait Petrus : Per Christum II *Petr.* I, 4. maxima et pretiosa nobis promissa Deus donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. Hinc ad Moysen Dominus ait in Exodo : Constitui te deum Pha- *Exod.* VII, 1. raonis; et rursus, Diis non detrahes : ubi *Ibid.* XXII, 28. per deos intelliguntur prælati ac judices, de quibus in eodem libro jubetur, Domi- *Ibid.* 8. nus domus applicabitur ad deos. Juxta hunc modum, ut recitat Augustinus in libro de Trinitate, quidam hæreticus negans Christum esse verum Deum, asseruit : Non invideo Christo facto deo, quum et ego, si velim, possim fieri deus.

Denique non solum participatione beatitudinis, sed etiam aliarum divinarum perfectionum, homines fiunt dii et divini : quemadmodum excellenter devoti, fervidi, sapientes, dii vocantur ratione magnæ assimilationis. Quæ assimilatio contingit dupliciter. Primo, per gratiæ dona gratum facientis : sicut viri heroici, id est divini et sancti, dii appellantur. Secundo, per dona gratiæ gratis datæ, præcipue propter principativam auctoritatem, et providentiam paternalem. Hæ quippe sunt duæ proprietates divinæ, aliis præsidere ac providere, ut in libris de Angelica hierarchia *Cf.* t. XV, p. 71 C et s., 366 C. et de Hierarchia ecclesiastica divinus Dionysius docet : quod etiam in libro de Causis et in Elementatione Procli habetur. Hinc quoque philosophi substantias intellectuales aliquod universale dominium et

providentiam quamdam communem ha- A bentes super hunc mundum, deos vocabant, ut intelligentias et orbes cœlestes, sidera et planetas.

Denique beatitudo duplex est. Una vitæ præsentis, imperfecta et inchoata : et tamen qui in ea notabiliter eminent, ut viri contemplativi, perfecti, etiam divini ac dii vocantur, propter magnam assimilationem quam habent cum Deo. Alia est beatitudo vitæ sequentis, perfecta et indirupta : quæ mentem creatam Creatori plene assimilat atque deificat. De qua in prima epistola B
I Joann. III, 2. sanctus ait Joannes : Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Itaque similitudinem naturæ cum summa Trinitate habet quilibet homo ; similitudinem caritatis et gratiæ habent boni fideles, similitudinem gloriæ omnes Beati, quæ perfecte Deo conformat.

Ad hæc Boetius : *Et pulchrum (inquam) hoc atque pretiosum* est, id est, doctrina C seu propositio ista sincera est et ornata, sine admixtione erroris, estque magni ponderis ac valoris, *sive* πόρισμα, id est aperturam splendidæ veritatis, *sive corollarium vocari* ipsum *mavis,* id est, potius vis. Corollarium autem proprie dicebatur præmium coronæ quo olim remunerabantur victores. Inde transumptive corollarium appellatur evidentia pulchræ propositionis quæ ex præcedentibus quibusdam elicitur, tanquam merces et fructus quidam præcedentis scholasticæ exercitationis. Talis D autem propositio recte pulchra vocatur tanquam lux, quemadmodum in Proverbiis
Prov. XXII, 17, 18. Salomon testatur : Fili, accipe doctrinam meam, quæ pulchra tibi erit. Qui rursus
Ibid. III, 15. fassus est : Pretiosior est sapientia cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Sequitur corollarium secundum : quod per modum quæstionis proponitur, cujus solutio est perpulchra. Ait itaque Philosophia :

A *Atqui,* id est pro certo, *hoc quoque pulchrius nihil est* in ista materia, quamvis non sit absolute pulcherrimum, *quod his annectendum esse ratio persuadet,* id est, rationabile motivum hortatur. Ad quod Boetius : *Quid, inquam,* est hoc ? Ad quod Philosophia : *Quum multa, inquit, beatitudo continere videatur,* id est, ex quo ipsa felicitas, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, multa includat, ut dictum est sæpe, utputa opulentiam, potentiam, voluptatem, famam,
B dignitatem seu honorem, *utrumne hæc omnia unum veluti corpus beatitudinis quadam partium varietate conjungant,* hoc est, utrum beatitudo constituatur et integretur ex his tanquam ex variis partibus, ita quod beatitudo sit mysticum corpus, et quasi quid totum integrale simile corpori naturali, quod ex partium varietate resultat, *an sit eorum aliquid quod beatitudinis substantiam compleat,* id est, an aliquod unum ex his sit essentialiter ipsa felicitas, ita quod « compleat », id
C est, perficiat et includat, « substantiam » (id est essentiam) « beatitudinis » formalis creatæ (quæ est optima operatio virtutis supremæ, utputa sapientiæ ac intellectivæ potentiæ, quæ est suprema vis animæ, ut Augustinus et Aristoteles expresse fatentur, sine qua voluntas est cæca, ignara, præceps, similisque tyranno), *ad hoc vero cetera referantur,* id est, alia reducantur et ordinentur ad unum illud quod est essentialiter ipsa felicitas ?

Ad hoc Boetius : *Vellem, inquam, id*
D *ipsarum rerum commemoratione patefaceres :* id est, ego Boetius « vellem » quod tu Philosophia « patefaceres id », id est, manifestares responsionem et veritatem hujus quæsiti, « commemoratione rerum ipsarum », id est faciendo recitationem de rebus istis, puta de divitiis, voluptate, honore, etc.

Ad quod Philosophia acquiescens, subjungit : *Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse censuimus ?* id est, utique « censuimus », id est, judicavimus et asserui-

mus, « beatitudinem esse bonum ». — *Ac summum quidem, inquam,* id est, ego Boetius dico, quod judicavimus beatitudinem esse « summum » bonum, præsertim in genere causæ finalis, et inter bona accidentalia hominem formaliter perficientia.

— *Addas (inquit) hoc omnibus,* id est, Philosophia respondet, O Boeti, « addas hoc », utputa esse summum bonum, « omnibus », id est quinque istis, quæ sunt, divitiæ, voluptas, honor seu dignitas, fama, potestas. Quod autem subjungitur, *licet,* potest intelligi quasi prolatum ex persona Boetii, et item ex persona Philosophiæ, quoniam sensus est : « Licet », id est, licitum est hoc addi omnibus istis. Subditur enim : *nam eadem* (supple, beatitudo) *sufficientia summa est, eadem* beatitudo est *summa potentia, reverentia quoque, claritas et voluptas, beatitudo esse judicatur,* id est, quodlibet horum censetur esse felicitas, et eadem felicitas quodlibet horum. *Quid igitur?* id est, quid ergo restat dicendum ? *Hæccine omnia bona,* id est an hæc omnia bona, videlicet, *sufficientia, potentia, ceteraque,* puta voluptas, claritas, dignitas, *veluti quædam beatitudinis membra sunt,* id est, an tenendum est, quod sint tanquam spiritualia membra integralesque partes beatitudinis, *an ad bonum veluti ad verticem cuncta referuntur,* id est, utrum hoc potius est tenendum, quod « referuntur » et ordinantur « ad bonum », id est ad beatitudinem, quæ est bonum supremum, « veluti ad verticem », id est tanquam ad bonum principale ac summum ?

— *Intelligo, inquam,* id est, ego Boetius video, *quid investigandum proponas,* id est sensum et vim quæstionis jam motæ ; *sed quid constituas,* id est, quid dicas et ponas esse respondendum ad istud, *audire desidero.*

— *Hujus rei discretionem,* id est hujus quæstionis determinationem, *sic accipe. Si hæc omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent,* id est, differrent ac diversa essent ab invicem,

A sicut in homine manus et pedes. *Hæc est enim partium natura,* id est proprietas atque conditio, *ut unum corpus diversa membra componant,* id est, constituant tanquam partes integrales : quemadmodum fundamentum, parietes, tectum, faciunt (id est, materialiter constituunt) unam domum. *Atqui,* id est certe, *hæc omnia idem esse monstrata sunt,* id est, jam supra, videlicet nona prosa hujus tertii libri, probatum est, quod hæc quinque spiritualiter sumpta, prout ad beatitudi- Cf. p. 357 C et s.
B nem veram concurrunt ac pertinent, idem exsistant. *Minime igitur membra sunt,* id est, nequaquam sunt membra felicitatis, sed realiter ipsa felicitas. *Alioqui ex uno solo membro beatitudo videbitur esse conjuncta,* ex quo unumquodque horum est ipsa felicitas. *Quod fieri nequit :* quia hoc implicat, quod aliquid componatur seu conjungatur ex uno solo, quum compositio atque conjunctio sit unius cum alio positio seu junctura.

— *Id quidem, inquam, dubium non*
C *est ; sed id quod restat, exspecto,* id est, præstolor a te audire prosecutionem responsionis istius.

Ad quod Philosophia : *Ad bonum vero cetera referri palam est,* id est, constat quod alia ista jam dicta, « ad bonum » (supple, summum), id est ad beatitudinem, referantur, quia nec appetuntur nisi sub ratione boni. *Idcirco enim sufficientia petitur,* id est, appetitur et obtineri studetur, *quoniam bonum esse judicatur,* id est, sub ratione boni concipitur : bonum
D namque est appetitus objectum. *Idcirco potentia,* id est, ideo activa potentia seu potestas optatur, *quoniam id quoque,* id est ipsa potestas, *creditur esse* quid *bonum. Idem de reverentia, claritudine,* id est de honore ac celebri fama, *jucunditate, conjectare licet,* id est, licitum est putare : potentia namque non fertur in objectum nisi sub ratione formali objecti, hoc est, nisi in quantum ei competit ratio boni.

Omnium igitur expetendorum summa

atque causa bonum est : hoc est, ipsum « bonum » simpliciter dictum, præsertim summum bonum, quod est felicitas, « est summa », id est plenaria comprehensio, « atque causa », id est finalis ratio, « omnium expetendorum », id est optandorum ac desiderabilium a beatitudine distinctorum, quæ ordinantur ad ipsam sicut media ad finem.

Quod enim neque re neque similitudine ullum in se retinet bonum, id est, quod nec realiter nec apparenter in se continet aliquid boni, *id expeti,* id est optari et quæri, *nullo modo potest.* Hoc ipsum S. Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus protestatur : Nullus (inquiens) respiciens ad malum operatur, id est, nemo agit aut appetit malum, respiciendo et apprehendendo illud ut malum, sed ut bonum, honestum vel utile aut delectabile. Idem in Ethicis ait Philosophus, et Damascenus libro secundo. Unde in Proverbiis Salomon loquitur : Via stulti recta in oculis ejus, id est, appetitio et operatio iniqui bona sibi videtur. (Prov. xii, 15.) *Contraque,* id est per oppositum, *etiam quæ natura bona non sunt,* id est, « quæ » ex sua ratione et specie « non sunt bona », ut et propria abuti libertate ac vanitati vacare, quæ secundum Augustinum in libro Confessionum, delectant : ubi se refert ac deflet in pueritia sua cum sociis suis quadam nocte pira cujusdam furatum, ac in furto illo vehementer delectatum, quum tamen pira essent amara esuique inepta ; et quærit ibidem, Quid in forefacto illo delectabat nos pessimos pueros, nisi propria libertas? Unde nunc subditur : *tamen si esse videantur quasi vera bona sint,* id est, sub ratione, apparentia et colore boni apprehendantur, *appetuntur* ab insipientibus, in quibus ratio non prædominatur concupiscentiæ et errori. Propter quod ait Apostolus : Carnalis homo non sapit ea quæ Dei sunt. (I Cor. ii, 14; Rom. viii, 5.) Porro spiritualis homo omnia recte judicat, (I Cor. ii, 15.) et pretiosum a vili, verum a falso, bonum a malo discernit : quod tam acceptum est Deo ut per Jeremiam testetur, Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. (Jer. xv, 19.)

Quo fit uti summa, cardo atque causa expetendorum omnium, bonitas esse jure credatur : hoc est, « quo fit », id est, ex quo contingit, ut « bonitas credatur jure », id est juste ac rationabiliter, « esse summa », id est complementum, ac etiam « cardo », id est voluminis origo radicalis, « atque causa » finalis « omnium expetendorum », id est desiderandorum : ita quod sicut ostium vertitur ac volvitur in cardine, sic appetitus in bono, de uno in aliud se volvendo, et nunc vero, nunc deceptorio bono adhærendo.

Cujus vero causa quid (id est aliquid) *expetitur, id maxime videtur optari,* quum sit ratio cur aliquid appetatur. Ideo dixit Philosophus : Propter quod unumquodque tale, et illud magis. *Veluti si salutis* (id est sanitatis) *causa quispiam velit equitare, non tam equitandi motum desiderat, quam salutis effectum,* id est, non tam multum appetit ipsam equitationem, quantum curationem. Magis quippe appetitur finis, quam quod ordinatur ad finem, quoniam finis movet et excitat efficientem ad operandum. *Quum igitur omnia boni gratia petantur,* id est, quum cetera cuncta desiderentur intuitu atque amore boni finalis, *non illa potius quam bonum ipsum desiderantur ab omnibus.* Imo minus appetuntur quam bonum finale, dummodo vere optentur, quærantur, agantur propter finem : sicut qui vere Deo obsequitur, magis diligit Deum quam præmium et quam se ipsum, magis quoque appetit bona spiritualia et æterna.

Sed propter quod cetera optantur, id est, propter quod alia sunt optanda, *beatitudinem esse concessimus : quare sic quoque sola quæritur beatitudo,* id est, sola felicitas principaliter affectatur ; et ut ait Philosophus, Ubi unum est propter aliud, totum est quasi unum, quia et media uniuntur in fine. Denique veri et sapientes viatores, veram et æternam beatitudinem super omnia concupiscunt ; stolidi

vero detinentur in via, et mediis magis A quam fini (hoc est creaturis magis quam Creatori) inhærent : velut si stultus peregrinus pulchrum conspiciens pratum, figat in via gradum, nec cœptum expleat iter. Ideo loquitur Isaias propheta : Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Prævaricatores vero corruent in viis Domini, ut Osee concinuit propheta. Unde et in Proverbiis Salomon est locutus : Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem ; via vero impiorum tenebrosa : ne- B sciunt ubi corruunt, id est, non advertunt quam damnabiliter peccent.

Is. XXVI, 7. — *Osee* XIV, 10. — *Prov.* IV, 18, 19.

Ex quo liquido apparet, id est, manifeste consequitur, *ipsius boni et beatitudinis unam atque eamdem esse substantiam,* id est essentiam, ita quod sunt idem in re, quia utrumque est summum et ultimum desideratum : nam et bonum est quod omnia appetunt, felicitatem quoque appetunt universi. Hinc juxta Philosophum, bonum et finis coincidunt. Finis etiam duplex est. Unus est ipsa C res maxime concupita, quæ dicitur finis objectalis : sicque finis avari est substantia terrena. Alius est adeptio seu consecutio, possessio seu fruitio rei ita optatæ : sicut finis fornicarii est obscena commixtio seu fœda voluptas.

Ad quod Boetius : *Nihil video cur dissentire quispiam possit,* id est, nullam video rationem ob quam aliquis possit rationabiliter contradicere istis.

Ad quod Philosophia : *Sed Deum veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus,* juxta sensum jam sæpius introductum. — *Ita est, inquam,* id est, ego Boetius concedo sic esse.

Cf. p. 391 D et s.

Et Philosophia : *Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam,* id est, ex præhabitis tute ac scite infertur, quod essentia Dei sita est, id est constituta, « in ipso bono, nec usquam » in aliquo « alio » a se diverso, sed in summo bono quod ipse est.

Sicque summum bonum est in Deo, et Deus est in summo bono : quoniam ipse sibi soli proportionatus, commensuratus atque plenarie cognitus est. Idcirco, si quæratur ubi ante mundi creationem exstitit Deus, dicendum quod et in semetipso, sicut et modo. Verum de his incomprehensibilibus Dei loquendum est reverenter ac sobrie : alioqui, si aliter inde loquatur homo, præcipitabit se ipsum. Nempe ut in Exodo Moyses scripsit : Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Unde in libro Job legitur : Etiam si locutus fuerit homo, devorabitur. In quorum figura in Ezechiele habetur : Quum fieret vox super firmamentum, submittebant animalia alas suas, id est contemplationis adspectum.

Exod. XIX, 12, 13; *Hebr.* XII, 20. — *Job* XXXVII, 20. — *Ezech.* I, 25.

Postremo, quomodo quinque præfata sint idem in re, et idem quod ipsa beatitudo, dictum est plenius supra, in expositione nonæ prosæ hujus tertii libri.

Cf. p. 357 C et s.

METRUM X

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans (*al.* hebetans) libido mentes.
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete,
Hoc patens unum miseris asylum.

Non quidquid Tagus aureis arenis
 Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi,
 Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem, magisque cæcos
 In suas condunt animos tenebras.
Hoc quidquid placet excitatque mentes,
 Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor quo regitur vigetque cœlum,
 Vitat obscuras animæ ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
 Candidos Phœbi radios negabit.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO METRI HUJUS DECIMI.

QUONIAM prosa præcedenti Philosophia edocuit quid sit et in quo consistat summum bonum ac vera felicitas, utputa Deus, jam exhortatur cunctos mortales redire et converti ad summum hoc bonum, in quo tota nostra consistit felicitas. Ad quod ipsemet Deus in Scripturis frequenter nos admonet : ut quum ait per Joelem,
(Joel II, 12.) Convertimini ad me in toto corde vestro;
(Osee XIV, 2.) et Osee, Convertere (inquit) ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. His theologicis verbis consonant philosophica verba Procli, in Elementatione dicentis : Omne procedens ab aliquo secundum essentiam, convertitur ad id a quo procedit; itemque : Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam. Quæ quum ita se habeant, quanta est perversitas, ingratitudo, stultitia rationalis creaturæ se a suo Creatore per inobedientiam avertentis! Itaque ait :

O *omnes capti,* id est homines miseri, in hujus exsilii valle degentes, vitiis irretiti, vinculis vitiorum ac dæmonum compediti (de quibus dixit Apostolus, Resipi- (II Tim. II, 26.) scant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem), *quos libido,* id est inclinatio ad carnalia, *fallax,* id est deceptoria et excæcans, a salute impediens, *habitans,* id est inhabitans ac possidens, *mentes terrenas,* quæ terrena amplius quam superna optant et amplectuntur, *ligat catenis improbis,* id est fortibus et inhonestis excessibus, utputa habitibus vitiosis et consuetudinibus pravis : de quibus loquitur Isaias, Nolite illudere, (Is. XXVIII, 22.) ut non constringantur vincula vestra. Hinc asserit Augustinus : Peccata quamvis sint magna et horrenda, tamen quum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse videntur. Tales, secundum Philosophum in Ethicis, incurabiles sunt, id est difficulter curabiles, quoniam ex electione atque proposito peccant. Qui (ut Salomon (Prov. II, 14.) loquitur) lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. De quibus fertur in Psalmo : Prodiit quasi ex adipe (Ps. LXXII, 7.) iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis.

Venite pariter huc, id est, ad summum bonum per pœnitentiam et satisfactionem

Is. XLVI, 8. simul redite : juxta illud Isaiæ, Redite, prævaricatores, ad cor; et in Ecclesiastico : *Eccli.* V, 8, 9. Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ; subito enim veniet ira ejus, et in die vindictæ disperdet te. *Osee* VI, 1, 2. Hinc per Osee admonetur : Venite, et revertamur ad Dominum, quoniam ipse sanabit nos. Non maneamus in hac captivitate diaboli, in vinculis vitiorum, in periculo damnationis æternæ, quia ut sancti patres Augustinus et Bernardus testantur, Universis Scripturis perlectis, nihil periculosius, nihil stolidius, quam ut in eo statu vivas in quo mori non audeas, quum nec *Matth.* XXV, 13. diem scias nec horam, et peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahat ad aliud.

Consequenter subdit Philosophia fructum hujus reversionis, ut redire avidius festinemus.

* *Hic* *Hæc**, id est conversio ista ad summum bonum, *erit vobis requies laborum,* id est repausatio, refrigerium, consolatio in actibus laboriosis et studiis bonis vitæ præsentis, in pœnitentiæ quoque operibus, et in omni adversitate ac tentatione quæ pœnitentibus et conversis accidere solent. I *Cor.* I, 24. Hinc virtus et Sapientia Dei Patris, Chri- *Matth.* XI, 28, 29. stus clamat, invitat, promittit : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. Hinc Plato in Phædone fatetur, in studiis philosophiæ requiem inveniri. In Sapientiæ quoque libro scriptum est : *Sap.* III, 15. Bonorum laborum gloriosus est fructus.

Hic, id est in hoc bono altissimo, quod nullum redeuntem ad se contemnit nec abjicit, erit vobis *portus,* id est statio dulcis in transnavigatione procellosissimi maris hujus sæculi nequam : de quo dixit *Ps.* LXVIII, 3. Sanctus Sanctorum, Veni in altitudinem maris. Itaque « hic » erit vobis « portus » *manens placida* (id est amœna et deliciosa) *quiete,* id est, perseverans in pace et gloria sempiterna. Nempe hæc statio in hac vita aliqualiter inchoatur (juxta illud *Ps.* LXV, 12. Psalmi, Transivimus per ignem et aquam,

A et eduxisti nos in refrigerium ; itemque, Deduxit eos in portum voluntatis eorum), *Ps.* CVI, 30. et in futuro æternaliter continuatur ac plene perficitur. Hinc in Cœna Salvator ait discipulis : Vos estis qui permansistis *Luc.* XXII, 28-30. mecum in tentationibus meis ; et ego dispono vobis regnum, etc. *Hoc* bonum supremum, est *miseris,* id est viatoribus cunctis, qui miseriis culpæ ac pœnæ subjiciuntur, *asylum,* id est sedile beatum ac tutum refugium, *unum,* id est præcipuum, *patens,* id est evidens et cunctis per fidem B notum ac præparatum, quod nullum ad se confugientem repellit. De quo in Proverbiis legitur : Turris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* XVIII, 10.

De his præmiis justorum in patria dicit Gregorius : Ibi hymnodici angelorum chori, ibi gaudiosa societas supernorum civium, ibi dulcis solennitas a peregrinationis hujus tristis labore redeuntium.

Hæc sunt vera, spiritualia ac salutaria hominis bona : quorum comparatione C aurum et gemmæ vilescunt, nocent, et a vera salute impediunt. Unde subjungitur :

Quidquid Tagus, id est fluvius ille Hispaniæ, *donat,* id est, exhibet quærentibus, *arenis* (id est granulis) *aureis,* quæ inveniuntur in eo; *aut Hermus,* id est fluvius Asiæ sic vocatus, gemmas et aurum intra se continens, *ripa rutilante,* id est, margine seu littore ejus fulgente ex gemmis et auro de ipso extractis ; *aut Indus,* id est populus Indiæ, aut fluvius ejus, seu D regio illa, *propinquus orbi calido,* id est, orienti, aut soli calefacienti : cui in ortu sol apparet propinquior ; *miscens,* id est consocians, *lapillos virides,* id est gemmas viridis coloris, ut sunt, smaragdus, jaspis, etc., *candidis,* id est gemmis instar nivis ac lucis fulgentibus, ut margaritæ : hæc *non illustrant aciem,* id est intuitum cordis (imo cupiditatem accendunt materialiter, occasionaliter, et objective), *magisque condunt,* id est, potius includunt ac deprimunt, *animos cæcos,* id est animas vitiis

excæcatas, *in tenebras suas*, id est in suas obnubilatas cupiditates, quibus sic offuscantur quod spiritualia ac divina nequeunt limpide contemplari.

Tellus aluit, id est, terra produxit et nutrivit, præbendo materiam et suo modo cooperando, *infimis cavernis,* id est in profundis suis visceribus, *hoc quidquid placet* mundanis hominibus, id est aurum, gemmas, et similia pretiosa, et quod *excitat mentes,* id est, corda movet ad appetendum hujusmodi. Porro de horum generatione dictum est supra. *Cf.* p. 245 C'.

Splendor quo regitur cælum et *viget,* id est, suum vigorem sortitur, *vitat,* id est, vitari jubet, gratiamque vitandi largitur, *animæ ruinas,* id est culpas, quibus anima cadit a Deo altissimo, ab altitudine gratiæ ac virtutum, a fulgore sapientiæ salutaris, *obscuras,* id est ipsam animam obscurantes, juxta illud ad Romanos : Obscuratum est insipiens cor eorum. (*Rom.* I, 21.) *Quisquis,* id est quicumque, *poterit* efficaciter *notare,* id est considerare et contemplari, *lucem hanc, radios Phœbi,* id est solis, *negabit candidos* esse, id est, dicet non esse claros ac pulchros comparatione splendoris illius æterni et increati : per quem aptissime designatur Unigenitus Dei Patris. De quo Unigenito ait ad Hebræos Apostolus : Qui quum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, videlicet Dei Patris. (*Hebr.* I, 3.) Cujus splendoris respectu, lux omnis creata est tanquam caligo. Propter quod scriptum est : Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. (*Job* XXV, 5.) Hinc demum in die judicii sol dicitur obscurandus, in adventu lucis majoris, utputa Christi, secundum expositionem Hieronymi. (*Matth.* XXIV, 29.)

In his docemur, quam ingens sit præclaritas, pretiositas, excellentia spiritualium charismatum supernaturaliumque donorum Dei in electis, super naturalem pretiositatem sensualemque claritatem materialium rerum pretiosissimarum valdeque splendidarum, sicut de eminentia doni sapientiæ, seu sapientiæ increatæ, scriptum est : Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ ; et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse dixi in comparatione illius ; nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua. (*Sap.* VII, 7-9.) Hinc in libro Job inducitur : Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Non dabitur aurum obryzum pro ea ; non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Trahitur autem sapientia de occultis, et est abscondita ab oculis omnium viventium. (*Job* XXVIII, 12, 13, 15, 16, 18, 21.)

Postremo, circa hujus metri exordium, attendendum quod primi nostri parentes creati fuerunt in originali justitia, per quam caro fuit subjecta animæ, et anima rationi, ratio quoque et voluntas Deo. Et quamdiu vires illæ supremæ, ratio et voluntas, manserunt subditæ Deo, tamdiu sensualitas mansit subdita rationi, et caro spiritui ; mox autem ut ratio et voluntas a Deo aversæ sunt per divini transgressionem præcepti, cœpit sensualitas inobediens fieri rationi, et caro spiritui. Sicque posteri nascuntur in originali peccato, quod formaliter est carentia originalis justitiæ debitæ inesse. Ex qua carentia infecta est caro, sensualitasque corrupta : quæ infectio seu corruptio vocatur fomes, atque interdum libido ; qui fomes est habitualis inclinatio ad carnalia et caduca, ex qua proni sumus ad talia, nisi in quantum per virtutes et gratiam contra vitia roboramur. Quamvis etiam in Baptismo originale deletur peccatum, ita ut non imputetur ; non tamen fomes ibi totaliter tollitur, sed aliqualiter debilitatur : prout ista materia in secundo Sententiarum a Magistro plenius pertractatur, et ibi a doctoribus diffusius declaratur. (dist. XXX-XXXIII. *Cf.* t. XXII, p. 377A' et s.)

PROSA XI

ASSENTIOR, inquam : cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant. — Tum illa : Quanti, inquit, æstimabis, si bonum ipsum quid sit, agnoveris ? — Infiniti, inquam : siquidem mihi pariter Deum quoque, qui bonum est, continget agnoscere. — Atqui hoc verissima (inquit) ratione patefaciam, maneant modo quæ paulo ante conclusa sunt. — Manebunt, inquam. — Nonne (inquit) monstravimus, ea quæ appetuntur a pluribus, idcirco vera perfectaque bona non esse, quoniam a se invicem discreparent, quumque alteri abesset alterum, plenum absolutumque bonum afferre non posse ; tum autem verum bonum fieri, quum in unam veluti formam atque efficientiam colliguntur, ut quæ sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas atque jucunditas, nisi vero unum atque idem omnia sint, nihil habere quo inter expetenda numerentur ? — Demonstratum est, inquam, nec dubitari ullo modo potest. — Quæ igitur quum discrepant, minime bona sunt ; quum vero unum esse cœperint, bona fiunt : nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit ? — Ita (inquam) videtur. — Sed omne quod bonum est, boni participatione bonum esse concedis, an minime ? — Ita est. — Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas. Eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diversus effectus. — Negare (inquam) nequeo.

— Nostine igitur, inquit, omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum, sed interire atque dissolvi pariter quum * unum esse destiterit ? * atque — Quonam (inquam) modo ? — Ut in animalibus, inquit, quum in unum coeunt ac permanent anima corpusque, id animal vocatur ; quum vero hæc unitas, utriusque separatione dissolvitur, interire nec jam esse animal liquet. Ipsum quoque corpus quum in una forma, membrorum conjunctione, permanet, humana visitur species ; at si distributæ segregatæque partes, corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. Eoque modo percurrenti cetera procul dubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est ; quum vero unum esse desinit, interire. — Consideranti (inquam) mihi plura, minime aliud videtur.

— Estne igitur (inquit) quod in quantum naturaliter agat, relicta subsistendi appetentia, venire ad interitum corruptionemque desideret ? — Si animalia (inquam) considerem, quæ habent aliquam volendi nolendique naturam ; nihil invenio quod (nullis extra cogentibus) abjiciat manendi intentionem, et ad interitum sponte festinet : omne namque animal tueri salutem laborat, mortem vero perniciemque devitat. Sed quid de herbis arboribusque, quid de inanimatis omnino consentiam rebus, prorsus dubito. — Atqui non est quod de hoc possis ambigere, quum herbas atque arbores intuearis primum sibi convenientibus innasci locis, ubi (quantum

earum natura queat) cito exarescere atque interire non possint. Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent, aliarum fecundæ sunt steriles arenæ : quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescant ; sed dat cuique natura quod convenit, et ne (dum manere possunt) intereant, elaborat. Quid dicam, quod omnes, veluti in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus, ac per medullas robur corticemque diffundunt ? Quid, quod mollissimum quodque, sicuti medulla est, interiori semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate tuetur *, ultimus autem cortex, adversum cœli intemperiem, quasi mali patiens, defensor opponitur ? Jam vero quanta est naturæ diligentia, ut cuncta semine multiplicato propagentur ? Quæ omnia, non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse, quis nesciat ? Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quæque simili ratione desiderant ? Cur enim flammas quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit ? nisi quod hæc singulis loca motionesque conveniunt. Porro autem quod cuique consentaneum est, id unumquodque conservat, sicuti ea quæ sunt inimica, corrumpunt. Jam vero quæ dura sunt *, ut lapides, adhærent tenacissime partibus suis, et ne facile dissolvantur, resistunt ; quæ vero liquentia, ut aer atque aqua, facile quidem dividentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscissa, relabuntur ; ignis vero omnem refugit sectionem. Neque nunc nos de voluntariis animæ cognoscentis motibus, sed de naturali intentione tractamus : sicuti est, quod acceptas * escas, sine cogitatione transigimus, quod in somno spiritum ducimus nescientes. Nam ne in animalibus quidem manendi amor, ex animæ voluntatibus, verum ex naturæ principiis venit : nam sæpe mortem, cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur ; contraque illud (quo solo mortalium rerum durat diuturnitas) gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coercet voluntas. Adeo hæc sui caritas, non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim Providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, ut quoad possunt, naturaliter manere desiderent. Quare nihil est quod ullo modo queas dubitare, cuncta quæ sunt, appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem. — Confiteor, inquam, nunc me indubitato cernere quæ dudum incerta videbantur.

* tegitur

* sint

* exceptas

— Quod autem (inquit) subsistere ac permanere appetit, id unum esse desiderat : hoc enim sublato, ne esse quidem cuiquam permanebit. — Verum est, inquam. — Omnia igitur, inquit, unum desiderant. — Consensi. — Sed unum, id ipsum monstravimus esse quod bonum est. — Ita quidem. — Cuncta igitur bonum petunt. Quod quidem ita describas licet : ipsum bonum esse quod desideretur ab omnibus. — Nihil, inquam, verius excogitari potest : nam vel ad nihilum cuncta referuntur, et uno veluti vertice destituta, sine rectore fluitabunt ; aut si quid est ad quod universa festinent, id erit omnium summum bonorum. — Et illa : Nimium, inquit, o alumne, lætor. Ipsam enim mediæ veritatis notam mente fixisti.

Sed in hoc patuit tibi quod ignorare te paulo ante dicebas. — Quid? inquam. — Quis esset, inquit, rerum omnium finis. Is est enim profecto, quod desideratur ab omnibus : quod quia bonum esse collegimus, oportet rerum omnium finem bonum esse fateamur.

ARTICULUS XXX

EXPLANATIO PROSÆ HUJUS UNDECIMÆ.

HÆC est undecima hujus tertii libri A prosa : in qua Philosophia repetit quædam superius introducta, videlicet quid sit summum bonum, ut ea magis declaret, et aliqua addat.

Assentior (deponentaliter, juxta antiquam grammaticam), *inquam,* id est, ego Boetius assentio dictis tuis, o Philosophia. *Cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant,* id est, omnia illa « nexa », id est conjuncta et conclusa, « firmissimis rationibus », id est idoneis probationibus, « constant », id est, certa sunt : nam quæ- B dam demonstrative, quædam probabiliter sunt inducta.

— *Tum illa : Quanti* pretii, *inquit, æstimabis,* id est, quanti valoris id reputabis, *si bonum ipsum quid sit, agnoveris,* id est, si te docuero quid sit hoc summum bonum, magis clare quam ante? — *Infiniti, inquam,* id est, ego Boetius dicam hoc esse pretii « infiniti », seu pretiositatis immensæ, non in se, sed quoad dignitatem rei cognitæ : juxta quem modum beatitudo creata seu beatifica visio est C dignitatis quodammodo infinitæ ex parte sui objecti, cujus est immediata et clara per speciem in se ipso contemplatio fruitiva.

Porro nulla creata essentia, forma seu actio, est dignitatis simpliciter infinitæ. Attamen aliquid dicitur infinitum variis modis, ut dictum est alibi. Unusque modus est, quando quid multum excedit solitam quantitatem : sicut aliquis dicitur fecisse infinitas expensas aut infinitum

Cf. p. 125 B'.

laborem pro re obtinenda. Unde in libro Josue filii Ruben et Gad leguntur altare infinitæ magnitudinis construxisse. Hinc subditur ratio infinitatis istius. *Siquidem mihi pariter Deum quoque, qui bonum est, continget agnoscere :* id est, si cognovero summum bonum, « continget », id est eveniet, « mihi pariter quoque agnoscere Deum », quoniam summum bonum et Deus realiter idem sunt. Differunt tamen ratione. Dicitur enim summum bonum, quia ex sua natura et per se ac pure propter se est ens summe desiderabile atque amabile, ut quarto capitulo de Divinis nominibus S. Dionysius ait, quoniam bonum est quod omnia appetunt. Dicitur vero Deus, ratione summæ et universalis causalitatis ac providentiæ, ut primo libro, nono capitulo, loquitur Damascenus, ubi exponit diversas interpretationes hujus nominis, Deus. Proclus quoque in Elementatione theologica protestatur : Id quod est maxime paternale et productivum ac omnium causativum, αὐταρχήν, id est summum Deum, vocamus : quod tantam excellentiam super universa sortitum est, ut nec omnis catena deorum ei valeat adæquari.

Josue XXII, 9, 10.

Dignitas autem scientiæ ex objecti eminentia sumitur, ut primo de Anima tangit Philosophus ; quumque Deus sit ens excellentiæ penitus infinitæ, constat quod ipsum cognoscere, sit incomparabiliter appetendum. Unde et libro de Animalibus Aristoteles fassus est : Desiderabilius est de rebus divinis modicum scire, quam

de corporeis et corruptibilibus multum. A Hinc rursus undecimo Primæ philosophiæ asserit, se de cognitione materialium rerum tractasse propter separatarum et immaterialium substantiarum notitiam : de quibus in libro de Cœlo et mundo fatetur, quod sunt nobilissima entia, optimam vitam ducentia, et de suis sufficientia. Hinc per Jeremiam Deus effatur : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua ; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me. In Sapientiæ quoque libro scriptum B est : Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est.

Jer. IX, 23, 24.

Sap. XIII, 1.

Ad hæc Philosophia : *Atqui,* id est pro certo, *hoc verissima (inquit) ratione patefaciam,* id est, declarabo « hoc » summum bonum « ratione verissima », id est probatione ab omni falsitate immuni ; *maneant modo quæ paulo ante conclusa sunt.* — *Manebunt, inquam* ego Boetius.

Verum his objici potest, quia non solum C falsum, sed etiam præsumptuosum videtur, quod Philosophia promittit se docturam et probaturam quid sit Deus : quia ut divinus Dionysius in pluribus locis, præsertim libro de Mystica theologia, testatur, hoc prorsus incognoscibile et incomprehensibile est, quid sit Deus. Damascenus item primo disseruit libro : Manifestum est Deum esse ; quid vero sit secundum substantiam et naturam, incomprehensibile omnino est et ignotum. Idem in Monologion et Proslogion ait Anselmus. D Imo juxta Aristotelem secundo Metaphysicæ, Sicut se habet visus vespertilionis seu noctuæ ad intuitum luminis solis, ita se habet intellectus noster ad manifestissima naturæ, id est ad separatarum substantiarum notitiam, quæ ex sua natura sunt præcipue cognoscibiles : quanto magis ad incomparabilis Dei cognitionem ? Unde et in libro de Causis asseritur : Causa prima est superior omni narratione, et non narratur nisi per causas secundas.

De Cœlest. hier. c. II, XIII; de Eccl. hier. c. IV; de Divin. nom. c. I, II, V, VII, XIII ; de Theol. myst. c. I, II. IV, V.

Quod Proclus subtiliter probat ; et sacra Scriptura attestatur apud Job : Digne eum invenire non possumus, et enarrari non potest ; ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

Job XXXVII, 23, 24.

Et respondendum, quod Philosophia non intendit asserere quod velit aut valeat declarare quid sit Deus per essentiam in se ipso, seu quid sit divinitatis natura in se, sed quantum ex rebus creatis potest perpendi, et quantum ad [quia est.] Sic enim dicimus, quod Dei natura est bonitas pura, et quod Deus est intellectus universaliter agens, et actus purus : non quod valeamus distincte et clare cognoscere quid sit bonitas illa, sed quia sic est. Nempe, quum unumquodque tantum habeat de cognoscibilitate et intelligibilitate, quantum habet de entitate, actualitate et formalitate ; ideo, sicut Deus est penitus infinitæ actualitatis, entitatis et formalitatis, ita est et infinitæ cognoscibilitatis. Propter quod comprehendi plene non valet nisi ab intellectu infinitæ virtuositatis ad intelligendum, utputa solum a se ipso.

— *Nonne (inquit) monstravimus,* id est, Philosophia ait, Nonne jam ante (videlicet prosa nona hujus libri) probavimus ostensive, *ea quæ appetuntur a pluribus,* id est a multis hominibus, puta divitias, potentiam, famam, honorem, voluptatem, quæ a mundanis hominibus præcipue affectantur, *idcirco vera perfectaque bona non esse, quoniam a se invicem discreparent,* id est, quoniam realiter ab invicem sunt diversa in rebus creatis, *quumque alteri abesset alterum, plenum absolutumque bonum afferre non posse ?* id est, ex quo uni horum quinque deest « alterum » quodlibet (quia in sua essentia non includit aliquod aliorum), ostensum est nullum eorum posse conferre bonum perfectum et « absolutum », id est simpliciter dictum, cui nihil bonitatis perfectionisque desit, utputa felicitatem quæ est summum bonum : hoc est, quod nullum eorum quinque potest suum subje-

Cf. p. 357 C et s., 360 B et s.

ctum facere beatum. *Tum autem verum* A *bonum fieri,* id est, tunc diximus constitui bonum perfectum et beatificativum, *quum in unam veluti formam atque efficientiam colliguntur,* id est, quum hæc quinque concurrunt in eadem essentia ac operatione, ita quod aliquid unum includit omnia illa, et efficit quod omnia illa efficiunt, etiam eminentiori perfectiorique modo quam illa ab invicem distincta in essendo atque agendo; *ut quæ sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas atque jucunditas :* id est, dum illa B ita sunt idem in esse et agere, quod illa res « quæ est sufficientia, eadem sit » etiam « potentia », id est activa potestas, et « reverentia », id est honor, et « claritas », id est celebritas famæ, et « jucunditas »; vel habeat ista inseparabiliter sibi annexa, inclusa et intra se virtualiter comprehensa : sicut delectatio seu jucunditas virtuosæ actioni conjuncta est oriundaque ex ea, eamque complens, quemadmodum pulchritudo complet et perficit juventutem. *Nisi vero unum atque idem omnia* C *sint,* id est, nisi prætacto modo sint idem in re, *nihil habere quo inter expetenda numerentur,* id est, probatum est ea « nihil habere quo », id est propter quod, seu ob cujus dignitatem, « numerentur », id est, digna sint computari et collocari, « inter expetenda », id est inter principalia hominis bona, quæ propter se desideranda sunt, tanquam efficacia ad conferendum felicitatem.

Ad quod Boetius : *Demonstratum est, inquam, nec dubitari ullo modo potest,* D id est, nemo potest rationabiliter inde ambigere.

Ex hoc infert Philosophia : *Quæ igitur quum discrepant,* id est, quinque præfata, seu alia quæcumque, dum « discrepant », id est, ab invicem realiter distinguuntur, *minime bona sunt,* id est, nullatenus sunt principalia hominis bona, ut frequenter expositum est; *quum vero unum esse cœperint,* id est in eodem inveniri indivisa seu indistincta, *bona fiunt,* id est, vere ac salubriter bona esse noscuntur : *nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit?* ac si dicat : Utique « contingit fieri », id est evenire, « adeptione » (id est participatione) « unitatis, ut » (id est quod) « hæc sint » vera « bona ».

Ad quod Boetius : *Ita (inquam) videtur :* quoniam unitas seu unitio est formalis causa seu ratio propter quam salubriter bona sint; quod autem pluribus est commune, competit eis participatione alicujus unius, ut Avicenna ac Porphyrius dicunt.

Et Philosophia ad hoc : *Sed omne quod bonum est* (supple, citra primum bonum : quod solum per essentiam bonum est), *boni participatione bonum esse concedis,* id est, per hoc quod bonitatem recipit ac habet a summo et primo bono, *an minime?*

Ad quod respondet Boetius : *Ita est,* id est, concedo quod participatione boni sit bonum. Quod in libro de Causis evidenter probatur. Aristoteles quoque secundo Metaphysicæ asserit : Id quod prime et maxime est ens et verum, ceteris omnibus causa est entitatis ac veritatis. Hinc Proclus in Elementatione theologica loquitur, theoremate tertio : Omne quod fit unum, participatione unius fit unum. Additque in commentario : Si enim fiant unum quæ non sunt unum, convenientia aliquatenus et communicantia sibi invicem, fiunt unum.

Ex hoc Philosophia concludit : *Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas :* id est, necesse est ut eadem ratione « concedas idem esse » in re « unum atque bonum », ita quod ratio unius includat rationem alterius. Etenim perfectio boni consistit in uno seu unitate aut unione : qua unitate amissa, res desinit esse bona formaliter. Unum enim dicitur, quod est indivisum a se, ac divisum ab aliis : quam unitatem quum res amittit, desinit esse quod est; et sine hac unitate seu unione, res quævis ac omnis multitudo sive pluralitas inordina-

ta est, confusa, distorta, imo et contristativa potius quam delectans. Propter quod B. Augustinus exponens quod Christus ait *Luc. x, 41, 42.* ad S. Martham, Sollicita es et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium, ait : Unum considerate, fratres mei, et videte si in multitudine quid delectet, nisi unum. Ecce de gratia Dei quam multi estis : quis vos ferret, nisi unum saperetis? Multi sunt homines : adde unum, et populus est ; subtrahe unum, et est turba. Quid est turba, nisi multitudo turbata?

Hinc Christus omnes in se credentes vo- *Joann. xiii, 34, 35 ; xv, 12, 17.* luit ac præcepit esse unum, præsertim per caritatem ; per fidem quoque et spem, atque habendo unum generalem prælatum, summum Pontificem, in quo tanquam in uno capite unum sint. Hinc, secundum Bernardum libro de Consideratione, Christus dicendo ad beatissimum *Ibid. xxi, 17.* Petrum, Pasce oves meas, commendavit unitatem in uno pastore et uno grege. Sicque regimen Ecclesiæ voluit esse monarchicum : quod et teste Philosopho in Politicis, optimum est. Unde Christus loquitur *Ibid. xvii, 11.* Deo Patri : Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Apostolus quo- *I Cor. i, 10.* que : Rogo (ait) vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.

Sed et Proclus in Elementatione sua, tertiodecimo theoremate, pulcherrime ac subtilissime protestatur : Omne bonum unitivum est participantium ipso, et omnis unitio bonum, et bonum uni idem. Hinc quippe Platonici inter bonum et unum non distinxerunt. Ad quod insinuandum Proclus in commentario adjecit : Bonum salvativum et contentivum est omnium entium ; propter quod appetibile est omnibus. Quod autem salvativum et contentivum est substantiæ singulorum, est ipsum unum : uno namque salvantur omnia, et dispersio unumquodque exire facit a substantia. — Itaque, juxta Salvatoris ora- *Luc. x, 42.* culum, Unum in omnibus est necessarium.

A Denique, sicut Proclus probavit bonum et unum consistere idem, quoniam utriusque idem est actus, videlicet salvare continereque omnia ; sic et Philosophia probat hoc consequenter. *Eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diversus effectus,* id est, quorum naturalis actio seu operatio non est diversa. Nam et Damascenus disseruit : Nihil est expers propria operatione notionalique actione. Ideo quorum naturæ diversæ sunt, diversas habent operationes naturales ac B notionales : in tali etenim actione natura agentis præsertim refulget, ac potissime per eam cognoscitur.

Ad quod Boetius : *Negare, inquam, nequeo* id quod dicis.

Ad hoc Philosophia : *Nostine igitur, inquit, omne quod est,* id est omne causatum, *tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum* unitate exsistentiæ actualis, *sed interire atque dissolvi,* id est corrumpi, *pariter quum unum esse destiterit,* id est, quum desierit esse unum? C Ista sunt plana.

— *Quonam (inquam) modo?* id est, ego Boetius quæro hujus exemplum, in quo pateat qualiter illud contingat.

Ad quod Philosophia : *Ut in animalibus, inquit, quum in unum coeunt* (id est conveniunt) *ac permanent anima corpusque,* id est, conjuncta manent anima et corpus, *id animal vocatur,* id est compositum ex anima et corpore naturali organico ; *quum vero hæc unitas, utriusque separatione dissolvitur, interire nec jam* D *esse animal liquet,* id est, tunc constat compositum illud mori, nec animal esse exsistentia actuali. *Ipsum quoque corpus quum in una forma, membrorum conjunctione, permanet, humana visitur species,* id est, figura humana videtur in corpore illo. *At* (pro Sed) *si distributæ segregatæque partes, corporis distraxerint unitatem,* id est, si partes corporis ab invicem divisæ ac separatæ cessaverint unitatem corporis conservare, *desinit esse quod fuerat,* præsertim si partes illæ tol-

lantur sine quibus conservari non valet : A ut sunt partes quædam vitales, sicut cor, caput, etc. Non tamen quæcumque ablatio partium integralium inducit corruptionem omnimodam corporis : ut si aures abscindantur, aut oculi eruantur, quæ sunt partes officiales.

Eoque modo percurrenti per considerationem *cetera,* id est alia entia, *procul dubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est ; quum vero unum esse desinit, interire* patet, id est, manifestum est quod corrumpatur quum desinit esse B unum. Propter quod unum convertibile est cum ente.

Ad hæc Boetius : *Consideranti (inquam) mihi plura, minime aliud videtur,* id est, nequaquam aliud mihi apparet, dum considerando discurro per entia multa.

Consequenter Philosophia quærendo ostendit, quod unumquodque naturaliter appetit suam permanentiam suæque unitatis conservationem. Quod etiam Augustinus libro de Civitate Dei breviter pandit.

Estne igitur, inquit, aliquid *quod in* C *quantum naturaliter agat, relicta subsistendi appetentia, venire ad interitum corruptionemque desideret ?* hoc est, Philosophia « inquit », id est quærit, « Igitur », quum ita sit ut dicis, « estne » aliquid « quod desideret venire ad interitum » et « corruptionem, appetentia », id est inclinatione, « subsistendi », id est permanendi, « relicta » ?

Ad quod Boetius : *Si animalia (inquam) considerem, quæ habent aliquam volendi nolendique naturam,* id est aliquam vim, D veritatem, aut participationem volendi ac nolendi. In hominibus quippe est vera natura ac libertas ad volendum atque nolendum ; in brutis autem est quædam participatio actuum horum, quoniam habent appetitum sensitivum, qui ex sensitiva apprehensione movetur ad obtinendum aut refugiendum, secundum quod aliquid imaginatur tanquam sibi conveniens aut nocivum. *Nihil invenio quod (nullis extra cogentibus) abjiciat manendi intentionem,* id est inclinationem seu appetitum, extense sumendo intentionem, quæ proprie non convenit brutis, ut supra expositum est : et hoc, « nullis cogentibus extra », id est, nullis causis violentis compellentibus ad id quod est contra naturalem appetitum ; *et ad interitum sponte,* id est propria ac naturali inclinatione, *festinet. Omne namque animal tueri salutem laborat,* id est, conatur defendere suam sanitatem, et refugit læsionem : ideo subditur, *mortem vero perniciemque* (id est nocumentum seu læsionem) *devitat,* quantum potest, et dum eam imaginatione aut pœnæ experientia apprehendit.

Hinc auctor naturæ dedit et brutis non solum appetitum concupiscibilem, quo insequuntur delectabilia, sed etiam appetitum irascibilem, quo contra nociva et corruptiva insurgunt ac pro posse resistunt. Atque diversa animalia diversimode armavit ac munivit ad talia facienda : quibusdam dando grande robur ad resistendum, ut ungues, dentes, seu cornua ; ut in leonibus, onagris, unicornibus contuemur. Aliquibus vero contulit miram agilitatem ad fugiendum. Nonnullis præordinavit ac præstitit certa latibula, in quibus tutantur ; aut quasi domunculas saxeas, in quibus se recludunt ; aut pellem quasi spinis opertam : sicut de hoc in libris de Animalibus et de Proprietatibus rerum, multa leguntur. De quibus, ut etiam refert B. Hieronymus, specialiter conscripserunt egregii viri Aristoteles ac Theophrastus.

Sed quid de herbis arboribusque, quid de inanimatis omnino consentiam rebus, prorsus dubito : id est, omnino ambiguus sum, quid tecum sentire debeam de his quæ tantum vegetativam sortiti sunt animam, de his quoque quæ inanimata sunt penitus, an scilicet esse ac permanere naturaliter appetant.

Ad quod Philosophia : *Atqui,* id est certe, *non est quod de hoc* quoque *possis ambigere,* post hanc meam informationem. Ad quod subditur ratio prima. *Quum herbas atque arbores intuearis primum sibi*

convenientibus innasci locis, id est, quum A videas quod herbæ ac arbores innascantur, id est, convalescant et crescant, « primum », id est citius, « locis sibi convenientibus », ut juxta aquarum fluenta, sicut de viro virtuoso loquitur Jeremias,
J. xvii, 8. Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas ; *ubi (quantum earum natura queat) cito exarescere atque interire non possint*, id est, corrumpi non valeant, « quantum earum natura », id est vigor naturalis, potest corruptivis resistere, et conservativorum influxum suscipere.

Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, id est, quædam herbæ ac arbores aptius ac velocius generantur in campis, quædam in locis montanis ; *alias ferunt paludes*, id est, quasdam herbas ac arbores ipsæ paludes producunt commodius, concurrente influentia cœlestium corporum, præsertimque solis, cujus accessus ad nos in zodiaco, causa est generationis in inferioribus, secundum Philosophum ; *aliæ saxis hærent, aliarum fecundæ sunt steriles arenæ*, quæ tamen ex cœlesti impressione causali fiunt fecundæ. *Quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescant. Sed dat cuique natura quod convenit*, id est, « natura » universalis naturans, potissime Deus, ut
Cf. p. 306 A. supra expressum est, largitur unicuique naturæ specificæ ea quæ congruunt suæ conservationi, durationi et propagationi ; *et ne (dum manere possunt) intereant, elaborat*, id est, natura particularis in quovis individuo pro posse operatur ad hoc, « ne » individua « intereant », id est corrumpantur, dum naturaliter poterunt perdurare.

Consequenter probatur hoc ipsum, ex eo quod herbæ et arbores attrahunt sibi naturaliter alimenta, quibus deficientibus arent, sicut in Evangelio ait Salvator :
Luc. viii, 6. Semen natum aruit, quia non habebat humorem.

* dicam *Quid est* *, id est, quid designat, *quod omnes, veluti in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus*, id est, per radices attrahunt sibi ex terris fomentum, ut humorem et succum quo crescunt (quæ radices sunt ipsis herbis arboribusque pro « ore » terris infixo), *ac per medullas, robur corticemque diffundunt?* id est, herbæ et arbores « diffundunt » alimenta attracta, « per medullas », id est per nucleum ipsum quasi per venas, in « robur » et « corticem » : quia ex alimentis illis provenit arbustis soliditas operturaque corticis, pro tegumento et protectione a B corruptivis. *Quid, quod mollissimum quodque, sicuti medulla est, interiori semper sede reconditur?* id est, quid istud significat, quod molliora seu teneriora arborum posita sunt atque abscondita intus in medio ligni, *extra vero quadam ligni firmitate tuetur, ultimus autem cortex, adversum cœli intemperiem, quasi mali patiens, defensor opponitur?* id est, exterius ipse « cortex » extremus, quasi arborem ipsam involvens, « opponitur » ut « defensor » contra tempestates « cœli » aerii, tanquam C « patiens mali », id est assuetus pati talia mala læsiva, ut sunt calor intensus æstatis ac fulguris, et vehemens hiemis frigus. Quid, inquam, istud designat, nisi quod omnia ista cupiunt permanere?

Quod adhuc alia ratione probatur : quoniam generant similia sibi in specie, quatenus esse, quod in individuis assidue corrumpitur, in specie, hoc est in individuis ejusdem speciei, conservetur. *Jam vero quanta est naturæ diligentia* (id est, magna est sollicitudo naturæ), *ut cuncta* D *semine multiplicato propagentur*, id est, quatenus omnia corruptibilia, de quibus nunc mentio, « propagentur semine multiplicato », id est, continuentur in esse per multiplicationem consimilium in specie. *Quæ omnia, non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse, quis nesciat?* hoc est, « quæ omnia », id est præfatam generationem et multiplicationem sollicitudinemque naturæ, « quis » sapienter advertens « nesciat

esse veluti machinas quasdam », id est vias A et instrumenta Providentiæ summæ, ac media « permanendi » in suo simili « quasi in perpetuum », id est usque in finem mundi? Quem philosophi non putabant finiendum in successionibus generationum ; sed quoniam revera terminabitur, dictum est, « quasi in perpetuum ».

Deinde idem probatur de inanimatis, ut sunt elementa et mixta mineralia.

Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quæque simili ratione desiderant? id est, etiam inani- B mata pari probatione ostenduntur naturaliter appetere conservationem proprii esse naturaliumque suorum.

Circa hoc aliqui dicunt, Philosophiam notanter dixisse, « ea quæ inanimata esse creduntur », id est putantur, propter animam mundi, qua omnis res vivificatur : ita quod in ordine ad illam nulla sunt inanimata ; sed inanimata creduntur, quia non habent animam specialem ac propriam. Sed istud insipienter et irresolute

Cf. p. 377 C. dictum videtur, quia (ut patuit ante) anima C mundi non est ponenda prout Plato et Platonici confinxerunt ; nec vere et proprie dici potest, quod mundus sensibilis, sit animatus et animal. Falsumque est absolute, quod elementa et mineralia sint animata : imo sunt prorsus inanimata ; nec eorum corpora aliquam aptitudinem, complexionem aut harmoniam habent ad animationem, hoc est ad informationem ab anima, quæ secundum Philosophum, est actus corporis organici physici : imo ineptissima sunt ad informationem ab ani- D ma intellectuali, qualis secundum Platonicos esset anima mundi. Si autem dicatur anima illa non esse anima per informationem, tunc non est anima nisi metaphorice atque æquivoce, secundum quod Varro et Socrates asserebant Deum esse animam mundi per similitudinem quamdam : quoniam sicut anima regit, movet, conservat proprium corpus, sic Deus omnipotens totum mundum, non tamen per informationem formalem, sed efficienter ; et sicut anima corpus suum vivificat, sic Deus per animas, aliquas mundi partes, utputa homines, et cetera.

Cur enim flammas quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit? nisi quod hæc singulis loca motionesque conveniunt : id est, quia locus et motus sursum convenit levibus, estque locus ille levium conservativus ; motus vero et locus deorsum conveniens est, naturalis conservativusque gravium. Ideo subditur : *Porro autem quod cuique consentaneum est,* id est conveniens alicui, *id unumquodque conservat,* illud videlicet cui conveniens est, *sicuti ea quæ sunt inimica, corrumpunt* ea quibus sunt inimica, id est contraria.

Jam vero quæ dura sunt, ut lapides, adhærent tenacissime partibus suis, id est una pars alteri, præsertim in multis saxis ; *et ne facile dissolvantur, resistunt* sua duritia et cohæsione, sicut et ferrum ceteraque metalla : pars enim conservatur in suo toto. *Quæ vero liquentia,* id est mollia et humida, *ut aer atque aqua, facile quidem dividentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus abscissa sunt, relabuntur,* id est, mox reuniuntur suo toti, si suæ relinquantur naturæ nec violenter impediantur. *Ignis vero omnem refugit sectionem,* id est divisionem : id est, ex sua natura tam formalis est et activus, ut potius conetur ipsum dividentia consumere, quam cedere eis. Nihilo minus experientia docet quod dividatur, quemadmodum aer et aqua, qui divisi, mox intra se recluduntur, juxta illud Sapientis : Navis per- *Sap.* v, 10, 12. transit fluctuantem aquam, cujus, quum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus ; sagitta quoque emissa in locum destinatum, divisus aer, continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius.

Consequenter exponit Philosophia de quo appetitu locuta sit.

Neque nunc nos de voluntariis animæ cognoscentis motibus, sed de naturali intentione tractamus : id est, ista de appe-

titu inanimatorum naturali dicimus, hoc A est, « de naturali intentione », directione et motu proferimus, quo potius a natura naturante diriguntur et aguntur, quam agant. *Sicuti est, quod acceptas escas, sine cogitatione transigimus,* id est, escas in vigilia voluntarie sumptas, in somno digerimus « sine cogitatione » de hoc, sola naturali actione naturalis caloris. Cujus aliud exemplum est, *quod in somno spiritum ducimus,* id est, anhelitum trahimus, *nescientes,* id est, proprium actum non advertentes, ratione ligata.

Nam ne in animalibus quidem manendi amor, ex animæ voluntatibus, verum ex naturæ principiis venit : id est, desiderium quo [homines et] bruta appetunt permanere in esse ac vivere, non oritur ex libero arbitrio cordis rationalisque spiritus, sed ex naturalibus causis appetituque sensitivo. Unde et S. Dionysius fatur, quod (De Divin. nom. c. I, IV.) aliquæ creaturæ desiderant summum bonum nescienter et naturaliter, ut inanimata, quædam sensibiliter, quædam rationabiliter, quædam intellectualiter : sicque C cuncta creata appetunt summum bonum, sed diversimode, et unumquodque secundum modum suæ naturæ. Sic quoque naturalis appetitus interdum videtur appetitui intellectivo oppositus. Unde subjungitur :

Nam sæpe mortem, cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur : id est, « voluntas » frequenter cupit et acceptat « mortem » violentam, « cogentibus », id est, impellentibus ac vehementer moventibus, « causis » extrin- D secis, « quam » mortem « natura », id est naturalis appetitus, « reformidat », id est, abhorret ac fugit : ut dictum est ante de aliquibus qui occiderunt se ipsos, ne hostium voluntati subjicerentur. Ob quam causam Saul primo Regum se legitur per- (I *Reg.* XXXI, 4.) emisse. In Apocalypsi quoque asseritur : (*Apoc.* IX, 6.) In diebus illis desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis. Sic et martyres sancti, amore Christi ac gloriæ æternalis, obtulerunt se morti promptissime. Imo et Sanctus Sanctorum, qui ex naturali mortis pavore oravit, Pater, si possibile est, trans- (*Matth.* XXVI, 39.) eat a me calix iste (id est acerbitas passionis), caritate movente, ex deliberata ratione, promptissima voluntate amplexus ést mortem, dicendo : Pater, si non potest (*Ibid.* 42.) hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Contraque illud (quo solo mortalium rerum durat diuturnitas) gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coercet voluntas : id est, deliberata « vo- B luntas interdum coercet », id est reprimit hominem a venereis, « contra opus illud gignendi », id est ad vitandum opus generativæ potentiæ, « quo solo durat », id est, in esse permanet per successionem, « diuturnitas », id est diuturna conservatio, « rerum mortalium », id est corruptibilium individuorum. Hoc patet in religiosis præcipue, et aliis qui desiderio regni cœlestis continentiam spondent ac servant.

Adeo hæc sui caritas, non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit : hoc est, « hæc caritas sui », id ést inclinatio ista ad conservationem ac permanentiam sui ipsius, « procedit adeo », id est tam multum, « non ex motione animali », id est non ex affectu, aut motu orto ex cognitione sensitiva aut intellectiva, « sed ex intentione naturali », id est impressione indita ipsi naturæ ab ejus auctore, ita quod primo inde consurgit, secundario quoque consurgeret ex apprehensione et motione animali. Porro caritas in his verbis sumitur improprie et valde extense. Caritas quippe proprie appellatur dilectio supernaturalis, gratuita et infusa, qua Deus proximusque diligitur : Deus super omnia et propter se ipsum ; proximus vero, in Deo et propter Deum. Sicque caritas est virtus theologica, et suprema omnium virtutum regina, motrix, forma ac vita : sine qua nemo complacet Deo. De qua dixit Apostolus : Super omnia caritatem habete, (*Coloss.* III, 14.) quod est vinculum perfectionis. Secundo accipitur minus proprie, pro quacumque dilectione seu amicitia : ut quum secundo

II *Mach.* xiv, 26. Machabæorum narratur, Videns Alcimus A caritatem illorum ad invicem, utputa Judæ atque Nicanoris; certumque est quod superbus et perfidus ille Nicanor caritatem primo modo sumptam non habuit. Tertio impropriissime sumitur, pro quacumque inclinatione naturæ.

Dedit enim Providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, id est, divina « Providentia » suis contulit creaturis « hanc » præcipuam « causam » seu rationem perseverandi in esse usque præscriptum aut definitum terminum suæ B periodi, seu naturalis durationis, *ut quoad possunt, naturaliter manere desiderent,* id est, in suo esse oporteat durare quamdiu naturaliter eis possibile est. *Quare nihil* (id est nulla rationabilis causa) *est quod ullo modo queas dubitare, cuncta quæ sunt, appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem,* id est etiam fugere sui corruptionem.

Ad hoc Boetius : *Confiteor, inquam, nunc me indubitato cernere,* id est indubitanter cognoscere, *quæ dudum incerta* C *videbantur,* id est, quæ apparebant mihi esse ambigua ante hanc disputationem.

Consequenter Philosophia repetit quædam præhabita, ex quibus descriptionem boni concludit.

Quod autem (inquit) subsistere ac permanere appetit, id est petit, *id unum esse desiderat : hoc enim sublato,* id est ipso uno remoto ab ente, *ne esse quidem cuiquam permanebit,* id est, nulli rei « esse »
Cf. p. 406 B' et s. suum manebit, sicut ostensum est. — *Verum est, inquam,* id est, ego Boetius dico D hoc verum. Et Philosophia : *Omnia igitur, inquit, unum desiderant,* id est id in quo consistit ratio unius : hoc est, unumquodque cupit consistere indivisum a se, et divisum seu distinctum ab aliis. — *Consensi,* id est, ego Boetius jam supra consensi his. Ad quod Philosophia : *Sed unum*
Cf. p. 405 D' et s. *monstravimus id ipsum esse quod bonum est.* Respondet Boetius : *Ita quidem* monstrasti.

Ex quo infert Philosophia : *Cuncta igitur petunt,* id est appetunt, *bonum. Quod quidem ita describas licet,* id est, licitum est ut ipsum bonum ita describas : *ipsum bonum esse quod desideretur ab omnibus.* Quod jam frequenter præhabitum est : et potest intelligi tam de summo bono, quod est beatitudo ac Deus (quod omnes aliquo modo affectant, aut in speciali, aut sub ratione communi), quam de bono sumpto communiter et abstracte, quod est appetitus objectum. *Cf.* p. 301 C' et s., 302 D, 304 C', etc.

Ad quod Boetius : *Nihil, inquam, verius excogitari potest.* Quod probat subdendo : *Nam vel cuncta ad nihilum referuntur,* id est, aut omnia entia tendunt et ordinantur ad nullum summum finem, seu ad nihil supremum; *et uno veluti vertice destituta,* id est privata uno altissimo ad quod tendant, *sine rectore fluitabunt,* id est, casualiter jactabuntur, incerta ac instabilia, confusa et inordinata jugiter exsistendo, ac gubernatore carendo : cujus contrarium constat ad oculum. *Aut si quid est ad quod universa festinent,* id est, naturali desiderio pertingere optent ac satagant quæ se naturaliter habent, *id erit omnium summum bonorum.*

— *Et illa, Nimium, inquit,* id est, Philosophia respondit, « Nimium », id est, valde sic est. *O alumne, lætor,* id est, o tu, Boeti, meis dogmatibus enutrite, profectui tuo congratulor : quemadmodum et Joannes apostolus in sua tertia ait epistola. Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. III *Joann.* 4.
Ipsam enim mediæ veritatis notam mente fixisti. In his verbis, « notam veritatis », est intransitiva constructio, sicut quum dicitur, virtus Dei ; ut sit sensus : Congaudeo tibi ; « fixisti enim mente », id est, in corde tuo firmiter statuisti ac impressisti, « notam ipsam veritatis mediæ », id est ipsam veritatem, quæ media est inter duos extremos errores, quemadmodum virtus media est inter vitia duo extrema, ut liberalitas inter prodigalitatem et tenacitatem. Sic veritas ista, id est vera sententia a Boetio hic expressa, media est inter erro-

res extremos, seu inter extrema falsa : A quorum unum est, dicere omnia casualiter evenire ; aliud, omnia de necessitate accidere. Dicitur quoque veritas media, quia ad ipsam tanquam in medio positam, ex omni parte adspiciunt cuncti. Unde Veritas summa ait in Evangelio : Ego in medio vestrum sum ; itemque : Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. At vero nota apud mathematicos nuncupatur punctum inter duas lineas in medio positum : sicque sententia Boetii dicitur « nota mediæ veritatis », id est, veritas media recte notata, et ab extremis falsis discreta.

Luc. xxii, 27. Matth. xviii, 20.

B

Porro, ut hæc clarius intelligantur, oportet scire, quod sicut sanitas consistit in quadam proportione media inter qualitates extremas contrarias, virtus quoque moralis (quæ magna pars est sanitatis animæ) juxta Philosophum Ethicorum secundo, medietas quædam est inter duo vitiosa extrema ; sic veritas Scripturarum media est inter errores diversos et mutuo sæpe contrarios. Sic enim veritas fidei catholicæ C asserentis in Christo consistere unam personam et duas naturas, utputa veram deitatem et integram humanitatem, media est inter hæresim Nestorii, ponentis in Christo duas personas, ac hæresim Eutychetis, dicentis in Christo esse unam personam, et unam dumtaxat naturam.

Sed in hoc patuit tibi, id est, in hac vera responsione ostendisti te scire, *quod te ignorare paulo ante dicebas,* præsertim in libro primo, ubi interdum locutus es quasi dubitans de providentia Dei, cui di- D xisti : Hominum solos respuis actus. Ad quod Boetius : *Quid? inquam,* id est, « quid » est hoc? — *Quis esset, inquit, rerum omnium finis :* id est, Philosophia inquit, Dicebas te ignorare quis esset finis omnium rerum. *Id* est enim profecto,* id est, iste omnium finis « est id », *quod desideratur ab omnibus,* sicut expositum est. *Quod quia bonum esse collegimus,* id est, ex diversis motivis probavimus ac summatim perstrinximus, *oportet rerum omnium finem bonum esse fateamur,* id est, « oportet » ut « fateamur bonum », utique summum, « esse finem rerum omnium » : ad quem finem quædam immediate, quædam mediate possunt pertingere ; et quædam per cognitionem et amorem, quædam per modum inferiorem, ut sæpius expressum est.

Metr. v. Cf. p. 143 C. * Is

Cf. p. 301 C', 304 C', 308 A', 410 B.

Amplius, sicut Philosophia probavit, quod omnia appetunt sui permanentiam et unitatem, in totis essentialibus et integralibus ; ita hoc potest ostendi in totis potestativis eorumque partibus. Quorum perfectio est in hoc, quod partes potestativæ stent reductæ ac subditæ suò toti in his quæ ad talium totorum spectant officium : ut quod in Ecclesia Dei summo Pontifici ceteri prælati sint subjecti, imperatori quoque principes sæculares, secundum divinæ legis tenorem, in omni veritate et æquitate. Divisio autem inter eos atque discordia pessimum malum est destructioque Ecclesiæ, sicut in Evangelio asserit Christus : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.

Luc. xi, 17.

Postremo, ipsum esse naturali quadam vi omnibus esse appetibile ac jucundum, pulchre declarat Augustinus undecimo de Civitate Dei, vicesimo septimo capitulo.

METRUM XI

Quisquis profunda mente vestigat verum,
Cupitque nullis inde deviis falli,
In se revolvat intimi lucem visus,
Longosque in orbem cogat inflectens motus,
Animumque doceat, quidquid extra molitur,
Suis retrusum possidere thesauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipso perspicacius Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen,
Obliviosam corpus invehens molem.
Hæret profecto semen introrsum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati, sponte recta censetis,
Ni mersus alto viveret fomes corde?
Quod si Platonis musa personat verum,
Quod quisque discit, immemor recordatur.

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO METRI HUJUS UNDECIMI.

QUONIAM in præhabita prosa Boetius A supra omnia vehementer appretiatus est scientiam summi boni, Philosophia in hoc metro ostendit modum investigandi ac inveniendi hanc salubrem scientiam. Videtur demum Philosophia hic potius secundum doctrinam Platonis quam Aristotelis procedere : ideo primo textum simpliciter explanabo ; deinde veritas horum diligentius inquiretur.

Quisquis vestigat, id est, quicumque inquirit, *verum,* id est veritatis notitiam, *mente profunda,* id est alto ingenio, sub- B tili et elevato, quod ad immaterialia, difficilia et divina acute ac faciliter erigatur, *cupitque inde falli nullis deviis,* id est erroribus aut fallacibus argumentis a via veritatis abducentibus : *revolvat* (id est, circumagat et reflectat) *in se lucem,* id est intellectuale lumen, *visus intimi,* id est interioris, utputa rationis discurrentis ab universalibus ad particularia, a sensibilibus ad intelligibilia, a cognitis ad ignota (de qua luce fertur in Psalmo, Signatum *Ps.* IV, 7. est super nos lumen vultus tui, Domine); *inflectensque,* id est, ad interiora retorquens, *motus longos,* id est apprehensiones et actus prolixos, multiplices, distractivos virium sensitivarum, exteriorum ac interiorum, *cogat in orbem,* id est, impellat per gyrum ad regressum in mentem, in qua cuncta discutiantur et ad divinorum notitiam ordinentur; *doceatque animum,* id est intellectum suum, ipsum

possidere (id est habere) *retrusum*, id est, A quod intellectus suus intra se habet clausum, impressum et cognitum, *suis thesauris,* id est in habitibus sibi innatis, *quidquid molitur* (id est, laborat cognoscere) *extra,* id est exteriora et sensibilia considerando. Tum vero *quod atra nubes erroris,* id est corpulentia carnis et religatio corporis, seu oblivio et ignorantia ex aggravatione carnis causata, *dudum texit,* id est, abscondit obliviscique fecit, *lucebit,* id est cognoscetur, *perspicacius Phœbo ipso,* id est clarius sole. Unde scri- B
Sap. IX, 15. ptum est : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

Corpus namque invehens, id est ingerens animæ, *molem* (id est aggravationem) *obliviosam, non depulit mente,* id est, ab intellectu non removit, *omne lumen,* id est totum lumen intellectuale : nam habitualiter mansit, quamvis impediat interrumpatque sæpius actum. *Semen veri,* id est habitus cognoscitivus principiorum, *hæret profecto introrsum,* id est, certe C manet menti inhærens, *quod excitatur,* id est, procedit in actum, *doctrina,* id est informatione instruentis, *ventilante,* id est exercitante. Quod probat subdendo : *Nam cur rogati,* id est interrogati de aliquo dubio, *censetis sponte,* id est, voluntarie et in promptu respondetis et judicatis, *recta,* id est vera, *ni,* id est nisi, *fomes,* id est habitus scientialis, seu cognitio primorum principiorum, *mersus* (id est latens) *corde alto,* id est in intellectu profundo, *viveret,* id est, aliquo modo D adhuc vigeret, sicut ignis latens sub cinere?

Quod si musa (id est facunda doctrina) *Platonis personat,* id est, perfecte exprimit, *verum, quod quisque discit* propria inventione aut alterius instructione, *recordatur immemor :* id est, non penitus discit de novo, quasi nunquam scierit ante, sed quia oblitus fuit et « immemor » factus ex corporis obnubilatione ; sicut animæ infantulorum nil intelligere valent præ nimia organorum sensuum interiorum humiditate atque continuo fluxu, ex quo phantasmata confunduntur, nec certum aliquid repræsentant.

JOANNES. — Videtur Boetius sub nomine Philosophiæ hæc loquens, hic prorsus factus Platonicus, Peripateticorum Aristotelisque scholas egressus : præsertim quoniam prosa sequenti subjungit, Tum ego, Platoni (inquam) vehementer assentior. Hinc vehementer admiror, et anxie sciscitor, an opinio illa Platonis sit vera valeatque defendi, hoc est, an scientiæ et virtutes sint animabus humanis innatæ seu concreatæ.

DIONYSIUS. — Pythagoræ et Socratis ac Platonis fuit opinio, animas hominum esse æternas, et extra corpora conditas, atque in stellis comparibus constitutas, scientiis atque virtutibus decoratas ; corporibus tamen velle uniri : eo quod intellectualitas in eis non esset pura, sed passionibus quibusdam obnoxia ; et item, quatenus in corporibus studiose ac virtuose vivendo, majorem post hanc vitam beatitudinem obtinerent. Verum contra hujusmodi opinionem in pluribus locis Aristoteles arguit, et eam redarguit ; simulque probat, quod in eodem forma non præcedit materiam, nec anima corpus proprium tempore. Tertio quoque de Anima dicit, quod intellectus animæ nostræ in principio sui est sicut tabula rasa, nequaquam depicta ; et circa finem Posteriorum habet pro inconvenienti, quod in nobis essent nobilissimi habitus nos latentes. Porro in Ethicis ponit quinque habitus intellectuales, quorum unum nominat intellectum, quem asserit esse habitum primorum principiorum in speculabilibus : ex quo habitu simul cum ministerio sensuum exteriorum cognitioneve sensitiva, et ex imaginatis mediante experimento, affirmat in nobis generari scientiam, virtutem quoque ex actibus bonis frequenter reiteratis. Huic doctrinæ christiani doctores magis communiusque consentiunt : imo,

asserere animas rationales ab exordio simul creatas, reputatur hæreticum.

Verumtamen hoc parit difficultatem, quod non solum hoc loco Boetius, imo etiam S. Augustinus pluribus in locis, præsertim in libris de Trinitate, videtur sequi Platonem de concreatione scientiæ in anima qualibet rationali, ita quod sicut Plato, disseruit animam unamquamque rationalem se ipsam indesinenter intelligere, diligere, recordari, ceterorum quoque distinctam scientiam sibi habere concreatam. Hinc decimo de Trinitate, capitulo octavo, loquitur Augustinus : Cognoscat anima semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed intentionem voluntatis qua per alia vagabatur, statuat in se ipsa, et se cogitet ; et ita videbit, quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit. Rursus in eodem libro, duodecimo ait capitulo : Mentem in memoria, intelligentia et voluntate sui ipsius talem reperiebamus, ut quoniam semper se nosse et semper se velle deprehendebatur, simul etiam semper sui meminisse semperque se ipsam intelligere et amare deprehenderetur, quamvis non semper se cogitare discretam ab his quæ non sunt quod ipsa est. Rursus in eodem libro, capitulo nono : Anima, ait, non velut absentem se quærat cernere, sed præsentem se curet discernere ; nec se quasi non norit cognoscat, sed ab eo quod alterum novit (id est, quod ipsa non est) dignoscat. Nempe quod audit, Cognosce te ipsam, quomodo curabit implere, si nescit quid sit, cognosce, aut quid sit, te ipsam ? Si autem novit utrumque, novit et se ipsam. Non enim ita dicitur animæ, Cognosce te ipsam, quemadmodum dicitur ei, Cognosce Cherubim et Seraphim. Neque ita dicitur menti, Cognosce te ipsam, sicut dicitur homini, Vide faciem tuam : quod non aliter quam in speculo fieri potest. Sed quum dicitur menti, Cognosce te ipsam ; eo ictu quo audit, te ipsam, cognoscit se ipsam, nec ob aliud nisi quoniam sibi præsens est.

Hæc et consimilia multa asserit Augustinus, quibus ipsemet objicit : Quia si anima semper se noscit et inspicit, quomodo tam multi circa animæ notitiam erraverunt ? Ad quod subtiliter ac prolixe respondet, quod brevitati studens pertranseo.

Denique, quod Philosophia tangit hic, dicendo, Nam cur rogati ? etc., Plato in Menone prosequitur plenius, arguendo de puero interrogato de multis per ordinem, qui ad omnia pertinenter respondit : quod facere non quivisset, nisi intra se habuisset illorum notitiam. Aliud quoque posuit Plato experimentum ad hoc, quod scilicet dominus aliquis insequens servum fugitivum, non magis illum sibi obviantem invaderet quam alium, nisi illum prius novisset : sic anima non magis assentiret uni propositioni quam alteri, nisi eam prius novisset, ejusque intra se cerneret veritatem. Hinc Plato in Phædone testatur : Fatemur, si quis alicujus rei meminerit, oportere eum prius aliquando hoc scivisse : ergo fatebimur, quum scientia advenerit, recordationem esse.

Verum ad prætacta Platonis atque sequacium ejus motiva, Peripatetici, christiani quoque philosophi eos secuti, responderunt, scientiam nobis esse innatam in universali, non in particulari ; intellectivam quoque potentiam cum suo lumine naturali, per quod ratio potest discurrere, invenire, proficere, ac ea quæ audit, primo intelligere imperfecte, deinde paulatim magis perfecte. Si ergo præclarissimi viri Augustinus et Boetius in hac re Platonem secuti sunt, sicut apparet, non oportet in hoc eis obtemperare.

PROSA XII

TUM ego : Platoni (inquam) vehementer assentior. Nam me horum jam secundo commemoras : primum, quod memoriam corporea contagione, dehinc, quum mœroris mole pressus, amisi. — Tum illa : Si priora * (inquit) concessa respicias, ne illud quidem longius aberit, quin recorderis quod te dudum nescire confessus es. — Quid ? inquam. — Quibus (ait illa) gubernaculis mundus regatur. — Memini, inquam, me inscitiam meam fuisse confessum. Sed quid afferas, licet jam prospiciam, planius tamen ex te audire desidero. — Mundum hunc (inquit) a Deo regi, paulo ante minime dubitandum putabas. — Ne nunc quidem arbitror, inquam, nec unquam dubitandum putabo ; quibusque in hoc rationibus accedam, breviter exponam. Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret ; conjuncta vero, naturarum ipsa diversitas invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi unus esset, qui quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. Hoc, quidquid est, quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino.

* superiora

— Tum illa : Quum hæc (inquit) ita sentias, parvam mihi * restare operam puto, ut felicitatis compos, patriam sospes revisas. Sed quæ proposuimus, intueamur. Nonne in beatitudine sufficientiam numeravimus, Deumque beatitudinem ipsam esse consensimus * ? — Ita quidem. — Et ad mundum igitur (inquit) regendum, nullis extrinsecus adminiculis indigebit : alioqui, si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. — Id, inquam, ita est necessarium. — Per se igitur solum cuncta disponit. — Negari, inquam, non potest. — Atqui Deus ipsum bonum esse monstratus est. — Memini, inquam. — Per bonum igitur cuncta disponit : siquidem per se regit omnia, quem bonum esse concessimus. Et hic est veluti quidam clavus atque gubernaculum quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur. — Vehementer assentior, inquam ; et id te paulo ante dicturam, tenui licet suspicione, prospexi. — Credo, inquit : jam enim, ut arbitror, vigilantius ad cernenda vera oculos deducis. Sed quod dicam, non minus ad contuendum patet. — Quid ? inquam. — Quum Deus, inquit, omnia bonitatis clavo gubernare jure credatur, eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent, num dubitari potest quin voluntarie regantur, seque ad disponentis nutum, veluti convenientia contemperataque rectori, sponte convertant ? — Ita, inquam, necesse est. — Nec beatum regimen esse videretur, si quidem detrectantium jugum foret, non obtemperantium salus. Nihil est igitur, quod naturam servans,

* tibi

* concessimus

Deo contraire conetur. — Nihil, inquam. — Quid, si conetur? ait. Num tandem proficiet quidquam adversus eum, quem jure beatitudinis potentissimum esse concessimus? — Prorsus (inquam) nihil valeret. — Non est igitur aliquid quod summo huic bono vel velit vel possit obsistere. — Non (inquam) arbitror. — Est igitur, inquit, summum bonum, quod regit cuncta fortiter, suaviterque Sap. VIII. 1. disponit. — Tum ego : Quam (inquam) me non modo ea quæ conclusa est, summa rationum, verum multo magis hæc ipsa verba quibus uteris, delectant! ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem sui pudeat. — Accepisti (inquit) in fabulis, lacessentes cœlum gigantes; sed illos quoque, uti condignum fuit, benigna fortitudo deposuit. Sed visne rationes ipsas invicem collidamus? Forsitan ex hujusmodi conflictatione, pulchra quædam veritatis scintilla dissiliet. — Tuo (inquam) arbitratu. — Deum (inquit) esse omnium potentem nemo dubitaverit. — Qui quidem, inquam, mente consistat, nullus prorsus ambigat. — Qui vero est (inquit) omnium potens, nihil est quod ille non possit. — Nihil, inquam. — Num igitur Deus facere malum potest? — Minime, inquam. — Malum igitur, inquit, nihil est, quum id facere ille non possit, qui nihil non potest.

— Ludisne (inquam) me, inextricabilem labyrinthum rationibus texens, quo nunc quidem, qua egrediaris, introeas, nunc vero qua introieris, egrediare; an mirabilem quemdam divinæ simplicitatis orbem complicas? Etenim paulo ante a beatitudine incipiens, eam summum bonum esse dicebas, quam in summo Deo sitam loquebare; ipsum quoque Deum summum esse bonum plenamque beatitudinem disserebas : ex quo neminem beatum fore, nisi qui pariter Deus esset, quasi munusculum dabas. Rursus, ipsam boni formam, Dei beatitudinisque loquebaris esse substantiam; ipsumque unum, id ipsum esse bonum dicebas, quod ab omni rerum natura peteretur. Deum quoque, bonitatis gubernaculis universitatem regere disputabas, volentiaque cuncta illi parere, nec ullam mali esse naturam. Atque hæc nullis extrinsecus sumptis, sed altero ex altero fidem trahente, insitis domesticisque probationibus explicabas.

— Tum illa : Minime (inquit) ludimus; remque omnium maximam, Dei munere, quem dudum deprecabamur, exegimus. Ea est enim divinæ forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquid ipsa suscipiat; sed sicut de ea Parmenides ait :

Πάντοθεν ἐν κύκλοισι φέρεις ἐναλίγκιον ὄγκον. *

Quod si rationes quoque non extra petitas, sed intra rei (quam tractabamus) ambitum collocatas, agitavimus; nihil est quod admirere, quum Platone sanciente didiceris, cognatos, de quibus loquimur rebus, oportere esse sermones.

*Πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ.

ARTICULUS XXXII

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS DUODECIMÆ.

IN exordio prosæ istius fatetur Boetius A se non solum assentire, imo (quod plus est) etiam vehementer assentire dictis in
p. 413. metro antecedenti, præcipue ultimis duobus versiculis istis :

Quod si Platonis musa personat verum,
Quod quisque discit, immemor recordatur.

Ait ergo :

Tum ego : Platoni (inquam) assentior vehementer. Nam commemoras (id est, memorem facis) *me horum* quæ præhabita sunt, *jam secundo,* id est altera vice, B seu secundario ac alio modo. *Primum, quod memoriam corporea contagione, dehinc, quum mœroris mole pressus, amisi.* Id est : recte dixi, quod jam secundo horum memorem me fecisti. « Primum » quidem, id est, primo pro certo fecisti me memorem horum, « quod memoriam corporea contagione amisi », id est, quia actualem horum memoriam perdidi ex corporis contactu atque gravamine (quia ut
Sap. IX, 15. dictum est in libro Sapientiæ, Corpus quod corrumpitur, id est, corruptibile est et C continuis alterationibus subjectum, aggravat animam, ac frequenter tollit actualem memoriam) ; « dehinc », id est, secundo fecisti me horum memorem, « quum », id est quia, amisi horum memoriam, « pressus », id est oppressus et victus ad tempus, « mole », id est magnitudine, « mœroris » ex adversis, imo et ex zelo justitiæ, quia tam graviter vidi justitiam deprimi, et prævalere tyrannum.

Dicunt hic aliqui, quod Boetius protestatur vehementer se consentire Platoni D in his, quoniam præ ceteris philosophis ipse Plato veritatem vicinius tetigit, et sapientiam Dei profundius novit. Quod dictum B. Augustino concordat dicenti, Platonem cunctis philosophis gentium longe prælatum ac recte, Platonicos etiam amplius concordare sapientiæ christianæ. Et quamvis S. Augustinus octavo de Civitate Dei locutus sit, Aristoteles vir excellentis ingenii, multos facile superans ; non tamen affirmat eum omnes superasse philosophos, sed multos. Ubi et addit : Platoni eloquio impar. Per quod insinuat, quod Plato eloquentia Aristotelem superavit. Insuper præfert Platonem Aristoteli vita, id est conversatione virtuosa. Nam et in virginitate persistens, rigorose corpus suum tractavit : unde et fassus est plus se consumpsisse de oleo in crucibulo * de nocte studendo atque scribendo, quam de vino in scypho. Hinc secundo de Civitate Dei recitat Augustinus : Labeo dixit Platonem fuisse semideum. Ubi et Augustinus præfert eum hominibus quos gentiles dixerunt fuisse deos effectos propter excellentes eorum virtutes.

* Cf. Cangii Glossarium

Propter quod in libro de Vita philosophorum narratur, quod dum pater Platonis filium suum Platonem adhuc puerum duxit Athenas, ut eum Socrati tunc summo philosopho præsentaret ac erudiendum committeret, Socrates sedens in cathedra venit in ecstasim ac visionem, videbaturque ei quod cycnus pulcherrimus intraret gremium suum, deinde evolaret tam alte in aere quod videri vix potuit. Reversoque Socrate ad se ipsum et cogitante de visione, pater Platonis cum puero introivit ad Socratem, causam sui adventus exponens. Socrates vero physionomiam pueri sapienter considerans : Vere (inquit) iste est cycnus quem vidi ; iste volabit tam alte quod intellectus humanus vix valebit

eum attingere. Legitur etiam ibi, quod defuncto Platone, Athenienses ei exhibuerunt quasi honores divinos. Et fuit de genere Æsculapii, nobilissimi Græcorum; de genere quoque Solonis, ex parte matris : qui Solon fuit unus ex septem sapientibus.

Verumtamen quid mirum, si in quibusdam erravit, quum in nullo errare, angelicum sit, non humanum? Certum est autem, quod de rationalis animæ immortalitate, et quod post mortem deferatur in causam, id est ad Dei judicium, ac præmietur, atque in hac vita dirigatur a spiritu quodam extrinseco bono, melius, vel saltem apertius bene sensit quam Aristoteles. In omnibus vero debet nobis sacratissimæ fidei veritas, ac determinatio sanctæ matris Ecclesiæ, esse pro regula et mensura, ne unquam quacumque persuasione aliter sentiamus quam fides hæc continet et Ecclesia docet.

— *Tum illa : Si priora (inquit) concessa respicias :* id est, Philosophia dixit, O Boeti, « si respicias », id est, rite consideres, « priora », id est præhabita, ante « concessa »; *ne illud quidem longius aberit,* id est, non longe distabit, *quin recorderis quod te dudum nescire confessus es. — Quid? inquam :* id est, ego Boetius quæro quid sit hoc. — *Quibus (ait illa) gubernaculis mundus regatur :* hoc est, « illa », id est Philosophia, « ait », id est (quod te nescire dixisti), « quibus gubernaculis », id est causis, seu rectoribus aut regiminibus, modis aut mediis, « mundus regatur » : ut supra plenius fuit expositum, prosa ultima libri primi, ubi Boetius dixit hoc in persona afflicti ac imperiti. — *Memini, inquam, me inscitiam meam fuisse confessum,* id est, ego Boetius recolo me ibidem concessisse imperitiam istam. *Sed quid afferas, licet jam prospiciam,* id est, quamvis jam a longe videam « quid afferas », id est, adducere velis, *planius tamen ex te audire desidero.*

Cf. p. 142 B' et s.

— *Mundum hunc (inquit) a Deo regi,*

A *paulo ante minime dubitandum putabas :* id est, Philosophia dixit, « Minime putabas paulo ante dubitandum, mundum regi », id est, de hoc quod mundus regatur, « a Deo », et hoc supra multipliciter et aperte tibi probavi, etiam in hoc tertio libro.

Cf. p. 141 B' et s. lib. II, metr. 8; lib. III, metr. 2, 9.

Ad quod Boetius : *Ne nunc quidem arbitror, inquam,* id est, dico quod « ne », id est non, « arbitror », id est judico, « nunc », *nec unquam putabo dubitandum* de hoc; *quibusque in hoc rationibus accedam,* id est, propter quæ rationabilia B motiva hoc dicam, *breviter exponam,* id est, ego Philosophia (ut quidam exponunt; sed ex persona Boetii hæc proferri, ex consequentibus patet) explorabo, quamvis hoc tactum sit ante.

Mundus hic sensibilis, id est iste mundus, *ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam,* id est in eumdem ordinem, consonantiam et compaginem, *minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret.* Hoc jam supra ex verbis divini Dionysii, Damasceni, Pla- C tonis, et aliorum, apertissime est probatum, imo et sæpe : ideo non decet hic immorari, nec illa repetere. Consequenter idem probatur ex mundi conservatione in ordine suo ac solito cursu. *Conjuncta vero,* id est ista contraria invicem jam unita, *naturarum ipsa diversitas invicem discors,* ut patet de naturis et qualitatibus elementorum, *dissociaret atque divelleret,* id est, separaret atque destrueret, *nisi unus esset, qui quod nexuit, contineret,* id est, nisi idem Creator qui contraria ista D conjunxit, ea conservaret in quadam cohabitudine ordinata. Unde undecimo de Civitate Dei Augustinus sapientissime loquitur : Mundus ordinatissima sua mutabilitate ac mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus et factum se esse et non nisi a Deo ineffabiliter ac invisibiliter pulchro et magno fieri se potuisse, proclamat.

Cf. p. 125 B, 278 D et s., 375 D et s., etc.

Hinc subditur (quod est præhabitæ rationis declaratio, potius quam alia ratio) : *Non tam vero certus naturæ ordo pro-*

cederet : id est, « ordo naturæ » in toto A universo « non procederet », id est, non exsequeretur suos actus et cursus, « tam certus », id est manendo tam uniformis ac stabilis ; *nec tam dispositos* (id est ordinatos ac prævisos) *motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret,* id est, non ageret neque explicite ostenderet « motus » illos « locis » et « temporibus » opportunis, « efficientia », id est effectu, « spatiis », id est distantiis, « qualitatibus » activis et passivis, ac proportionibus eorumdem : *nisi unus esset,* B *qui has mutationum varietates manens ipse disponeret :* id est, « nisi » in universo consisteret « unus » supremus, « qui manens ipse », id est, invariabilis ac jugiter idem ipse persistens, nec aliquam accidentalem alterationem suscipiens, « disponeret », id est, ordinaret ac ordinate exsequeretur, per se aut per causas secundas suæ prudentiæ subservientes, « has varietates mutationum », id est omnium specierum motus, qui sunt, generatio, corruptio, augmentatio, alteratio, loci mu- C tatio.

Ista sunt pulchra ; sed quia ubertim præhabita sunt, pertranseo. Verumtamen ex his considerationibus, tam Plato quam Aristoteles et eorum sequaces reprobaverunt antiquorum philosophorum Epicureorum stultos ac rudes errores, dicentium omnia casu et fortuna moveri ac evenire, non divinitus gubernari. Unde in libro de Causis asseritur, quod causa prima regit res omnes per finem decoris, id est cum summo et extremo decore, ita quod D pulchrius regi non possent. Hinc Augustinus tertio de Trinitate disseruit : Nihil in hoc mundo visibiliter ac sensibiliter agitur, quod non de interiori, invisibili ac intelligibili aula summi Imperatoris jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum sive pœnarum, gratiarum ac retributionum, in ista totius creaturæ amplissima et quasi immensa republica. De ordineque regiminis omnium creaturarum a Creatore, in eodem asserit libro : Quemadmodum corpora grossiora et inferiora, per subtiliora ac potentiora ordine quodam reguntur ; ita omnia corpora per spiritum vitæ, ac spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, spiritusque vitæ rationalis desertor atque peccator, per spiritum vitæ rationalem pium et justum, et ille per Spiritum increatum.

Hoc, quidquid est, quo condita manent atque agitantur, id est, « quidquid » sit « hoc » primum ens ac primum principium, cujus influentia, virtute ac ordine perseverant ac moventur cuncta creata, *usitato cunctis vocabulo Deum nomino :* quia ad rationem Dei potissime pertinent summa et universalis causalitas ac paterna provisio.

— *Tum illa,* utpute Philosophia (ex hoc patet, quod verba præhabita ex persona dicuntur Boetii) : *Quum hæc (inquit) ita sentias, parvam mihi restare operam puto,* id est, æstimo mihi superesse modicum laborem, *ut felicitatis compos, patriam sospes revisas,* id est, « ut » tu « compos felicitatis », id est potens felicitatem mereri atque recipere, « revisas », id est, frequenter per contemplationem videas, « sospes », id est mente incolumis, « patriam », id est beatitudinis mansionem : quam Plato vocat sidereum thronum contuberniumque stellarum, nos autem cœlum empyreum, de quo Plato nil scivisse putatur, nisi forsan inde intelligatur quod loquitur in Phædone : Terra sincera in sincero jacet cœlo, purpureo et admirando nitore auriformis, quæ est spirituum spectaculum beatorum. Et miror unde viro illi hæc loqui.

Sed quæ proposuimus, intueamur, id est, inspiciamus quæ proposuimus ante. *Nonne in beatitudine sufficientiam numeravimus,* id est, inter ea quæ ad beatitudinem spectant, computavimus sufficientiam Cf. p. 357 D et s. ipsam, *Deumque beatitudinem ipsam esse consensimus,* id est, concorditer judicavimus ? Cf. p. 392 C. — *Ita quidem,* id est, certe sic est, dico ego Boetius. Ad quod Philosophia : *Et ad mundum igitur (inquit) regendum,*

nullis extrinsecus adminiculis indigebit, id est, ex hoc sequitur, quod Deus summe beatus non indigebit, nec unquam indiguit, extrinsecis auxiliis ad gubernandum hunc mundum. *Alioqui, si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit,* imo nec omnipotentiam, neque perfectionem simpliciter infinitam. — *Id, inquam, ita est necessarium,* id est, ego Boetius dico, hoc necessario sequi.

Ex hoc Philosophia concludit : *Per se igitur solum cuncta disponit,* id est, ipse Deus solus personaliter omnia intra se disponit et ordinat fontaliter in sua sapientia, invariabiliter ab æterno, nec dispositio illa aliud est quam ejus essentia. — *Negari, inquam, non potest.* Ad quod Philosophia subjungit : *Atqui,* id est certe, *Deus ipsum bonum esse monstratus est,* id est, demonstratum probavimus, quod Deus sit essentialiter summum bonum. — *Memini, inquam,* id est, ego Boetius recordor hoc esse probatum.

Cf. p. 392 B.

Ad quod Philosophia : *Per bonum igitur cuncta disponit,* id est, Deus universa instituit et ordinavit per propriam bonitatem, ex qua etiam fuit inductus ad mundi productionem : *siquidem per se regit omnia, quem bonum esse consensimus*. Et hic est veluti quidam clavus atque gubernaculum :* id est, ipsa Dei bonitas est firmissima causa extrinseca effectiva partes mundi invicem sibi connectens, quemadmodum clavus conjungit duo ligna ; est etiam « gubernaculum », id est rectrix mundi et moderatrix consistentiæ rerum, sicut nauta rector est navis ; *quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur,* quantum ad partes ejus principales, et quoad species rerum. De hoc supra allegata sunt multa, quemadmodum voluntas Omnipotentis causa est conservationis rerum : quæ voluntas est bonitas ejus.

* *concessimus*

Cf. p. 53 C' et s., 277 C' et s., 367 B et s., etc.

Ad quod Boetius : *Vehementer assentior, inquam ; et id te paulo ante dicturam tenui,* hoc est, « tenui », id est, sensi et cogitavi, « paulo ante, te » esse « dicturam » istud, *licet suspicione protraxi*,* id est,

* *tenui licet suspicione, prospexi*

A quamvis distuli istud proferre, ex incerta existimatione, quia non eram certus quod diceres ista. — *Credo, inquit,* id est, Philosophia respondit, « Credo » quod verum dicas. *Jam enim, ut arbitror, vigilantius ad cernenda vera oculos deducis :* hoc est, « deducis », id est dirigis, « oculos » interiores « vigilantius » solito « ad vera cernenda », id est ad contemplandum quæ vera sunt ; jam enim tristitiæ magnitudo est mitigata in te. *Sed quod dicam, non minus ad contuendum patet :* id est, istud quod B modo subjungam, « non minus patet », id est, clarum et evidens est, « ad contuendum », id est ad intelligendum. — *Quid, inquam,* est hoc ?

Ad quod Philosophia : *Quum Deus, inquit, omnia bonitatis clavo gubernare jure credatur :* hoc est, « quum Deus credatur jure », id est rationabiliter, « gubernare omnia clavo », id est potestate, « bonitatis » suæ immensæ, universa ordinate jungentis ; *eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent,* id C est, « omnia » ista creata « festinent ad bonum », id est ad aliquam summi boni participationem, « intentione », id est inclinatione, « naturali », sicut sæpe expositum est. *Num dubitari potest* (id est, rationabiliter non potest ab aliquo dubitari) *quin voluntarie regantur,* voluntate Dei regentis, qui voluntate cuncta creavit? « Voluntarie » quoque, id est convenienter et juxta naturalem entium inclinationem, quoniam Deus regendo dirigit creata ad naturales fines eorum, ad quos tendere, D est ipsis quasi delectabile ac suave, juxta illud Sapientis sæpius allegatum : Disponit omnia suaviter. Ideo subditur : *seque ad disponentis nutum, veluti convenientia contemperataque rectori, sponte convertant :* id est, naturaliter tendant ad suos fines « ad nutum disponentis », id est ad imperium summi dispositoris, « veluti convenientia », id est consentanea, et « contemperata », id est per imitationem proportionata et conformata, « rectori », id est voluntati rectoris altissimi, cujus vo-

Cf. p. 411 A'.

Sap. VIII, 1.

Cf. p. 122 C', 304 C', 308 C, 367 C.

luntati atque imperio per obedientialem A potentiam omne creatum obedit. — *Ita, inquam* ego Boetius, *necesse est.*

Ad quod subditur alia ratio : nam aliter regnum istud esset violentum ac miserum. *Nec beatum regimen esse videretur,* id est, gubernatio ista passiva non esset prospera et salubris, seu rerum conservativa, *si quidem,* id est certe, *detrectantium jugum foret,* id est, si esset onus et servitus violenta « detrectantium », id est rerum repugnantium, *non obtemperantium salus,* id est non conservativum rerum ob- B temperantium. *Nihil est igitur, quod naturam servans,* id est, naturaliter se habens naturalemque entium ordinem servans, *Deo contraire,* id est resistere Creatori, *conetur.* Ideo, secundum Damascenum et Tullium, virtus est habitus rationi consentaneus, in modum naturæ operans. Peccatum vero est recessus ab eo quod est secundum naturam. — *Nihil, inquam.*

Consequenter sequitur ad idem probandum tertia ratio. Nam regimen rerum non est frustra : quod tamen esset, nisi volunta- C rium foret, quoniam creata resistendo Creatori nihil proficerent. *Quid, si conetur? ait :* id est, Philosophia dicit : « Quid » continget, « si » creatura « conetur » Deo resistere ? *Num tandem proficiet quidquam,* id est, numquid aliquando inde commodum reportabit aut prævalebit, *adversus eum, quem jure beatitudinis potentissimum esse concessimus,* id est, contra Deum, « quem concessimus esse potentissimum jure », id est ratione et privilegio, « beatitudinis » suæ fontalis ac infinitæ ? D — *Prorsus* (*inquam* ego Boetius) *nihil valeret.* Ad beatitudinem namque spectat ac requiritur activa potentia cui nihil queat nocere. Ergo ad summam ac infinitam beatitudinem pertinet summa et infinita potestas, quæ omnem adversariam potestatem potest solo nutu annihilare,
II *Mach.* VIII, 18. juxta illud secundi Machabæorum : Nos in omnipotenti Deo confidimus, qui potens est totum mundum uno nutu delere.

Præterea advertendum, quod creatura dicitur Deo resistere dupliciter. Primo, de jure : et sic nulla ei resistit, neque resistere valet, juxta illud in libro Esther : Domine Deus, rex omnipotens, in ditione *Esther* XIII, 9.
tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati. Secundo, de facto : et sic omnes qui inobedientes sunt Deo, ei resistunt. De quibus Job ait : Ipsi *Job* XXIV, 13.
fuerunt rebelles lumini. Attamen nulla creatura potest Omnipotenti resistere per efficaciam, sed solum in quantum ille dignatur permittere. Hinc infert Philosophia : *Non est igitur aliquid quod summo huic bono vel velit vel possit obsistere.* Planum quod nihil possit summo bono resistere aliqua legitima auctoritate, neque efficaci voluntate, neque de jure, ut dictum est. Damnati tamen et in vitiis obstinati, quantum in ipsis est, vellent se posse illi resistere omni modo : nec tamen volunt hoc, nec velle possunt, apprehenso Deo sub ratione boni, sed ut est eorum pessimæ voluntati contrarius. — *Non (inquam) arbitror,* id est, ego Boetius non puto aliquid tale esse.

— *Est igitur, inquit, summum bonum, quod regit cuncta fortiter, suaviterque* *Sap.* VIII, 1.
disponit. Ista Philosophiæ conclusio frequenter jam patuit. Summum etenim bonum, quod Deus est, omnia regit omnipotenter, et cuncta disponit « suaviter », id est secundum naturales eorum inclinationes, quas indidit eis. Istud ex libro Sapientiæ allegatum est sæpe.

— *Tum ego : Quam (inquam) me non modo ea quæ conclusa est, summa rationum, verum multo magis hæc ipsa verba quibus uteris, delectant!* id est, ego Boetius dico : « Non modo », id est non solum, « ea summa rationum », id est plenitudo ista argumentationum tuarum, « quæ conclusa est », id est rite illata, delectat me, « verum », id est sed, « verba hæc quibus uteris, me delectant multo magis », non propter se, in quantum sunt verba ornata, sed propter salubrem effectum quem faciunt. Unde subjungitur : *ut tandem aliquando stultitiam magna lacerantem* sui * *latrantem*

pudeat : id est, quatenus « stultitiam », id est homines stultos divinam providentiam ac gubernationem negantes, « lacerantem magna », id est, corrumpentem quantum in se est præclarissima testimonia Scripturarum quibus probatur providentia ac regimen Dei. De quibus fertur in Psalmo : Dixerunt, Quomodo scit Deus? et, Si est scientia in Excelso? Quæ testimonia allegata sunt sæpius ante. Stultitiam ergo « pudeat sui », id est, salubrem erubescentiam habeat de suis erroribus.

Ps. LXXII, 11.

Cf. p. 59 A', 120 B, 278 D' et s., 306 B.

A

Consequenter Philosophia persuadet ex superabundanti, et (quasi ironice) ex fabulis poetarum, nullum posse Deo resistere.

B

Accepisti (inquit) in fabulis, id est, Philosophia ait, O Boeti, « accepisti », id est, audisti et intellexisti, ex scriptis poetarum, Ovidii, Virgilii, etc., fabulosis et fictis, in quibus tamen est aliquid veri, præsertim secundum mysticum intellectum, *lacessentes cœlum gigantes,* id est, quemadmodum olim gigantes conabantur deos cœlestes infestare, ponendo montem unum super alium, quatenus ascenderent sic in cœlum; sed nil profecerunt, quia a Jove fulminati fuerunt. Huicque simile aliquid recitatur in Genesi, quemadmodum posteri Adæ post diluvium construxerunt turrim, cujus summitas pertingeret usque ad cœlum : non tamen ut deos infestarent, sed ut memoriam sui in terra relinquerent, atque si rursus inundaret diluvium, vitarent periculum. Impeditumque fuit opus eorum, multiplicatis ibi idiomatibus. Spiritualiter vero gigantes isti, sunt ambitiosi, superbi, Deo rebelles. Quorum unicuique Dominus loquitur in Abdia propheta : Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te. Job quoque ait : Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Hinc sequitur : *sed illos quoque, uti condignum fuit, benigna fortitudo disposuit* * *:* hoc est, « fortitudo benigna », id est omnipotentia Dei piissima, quæ punit citra condignum, et remunerat ultra debitum, « disposuit », id est tractavit, « illos » gigantes, sicut « condignum fuit », id est, prout meruerunt, sic tamen quod miserationes ejus fuerunt super omnia opera ejus.

C

D

Gen. XI, 1-9.

Abd. 4.

Job XX, 6, 7.

* *deposuit*

Ps. CXLIV, 9.

Hucusque in hac prosa Philosophia tractavit de bono, et illud descripsit. Deinde tractat de malo culpæ, ut ostendat quod formaliter nihil sit, quum non sit effective a Deo, a quo efficienter omne bonum procedit.

Sed visne, id est, utrum vis, quod *rationes ipsas invicem collidamus,* id est, unam ad aliam concutiamus, eas mutuo comparando? *Forsitan ex hujusmodi conflictatione, pulchra quædam veritatis scintilla dissiliet :* hoc est, « scintilla quædam pulchra » (id est aliqua clara notitia) « veritatis forsitan dissiliet », id est resplendebit, « ex hujusmodi conflictatione », id est tali collisione rationum istarum. Sicque Philosophia hic metaphorice loquitur : quoniam sicut ex collisione silicis ad chalybem egreditur ignis, sic ex mutua exercitatione disputantium, nova generatur notitia, aut præcedens augetur. — *Tuo (inquam) arbitratu,* id est, ego Boetius dico, Fiat hoc juxta tui ipsius arbitrium seu judicium.

— *Deum (inquit) esse omnium potentem nemo dubitaverit :* id est, nemo dubius esse debet quin Deus sit vere omnipotens, ita quod potest omne illud cui entis ratio non repugnat, utputa quod non implicat contradictionem; per se ipsum etiam immediate facere potest quidquid suæ potestati dignissimæ et immensæ non derogat et decet eamdem, videlicet quæ posse non est infirmitatis aut pravitatis : prout hoc in primo Sententiarum, distinctione quadragesima secunda, Magister in textu atque doctores in suis commentariis declarant. — *Qui quidem, inquam, mente consistat, nullus prorsus ignorat* *, id est, nemo hoc nescit, qui sanæ ac eruditæ est mentis.

A et s.

Cf. t. XX, p. 558 B et s.

* *ambigat*

Ad quod Philosophia : *Qui vero est (inquit) omnium potens, nihil est quod ille*

non possit. — *Nihil, inquam,* id est, ego A Boetius dico, quod nihil est quod non possit. Ideo angelus dixit ad beatissimam Virginem : Non erit impossibile apud Deum omne verbum. (Luc. i, 37) In Jeremia quoque habetur : Domine Deus, non erit tibi difficile omne verbum. (Jer. xxxii, 17) Hinc Deus excelsus et gloriosus majora et plura potest efficere, quam mens creata queat concipere. Imo nec potest in tot et tanta assignata, quin possit in infinities plura atque majora : quod tamen sane intelligendum est. Potentia etenim Dei est penitus infinita, qui B solo imperio omnia valet, juxta illud Sapientiæ : Subest tibi, quum volueris, posse. (Sap. xii, 18)

— *Num igitur,* id est numquid, *Deus facere malum potest?* — *Minime, inquam,* id est, ego Boetius dico quod non.

Multiplex est bonum, et consimiliter malum, quia quot modis unum oppositorum, tot modis dicitur reliquum. Est itaque bonum naturæ, bonum gratiæ, bonum gloriæ, bonum fortunæ, bonum Ecclesiæ, bonum naturale, bonum supernaturale, bo- C num corporale, bonum spirituale. Sed pro præsenti sufficit distinguere duplex malum, utputa malum pœnæ et malum culpæ. Malum pœnæ, seu malum pœnale (quod sic est malum pœnæ, quod non est etiam malum culpæ), est ens positivum, quamvis sit afflictivum, ut pœna ignis, etc. Et hoc malum est a Deo, et Deus facit et infert illud, juxta illud Isaiæ : Ego Dominus formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. (Is. xlv, 6, 7) Unde et Amos ait : Si erit malum in civitate D quod Dominus non fecit. (Amos iii, 6) Et apud Jonam : Misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. (Jonæ iii, 10)

Aliud est malum culpæ : de quo in Psalmo, Quoniam declinaverunt in te mala; (Ps. xx, 12) et alibi, Deus eorum odit iniquitatem; (Judith v, 21) ac tertio Regum, Venundatus es ut faceres malum coram Domino. (III Reg. xxi, 20) Hoc malum quantum ad suum formale, non est nisi privatio boni : quemadmodum tenebræ seu caligo non est quid positivum, sed tantum lucis privatio. Et ita hoc malum quantum ad suum formale, non est ens positivum, reale, et extra animam, sed aversio mentis a Deo; atque ut loquitur Augustinus, malum culpæ, id est peccatum, non est nisi corruptio modi et speciei ac ordinis : quod Alexander super primum et secundum Sententiarum prolixe exponit. (Cf. t. XIX, p. 242 D et s.) Sic quoque malum culpæ non est a Deo, sed a voluntate creata, in quantum ex nihilo est et defectuosa, ac libera : sic quippe ex se ipsa non habet nisi deficere, peccare ac labi. Horum exemplum est in homicidio et adulterio : qui actus quantum ad suum esse reale, non differunt specie a justa occisione iniqui, et conjugali concubitu, sed quantum ad esse morale; quoniam homicidium et adulterium procedunt a voluntate injusta, interfectio autem latronis ac legitimus concubitus, a voluntate sunt justa.

— *Malum igitur, inquit* Philosophia, *nihil est, quum id facere ille non possit, qui nihil non potest.* Verum his objici potest, quod utique adulterari, furari, justum occidere, sunt actus reales, et realem habent effectum; sicque a Deo sunt : et tamen peccata sunt gravia. Et respondendum, quod quantum ad suum materiale, sunt aliquid. Sic enim adulterari, est actus naturalis generativæ potentiæ, et ita a Deo est; sed prout procedit a perversa et libidinosa voluntate, habet deformitatem et aversionem a Deo : quæ deformitas est carentia justitiæ, seu virtutis a qua actus ille deberet procedere.

Consequenter subditur admiratio Boetii super dictis Philosophiæ. *Ludisne (inquam) me,* id est, dico et quæro an me deludas, *inextricabilem labyrinthum rationibus texens,* hoc est, « texens », id est componens, « labyrinthum inextricabilem », id est involutissimam difficultatem, « rationibus », id est argumentationibus tuis? Porro labyrinthus proprie nominatur domus sphærica, in qua intus exsistens laborat, exitum quærens et invenire non valens, quia in tali domo sunt multi an-

fractus, regyrationes ac devia. Talemque domum legitur fecisse Dædalus prope Cretam, pro includendo ibidem Minotauro filio Minois. Per quam domum metaphorice designatur argumentorum complexio ita audientem involvens, ut egredi ac solvere nequeat, semper rediens ad id unde incepit. *Quo nunc quidem, qua egrediaris, introeas :* id est, nunc syllogizas per viam seu speciem in qua cessares, seu intentum finale concluderes, et tamen in eo intras, quasi de novo incipiens ; *nunc vero qua introieris, egrediare,* id est egrediaris, seu exeas. Et istud consequenter exponitur.

Admirabilem quemdam divinæ simplicitatis orbem complicas :* hoc est, « complicas », id est circumducis, « quemdam orbem », id est circulationem, « admirabilem », id est miro modo artificialem, « simplicitatis divinæ », id est simplicissimæ Deitatis, incipiendo ab uno attributo ipsius ad aliud, et inde ad tertium aut quartum, ac tandem rursus redeundo ad primum.

* *An mirabilem*

Etenim paulo ante a beatitudine incipiens, inquirendo quid esset, *eam summum bonum esse dicebas, quam in summo Deo sitam loquebare,* id est, dicebas consistere in Deo altissimo. Omnia hæc in ista ac præcedenti prosa exposita sunt, et alibi. *Ipsum quoque Deum summum esse bonum plenamque beatitudinem disserebas,* id est, diserte seu eloquenter dicebas. *Ex quo neminem beatum fore, nisi qui pariter Deus esset, quasi munusculum dabas :* id est, ex dicto illo prætacto « dabas quasi munusculum », id est, expressisti quasi amorosum beneficium Dei, seu corollarium intulisti, videlicet istud, « neminem fore beatum », præsertim in patria, « nisi qui esset pariter Deus », participative, non essentialiter, sicut expositum est. *Rursus, ipsam boni formam,* id est naturam seu essentiam summi boni, *Dei beatitudinisque loquebaris* (id est dicebas) *esse substantiam,* ita quod substantialiter idem sunt, summum bonum, Deus, ac beatitudo objectalis et increata; *ipsum-*

Cf. p. 295 D' et s. *Cf.* p. 391 B. *Cf.* p. 391 C et s. *Cf.* p. 393 D et s. *Cf.* p. 397 B.

A *que unum, id ipsum esse bonum dicebas,* id est, primum ac simplicissimum « unum » asseruisti esse idem quod summum « bonum », *quod ab omni rerum natura peteretur,* id est, finaliter appeteretur. *Deum quoque, bonitatis gubernaculis universitatem regere disputabas,* id est, probabas quod Deus cuncta gubernet directione et dispositione suæ pietatis peroptimæ, *volentiaque cuncta illi parere,* id est, quod cuncta obtemperent ac subdantur sponte seu prompta inclinatione, B *nec ullam mali esse naturam,* id est, non esse aliquid essentialiter malum, nec malum culpæ formaliter sumptum, esse aliquam positivam aut realem « naturam » seu entitatem.

Atqui hæc nullis extrinsecus sumptis, sed altero ex altero fidem trahente, insitis domesticisque probationibus explicabas :* hoc est, « atqui », id est certe, « explicabas », id est, evidenter exprimebas, « hæc » omnia « probationibus insitis », et « domesticis », id est intraneis, ad materiam C istam directe spectantibus, non extravagantibus, et « nullis » argumentis « extrinsecus sumptis », id est ab aliis rebus ab hac materia alienis.

* *Atque*

— *Tum illa : Minime (inquit) ludimus,* id est, Philosophia ait, Nullatenus te deludimus ; *remque omnium maximam, Dei munere, quem dudum deprecabamur, exegimus :* hoc est, « exegimus », id est perfecimus, « rem maximam omnium », id est rem valde magnam inter omnia in hoc libro tractata, « munere » (id est gratioso D adjutorio) « Dei, quem dudum deprecabamur » pro gratia adimplendi hæc, præsertim in illo metro : O qui perpetua, etc.

Ea est enim divinæ forma substantiæ, id est, talis est natura ac proprietas increatæ essentiæ Dei, *ut neque in externa,* id est in nullum ens extra se, *dilabatur,* id est, accidentaliter aut per inhæsionem recipiatur, quum Deus incircumscriptus invariabilisque consistat. Nihilo minus convenit Deo, imo proprium ei est, esse in omnibus, omnia conservando, ac ipsis re-

Cf. p. 405 D' et s. *Cf.* p. 421 B et s. *Cf.* p. 380 C et s.

rum essentiis illabi universaque pene- A trare, et esse rebus magis propinquum ac intimum, quam intrinseca et essentialia earum principia, prout super primum Sententiarum expressum est. Sed nulli recenter illabitur, neque in aliquo terminatur, nec variatur. *Nec in se externum aliquid ipsa suscipiat* : id est, ipsa Dei essentia nihil extraneum aut accidentale aut novum suscipit in se tanquam subjectum illius. Verumtamen Verbum æternum, Unigenitus Dei, verus Deus, suscepit et assumpsit ad se veram humanitatem in B unitatem personæ, absque omni suæ deitatis variatione, ut tertio Sententiarum docetur. *Sed sicut de ea Parmenides* philosophus *ait* : Πάντοθεν ἐν κύκλοισι φέρεις ἐναλίγκιον ὄγκον, hoc est, Undique in circulis ducis similem acervum : id est, Deus in se immobilis, circumvolvit omnes res mobiles. Vel verba illa sic exponuntur : Omnia videt et audit forma deitatis immobilis ; aut sic : Orbem rerum mobilem movet, dum se immobilem ipsa conservat.

Cf. t. XX, p. [illegible] C et s.

Cf. t. XXIII, p. 31 A et s., 77 C et s.

Quod si (pro quia) *agitavimus quoque*, id est, proposuimus et movimus, *rationes*, id est considerationes et probationes, *non extra petitas*, id est non aliunde mendicatas aut sumptas, *sed collocatas*, id est virtualiter contentas, *intra ambitum rei quam tractabamus*, id est infra limites hujus scientiæ, utputa rationes metaphysicas et theologicas ; *nihil est quod admirere*, id est, quod merito admireris, *quum Platone sanciente didiceris*, id est, quum instructus sis, « Platone sanciente », id est, dictante ac confirmante, *cognatos, de quibus loquuntur* * *rebus, oportere esse sermones*, id est, ipsos « sermones » doctrinales ac probativos « oportere esse cognatos », id est proportionatos, conformes ac consonos, « rebus de quibus loquuntur », id est, tractant, pronuntiantur seu proferuntur. Unde et S. Hilarius libro de Trinitate testatur : Non res sermoni, sed sermo rei debet esse subjectus. Plato quoque in Phædone notabiliter protestatur : Miserabile est, si quis in sermonum scientiis vitam exigat, et entium veritate scien- C tiaque privetur. Quod testimonium contra sophistas et Nominales militat clare.

* loquimur

METRUM XII

Felix, qui potuit boni
Fontem visere lucidum ;
Felix, qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.
Quondam funera conjugis
Vates Threicius gemens,
Postquam flebilibus modis
Silvas currere mobiles,
Amnes stare coegerat,
Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec visum timuit lepus
Jam cantu placidum canem ;
Quum flagrantior intima
Fervor pectoris ureret,
Nec qui cuncta subegerant,
Mulcerent dominum modi,
Immites superos querens,
Infernas adiit domos.
Illic blanda sonantibus
Chordis carmina, temperans
Quidquid præcipuis deæ
Matris fontibus hauserat,
Quod luctus dabat impotens,
Quod luctum geminans amor,
Deflet, Tænara commovens ;
Et dulci veniam prece
Umbrarum dominos rogat.

Stupet tergeminus novo
Captus carmine janitor;
Quæ sontes agitant metu,
Ultrices scelerum deæ,
Jam mœstæ lacrimis madent;
Non Ixionium caput
Velox præcipitat rota,
Et longa site perditus
Spernit flumina Tantalus;
Vultur dum satur est modis,
Non traxit Tityi jecur.
Tandem, Vincimur, arbiter
Umbrarum miserans ait;
Donamus comitem viro,
Emptam carmine conjugem.
Sed lex dona coerceat:
Ne, dum tartara liquerit,
Fas sit lumina flectere.
Quis legem det amantibus?
Major lex amor est sibi.
Heu! noctis prope terminos
Orpheus Eurydicen suam
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc fabula respicit,
Quicumque in superum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit,
Perdit dum videt inferos.

ARTICULUS XXXIII

ELUCIDATIO METRI HUJUS DUODECIMI.

In fine prosæ præcedentis fassa est Philosophia sese magnum aliquid Dei auxilio peregisse, utputa ostendisse quid sit vera et summa beatitudo, et in quo consistat. Nunc in hujus metri exordio beatificat eos qui pervenerunt ad eam, in hac vita, per spem et inchoationem ac meritum, seu in futura vita, per ejus realem adeptionem. Itaque ait: A

Felix, qui potuit potentia efficaci, ad effectum perducta, *visere,* id est ferventer vel frequenter aut potius indesinenter videre, *fontem lucidum boni,* id est Deum, B qui est superpurissimus et supersplendidissimus fons universorum bonorum: de quo in Genesi Jacob ait ad Esau, Suscipe benedictionem servi tui, quam dedit mihi Dominus tribuens omnia; et Psalmista, Apud te est fons vitæ. Hunc fontem debemus nunc contemplari per fidem illuminatam rationibus credendorum, atque per sapientiæ donum, excitante et impellente nos divino amore, sicut ait Apostolus: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. Juxta hunc sensum subjungitur: *Felix qui potuit solvere,* id est dissolvere, vincere et vitare, *vincula,* id est inordinatas et pravas affectiones, *terræ gravis,* id est terrenarum rerum et opum, agrorum, bladorum, vinearum, auri, gemmarum, et consimilium: hoc est, qui avaritiam prorsus fugavit. De quo gravi ac gravante peccato sæpissime dictum est.

(Gen. xxxiii, 11. — Ps. xxxv, 10. — II Cor. iii, 18. — Cf. p. 186 A et s., 226 B et s., 246 B' et s., etc.)

Consequenter ad horum confirmationem recitat Philosophia fabulosam historiam ex poetis acceptam, de planctu Orphei, qui ex immoderato uxoris amore incidit grave damnum intolerabilemque mœrorem. Primo ergo exponendum est metrum hoc juxta superficiem litteræ, deinde mystice: nam et propter mysticum intellectum Philosophia hanc fabulam introducit. Ait ergo:

Vates, id est citharœdus Orpheus, vatum

sapientiæ æmulator, prout in primo fertur A Timæi de vatibus Ægypti qui in Heliopoli Memphique fuerunt. *Threicius*, id est regione Thraciæ oriundus, atque Apollinis filius, *gemens*, id est, cum gemitu deflens, *quondam funera*, id est obitum, *conjugis* suæ, nomine Eurydices. Quæ vagando per prata, oppressa fuit et cognita ab Aristæo pastore : quo facto, ipsa fugiens calcavit serpentem, cujus veneno interiit, et ad inferos est deducta. Porro vir ejus graviter dolens, composuit de ea carmina, decantans illa suaviter in cithara pro sua refo- B cillatione : cujus melodiæ dulcedine sequebantur eum quærentem conjugem suam per silvas animata et inanimata. Hinc sequitur :

Postquam Orpheus *coegerat* (id est vi suæ modulationis fecerat) *currere* post se *silvas mobiles*, id est mobiles factas per suam symphoniam, *flebilibus modis*, id est mœstis concentibus, ita quod etiam ad compassionem movebantur : quemadmodum in Evangelio legitur, quod in domo Jairi archisynagogi, cujus filia erat defun- C

Matth. IX, 23. cta, erant tibicines, id est lugubre carmen canentes. Diversæ etenim melodiæ diversas generant affectiones in audientium corde : quædam jucunditatem, quædam compassionem et luctum ; quædam audaciam, sicut in bellis : unde secundo Ma-

II *Mach.* XV, 25. chabæorum libro legitur, quod Nicanor et sui cum tubis et canticis accesserunt ad bellum. Coegerat etiam *amnes*, id est fluvios, quorum natura est currere, *stare*. Et *cerva*, ex sua natura ad formidinem prona, *junxit*, id est applicuit, *latus intrepidum*, D id est latus suum sine metu, *leonibus sævis*, id est crudelibus : quorum rugitu tanto pavore concutitur cerva quod figat gradum ; *nec lepus*, qui est animal valde formidolosum, quoniam juxta mensuram corporis sui habet cor magnum et frigidum, sicut leo parvum et calidum, *timuit canem visum jam placidum*, id est mitem, *cantu* Orphei, quemadmodum cerva vidit leonem carmine illo lenitum.

Quum fervor carnalis amoris, *flagrantior*, id est valde ardens, *ureret*, id est, valde inflammaret, *intima pectoris* ipsius Orphei, cujus amor erat quasi amor eros *, id est omnino prædominans, *nec modi* isti cantandi, *qui cuncta subegerant*, id est, devicerant omnia jam prædicta, immutando ea ad illa quæ erant eorum naturis contraria, *mulcerent*, id est, ad levitatem et consolationem converterent, *dominum*, id est ipsum Orpheum cantus illius auctorem ; *querens* ipse Orpheus *superos* deos esse *immites*, id est inclementes, *adiit domos infernas*, id est infernales, ut ab illis recuperaret suam uxorem.

* ἔρως

Illic temperans, id est, moderate disponens, *carmina blanda*, id est dulcia, quæ ibi cantavit *chordis*, id est fidibus citharæ suæ, *sonantibus* attractive, *quidquid hauserat*, id est, nascendo acceperat, *fontibus* (id est doctrinis) *præcipuis deæ matris* Calliopes, ex qua Apollo generavit Orpheum, *deflet quod luctus impotens*, id est mœror seu planctus corpus debilitans, *dabat*, id est, suggessit, instigavit seu movit deflere ac dicere in plorando, et item *quod amor geminans* (id est duplicans) *luctum*, suggerebat deplangere : nempe quo amor est major, eo vehementior ex ipso oritur dolor, et ex dolore consequens planctus. Omnes autem animæ affectiones ex amore nascuntur, secundum Augustinum libro LXXXIII Quæstionum. Orpheus igitur deflet uxorem, *commovens*, id est, ad compatiendum et exaudiendum provocans, *Tænara*, id est deos infernales minus crudeles ; vel, « commovens », id est, cum grandi commotione doloris decantans, « Tænara », id est lamentabilia seu lugubria carmina jam prætacta, qualia sunt et threni (id est lamentationes) Jeremiæ ; *et rogat dominos umbrarum*, id est deos infernalium tenebrarum seu animarum, *veniam* pro uxore, ut ei ignoscatur, et gratiam ut sibi reddatur, *dulci prece*, puta cum cantu suavique melodia.

Janitor inferni, videlicet Cerberus, *tergeminus*, id est tria canina capita habens, *stupet*, id est, valde miratur ex

insolita melodia Orphei, *captus,* id est A victus, *novo carmine* illo, videlicet, ad misericordiam flexus, proponens reddere Orpheo conjugem. *Deæ* infernales *quæ agitant metu sontes,* id est, animas reas terrore concutiunt, utpote *ultrices scelerum* animarum iniquarum, *mœstæ jam,* id est ad tristitiam compassionis motæ ex carmine, *madent lacrimis,* id est, copiose plorant.

Circa hæc commemorandum, quod juxta figmenta et fabulas poetarum, tres filii Saturni, utputa Jupiter, Neptunus, Pluto, B mundum sic inter se diviserunt, quod Jupiter habuit cœlum, Neptunus aquam, Pluto infernum. Atque ut singuli in regno fratrum aliquid potestatis viderentur habere, aliquid triplicis tenuerunt, ita quod Jupiter gerit trifidum fulmen, Neptunus tridentem, Pluto Cerberum, qui tria capita canina fertur habere : propter quod « tergeminus », id est triplex genitus, appellatur.

Consequenter Philosophia prosequitur fabulam istam. Ordo et sensus verborum C est : *Rota velox non præcipitat,* id est, non circumagitat, *caput Ixionium,* id est Ixionis. Qui Ixion, secundum fabulas, in infernum est detrusus, quia Junonem uxorem Jovis sollicitavit ad stuprum secum : propter quod in inferno affixus est rotæ cum capite, ut simul cum ea jugiter circumvolvatur. *Et spernit flumina Tantalus,* id est gigas ille, *longa site perditus,* id est punitus et damnatus, quia deorum volens divinitatem probare, filium eis proposuit ad epulandum : propter quod D siti et fame tartarea est punitus. *Vultur* quoque *dum satur est,* id est satiatus cantilena Orphei, *non traxit,* neque corrosit, *Tityi jecur.* Tityus, juxta fabulas, fuit miles, qui vendito patrimonio suo, cum auro inde suscepto conatus est pervenire ad concubitum Latonæ matris Dianæ. Propter quod a Diana et fratre ejus Apolline sagittatus interiit; et in inferno inter duos vultures est situs, a quibus jecur ejus corroditur, et laniatum ad pœnas assidue renovatur : quia in jecore ponitur concupiscentiæ sedes, sicut in splene est sedes risus, et in felle sedes est iræ. Est igitur sensus, quod ex dulcedine cantus Orphei, horum tormenta ad horam cessabant.

Arbiter, id est judex, *umbrarum,* id est damnatarum animarum, *tandem miserans* dolori Orphei, *ait* ad deos infernales : *Vincimur* suavitate carminis hujus, et contra morem nostrum emollimur; *donamus viro,* id est huic Orpheo, *conjugem* suam *emptam* (id est jam quasi « emptam », id est redemptam de manu nostra) *carmine* sui mariti, *comitem,* id est sociam itineris in redeundo. *Sed lex,* id est pactum seu conditio, *coerceat,* id est moderetur, *dona,* id est hanc largam donationem; *ne fas* (id est licitum) *sit* Orpheo *flectere lumina,* id est oculos retrorsum convertere, *dum,* id est quousque, *liquerit,* id est reliquerit, *tartara,* id est, fines tartarorum exierit, quia si antea retrospexerit, uxorem denuo perdet : sicut et contigit. Propter quod subditur :

Quis legem det amantibus? id est, quis poterit legem seu jussionem coercitivam præfigere his qui vehementer se amant? Quasi dicat : Hoc difficile est, et vix fieri potest quod lex talis servetur : quia ut S. Bernardus libro de Amando Deum, ac alibi, Hugo quoque super Angelicam hierarchiam, testantur, fervens amor rationem non audit, nec communi lege restringitur, sed impetu suo fertur, nec valet quiescere quousque jungatur dilecto. Ideo additur : *Amor est sibi,* id est sibi ipsi seu ipsis amantibus, *lex major,* id est quasi præceptum potissimum, ita quod suæ obedit et acquiescit impulsioni. Hinc secundum Augustinum libro de Civitate, amores et inclinationes rerum sunt quasi pondera earumdem. Ideo, sicut gravia suo pondere moventur deorsum, et tanto intensius atque celerius, quo majus est pondus eorum; sic amantes suo ardore moventur in amatum. Hinc in Canticis inducitur : Aquæ multæ non poterunt ex- *Cant.* VIII, 7, 6.
stinguere caritatem, neque flumina obru-

ent illam : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. *Heu! Orpheus vidit*, id est, retrospexit, inspexit, *perdidit* et *occidit*, id est, damnationi restituit, *Eurydicen suam*, id est conjugem suam sic dictam, ad quam præ nimio amore visum suum retorsit, ipsa eum sequente, *prope terminos noctis*, id est juxta et infra fines inferni : propter quod mox uxor relapsa est in infernum, cujus damnatio est mors æternalis miseriæ.

Consequenter tangit Philosophia, quod fabulam istam induxit ac retulit propter mysticum sensum, quia ad litteram recitatio ista ridiculosa irrationabilisque consistit. Sensus est :

Hæc fabula respicit vos, id est, pertinet ad vestram informationem atque salutem, quoad spiritualem suam expositionem, *quicumque quæritis*, id est, intenditis ac nitimini, *ducere*, id est erigere, *mentem* vestram *in diem superum*, id est ad diem

Coloss. III, 1. 2. æternitatis, sicut hortatur Apostolus : Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quod fit per contemplationem fervidumque amorem summi boni ac diei æternitatis, de

Zach. XIV, 7. qua loquitur Zacharias propheta : Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox, hoc est, non dies neque nox temporales, sed dies lucis æternæ, de qua

Ps. CIX, 3. dicitur in Psalmo : Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum. Hæc dies uno modo est ipsemet Deus, quum in sermone asserat Augustinus de Christo : Magnus dies angelorum, parvus in die hominum. De quo in Hymno profert Ambrosius :

> Christe, qui lux es et dies,
> Noctis tenebras detegis.

Rursus, dies ista est lumen gloriæ ac beatifica visio, contemplatio quoque secreta, quieta ac clara, quæ est dies sine tumultu, internum silentium, illuminatio Solis justitiæ. De hujusmodi die loquitur Deus per

Malach. IV, 2, 3. Malachiam : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, in die qua ego facio. Hinc rursus in Ambrosiano hymno cantatur :

> Splendor paternæ gloriæ
> De luce lucem proferens,
> Lux lucis et fons luminis,
> Diem dies illuminans.

Nam qui victus tentationibus et peccatis, *flexerit lumina*, id est oculos cordis, *in specus tartareum*, id est antrum foveamque gehennæ teterrimam, de qua legitur in Isaia : Præparata est ab heri Is. XXX, 33.
Topheth (id est gehenna), a rege præparata, profunda et dilatata. Quæ gehenna dicitur præparata a rege, de quo ait Apostolus, Regi autem sæculorum immortali, I Tim. I, 17.
invisibili, soli Deo, honor et gloria ; atque ab heri, id est ab exordio mundi : de quo heri dicitur ad Hebræos, Christus Jesus heri et hodie, ipse et in sæcula. Hebr. XIII, 8.
Simul vero facta sunt, cœlum empyreum, paradisus terrestris, et infernus, secundum Augustini expositionem. *Quidquid præcipuum trahit*, id est cuncta pretiosa gratiæ ac virtutum charismata, quæ a Deo suscepit, et secum per viam hujus trahit exsilii, *perdit dum videt inferos :* quia qui peccat mortaliter, caritate et gratia gratum faciente donisque Spiritus Sancti et præcedentibus meritis suis privatur. Propter quod in Ecclesiaste Salomon protestatur : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Eccle. IX, 18.
Imo et sanctus apostolus Jacobus in sua Canonica terribiliter loquitur : Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Jacob. II, 10.

Porro ista non sunt intelligenda quasi non debeamus quotidie intueri infernum atque supplicia reproborum, quum iste intuitus revocet maxime a peccatis, et infernus ac ejus miseria unum sit de quatuor novissimis, de quibus in Deuteronomio Moyses est locutus : Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Deut. XXXII, 29.
De quibus in Ecclesiastico legitur : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis ; et rursus : Memento novissimo- Eccli. VII, 40. Ibid. XXVIII, 6.

rum tuorum, et desine inimicari. Est igitur sensus, quod non debemus oculos vertere « in specus tartareum », id est intentionem et consensum convertere ad ea quæ disponunt, ducunt ac pertrahunt ad chaos ac speluncas desolatissimi Ache- A rontis; nec videre per approbationem « infernum », id est infernalia vitia, ut sunt obstinatio et desperatio. Et ut divinus Dionysius exprimit, diabolica mala sunt, phantasia proterva, amens furor, et irrationabilis concupiscentia. *De Divin. nom.* c. IV.

ARTICULUS XXXIV

ELUCIDATIO MYSTICA EJUSDEM METRI.

JUXTA spiritualem interpretationem, per Orpheum Apollinis filium, intelligitur quilibet Christianus sapiens, virtuosus, cœlesti generatione in Baptismate regeneratus, civis Sanctorum atque domesticus Dei. *Ephes.* II, 9. Hic duxit uxorem, propriam carnem, et concupiscentiam ei innatam, ei jugiter saltem habitualiter adhærentem : quam suscepit regendam virtuosisque actibus fecundandam. Quæ uxor quum per prata amœna vagatur, a diabolo constupratur : quia dum in sensibilibus delectatur, et per exteriora pulchra irrefrenate diffunditur, contrariatur legi mentis, et homini sapienti efficitur infidelis. Quæ rediens ad se, carnis suæ lapsum deplorat, eo quod a serpente, id est spiritu immunditiæ, venenata sit, et quantum ad suum demeritum in inferno locata, sicut et quilibet vitiosus, juxta illud Baruch : *Baruch* III, 10, 11. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es, coinquinatus cum mortuis, deputatus cum descendentibus in infernum ?

Itaque homo intelligens, carmen suave componit, dulciter melodizat, hoc est, verba divinæ assumit Scripturæ, nunc de gloria Beatorum, nunc de suppliciis reproborum sermocinans : sicque carnem suam erigens de fovea vitiorum et dirigens in viam salutis, extrahit de inferno. Etenim portæ inferi, teste Hieronymo, sunt hæreses et peccata. Dii vero infernales, sunt hæresiarchæ aliorumque seductores.

B Quibus sapiens dulciter canit, efficaciter prædicando, in tantum quod ei interdum in aliquo acquiescunt, decepti quoque ab illis, relevantur, ad veritatis semitas revertendo : sic quod leones, id est animosi et feroces, mitescunt ac humiles fiunt, canes quoque, id est iracundi et calidi nimis, patientes et temperati redduntur, ita quod innocentes, pii ac simplices cum illis pacifice conversantur, ut supra magis expositum est. *Cf.* p. 309 B et s.

Præterea, dum spiritualis homo tam sa- C pienter ac dulciter evangelizat, quod homines bestiales et ad salutaria insensibiles ac spiritualiter mortui convertuntur per ipsum; tunc bruta et inanimata sequuntur Orpheum : qui pertingit ad inferi portas, dum vitia tangit, expugnat ac demolitur. Verumtamen, quantumlibet alios consoletur ac instruat, se ipsum plene consolari non valet : quia et ipse infirmitate circumdatus, *Hebr.* V, 2. septies cadit in die ; *Prov.* XXIV, 16. neque a fomite et concupiscentia se expurgare potest perfecte, sicut fatebatur D Apostolus, Video (inquiens) aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Rom.* VII, 23.

Deinceps homo iste suam recipit conjugem, id est carnem, hoc pacto, ut quamdiu est infra terminos tartari, non respiciat eam, id est, ejus concupiscentiis nequaquam consentiat. Terminus autem tartari, est mundus iste inferior, sublunaris et ele-

mentaris : in quo vitia regnant, abundat iniquitas, atque aeriæ volitant potestates, innumerabiles spiritus prorsus maligni. Idcirco, quamdiu sumus in sæculo isto, *Habac.* II, 1. oportet nos stare super custodiam nostram, *Galat.* v, 24. carnemque nostram crucifigere cum vitiis et concupiscentiis suis, quia ut ait *Rom.* VIII, 13. Apostolus, si secundum carnem vixerimus, moriemur ; quoniam sic vivendo, morimur quotidie morte culpæ, deinde A morituri morte infernalis miseriæ, de qua in Apocalypsi habetur : Pars iniquorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda. *Apoc.* XXI, 8. Porro qui carnem suam carnaliter amat et inspicit, eam amittit, quoniam in servitutem cadit diaboli, ruitura tandem in profundum inferni. Oportet ergo omnem nostrum amorem, discretionis lumine gubernari, et appetitivas vires, rationis rectæ judicio dirigi.

ENARRATIONES IN LIBRUM IV

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

ENARRATIONES IN LIBRUM IV

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

PROSA PRIMA

HÆC quum Philosophia, dignitate vultus et oris gravitate servata, leniter suaviterque cecinisset; tum ego nondum penitus insiti mœroris oblitus, intentionem dicere adhuc aliquid parantis abrupi, et, O (inquam) veri prævia luminis, quæ usque adhuc tua fudit oratio, tum sui speculatione, divina, tum tuis rationibus, invicta patuerunt; eaque mihi, etsi ob injuriæ dolorem nuper oblita, non tamen antehac prorsus ignorata, dixisti. Sed ea ipsa est vel maxima nostri causa mœroris, quod quum rerum bonus rector exsistat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Quod solum quanta dignum sit admiratione, profecto consideras. At huic aliud majus adjungitur. Nam imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum, supplicia luit : quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri.

— Tum illa : Et esset (inquit) infiniti stuporis, omnibusque horribilius monstris, si (uti tu existimas) in tanti veluti patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent; sed non ita est. Nam si ea quæ paulo ante conclusa sunt, inconvulsa servantur, ipso (de cujus nunc regno loquimur) auctore, cognosces : semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper atque imbecilles; nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes; bonis felicia, malis semper infortunata contingere; multaque id genus, quæ sopitis querelis, firma te soliditate corroborent. Et quoniam veræ formam beatitudinis, me dudum monstrante, vidisti, quo etiam sita sit agnovisti; decursis omnibus quæ præmittere necessarium puto, viam tibi quæ te domum revehat, ostendam. Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam, ut perturbatione depulsa, sospes in patriam, meo ductu, mea semita, meis etiam vehiculis revertaris.

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS PRIMÆ.

QUEMADMODUM dictum est jam frequenter, tota voluminis hujus materia est consolatio ipsius Boetii: consolatio, inquam, activa, qua eum consolatur ac docet Philosophia; consolatio quoque passiva, quam Boetius a Philosophia recipit ac sortitur. Et ipse liber διάλογος est, hoc est dialogus inter Philosophiam atque Boetium, vel potius quasi dialogus, quoniam idem vir est, qui in persona Philosophiæ active consolatur ac instruit, et in persona afflicti ac desolati consolationem informationemque suscipit.

A

Denique in primo libro Philosophia causas doloris Boetii diligenter scrutata est; in secundo autem adhibuit ei ut ægro faciliora remedia; in tertio autem efficaciora et magis sublimia, disputando et declarando in quibus beatitudo videatur multis consistere, quum ita non sit, et item in quo vere sit: imo et quid sit, ac qualiter pertingatur ad ipsam. Nunc in hoc quarto libro removet a mente Boetii quidquid in ea adhuc residet de sua pristina indispositione, inquietudine, dubietate et involutione, ostendendo totum universum, præsertim genus humanum, a creatore suo Deo omnipotente, justo, sancto ac supersapientissimo ordinate et optime gubernari, nec quidquam finaliter inordinatum relinqui, nec tamen a providentia Dei necessitatem actibus humanis inferri. Et hæc est materia hujus libri quarti, et etiam quinti sequentis: in quibus Boetius in persona hominis nondum satis illuminati, dubia sua, admirationes et involutiones proponit, ad quas Philosophia sapienter respondet, imo ipse idem Boetius in persona hominis sapientis ac virtuosi.

B

C

D

Præterea, sicut ignis, facto incendio, sub cineribus et favilla situs ac latens, sæpius evaporat; sic dolor et admiratio in corde hominis boni aliquoties renovantur, erumpunt, querimoniamque instaurant: sic et Boetius in hoc quarto libro, sicut et ante, fatetur se admirari, et quasi conqueritur, quod in hoc mundo inferiori, qui a sapienti ac bono Domino gubernatur, fiunt tot mala, justitia suppeditatur, impietas prævalet, ac pessimi principantur, ita quod Deus altissimus rapacissimis lupis et impudentissimis canibus oves suas videtur committere, pro quarum salute ipsemet incarnari, et in mundo hoc conversari, ac postremo mori dignatus est. Hoc ergo in hac prosa proponit Boetius, dicens:

Hæc quum Philosophia cecinisset, hoc est, dum Philosophia instar canentis ac modulantis hæc protulisset, *leniter,* id est mansuete, non turbulenter et clamose, et *suaviter,* id est facunde, juxta illud Ecclesiastici: Lingua eucharis in bono homine abundabit; *dignitate* (id est venerabili apparatu) *vultus, et gravitate oris,* id est maturitate locutionis, *servata.* Apparet namque Philosophia in forma venerandæ ac sapientis matronæ, quam decet in omnibus esse morigeram, non moribus levem sensuve mobilem, sed intus ac foris maturam, ut verificetur de ea illud libri primi Regum: Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Hinc hortatur Apostolus: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo vos oporteat unicuique respondere.

Eccli. VI, 5. — I *Reg.* I, 18. — *Coloss.* IV, 6.

Tum ego, id est tunc ego, *nondum penitus insiti mœroris oblitus,* id est, necdum in toto immemor tristitiæ mihi adversæ, et profundatæ in corde meo

quemadmodum in terra absconditur semen, *abrupi,* id est intercepi, *intentionem,* id est propositum, Philosophiæ *parantis,* id est disponentis, *dicere adhuc aliquid* de ista materia : quod non feci Job iv, 2. ex loquacitate (juxta illud in Job, Conceptum sermonem tenere quis poterit?), sed desiderio veritatis. Etenim, quamvis Jacob. i, 19. implendum sit illud Jacobi, Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum ; tamen, sicut non debemus esse veloces ad audiendum quæcumque verba, utputa verba detractoria, vana, jocosa, in risum moventia, discordiæ seminativa Eccli. xxviii, 28. (juxta illud in Ecclesiastico scriptum, Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam), sic interdum aliqua verba ex rationabili causa sunt sine notabili mora dicenda.

Et, O (inquam) veri prævia luminis, id est, ego Boetius dico, « O », tu Philosophia, « prævia », id est prænuntia atque dispositrix, « luminis veri », id est theologicæ veritatis, cujus comparatione lumen naturale ac philosophica veritas in claritate deficiunt. Disponit autem philosophia ad theologiam, sicut ancilla ad dominam. Est quoque prævia veri luminis, Joann. i, 9. de quo Joannes asserit : Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et in prima sua I Joann. ii, 8. S. Joannes ait Canonica : Tenebræ recesserunt, et verum lumen jam lucet. Ad cujus increati luminis cognitionem multum confert philosophia, dicente Aposto- Rom. i, 20. lo : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Atque ut asserit Augustinus, Cognitio naturalium proprietatum reserat abdita Scripturarum : ut quod Apoc. v, 5; I Cor. x, 4; Joann. xv, 1, 5; i, 29, 36; Apoc. xxii, 16. Christus in Scripturis vocatur leo, petra, vitis, agnus, stella matutina, et consimilia.

Quæ usque adhuc tua fudit oratio, id est, verba consolatoria et documenta salubria, « quæ oratio tua », id est sermo tuus interior, « fudit », id est, prompte expressit, usque nunc, *tum sui speculatione divina, tum tuis rationibus, invicta patuerunt,* id est, esse innotuerunt « in- A victa », id est firma et insolubilia, tam ex contemplatione divinorum, quæ relucet, fragrat ac continetur in eis, consonatque Scripturis, quam ex « rationibus » (id est probationibus) « tuis » ; *eaque etsi ob injuriæ dolorem nuper oblita,* id est, quamvis illa nuper fui oblitus, ita quod ea actualiter non attendi ex dolore atque tristitia cordis mei, quos concepi ex injuriis mihi illatis, *non tamen antehac prorsus ignorata, dixisti mihi :* id est, quæ protulisti hucusque, non fuerunt prorsus B incognita, quoniam antea etiam actualiter ea cognovi, et usque in præsens fuit in me habitualis eorum notitia.

Sed ea ipsa est vel maxima nostri causa mœroris, id est, hæc « ipsa » res quæ sequitur, « est » utique « maxima causa nostri mœroris », *quod quum rerum bonus rector exsistat,* id est, « quod quum rector » universorum, videlicet Deus, sit naturaliter et interminabiliter « bonus », *vel esse omnino mala possint,* id est, quomodo « mala » culpæ « possint » accidere, C quum ad rectorem pertineat mala excludere, aut ne contingant, per anticipationem pro posse cavere (sicque ea evenire, videtur Dei omnipotentiæ derogare), *vel impunita prætereant :* quod videtur divinæ justitiæ repugnare. Utrumque quoque videtur contrariari infinitæ sapientiæ Dei, quia ad sapientem ac providum pertinet provisorem ita præconsiderare mala futura, quod eorum eventui ponatur obstaculum. *Quod solum quanta sit dignum admiratione, profecto consideras,* id est, D certe attendis. Verum, ut mox patebit, in his et sequentibus quæstionibus Boetius in persona imperfecti hominis loquens, falsa aliqua præsupponit.

At huic aliud majus adjungitur, id est, præfatæ dubitationi adjungitur dubitatio alia major et gravior. *Nam regnante* florenteque nequitia,* id est, impiis regnantibus ac prosperitate pollentibus, *virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur,* id est, opera virtuosa et ipsi justi a scele-

* imperante

ratis hominibus male tractantur, injuriis A afficiuntur, ac mala pro bonis recipiunt. Ideo subditur : *et in locum facinorum, supplicia luit*, id est, ipsa virtus « luit » et tolerat pœnas « in locum facinorum », id est, ac si virtus facinus esset : sicque criminis instar, hoc est ad similitudinem vitii, cruciatur. Vel, « in *loco* facinorum », id est, ubi facinora solent puniri, atque in loco injustorum judiciorum et accusationum ac protestationum falsarum. *Quæ fieri in regno Dei scientis omnia, potentis omnia*, id est in regno summi Dei, qui B universa intuetur ac potest, *sed bona tantummodo volentis*, id est, qui non vult per approbationem et effective nisi bona, *nemo satis potest nec admirari, nec conqueri*. Hoc aliquo modo verificatur, si intelligatur de querela pietatis, non impa-
Rom. XI. 33. tientiæ : quia revera judicia Dei sunt valde incomprehensibilia, et miranda admiratione reverentiæ, non inquisitionis. Porro querela pietatis vocatur, quæ ex virtute procedit : sicut interdum conqueritur unus de alio, quod nimis honorat eum. Attamen C quid veritatis contineatur in his, protinus elucescet.

Verumtamen omnia ista jam ante fre-
Cf. p. 103 quenter inducta sunt atque exposita cum
B' et s.. 116 D et s.. 123 allegatione multiplici Scripturæ canonicæ.
D. 135 A. Nam et sancti Prophetæ juxta prætactum nunc modum interdum locuti sunt, ut
Habac. I. 13. quum dicit Habacuc : Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se ? Jeremias D
Jer. XII. 1. quoque : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt ? Sic et in Isaia
Is. LVII. 1. fertur : Justus perit, et non est qui recogitet ; et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. Ista et multa similia allegata sunt sæpe.

Consequenter ponitur Philosophiæ responsio emendantis verba præhabita.

Tum illa : Et esset (inquit) infiniti stuporis : id est, Philosophia respondit, Id quod dicis, esset res infinito (hoc est multo et valde magno) stupore seu admiratione condigna, *omnibusque horribilius monstris*, id est monstruosis effectibus. Monstrum quippe vocatur effectus suæ inconveniens speciei. Interdum vero vocatur effectus præclarus monstratione prædignus : et ita miracula Moysis in Ægypto, monstra vocantur. *Si (uti tu existimas)* Sap. XIX. 8.
in tanti veluti patrisfamilias dispositissima domo, id est, in toto hoc universo, aut in omni genere humano, seu in universali Ecclesia, quæ est dispositissima (id est ordinatissima) domus « patrisfamilias tanti », id est Patris summi, cujus familia sunt rationales creaturæ, præsertim fideles. De qua domo Baruch ait propheta :
O Israel, quam magna est domus Dei, Baruch III. 24.
et ingens locus possessionis ejus ! Videtur autem Philosophia per domum Dei intelligere Ecclesiam, seu humani generis universitatem : de qua ad Timotheum scribit
Apostolus, Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi. I Tim. III. 15.
Quæ Ecclesia militans, instar Ecclesiæ triumphantis pulcherrime est disposita. Propter quod in Apocalypsi inducitur : Vidi Jerusalem novam descendentem Apoc. XXI. 2.
de cœlo, a Deo paratam, tanquam sponsam ornatam viro suo. De cujus dispositione in gradibus, statibus, officiis, in epistola ad Corinthios tractat Apostolus. I Cor. VII, XII.
Nihilo minus in Ecclesia militanti sunt variæ inordinationes, transgressiones, abusiones : sed quæ inordinata sunt uno respectu et modo, alio modo atque respectu sunt ordinata ; rursus, quæ sunt inordinata per culpam, ordinat Deus per pœnam. *Vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent*, id est, si « vasa vilia colerentur », id est, honorarentur ac appretiarentur, et vasa « pretiosa sordescerent », id est vilipenderentur.

His objici posset, quod cernimus impiissimos præsidentes honorari, honorandosque esse, quemadmodum beatissimus prin-

I Petr. II, 18. ceps Apostolorum præcepit : Servi, subditi estote dominis, non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Et respondendum, quod idem homo respectu diversorum, est vas pretiosum et vile : pretiosum quantum ad ea quæ habet a Deo, præsertim in gratuitis ; vile quantum ad ea quæ habet a se ipso, quæ sunt sua peccata : quæ sola faciunt hominem Deo displicentem, quemadmodum per Jeremiam dicitur animæ
Jer. II, 36. peccatrici, Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ! Vasa igitur vilia, puta iniqui, in quantum hujusmodi, non sunt honoranda nec appretianda. Propter quod
Ps. XIV, 4. de homine injusto fertur in Psalmo : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Juxta quem sensum Aristoteles quoque ait in Ethicis, quod magnanimus est aspernativus. In quantum vero sunt pretiosa, videlicet ad Dei imaginem condita, ad æternam beatitudinem ordinata, sanguine Christi redempta, aut in officiis constituta, atque vicarii Dei, sunt honoranda. Insuper vasa pretiosa, secundum quod talia, sunt in veneratione habenda, non in quantum sunt vilia.

Sed non ita est. Nam si ea quæ paulo ante conclusa sunt, inconvulsa (id est inviolata) *servantur, ipso (de cujus nunc regno loquimur) auctore, cognosces : semper quidem potentes bonos esse,* id est, ipsos virtuosos « semper esse potentes » : quoniam prævalent vitiis et invisibilibus hostibus suæ salutis, dominantur quoque animo suo et motibus passionum ; et ita sunt patientes, ac vere potentes, juxta
Prov. XVI, 32. quod Salomon protestatur, Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Ista infra probantur in pluribus prosis. *Malos vero abjectos semper atque imbecilles,* id est, cognosces quod vitiosi semper abjecti sunt et imbecilles, id est, contemptibiles coram Deo, spiritualiterque infirmi, quia ab adversariis suæ salutis, ab acie vitiorum ac dæmonum, a carne ac propriis passionibus superantur. (Clarum est tamen, quod corporali fortitudine, sæculari potentia,

A temporali honore frequenter præfulgent iniqui, ut patet de principibus impiis ac tyrannis, qui et multoties prævalent Christianis in præliis.) Hinc in libro Proverbiorum Salomon loquitur : Qui vanus et ex- Prov. XII, 8.
cors est, patebit contemptui ; et iterum : Vir sapiens, fortis est ; et vir doctus, Ibid. XXIV, 5.
robustus et validus. De impio autem in libro Sapientiæ legitur : Luto vilior vita Sap. XV, 10 ; Eccli. X, 15.
ejus, quia a Deo recessit cor ejus.

Nec sine pœna unquam esse vitia, quoniam nullum malum Deus relinquit impu-
B nitum. Ideo scriptum est : Deus inultum Job XXIV, 12.
abire non patitur. Denique, qui peccat, peccando lædit se ipsum (sicut in libro Sapientiæ scriptum est, Homo per mali- Sap. XVI, 14.
tiam occidit animam suam), et inimicum Dei se ipsum constituit. Ideo scriptum est in Jeremia : Scito et vide, quoniam malum Jer. II, 19.
et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Hæ pœnæ peccati tanto sunt graviores, quanto nunc minus a peccantibus sentiuntur. Qui (ut ait Scriptura) lætantur Prov. II, 14.
C quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. *Nec sine præmio* esse *virtutes,* id est, hoc cognosces, quod actus virtuosi debitis præmiis non privantur. Ideo asserit Augustinus : Deus nullum bonum dimittit irremuneratum ; præsertim quum Deus pronior sit ad remunerandum bona, quam ad puniendum peccata. Virtutes etiam in hac vita multiplex præmium sortiuntur, quoniam faciunt mentem tranquillam et bonæ conscientiæ esse, imo et Creatoris sui amicam, sponsam ac filiam. Ideo dixit
D Psalmista : In custodiendis illis retributio Ps. XVIII, 12.
multa.

Cognosces insuper *bonis felicia, malis semper infortunata contingere,* id est, quod virtuosis semper eveniunt prospera, vitiosis vero semper adversa. Istud videtur auctoritatibus multis, imo et experientiis atque præhabitis, esse contrarium, quum electi et boni adversitatibus modo exerceantur et expurgentur, quemadmodum scriptum est in Psalmo : Multæ tribulationes Ps. XXXIII, 20.
justorum. Nihilo minus vera sunt verba

ista ad pium intellectum : ita quod « bonis » contingunt « felicia », id est, ea quæ animabus eorum sunt salubria : « malis » vero « infortunata », hoc est nociva et adversa saluti ipsorum : prout istud infra diffusius exponetur.

Multaque id genus, id est, cognosces multa secundum hoc genus, videlicet multa his consimilia vera. Dicuntque aliqui, quod « id genus » sit dictio una indeclinabilis. *Quæ sopitis querelis, firma te soliditate corroborent :* id est, « quæ » vera confirment « te » et confirmabunt « soliditate firma », id est constanti ac stabili veritatis notitia, « querelis », id est querimoniis tuis prætactis de his quæ videntur derogare providentiæ Dei in regimine universi, « sopitis », id est exstinctis et ablatis per veritatis notitiam, ex qua cognosces quod tales querelæ ex ignorantia veniunt veritatis.

Consequenter Philosophia consolatur Boetium, promittendo ei beneficia ampliora.

Et quoniam veræ formam beatitudinis me dudum monstrare vidisti,* id est, quia jam ante conspexisti et intellexisti « me » Philosophiam demonstrare « formam », id est essentiam, « veræ beatitudinis », *quo etiam sita sit agnovisti,* id est, didicisti a me in « quo » objecto « sita » (id est constituta) « sit », puta in Deo ; *decursis omnibus quæ præmittere necessarium puto, viam tibi quæ te domum revehat, ostendam :* hoc est, « ostendam », id est declarabo, « tibi viam quæ te revehat », id est reportet, « domum », id est ad beatitudinis mansionem, « omnibus decursis », id est jam præmissis et determinatis, « quæ puto necessarium præmittere » ad intelligendum quæ restant.

* *monstrante*

Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam : hoc est, « affigam », id est apponam, « tuæ menti pennas », id est notitiam et amorem, orationem et devotionem, « quibus », id est per quas, « possit se tollere », id est elevare, « in altum », id est usque ad summum objectum fontemque totius beatitu-

A dinis. Quas pennas Deus largitur auctoritative ac principaliter, philosophia, præsertim theologia, dispositive ac ministerialiter. De quibus etiam pennis in Isaia scriptum est : Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient. *Is.* XL, 31. De ita pennatis denuo loquitur sacratissimus Isaias : Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ? *Ibid.* LX, 8. De quibus itidem allegorice exponitur quod in Ezechiele de pennatis animalibus legitur. *Ezech.* I, X.

B *Ut revehari*s*, id est reducaris, *sospes*, id est sanus in anima a læsionibus vitiorum, sicut orat vir bonus : Sana me, Domine, et sanabor. *Jer.* XVII, 14. Quod et oravit Apostolus : Deus (inquiens) pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima in adventu Christi servetur. I *Thess.* V, 23. Hanc sospitatem omnipotens Deus eis largitur, qui efficaciter pœnitendo, sibi reconciliantur, quemadmodum per Osee pollicetur : Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. *Osee* XIV, 5. *In patriam,* id est electorum perpetuam inthronizationem, in paradisum cœlestem, ad

* *revertaris*

C societatem spirituum supernorum. Unde dixit Salvator : In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Joann.* XIV, 2. Plato etiam in Timæo inducit patrem spirituum præcipientem diis deorum ut fœnus corporibus accommodatum (id est animas rationales a corporibus redeuntes et sufficienter purgatas, quibus Divinitatis consortium est et appellationis parilitas) recipiant ad se.

Meo ductu, id est mea directione, *mea*
D *semita,* id est imitatione virtutum conversationis meæ : juxta illud Proverbiorum, Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, et currens non habebis offendiculum. *Prov.* IV, 11, 12. Hæc est via luciformis, exercitatio quotidiani profectus, incrementum gratiæ ac virtutum. De qua rursus in Proverbiis Salomon fassus est, Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem, *Ibid.* 18. hoc est usque ad diem æternitatis : in quo Christus Filius Dei a Patre profluxit,

Mich. v, 2. juxta illud Michææ, Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. *Meis etiam vehiculis,* id est ceteris meis auxiliis in admonendo, roborando, atque in omnibus adsistendo.

Et hoc, *perturbatione depulsa,* id est inquietudine admirationum et passionum tuarum exstirpata a mente tua. Quod perfecte non fit nisi completo vitæ hujus curriculo. Nempe, ut in Phædone asserit Plato, Quamdiu corpus hoc gerimus et conglutinata fuerit anima huic malo, nunA quam sufficienter ac plene adipiscemur quod exoptamus : decies namque millena vacationum (id est contemplationum et spiritualium exercitiorum) impedimenta nobis inde proveniunt propter corporis necessitatem.

Postremo, quoniam triplici via ad beatitudinem pervenimus, videlicet, via purgativa, via illuminativa, et via perfectiva; potest per ductum via purgativa intelligi, per semitam via illuminativa, per vehicula via perfectiva seu unitiva.

METRUM PRIMUM

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
 Quæ celsa conscendant poli.
Quas sibi quum velox mens induit,
 Terras perosa despicit,
Aeris immensi superat globum,
 Nubesque post tergum videt,
Quique agili motu calet ætheris,
 Transcendit ignis verticem :
Donec in astriferas surgat domos,
 Phœboque conjungat vias,
Aut comitetur iter gelidi senis,
 Miles corusci sideris,
Vel quocumque micans nox pingitur,
 Recurrat astri circulum ;
Atque ubi jam exhausti fuerit satis,
 Polum relinquat extimum,
Dorsaque velocis premat ætheris,
 Compos verendi luminis.
Hic regum sceptrum Dominus tenet,
 Orbisque habenas temperat,
Et volucrem currum stabilis regit,
 Rerum coruscus arbiter.
Huc te si reducem referat via
 Quam nunc requiris immemor :
Hæc, dices, memini, patria est mihi;
 Hinc ortus, hic sistam gradum.
Quod si terrarum placeat tibi
 Noctem relictam visere,
Quos miseri torvos populi timent,
 Cernes tyrannos exsules.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO METRI HUJUS PRIMI.

IN hoc metro Philosophia ostendit se potentem efficere quod in fine prosæ præcedentis perhibuit se facturam. Dixerat quippe se affixuram pennas Boetio, quibus subvolaret in patriam Beatorum : ideo hic B fatetur se hujusmodi pennas habere, et earumdem pennarum multiplices declarat effectus. Itaque ait :

Etenim pennæ volucres, id est subtiles ac celeres, *sunt mihi,* id est, insunt men-

ti meæ, *quæ conscendant celsa poli*, id est alta polorum orbiumque cœlorum. Imo et transcendunt cuncta creata, non localiter se movendo, sed digniora intelligendo, atque ex creatis et imperfectis ac finitis, ad summi et increati ac incircumscriptibilis entis notitiam pertingendo, quemadmodum ex effectibus causa cognoscitur, juxta il- *Sap.* XIII, 5. lud : A magnitudine speciei et creaturæ, poterit creator horum cognoscibiliter videri. Istæ pennæ sunt intellectus et ratio, seu habitus primorum principiorum, potius tamen sapientia et scientia, documenta et libri præstantiorum philosophorum.

Quas pennas *quum mens velox*, id est ingeniosa et studiosa, *induit sibi*, id est, assumit et se eis perornat, *perosa*, id est ipsa mens odio plena, loquendo de odio bono ac ordinato, juxta illud in Psalmo, *Ps.* CXXXVIII, 22. Perfecto odio oderam illos, *despicit terras*, id est terrena, præsertim carnalia et immunda : quæ in quantum sunt vitiosa et a summo bono impeditiva, sunt odienda et fugienda ; non in quantum sunt creaturæ *I Tim.* IV, 4. Dei, quum dicat Apostolus : Omnis creatura Dei bona est. Sic quoque Salvator in *Luc.* XIV, 26. Evangelio dixit : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, non potest meus esse discipulus. Rursus, debemus terras despicere, id est vilipendere, respectu cœlestium spiritualiumque bonorum, potissime respectu summi et incomparabilis boni, nec terrenas opes diligere, nisi in quantum utiles aut necessariæ sunt ad sustentaculum vitæ et ad spiritualia bona. Unde et Plato loquitur in Phædone : Pecunias sane compellimur possidere propter corpus, servi facti curæ hujus.

Et *superat*, id est, contemplando transcendit, *globum aeris immensi*, id est ipsum elementum aeris, instar globi sphæricum seu rotundum, et immensum, id est valde magnum et difficulter mensurabile ; *videtque nubes post tergum*, id est, intelligit nubes et ceteras impressiones meteorologicas, esse longe inferiores se et sua consideratione seu rerum quas speculatur, quum impressiones illæ generentur in aere ; et *transcendit* etiam *verticem ignis*, id est superiorem partem ignis elementaris, *qui calet*, id est, calidus est, *agili motu ætheris*, id est ex velocissimo motu corporis cœlestis ipso superioris : cujus motu amplius incalescit, quum tamen etiam ex propria natura sit calidus.

Donec surgat, id est, quousque ascendat per considerationem, *in domos astriferas*, id est ad speculationem et mansionem astrorum, *conjungatque Phœbo*, id est soli ceterisque planetis, *vias*, id est considerationum suarum processus et suorum iter profectuum, transeundo a cognitione elementorum et generabilium ac corruptibilium rerum, ad investigationem et intuitionem cœlestium orbium : in quibus non est malum naturæ, id est alteratio corruptiva, secundum Avicennam et Algazelem ; *aut comitetur*, id est, assequatur et attingat ac noscat, *iter*, id est motum, *senis gelidi*, id est Saturni : qui dicitur gelidus, quoniam est frigefactivæ naturæ ; et senex, quoniam instar antiqui est tardus in motu propriæ sphæræ (in qua præ ceteris planetis tardius complet cursum suum, puta in annis triginta), et rursus, quia secundum fabulas vocatur pater aliorum planetarum. Hæc agit mens *miles luminis* * *corusci*, id est, contemplationi philosophicæ militans * *sideris* cum splendido lumine sibi a Creatore impresso : de quo in Psalmo dicitur, Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. *Ps.* IV, 7. Potest etiam lumen splendidum nuncupari ipsa scientia habitualis. Quidam per lumen coruscum accipiunt Jovem, qui ponitur sub Saturno, et candidus est : cum quo mens est quasi « miles », quia Jupiter fertur fidei et religioni præesse, sub quibus mens militat Deo.

Vel donec comitetur ipsa mens, id est, considerando sequatur, *quocumque*, id est ubicumque, *nox micans*, id est, lumine ac scintillatione stellarum aliqualiter rutilans, *pingitur*, id est, ornatur luminibus illis : sicque mens *recurrat*, id est, considerando transcurrat, *circulum astri*, id est

zodiacum, sub quo septem planetæ moventur, vel cœlum stellatum, quod sphæra octava vocatur. *Atqui**, id est pro certo, *ubi jam* menti *fuerit satis exhausti,* id est, sufficienter se occupaverit circa cœlum stellatum, visu seu consideratione exhaustum et quasi absumptum, *relinquat polum extimum,* id est cœlum extremum a philosophis cognitum, scilicet nonam sphæram seu primum mobile, *prematque,* id est, sub se habeat, *dorsa,* id est gibbositatem, seu superficiem supremam convexam, *ætheris* (id est cœli) *velocis,* id est mobilis primi, quod est velocissimi motus, sicut et maximæ quantitatis, inter mobiles orbes.

* Atque

Hæc universa mens relinquit transvolando ad Creatoris notitiam. Ideo subditur: *compos verendi luminis,* id est ipsa mens facta « compos » seu potens ad contemplandum lumen divinum et increatum, super omnia reverendum, imo incomparabiliter honorandum : quod solum est adorandum.

Hic tangitur majestas ac operatio summi boni, in quo quies ac finis est mentis contemplativæ alatæ. *Hic,* id est in hoc cœlo supremo, imo super illud, in cœlo empyreo, *Dominus* creator cunctorum, *tenet sceptrum* (id est auctoritatem) *regum,* utputa supremam auctoritatem regalem, tanquam Rex regum et Dominus universorum propria et independenti potestate, juxta illud Psalmi, Qui dominatur in virtute sua in æternum ; *temperatque,* id est, disponit ac moderatur, *habenas,* id est gubernacula et connexiones, *orbis,* id est mundi totius, sicut hoc supra frequenter expositum est ; *et* ipse *rerum arbiter coruscus,* id est judex splendidus omni sapientia et virtute, *stabilis,* id est prorsus incommutabilis, *regit currum volucrem,* id est motum celerem cœli ac variabilem mundi statum : juxta quod dictum est supra, Omnia certo fine gubernas ; itemque, Stabilisque manens, das cuncta moveri.

Apoc. XVII, 14 ; XIX, 16. — *Ps.* LXV, 7. — *Cf.* p. 277 C et s., 306 A et s., 367 B et s. — *Cf.* p. 122 A', 368 D.

Si via referat, id est, conversatio bona A reducat, *huc,* id est ad thronum contemplationemque summi boni, *te reducem,* id est rationis directione redeuntem, *quam* viam *nunc requiris,* id est, ingredi et apprehendere cupis, *immemor,* id est ad tempus oblitus tuæ salutis ; *dices :*

Memini, id est, memor jam sum, *hæc,* id est mansio ista siderea ac superna, *est mihi patria,* id est habitatio salutaris, finalis, æterna. *Hinc ortus,* id est, origo mea hinc fluxit, quia a Rege ac Domino patriæ hujus creatus sum et sortitus quidquid boni in me est : juxta B illud secundo Machabæorum, E cœlo ista possideo. Apud Joannem quoque dicitur : Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Hinc teste Philosopho, Intellectus est ab extra: quod Plato in Timæo et Phædone clarius exprimens, fatetur animam rationalem esse fœnus corpori accommodatum a patre spirituum. *Hic sistam gradum,* id est, hic de cetero permanebo ac requiescam, nec ultra ad corruptibilis vitæ ærumnas redibo. Nam et Porphyrius, C quamvis Platonicus, tamen in hoc quod Plato asseruit animas ad mansiones stellarum reductas, post tempora longa denuo ad corpora affici et reverti, a Platone dissensit. Hinc in ultimo libro de Civitate Dei loquitur Augustinus : Si Plato atque Porphyrius sibi invicem communicassent id quod verum dixerunt, et superessent, ambo fierent christiani. Plato etenim dixit, animam non posse perpetuo sine corpore remanere ; Porphyrius docuit, corpus corruptibile esse fugiendum animæ bea- D tæ : quorum utrumque verum est ; et si ambo ista sensissent, credidissent nobiscum, quod animæ beatæ tandem reunientur corporibus in ipsa reunione glorificandis.

II *Mach.* VII, 11. — *Joann.* III, 27.

Quod si placeat tibi beatificato et glorificato in anima, *visere,* id est conspicere, *noctem,* id est tenebrosam vitam, *terrarum,* id est terrigenarum, *relictam* in hora mortis, quam scilicet reliquisti in obitu ; *cernes tyrannos* esse *exsules,* id est a vera patria sua prorsus extraneos,

quos miseri populi, id est mortales, infirmi et imperfecti, nondum implentes quod ait Salvator [*Matth.* x. 28], Nolite timere eos qui corpus occidunt, *torvos*, id est crudeles, propter crudelitatem eorum *timent* : quia ut in A Proverbiis Salomon protestatur, Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam [*Prov.* xxviii, 16] ; et rursus, Leo rugiens, et ursus esuriens [*Ibid.* 15], princeps impius super populum pauperem.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO METRI HUJUS PRIMI MYSTICA.

Non solum theologi, sed philosophi quoque, de duplici vita, utputa activa et contemplativa, locuti sunt ; sed multo diffusius præclariusque theologi. Porro pennæ seu alæ ad contemplativam vitam potissime spectant, in qua homo ascendit [*Ps.* lxiii 7] ad cor altum, et altior fit se ipso, ab hominibus se elongans ut Deo jungatur, juxta illud Threnorum [*Thren.* iii. 28] : Sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se super se. Si ergo philosophia habet pennas et alas spiritualis volatus, quanto magis theologia et sancta Christi Ecclesia ? De qua in Apocalypsi habetur [*Apoc.* xii. 14] : Datæ sunt mulieri alæ duæ, ut volaret in desertum. Cujus alæ sunt contemplatio et oratio : quorum utrumque est ascensus mentis in Deum, secundum Damascenum. Iterum, alæ istæ sunt donum sapientiæ, et fervor divini amoris semper excitans ac stimulans vim affectivam ad Deum. Quæ alæ se invicem adjuvant ascendendo : quoniam sapientia, cujus est ordinare, dirigit caritatis ardorem, ardorque ille sapientiam sollicitat ad vacandum et videndum quam dulcis sit Dominus [*Ps.* xxxiii, 9 ; I *Petr.* ii, 3].

Denique pennæ hæ conscendunt « celsa » cœlorum ad contemplandum novem ordines angelorum, qualiter millia millium [*Dan.* vii. 10] ministrant Regi cœlorum, et decies millies centena millia adsistunt cum ingenti reverentia Creatori universorum, quoniam non est numerus nobis comprehensibilis [*Job* xxv. 3] militum ejus. Ad quorum societatem anima æstuat pervenire, fideliter psallens : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini [*Ps.* lxxxiii, 2, 3] ; itemque : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus [*Ps.* xli, 2].

At vero, primo de Civitate Dei recitat Augustinus, quemadmodum Cleombrotus Platonicus, lecto libro in quo Plato de animæ immortalitate disputavit, desiderio felicitatis illius præcipitavit se ipsum de muro, ut ad illam pertingeret. Verumtamen in hoc male egit, imo et contra doctrinam Platonis, in Phædone dicentis : Minime fas est sibi ipsi violentiam inferre. Sed pro tanto hoc recolo, quia si ille philosophus in tantum accendebatur ad obtinendum beatitudinem naturalem, quanto magis nos ad supernaturalem beatitudinem incomparabiliter meliorem, majorem ac digniorem, deberemus fervere ? Et certe fervebimus, si assumpserimus pennas has. Etenim eis assumptis, « mens velox », non pigra, « terras perosa » contemnit, cuncta carnalia et terrena arbitrans ut stercora, ut lucrifaciat Christum [*Philipp.* iii, 8]. Nam, ut ait Gregorius : Terrena substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium ; temporalis vita æternæ gloriæ comparata, mors potius est dicenda, quam vita.

Sic etiam mens taliter contemplativa aerem ætheremque transcendit, quousque

in « astriferas » veniat « domos » : de A
Joann. xiv, 2. quibus locutus est Christus, In domo Pa-
Hebr. xiii, 14. tris mei mansiones multæ sunt. Non enim
habemus hic manentem civitatem, sed
futuram inquirimus, ut ad Hebræos scribit
Apostolus. Et « Phœbo », id est Christo
soli justitiæ, semitas suas « conjungat »,
id est, peregrinationem suam terminet ad
Joann. xvii, 24. ipsum, qui dixit : Pater, volo ut ubi ego
sum, et illi sint mecum, ut videant cla-
ritatem meam, quam mihi dedisti. Unde
in prima sua Canonica beatissimus Petrus
I Petr. i, 8, 9. effatur : Videntes Christum, exsultabitis B
lætitia inenarrabili et glorificata, repor-
tantes finem fidei vestræ, salutem anima-
rum vestrarum. « Aut comitetur iter gelidi
senis », id est vestigia patrum sanctorum,
in quibus concupiscentia fuit mortificata
et amor mundi refriguit. Et ita fit mens
Job vii, 1. devota « miles » Dei, quia militia est vita
hominis boni super terram, cui continuus
est conflictus adversus hostes salutis, su-
Philipp. iii, 14. spiciens et adspirans ad bravium vocatio-
nis supernæ, de quo scriptum est in Sa-
pientia : Justi accipient regnum decoris, *Sap.* v, 17.
et diadema speciei de manu Domini. Quod
bravium mens contemplativa affectuose
desiderans, in ipsum sempiterni « luminis » fontem ac principem figit intuitum, et in ipso pure quiescit. Cujus abyssalem immensitatem sinceriter contemplando, conspicit quam parum aut nihil sit respectu illius omne creatum ac terminatum, quum finiti et infiniti nulla dicatur esse proportio. Ideo sanctus ait Gregorius : Animæ contemplanti Creatorem, angusta est omnis creatura.

« Hic regum sceptrum Dominus tenet », hoc est, in cœlo supremo, omnium Dominus residens, omnia moderatur, regit, judicat, ordinat in tota machina mundi, præsertim in Ecclesia triumphante ac militante, per angelos dirigens homines. Ad quam patriam reducti, erimus gloriosi, optime contentati, æternaliter assecurati, atque de tot periculorum evasione, de tantæ felicitatis adeptione, Deo gratissimi, ineffabiliterque securi.

PROSA II

TUM ego : Papæ, inquam, ut magna promittis, nec dubito quin possis efficere. Tu modo quem excitaveris, ne moreris.

— Primum igitur, inquit, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis viribus esse desertos, agnoscas licebit. Quorum quidem alterum demonstratur ex altero : nam quum bonum malumque contraria sint, si bonum potens esse constiterit, liquet imbecillitas mali ; at si fragilitas clarescat mali, boni firmitas nota est. Sed uti nostræ sententiæ fides abundantior sit, alterutro calle procedam, nunc hinc, nunc inde proposita confirmans. Duo sunt quibus omnis humanorum actuum constat effectus : voluntas scilicet, ac potestas. Quorum si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat : deficiente etenim voluntate, ne aggreditur quidem quisque quod non vult ; at si potestas absit, voluntas frustra fit. Quo fit ut si quem videas adipisci velle quod minime adipiscatur, huic obtinendi quod voluerit defuisse valentiam, dubitare non possis. — Perspicuum est, inquam, nec ullo modo negari potest. — Quem vero effecisse quod voluerit videas, num etiam potuisse dubitabis ? — Minime. — Quod vero quisque potest, in eo validus, quod vero non potest, in hoc imbecillis esse censendus est. — Fateor, inquam. — Meministine igitur, inquit,

superioribus rationibus esse collectum, intentionem omnem voluntatis humanæ, quæ diversis studiis agitur, ad beatitudinem festinare? — Memini (inquam) id quoque esse demonstratum. — Num recordaris beatitudinem ipsum esse bonum, eoque modo, quum beatitudo petitur, ab omnibus desiderari bonum? — Minime (inquam) recordor, quoniam id memoriæ fixum teneo. — Omnes igitur homines, boni pariter ac mali, indiscreta intentione ad bonum pervenire nituntur? — Ita (inquam) consequens est. — Sed certum est, adeptione boni bonos fieri. — Certum. — Adipiscuntur igitur boni quod appetunt. — Sic videtur. — Mali vero si adipiscerentur quod appetunt bonum, mali esse non possent. — Ita est. — Quum igitur utrique bonum petant, sed hi quidem adipiscantur, illi vero minime; non dubium est, bonos quidem potentes esse, qui vero mali sunt, imbecilles. — Quisquis (inquam) dubitat, nec rerum naturam, nec consequentiam potest considerare rationum.

— Rursus, inquit, si duo sint quibus idem secundum naturam propositum sit, eorumque unus naturali officio id ipsum agat atque perficiat; alter vero naturale illud officium minime administrare queat, alio vero modo quam naturæ convenit, non quidem impleat propositum suum, sed imitetur implentem : quemnam horum
* quid valentiorem esse decernis? — Etsi conjecto (inquam) quod * velis, planius tamen audire desidero. — Ambulandi (inquit) motum, secundum naturam esse hominibus num negabis? — Minime, inquam. — Ejusque rei pedum officium esse naturale num dubitas? — Ne hoc quidem, inquam. — Si quis igitur pedibus incedere valens, ambulet; aliusque cui hoc naturale pedum desit officium, manibus nitens, ambulare conetur : quis horum jure valentior existimari potest? — Contexe (inquam) cetera : nam quin naturalis officii potens, eo qui idem nequeat valentior sit, nullus ambigit. — Sed summum (inquit) bonum æque malis bonisque propositum, boni quidem naturali officio virtutum petunt; mali vero variam per cupiditatem (quod adipiscen-
* idem di boni naturale officium non est) id * ipsum conantur adipisci. An tu aliter existimas? — Minime, inquam : nam etiam quod est consequens patet. Ex his enim quæ concesserim, bonos quidem potentes, malos vero esse necesse est imbecilles.

— Recte (inquit) præcurris, idque (uti medici sperare solent) indicium est erectæ jam resistentisque naturæ. Sed quoniam te ad intelligendum promptissimum esse conspicio, crebras coacervabo rationes. Vide enim quanta vitiosorum hominum pateat infirmitas, qui ne ad hoc quidem pervenire queunt, ad quod eos naturalis ducit ac pene compellit intentio. Et quid, si hoc tam magno ac pene invicto præeuntis naturæ desererentur auxilio? Considera vero quanta sceleratos homines habeat impotentia. Neque enim levia aut ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt; sed circa ipsam rerum summam verticemque deficiunt, nec in eo miseris contingit effectus, quod solum dies noctesque moliuntur. In qua re bonorum vires eminent. Sicut enim eum qui pedibus incedens, ad eum locum usque pervenire potuisset quo nihil ulterius pervium jaceret incessui, ambulandi potentissimum esse censeres; ita eum qui expetendorum finem (quo nihil ultra est)

apprehendit, potentissimum necesse est judices. Ex quo fit (quod huic objacet) ut iidem scelesti viribus omnibus videantur esse deserti. Cur enim relicta virtute vitia sectantur? Inscitiane bonorum? Sed quid enervatius ignorantiæ cæcitate? An sectanda noverunt, sed transversos eos libido præcipitat? Sic quoque intemperantia fragiles sunt, qui obluctari vitio nequeunt. An scientes volentesque, bonum deserunt, ad vitia deflectuntur? Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt : nam qui communem omnium quæ sunt finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuipiam mirum forte videatur, ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus; sed ita sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo ; sed eosdem esse pure atque simpliciter, nego. Nam uti cadaver, hominem mortuum dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis; ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolute, nequeam confiteri. Est enim, quod ordinem retinet servatque naturam; quod vero ab hac deficit, esse etiam quod in sui* natura situm est, derelinquit. * sua

Sed possunt (inquies) mali. Ne ego quidem negaverim; sed hæc eorum potentia, non a viribus, sed ab imbecillitate descendit. Possunt enim mala, quæ minime valerent, si in bonorum efficientia manere potuissent. Quæ possibilitas eos evidentius nihil posse demonstrat : nam si (uti paulo ante collegimus) malum nihil est, quum mala tantummodo possint, nihil posse improbos liquet. — Perspicuum est. — Atque ut intelligas quænam sit hujus potentiæ vis, summo bono nihil potentius esse paulo ante definivimus. — Ita est, inquam. — Sed idem, inquit, facere malum nequit. — Minime. — Est igitur, inquit, aliquis qui omnia posse homines putet? — Nisi qui insaniat, nemo. — Atque iidem possunt mala. — Utinam quidem, inquam, non possent. — Quum igitur bonorum tantummodo potens, possit omnia, non vero queant omnia potentes etiam malorum; eosdem qui mala possunt, minus posse manifestum est. Huc accedit, quod omnem potentiam inter expetenda numerandam, omniaque expetenda, referri ad bonum velut ad quoddam naturæ suæ cacumen ostendimus. Sed patrandi sceleris possibilitas referri ad bonum non potest : expetenda igitur non est. Atqui omnis potentia expetenda est : liquet igitur malorum possibilitatem non esse potentiam.

Ex quibus omnibus bonorum quidem potentia, malorum vero minime dubitabilis apparet infirmitas. Veramque illam Platonis esse sententiam liquet : solos quod desiderent, facere posse sapientes; improbos vero exercere quidem quod libeat, quod vero desiderent, explere non posse. Faciunt enim quæ libet, dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem probra non veniunt.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS SECUNDÆ.

In præcedenti prosa promisit Philosophia quædam obscura declarare Boetio. Jam in secunda hac hujus quarti libri prosa hoc prosequitur.

Et primo testatur Boetius se prorsus confidere Philosophiam posse implere quod promisit, idque indilate impleri precatur. *Tum ego inquam,* id est, ego Boetius « inquam », id est dixi tunc, utputa post prosam ac metrum præhabita : *Papæ,* id est admirative et gaudenter, *nec dubito,* o Philosophia, *quin efficere possis,* id est implere, *ut,* id est sicut, *promittis magna,* videlicet declarare difficilia et obscura prætacta in prosa prima. *Tu modo ne moreris,* id est, non tardes nec protrahas, *quem excitaveris,* id est me Boetium, quem sic inflammasti ad audiendum tuam doctrinam.

Sequitur Philosophiæ responsio.

Primum igitur, inquit, liquebit, seu *licebit,* id est, quia sic quæris, ideo primo licitum ac patulum erit, supple, quod, *agnoscas potentiam,* id est potestatem, *adesse semper bonis,* id est virtuosis, *malos,* id est vitiosos, *esse desertos,* id est privatos, *cunctis viribus.* Istud prout sonat, stare non posset : alioqui pravi sacerdotes non haberent potestatem consecrandi et absolvendi, nec vitiosi prælati ac principes haberent potestatem prælaticam ac jurisdictionem super subjectos, sicut nonnulli dixerunt hæretici. Certumque est, quod multi pravissimi, imo et furiosi, sint corporali potentia fortiores pluribus justis. Porro, si verba hæc exponantur de potestate propinqua seu proxima promerendi vitam æternam, quæ potestas in caritate fundatur, sine qua nihil est spiritualiter vividum, meritorium, et Deo acceptum ; sic verba hæc sunt plane absoluteque vera, quia quicumque habet caritatem, est bonus et virtuosus, qua qui caret, est malus et vitiosus, secundum quod loquitur Augustinus : In caritate, pauper est dives ; sine caritate, omnis dives est pauper : nam quod patet et latet in Scripturis divinis, tenet qui caritatem servat in moribus. Concordat quod affirmat Gregorius : Quemadmodum multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate generantur ; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. De hoc infra magis patebit.

Quorum quidem alterum demonstratur ex altero, id est, unum istorum probatur ex alio, hoc est, ex probatione unius innotescit probatio alterius. *Nam quum bonum malumque contraria sint* privative potius quam alio genere oppositionis, quoniam malum formaliter non est quid positivum, sed sola privatio boni, sicut silentium appellatur privatio vocis, et tenebræ privatio luminis ; *si bonum potens esse constiterit,* id est, quum probatum fuerit quod bonum sit « potens », hoc est efficax ad agendum, *liquet imbecillitas mali,* id est, nota mox erit impotentia mali. *At si fragilitas clarescat mali,* id est, si mali debilitas elucescat, *firmitas* (id est potestas) *boni nota est.* Hinc, secundum Philosophum, contrariorum eadem exstat scientia, et unum eorum per aliud noscitur. Imo et teste Apostolo, per visibilia atque corporea, invisibilia et incorporalia cognoscuntur, Creator quoque ex creaturis. *Rom. I, 20*

Sed uti nostræ sententiæ fides abundantior sit, hoc est, ut consensus et credulitas nostræ doctrinæ sit copiosior (sic

sumitur fides quum dicitur : argumentum est ratio, rei dubiæ faciens fidem), *alterutro calle procedam,* id est, utraque probatione jam utar, *nunc hinc, nunc inde proposita confirmans,* id est, præmissa atque intenta probans jam ex parte boni, modo ex parte mali.

Sequitur probatio prima.

Duo sunt, id est, duo sunt principia principalesque causæ, *quibus,* id est per quæ et ex quibus, *constat,* id est, procedit et dependet, *omnis effectus actuum humanorum,* id est ipsi actus seu effectus hominum ex deliberatione progredientes : *voluntas scilicet, ac potestas* activa. Sicque istud intelligitur de pertinentibus ad causam efficientem per liberum arbitrium operantem, non de effectu causæ operantis secundum naturam, ut est digestio alimenti. Assignantur etiam quatuor causæ rerum, videlicet, causa efficiens, formalis, materialis, finalis. Sed nunc de causa efficiente intellectualiter sermo est. *Quorum si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat,* id est, nihil effici potest. *Deficiente etenim voluntate,* id est potentia volitiva, aut etiam interiori actu volendi, *ne* (id est non) *aggreditur quidem quisque quod non vult.* Nullus enim voluntarie operans exsequitur aut accedit aliquid, nisi volitum a se. *At si potestas absit, voluntas frustra fit,* id est, inefficax redditur et inanis in volendo.

Quo fit, id est, ex quo contingit, *ut si quem* (id est aliquem) *videas adipisci velle quod minime adipiscatur* (loquendo de velle imperativo, quod est velle simpliciter et complete, et a Deo reputatur pro opere; non de velle optativo, quod est velle imperfectum et secundum quid : de
Prov. XIII, quo in Proverbiis Salomon ait, Vult et non vult piger), *huic obtinendi quod voluerit defuisse valentiam, dubitare non possis,* id est, rationabiliter ambigere nequis tali homini « defuisse valentiam », id est potentiam, obtinendi quod cupit.

Ad quod respondet Boetius : *Perspicuum est, inquam, nec ullo modo negari*
A *potest* de jure, quamvis negari posset de facto : sicut et quidam negaverunt prima principia per se nota, ut Aristoteles refert, contradixeruntque sensui, dicentes nihil moveri, et omnia esse unum ens. Qui indigent pœna, ut scilicet, secundum Avicennam, tamdiu flagellentur quousque propriarum experimento pœnarum coacti, fateantur se pati ab alio, et per consequens motum esse et plura entia.

— *Quem vero effecisse quod voluerit videas, num etiam potuisse dubitabis?*
B id est, numquid dubitabis eum habuisse potentiam id agendi? — *Minime,* id est, nullatenus inde dubitabo : quia ad propositionem de esse, sequitur propositio de posse. Nam sequitur : hoc est dealbatum, ergo potuit dealbari; iste cucurrit, ergo potuit currere. Alioqui contradictoria starent simul. — *Quod vero quisque potest, in eo validus, quod vero non potest, in hoc imbecillis esse censendus est.* — *Fateor, inquam* ego Boetius, verum hoc esse.

Ad quod Philosophia : *Meministine igi-*
C *tur, inquit,* id est, an recordaris, *superioribus rationibus esse collectum,* id est præhabitis argumentis et rationibus esse probatum, *intentionem omnem voluntatis humanæ, quæ diversis studiis agitur,* id est, variis conatibus, viis et actibus exercetur, *ad beatitudinem festinare,* id est ad aliquod bonum finale ordinari ac tendere? Unde dictum est prosa secunda tertii libri : Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, etc. Ubi et dictum est, quod beatitudinem uni- *Cf.* p. 295 A et s.
D versi homines naturaliter appetunt, loquendo de beatitudine secundum rationem suam communem, prout dicitur quoddam maximum bonum, etc. — *Memini, inquam, id quoque esse demonstratum* loco prætacto et alibi. *Cf.* p. 301 C' et s., 302 D, 304 C', etc.

— *Num,* id est anne etiam, *recordaris beatitudinem ipsum esse bonum* (imo et summum bonum, prout tertio libro et hinc inde frequenter præhabitum est), *eoque modo,* id est similiter et ex consequenti, *quum beatitudo petitur* (sup- *Cf.* p. 295 D' et s., 210 D'.

ple, ab omnibus), *ab omnibus desiderari* A *bonum ?* Ad quod Boetius : *Minime (inquam) recordor*, id est, non sum memor illius tanquam alicujus ante cogniti et deinceps obliti. Ideo subditur : *quoniam id memoriæ fixum teneo,* id est, firmiter hoc in memoria collocatum reservo. Itaque differunt meminisse et recordari : quoniam recordari, proprie est memorari alicujus obliti ; meminisse autem communius sumitur pro actuali attentione alicujus prius noti, sive oblivioni sit traditum, sive non. Nihilo minus unum horum B frequenter pro alio sumitur, quum et invariabili Deo, in quem nulla cadit oblivio, sæpe recordatio adscribatur. Unde et sacratissima cecinit Virgo : Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. *Luc.* I, 54.

Ex his infert Philosophia : *Omnes igitur homines, boni pariter ac mali, indiscreta intentione,* id est communi et indifferenti ac naturali inclinatione, *ad bonum pervenire nituntur :* quia nec malum appeti potest nisi sub ratione et specie seu ap- C parentia boni, prout ista multoties sunt expressa. *Cf.* p. 302 D et s., 304 D', etc. — *Ita (inquam) consequens est,* id est, ego Boetius fateor hoc vere et bene concludi.

Ad quod Philosophia : *Sed certum est, adeptione boni bonos fieri,* id est, palam est quod homines adipiscendo bonum seu bonitatem, fiant boni in illo genere boni quod adipiscuntur : sicut qui acquirit bonitatem moralem, fit moraliter bonus ; et qui suscipit bonitatem entis, fit bonus bonitate naturæ : de qua dixit Apostolus, D Omnis creatura Dei bona est ; *I Tim.* IV, 4. Moyses quoque in Genesi, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. *Gen.* I, 31. — *Certum.*

— *Adipiscuntur igitur boni quod appetunt,* puta felicitatem, si perseverant in bonis moralibus, juxta illud ad Romanos : Vide bonitatem Dei in te, si tamen permanseris in bonitate ; alioqui et tu excideris. *Rom.* XI, 22. Hinc, juxta Philosophum decimo Ethicorum, felicitas præmium est virtutis. Respondet Boetius : *Sic videtur.* Et Philosophia : *Mali vero si adipiscerentur quod appetunt bonum, mali esse non possent,* loquendo de eis formaliter, puta secundum quod tales ; et item de bono futuræ felicitatis, de cujus ratione est confirmatum esse in bonis. — *Ita est.*

— *Quum igitur utrique bonum petant,* id est, tam boni quam mali bonum felicitatis desiderent, *sed hi quidem,* videlicet boni et virtuosi, *adipiscantur* hoc bonum in hac vita per inchoationem, et in futuro per consummationem, *illi vero,* puta mali et reprobi, *minime ; non dubium est, bonos quidem potentes esse* potestate virtutum, meritoria ac Deo accepta, *qui vero sunt mali,* id est iniqui, *imbecilles,* id est spiritualiter esse infirmos, carendo hac meritoria potestate : juxta illud Apostoli, Propterea sunt inter vos multi imbecilles, et dormiunt multi. *I Cor.* [XI,] 30. Attamen tales vitiosi sunt in hac vita potentes naturali virtute, corporali potentia, prælatica auctoritate, præsidentia jurisdictionali : imo interdum potentia faciendi miracula. De quibus in Evangelio asserit Dominus : Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus ? *Matth.* [VII,] 22. De naturali quoque virtute loquitur apud Marcum Christus : Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua. *Marc.* X[II,] 30. Hinc argumentatio ista Philosophiæ non concludit nisi de potestate meritoria et morali, Deo accepta.

Ad hoc Boetius : *Quisquis (inquam) dubitat* de his, *nec rerum naturam, nec consequentiam potest considerare rationum,* id est, talis non cognoscit rerum naturam, nec vim consequentiæ argumentorum tuorum. Quod verum est intelligendo hæc secundum sensum jam tactum : alias non teneret illatio. Imo multi sunt jam virtuosi et boni, et per consequens suo modo potentes, qui tamen sunt reprobi : qui dicuntur boni secundum præsentem justitiam, non secundum prædestinationem æternam. Et quidam electi, sunt jam mali ac vitiosi, qui tamen beatitudinem

consequentur : qui dicuntur boni secundum prædestinationem æternam, non secundum præsentem justitiam. Ideo totum istud intelligendum est caute.

Præterea objici potest contra jam dicta (quod scilicet duo sufficiunt ad productionem effectus, videlicet voluntas atque potestas), quia si quis velit aliquid operari habeatque potentiam id agendi, nondum idoneus est illud efficere, nisi sciat qualiter sit agendum. Ideo Plato asseruit, unumquodque esse efficax et idoneum ad agendum in tribus, puta, in scire, posse, et velle : ita ut sit scire per ignorantiam non obnubilatum, posse imbecillitate non impeditum, et velle ab invidia longe relegatum. Avicenna vero et Algazel ac Alphorabius addiderunt et quartum, hoc est, bonitatem seu benevolentiam : quod tamen in velle illo ab invidia alieno satis includitur. — Et respondendum, quod assignatio illa Platonis, est magis clara et plena quam ista. Philosophia tamen scientiam in potentia comprehendit : quia potentia non est perfecta, nec ad operandum idonea operatione intellectuali, absque scientia directiva.

Sequitur ratio secunda ad idem, quod scilicet mali sunt impotentes, boni vero potentes.

Rursus, inquit, id est, Philosophia secundo sic arguit : *si duo sint quibus idem secundum naturam propositum sit,* id est, « si sint duo » homines habentes « idem » in specie « propositum » naturale, *eorumque unus naturali officio id ipsum agat atque perficiat,* id est, unus ipsorum exsequatur et ad effectum perducat illud propositum ordinate, per convenientia media seu instrumenta ac opera ; *alter vero illud naturale officium minime administrare queat,* id est, opus illud naturæ conveniens nesciat exsequi congruenter, *alio vero modo quam naturæ convenit,* id est, aliter quam naturalis ratio dictat, *non quidem impleat propositum suum* bene ac ordinate, *sed imitetur implentem,* id est secundum apparentiam et verisimilitudinem quamdam, secundum quod vitia aliqua quamdam assimilationem prætendunt cum veris virtutibus, sicut duritia cum rigore justitiæ : *quemnam horum valentiorem esse decernis ?* id est, quem istorum judicas alio potentiorem ? — *Etsi conjecto (inquam) quod velis,* id est, quamvis conjicio et æstimo respondendum quod tu, Philosophia, sentis, *planius tamen audire desidero,* id est, tua doctrina cupio de hoc clarius informari.

Ad quod Philosophia : *Ambulandi (inquit) motum, secundum naturam esse hominibus num negabis?* id est, tu concedes, quod ipsa ambulatio seu motus localis naturaliter conveniat homini. — *Minime, inquam,* id est, nullatenus hoc negabo, quum motus talis sit proprie animalis, quoniam anima perfecta movet corpus suum secundum omnem positionem seu differentiam loci. Hinc Aristoteles libro de Cœlo et mundo, ex hoc probat corpora illa cœlestia esse animata, quoniam omnes differentias loci ex natura rei asserit esse in illis corporibus.

— *Ejusque rei pedum officium esse naturale num dubitas ?* id est, tu, o Boeti, certus es « officium naturale » ejusdem « rei », actus scilicet ambulationis, « esse pedum », id est pertinere ad pedes tanquam ad instrumenta per quæ exercetur, quemadmodum videre, est actus seu officium oculorum. — *Ne hoc quidem, inquam,* id est, ego Boetius respondeo, quod pro certo inde non dubito.

Ad quod Philosophia : *Si quis igitur pedibus incedere valens, ambulet ; aliusque cui hoc naturale pedum desit officium, manibus nitens, ambulare conetur,* innitendo manibus ac rependo, quemadmodum primo Regum fertur de Jonatha et ejus ministro, quod manibus reptantes, aggressi sunt hostes : *quis horum valentior jure existimari potest* ad ambulandum, quamvis vigore virtutum claudus valeat esse potentior illo ? — *Contexe (inquam) cetera,* id est, ego Boetius dico ut tu, Philosophia, prosequaris quæ restant,

I Reg. XIV, 13.

et ea redigas in formam verborum, sicut ex filis contexitur pannus. *Nam quin naturalis officii potens*, id est idoneus exsequi illud, *eo qui idem nequeat valentior sit, nullus ambigit*, quia hoc clarum et certum est per se.

Ad quod Philosophia subjungit : *Sed summum (inquit) bonum æque malis bonisque propositum*, id est, felicitatem, ad quam naturalis inclinatio insita est indifferenter bonis ac pravis hominibus, *boni quidem naturali officio virtutum petunt*, id est, adipisci ac apprehendere student convenienti exercitio seu exsecutione virtutum, quæ sunt ad hoc recta itinera ; *mali vero variam per cupiditatem (quod adipiscendi boni naturale officium non est) id ipsum conantur adipisci*, id est, homines vitiosi nituntur acquirere felicitatem per varias inordinatas affectiones : quod non est naturale et congruum opus ac medium pertingendi ad veram felici-
Osee xiv, 10. tatem. Ideo scriptum est in Osee : Quis sapiens, et intelliget ista ? intelligens, et sciet hæc ? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis ; prævaricatores vero corruent in eis. *An tu aliter existimas*, o Boeti ?

— *Minime, inquam : nam etiam quod est consequens*, id est, conclusio quæ sequitur ex prædictis, *patet. Ex his enim quæ concesserim*, id est, ex præinductis quæ concessi, *bonos quidem potentes, malos vero necesse est esse imbecilles*, id est, ex concessis istud necessario sequitur : et hoc, juxta expositionem jam habitam. Sic enim impotentes fuerunt pontifices Judæorum Annas et Caiphas et Pilatus, qui Christum occiderunt ; et Christus fuit potens : qui tamen prævaluerunt, et Dei Filium occiderunt. Cui et unus eorum dixit :
Joann. xix, 10. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te ? Et nihilo minus Christus aliquo modo
Ps. xxi, 16. fuit infirmus : sicut ait in Psalmo, Aruit
Ps. xxx, 11. tanquam testa virtus mea ; itemque, Infirmata est in paupertate virtus mea. Sic quoque Laurentius fortior fuit Decio, quem sapientia ac virtutum constantia superavit ; et infirmior quantum ad carnis passibilitatem illo, cujus tyrannide occidebatur.

— *Recte (inquit) præcurris*, id est, Philosophia dixit, Rationabiliter, o Boeti, istud conclusisti præveniendo me, qui istud conclusissem ; *idque (uti medici solent sperare) indicium est erectæ jam resistentisque naturæ :* hoc est, et « id », id est, quod ita præcurris, inferendo quod sequitur ex inductis, « est indicium naturæ erectæ jam » ac « resistentis », id est, signum quod ratio tua modo ad veritatem et æquitatem est elevata, efficaciterque resistens motibus passionum, quibus dudum succubuisti quodammodo ; « uti », id est sicut, « medici solent sperare » de curatione ægroti per signa quædam prognostica.

Insuper Philosophia videns profectum Boetii, animatur diffusius ei probare intentum. Gaudent namque magistri in profectu discipulorum suorum, et inde provocantur ad instruendum eos plenius. Unde in tertia sua Canonica sanctus ait Joannes : Majorem horum gratiam non habeo, III Joann.
quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes. *Sed quoniam te ad intelligendum*, id est ad suscipiendum meam doctrinam, *promptissimum esse conspicio :* juxta illud Ecclesiastici, Auris bona Eccli. iii,
cum omni concupiscentia audiet sapien- 31.
tiam. Et Jacobus ait : Sit omnis homo Jacob. i, 19
velox ad audiendum ; itemque : In man- Ibid. 21.
suetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. *Crebras coacervabo rationes*, id est, accumulabo jam frequentes ac plures probationes ad idem firmius comprobandum.

Vide enim quanta vitiosorum hominum pateat infirmitas, quæ opponitur firmitati virtutum, stabilitati atque constantiæ mentis in Deo, ac robori spirituali : de quibus Dominus dixit ad Josue, Confortare, et esto Josue i, 7
robustus valde, ut custodias omnem legem meam ; Apostolus quoque ad Ephesios, Confortamini in Domino et in potentia Ephes. v,
virtutis ejus. Quumque hac fortitudine 10.

careant iniqui, merito in Scripturis comparantur pulveri, stipulæ, ac favillæ : juxta illud in Psalmo, Ps. i, 4. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ; Ps. lxxxii, 14. itemque, Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti. Is. i, 31. Isaias quoque ait : Erit fortitudo impiorum ut favilla stuppæ, et opus eorum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul.

Qui ne ad hoc quidem pervenire queunt, id est, efficaciter non valent. Et suæ infirmitatis ac impotentiæ vitiosæ sunt causa, non se præparando nec dando ad robur virtutum, quoniam male agendo, obicem ponunt gratiæ Dei, qui in Apocalypsi loquitur : Apoc. iii, 20. Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum. De quo legitur alibi : Jacob. v, 9. Ecce Dominus ante januam adsistit. Pulsat quippe Deus omnipotens januam cordis tui, dum te per divinos instinctus, per angelicas inspirationes, per devotorum hominum allocutiones ad meliora hortatur; aperis autem, dum acquiescis atque obtemperas. Sed, heu! multi advertere aspernantur, et Deum creatorem suum repellunt a se. De quibus ipse conqueritur per Zachariam : Zach. vii, 11, 12. Noluerunt attendere, et aures suas aggravaverunt, et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. *Ad quod eos naturalis ducit ac pene compellit intentio,* id est ad beatitudinem, ad quam naturalis inclinat affectio, imo et vehementer instigat. Propter quod quarto de Civitate Dei loquitur Augustinus : Nemo est qui se nolit esse felicem.

Consequenter subditur alia ratio ad idem probandum, ut quidam exponunt. Verumtamen non sunt proprie speciales rationes, sed declarationes quædam in præhabitis motivis virtualiter comprehensæ, et excitationes mentis ad considerandum quæ proponuntur.

Et quid, id est, quid agerent isti, *si hoc tam magno ac pene invicto præeuntis naturæ desererentur* ac privarentur *auxilio,* id est, si auferretur eis naturalis ista inclinatio fortis et insuperabilis ad felicitatem? Quasi dicat : Si illam non haberent, multo plus deviarent. Quod auxilium vocatur « præeuntis naturæ », quoniam a natura naturante et antecedente eis impressum est, vel quoniam prævenit eorum malitiam.

Considera vero quanta sceleratos homines habeat impotentia, id est, quam magnam impotentiam habeant ipsi : juxta quod tradit Philosophus in Postprædicamentis, quod unus modus habendi est quod quis habetur; sicut lubricus habens uxorem, habetur ab ea, et avarus habens pecuniam, habetur et possidetur ab ipsa. Et hic tropus loquendi dicitur hypallage.

Neque enim levia aut ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt, id est, non appetunt finaliter bona vana, jocosa ac vilia pro mercede, quæ sunt talia et tam magna quod non valeant ea acquirere : quamvis etiam talia quærant et cupiant, ac in eis felicitatem et ultimum finem sibi excæcati constituant; in quibus nec sufficientiam nec quietem inveniunt, ut supra, tertio libro, ostensum est. Pros. iii-viii. *Sed circa ipsam rerum summam verticemque deficiunt,* id est circa Deum, qui solus est summum bonum, et summa, id est plenitudo summaria omnem in se perfectionem includens, et vertex, id est summum principium universorum, in quo dumtaxat sufficientia, quies, beatitudo ac ultimus finis consistit. Circa quod bonum impii errant, non illi sed sibi ipsis et rebus caducis finaliter inhærendo, in quibus quærunt quod in solo Creatore poterunt reperire. Ideo subditur : *Nec in eo miseris contingit effectus,* id est, vitiosis hominibus non provenit optata felicitas in summo bono, *quod solum dies noctesque moliuntur,* id est, « quod » summum bonum dumtaxat naturaliter atque finaliter cupiunt adipisci per « dies » et « noctes », hoc est diurnis ac nocturnis temporibus.

In qua re, id est in consecutione seu adeptione veræ felicitatis summique boni, *vires bonorum eminent,* id est, fortitu-

dines gratiosæ justorum præfulgent et A reserantur : in quibus sunt tot vires quot virtutes; et quorum naturales potentiæ per dona gratiæ ac per virtutes infusas perficiuntur. Et hoc declaratur consequenter per simile.

Sicut enim eum qui pedibus incedens, ad eum locum usque pervenire potuisset, id est, realiter et actualiter pervenisset, *quo nihil ulterius pervium jaceret* (id est, nihil viæ aut spatii pertransibilis superesset) *incessui, ambulandi potentissimum esse censeres*, id est, talem viatorem ju- B dicares ac diceres esse fortissimum, aut valde fortem ambulatorem : præsertim si a locis multum remotis veniret. Propter quod Hercules quum ad Oceanum devenisset, statuit columnas in mari, in memoriale fortitudinis suæ. Porro Alexander rex, cupiens præminere, constituit remotius in ipso Oceano suas columnas. *Ita necesse est judices*, id est, sic oportet ut fatearis ac recognoscas, *eum esse potentissimum*, id est valde potentem potentia meritoria ac gratuita, *qui apprehendit*, C id est, consequitur et acquirit, *finem expetendorum*, id est summum bonum seu felicitatem, quæ est finis omnium desiderabilium, *quo nihil ultra est*, id est, ultra quod summum bonum nihil restat optandum. Non enim aliud ultra aut supra ipsum est : imo ipsum est finis finium.

Ex quo fit, id est, ex prædictis consequens est, *quod huic objacet*, id est, ultimo fini præfato repugnat, atque ab ejus adeptione impedit, utputa istud : *ut iidem scelesti*, id est ipsi vitiosi, *viribus omni-* D *bus videantur esse deserti*, id est destituti et privati omni robore gratiæ ac virtutum : de quo ait Apostolus, Optimum est gratia stabiliri cor. Idcirco hostibus suæ salutis subduntur, omni tentatione vincuntur, et inter effeminatos computantur. In quorum persona dici potest illud Baruch : Facti sumus subtus, et non supra. Quibus etiam convenit illud Osee : Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. Unde subjungitur :

Hebr. XIII, 9. — Baruch II, 5. — Osee VII, 11.

Cur enim relicta virtute vitia sectantur, sequendo sensualitatem, non rationem, dæmonum suggestiones, non angelicas inspirationes, sæculi vanitatem, non Creatoris legem ac jussionem? Sicque peccaverunt dupliciter, utputa, recedendo a bono, et inhærendo maligno. De quibus loquitur Dominus per Jeremiam : Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas. *Inscitiane bonorum?* id est, utrum fecerunt hoc ex nescientia seu ignorantia bonorum? Sed hoc eorum impotentiam non minueret. Propterea subditur : *Sed quid enervatius*, id est debilius, *ignorantiæ cæcitate*, id est cæca ignorantia? Quæ directe contraria est perfectioni et felicitati rationalis creaturæ : cujus beatitudo in actu sapientiæ ponitur, hoc est in contemplatione altissimæ veritatis, quam Veritas summa suo amatori pro mercede promisit, dicendo : Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Denique teste Salomone, Quantum lux excedit tenebras, tantum sapientia ignorantiam. Quæ quam periculosa consistat, constat ex eo quod ait Apostolus : Qui ignorat, ignorabitur. Tenetur autem unusquisque scire ea quæ ad suam spectant vocationem suumque statum, nisi inevitabili excusetur obstaculo.

Jer. II, 13. — Joann. XIV, 21. — Eccle. II, 13. — I Cor. XIV, 38.

An sectanda noverunt? id est, utrum sciunt ea quæ credere, sequi et operari tenentur? Et certum est quod quidam iniquorum illa sciunt, quidam ignorant. De scientibus vero mox sequitur : *Sed transversos eos libido præcipitat*, hoc est, « libido », id est fomes seu concupiscentia mala, « præcipitat », id est dejicit, « eos transversos », id est a summo bono aversos, et a rectitudine æquitatis obliquatos : quemadmodum Daniel dixit ad judicem impium : Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. Ita in multis est informis cognitio veri : quos trahit ad iniqua ac vincit libido seu prava affectio. Imo quidam sunt in caritate et gra-

Dan. XIII, 56.

tia, et tamen passionibus, tentationibus ac blandimentis vincuntur. Nec solum libido, id est desiderium delectationis, sed et timor afflictionis multos præcipitat in foveam criminis ac gehennæ. A

Sic quoque intemperantia fragiles sunt, qui obluctari vitio nequeunt : id est, qui peccatis resistere et prævalere non valent propriis vitiis (quia non habent caritatem et gratiam, sine quibus nemo potest ad tempus notabile reluctari et prævalere peccatis, ut dicit in Quodlibetis Henricus), « sunt fragiles », id est debiles et proni ad malum, « intemperantia », id est ex propria indiscretione et immoderatione, qua facere negligunt quod in ipsis est : et ita sunt causa culpabilis suæ impotentiæ et fragilitatis. Quumque omne peccatum sit voluntarium, secundum Augustinum; nec Deus ab aliquo exigat ultra quod potest, secundum Hieronymum, qui testatur, Maledictus qui dicit Deum requirere ab homine impossibile aliquid : certum est quod homo qui peccat, non penitus nequit, imo potest vitiis obluctari. Et si objiciatur, quod non potest hoc sine adjutorio gratiæ Dei, concedendum est : nihilo minus potest, quia secundum Philosophum in Ethicis, id dicimur posse, quod possumus per nostros amicos; Deus vero rationali creaturæ ipsum invocanti amicissimus est : quem si ut oportet invocaverimus, indubitanter gratiæ suæ præstabit auxilium.

[Cf. t. XXII, 355 A et]

B

C

An scientes volentesque, bonum deserunt et *ad vitia deflectuntur?* id est, utrum peccantes « deserunt bonum », id est Deum essentialiter bonum, et virtutem ac viam salutis, « scientes » se peccare, et quid sit bonum ac eligendum, et item an faciunt hoc « volentes », aut magis coacti? Hanc quæstionem, quæ magna est, non multum prosequitur in hoc loco Philosophia. Ad quam Socrates dixit, quod omnis peccans est nesciens : unde et addidit, scientiam non distingui a virtute, et quod mali non habent scientiam boni. Aristoteles vero in libro Ethicorum docet et

D

probat oppositum, atque affirmat, quod peccans vir potest habere rectum judicium et veram notitiam in universali, tamen in particulari eventu et casu errat judicatque perverse : ita quod passio, timor, voluptas, concupiscentia, aut aliquid tale, rectitudinem judicii sui subvertit, et judicat hoc aut illud malum esse agendum, in quantum videtur sibi delectabile, utile aut honestum. Sicque fatetur Philosophus, quod omnis peccans est errans. Quod et Salomon in Proverbiis fassus est : Via (inquiens) stulti recta in oculis ejus; itemque : Omnis viri via recta sibi videtur. Unde et divinus Dionysius fatur : Nullus respiciens ad malum operatur, id est, nullus eligit, diligit operaturve malum, nisi sub ratione alicujus boni. Vitiosi ergo possunt habere scientiam nudam, informem; non autem habent scientiam formatam, boni approbativam, et efficacem.

[*Prov.* XII, 15. — *Ibid.* XXI, 2. — De Divin. nom. c. IV.]

Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt, id est, iniqui « non solum desinunt esse potentes » per gratiam ac virtutes « hoc modo », id est peccando, « sed » et desinunt « esse omnino » : non utique esse naturæ perdendo, quia adhuc bibunt et comedunt, et in bonis concupiscentiarum dies suos ducunt, ac deinde in puncto ad infernum descendunt. Unde et sanctus Job ait : Quare impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis? Desinunt ergo esse, amittendo spirituale esse gratiæ ac virtutum. De quo esse dixit Apostolus : Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. Hinc est illud Salomonis : Verte impios, et non erunt. Sic quoque iniqui mortui perhibentur, quoniam vita gratiæ carent. Propter quod in Evangelio ait Christus : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Paulus quoque : Vidua (ait) quæ in deliciis vivit, mortua est. Denique illud Joannis, Sine ipso factum est nihil, Augustinus exponens, affirmat : Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines quando peccant. *Nam qui communem omnium quæ sunt finem*

[*Job* XXI, 13. — *Ibid.* 7. — *Galat.* VI, 3. — *Prov.* XII, 7. — *Matth.* VIII, 22. — I *Tim.* V, 6. — *Joann.* I, 3.]

relinquunt, videlicet Deum excelsum et A gloriosum, totius esse ac vitæ fontem, *pariter quoque esse desistunt* per totius spiritualis esse amissionem.

Quod quidem cuipiam mirum forte videatur, id est, hoc forsitan potest alicui mirum et irrationabiliter dictum videri, *ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus,* id est, « ut dicamus » iniquos « non esse, qui sunt plures hominum », id est plures de numero hominum, et pars major eorum, quum multi sint vocati, et pauci electi. (Matth. xx, 16; xxii, 14.) *Sed ita sese res* B *habet,* id est, revera sic est, juxta sensum inductum : aliter falsum esset, quum impiissimi sint primæ et particulares substantiæ, et vera supposita. *Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo,* id est, non nego; *sed eosdem esse pure atque simpliciter, nego,* id est, non concedo neque admitto, quod habeant esse, pure simpliciterque loquendo, hoc est sine admixtione vanitatis impuritatisque culpæ, ac nihili spiritualis. Sicque esse non sumitur hic prout capitur communiter, et verbum C substantivum vocatur, sed prout importat participationem beati ac beatifici esse : quæ participatio per gratiæ ac gloriæ supernaturalia dona efficitur. Cujus esse comparatione ac respectu, esse naturæ pro nihilo reputatur, ut super illud Joannis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Augustinus effatur. (Joann. xvi, 23.)

Nam uti cadaver, hominem mortuum dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis, hoc est, sicut asserere potes, quod cadaver sit homo mortuus, D non autem simpliciter dicere potes sine mendacio, quod sit homo; *ita vitiosos, malos quidem esse concesserim,* id est, concedo quod sint mali, seu etiam homines mali, *sed esse absolute, nequeam confiteri,* hoc est, « nequeam », id est, non valebo, « confiteri » quod sint, « absolute » loquendo. Juxta quem modum Augustinus loquitur super Joannem : Quisquis se inaniter jactat, atque in propriis oculis magnus est, nihil est. Hinc homo a summo et essentialiter superbeatissimo Deo se avertendo per culpam, quæ formaliter nihil est, nihileitatem quamdam incurrit : nam et accidens privativum seu corruptivum, subjectum suum denominat. Ideo per Jeremiam loquitur Deus, qui solus est esse omniformiter plenum ac infinite simpliciterque perfectum : Quid iniquitatis invenerunt patres vestri in me, (Jer. ii, 5.) quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?

Est enim, quod ordinem retinet servatque naturam : id est, illud simpliciter loquendo fateor esse, quod ordinate se habet et convenienter respectu ultimi finis, hoc est in debita habitudine ac relatione ad summum et ultimum finem, atque in hoc conservat naturalem proprietatem, et suam essentiam continet in vigore. *Quod vero ab hac deficit,* id est, ab ista natura naturalique ordine ac proprietate recedit, *esse etiam quod in sui natura situm est,* id est esse suum naturale, *derelinquit,* id est amittit : non ut sibi non insit realiter, sed ut sibi non prosit salubriter. Juxta quem sensum ait in Evangelio Veritas : Habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui (Matth. xxv, 29.) non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Etenim non habens habet, qui non habet cum gratitudine et usu salubri.

Consequenter Philosophia tangit aliam contra prædicta instantiam. *Sed possunt (inquies) mali,* id est, tu, Boeti, « inquies », id est dices, « Mali possunt », id est, agere aliqua valent.

Ad quod Philosophia respondet: *Nec ego quidem negaverim,* id est, ego certe non nego hoc; *sed hæc eorum potentia, non a viribus, sed ab imbecillitate descendit,* id est, « potentia » peccandi quam habent, secundum quod est radix peccandi, non procedit « a viribus » naturalibus, nec a virtutibus acquisitis seu infusis, sed ab innata defectuositate, quam habent in quantum ex nihilo sunt : quia ut asserit Augustinus, voluntas creata in quantum ex nihilo, est prima causa et radix peccan-

di. Verumtamen, sicut jam dixi, certum est quod iniquis veraciter insint veræ et reales potentiæ : ut potentia sensitiva, motiva, intellectiva ac volitiva, corporea fortitudo, potestas prælatica et sacramentalis ac præsidentialis. Verum Philosophia hic loquitur de potentia operandi moraliter, bene aut male. Præterea, ut sanctus Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus docet, malum formaliter sumptum, non est aliqua positiva realitas seu natura, sed privatio boni : ideo fundatur in bono, et fluit a bono creato, deficiente ac libero, secundum quod ex nihilo est, prout Alexander super primum et secundum Sententiarum tractat diffuse, Thomas quoque, Albertus, Bonaventura, Ægidius aliique ibidem conscribunt.

[Cf. t. XX, 629 D' et 633 B' et ; XXI, p. … D' et s.]

Possunt enim mala, id est peccare, *quæ minime valerent, si in bonorum efficientia manere potuissent :* id est, mala non possent, « si potuissent manere », id est usque in finem perseverare, « in efficientia », id est exercitio actualique usu, « bonorum », id est laudabilium operum.

Præterea advertendum, quod in homine voluntas liberumve arbitrium est origo bene et male agendi : sicque est eadem naturalis potentia operandi virtuose ac vitiose. Et sicut virtuosi possunt peccare (imo et Deum assidue deprecantur, quatenus ab ipso a vitiis præserventur), sic vitiosi possunt converti et laudabiliter conversari : alias frustra admonerentur ad pœnitendum et emendandum se. Sed sicut virtuosi secundum quod tales, non possunt peccare (quia virtutibus nemo directe utitur male), sed in quantum sunt arbitrii liberi ; sic vitiosi secundum quod vitiosi, nequeunt agere bene, sed ut liberi exstant arbitrii, possunt pœnitere, et fieri boni virtuoseque agere. Et juxta hæc intelligendus est totus iste passus Philosophiæ. Atque juxta hunc modum ait Dominus : Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Per Jeremiam quoque dicitur : Si Æthiops potest mutare pellem suam, aut pardus varietates suas ; et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum.

[Matth. VII, …] [Jer. XIII, 23.]

Quæ possibilitas eos evidentius nihil posse demonstrat, id est, potentia ista peccandi, clarius pandit quod iniqui nihil possint, secundum quod tales : quia et opus eorum secundum quod ab ipsis procedit, id est a prava voluntate eorum, est malum et inordinatum, et per consequens, peccatum et nihil. Attamen, secundum quod procedit a naturali eorum potestate et vi, aliquid est, ut fornicari, furari, rapere, trucidare. *Nam si, uti paulo ante collegimus,* id est, ex diversis præmissis conclusimus, *malum nihil est,* id est malum culpæ quantum ad suum formale, quod est deformitas atque aversio mentis; *quum mala tantummodo possint, nihil posse improbos liquet :* id est, constat vitiosos ut tales, « nihil posse, quum possint tantummodo mala », sicut expositum est, puta in quantum tales. Porro his consonat quod ait Anselmus : Qui id potest quod sibi non expedit nec ipsum decet, quanto plus hoc potest, tanto impotentior est et imperfectior esse convincitur. Alioqui omnipotens Deus, a cujus potentia excluduntur mala et privativa, impotens esset. — *Perspicuum est.*

[Cf. p. 424 B'.]

Insuper Philosophia declarat adhuc ea quæ dixit; nec istæ declarationes sunt proprie speciales probationes, quamvis ex eis accipi possint et elici aliquæ rationes.

Atque ut intelligas quænam sit hujus potentiæ vis, id est, ut clarius noscas quæ et qualis sit potentia iniquorum, addo quod sequitur. *Summo bono nihil potentius esse paulo ante definivimus,* id est determinavimus : quod tamen probatione non indiget, quum constet summum bonum penitus infinite potentius esse omni alio ente. — *Ita est, inquam,* id est, ego Boetius dico sic esse. — *Sed idem, inquit, facere malum nequit,* id est, Philosophia ait, « Idem », id est summum bonum, « nequit facere malum », id est peccatum. Ad quod Boetius : *Minime.*

[Cf. p. 423 C' et s., 389 D' et s.]

Et Philosophia : *Est igitur, inquit, ali-*

quis qui omnia posse homines putet? id A est, estne « aliquis qui putet homines posse omnia », ita quod sint omnipotentes? Ad quod Boetius : *Nisi qui insaniat, nemo,* id est, nullus homo hoc æstimat, nisi forsan insanus sit. Subdit Philosophia : *Atqui,* id est certe, *iidem possunt mala,* id est, ipsi homines « possunt » efficere « mala ». — *Utinam quidem, inquam, non possent :* id est, ego Boetius dico, « Quidem », id est pro certo, « utinam » homines « non possent » peccare, ita quod essent in gratia confirmati. B

Ad quod Philosophia : *Quum igitur bonorum tantummodo potens,* id est, quum Deus, qui solum potest bona, *possit omnia; non vero queant omnia potentes etiam malorum,* id est, homines, qui sunt « potentes etiam malorum », id est, qui facere possunt non solum bona, sed etiam mala, non sint potentes « omnia », id est omnipotentes : *eosdem qui mala possunt, minus posse manifestum est,* id est, clarum est quod ipsi homines, « qui » facere « possunt mala », sunt ex hoc ipso impotentio- C res : et sic, posse facere mala non est potentia.

Deinde subditur ad hoc ratio alia. *Huc accedit,* id est, ad istud probandum valet, *quod omnem potentiam inter expetenda numerandam, omniaque expetenda, referri ad bonum velut ad quoddam naturæ suæ cacumen ostendimus :* id est, « quod » jam supra probavimus « omnem potentiam », præsertim activam, esse « numerandam » et ponendam ac computandam « inter expetenda », id est inter bona desideranda D (unde in tertio libro est probatum, quod potentia ad beatitudinem pertinet) ; et « ostendimus » quod « omnia expetenda », sint « ad » summum « bonum » finaliter referenda. *Sed patrandi sceleris possibilitas referri ad bonum non potest : expetenda igitur non est,* id est, possibilitas seu potentia peccandi non est desideranda, in quantum est origo et radix transgrediendi. *Atqui,* id est sed, seu certe, *omnis potentia expetenda est,* saltem alicui, et ei potissime cujus naturæ convenit : sicut vis sensitiva animali, non angelo. *Liquet igitur malorum possibilitatem,* in quantum illorum est origo principiumque peccandi, sicut expositum est, *non esse potentiam.*

Cf. p. 301 B.

Cf. p. 395 C et s.

Ex quibus omnibus bonorum quidem potentia, malorum vero minime dubitabilis apparet infirmitas : id est, ex præhabitis argumentis « potentia quidem bonorum apparet », id est ostenditur, « infirmitas vero malorum » apparet « minime dubitabilis », id est nequaquam ambigua.

Veramque illam Platonis esse sententiam liquet : solos quod desiderent, facere posse sapientes, id est, quod sapientes dumtaxat habeant veram potentiam adimplendi et operandi quæ volunt, videlicet veraciter bona ; *improbos vero exercere quidem quod libeat,* id est, quod eorum sensualitati perversæque voluntati placet, ac male delectat, *quod vero desiderent, explere non posse,* id est, quod non valeant opere adimplere ac obtinere quod potissime atque finaliter optant : quod est felicitatem acquirere, a cujus adeptione deficiunt, loquendo de reprobis ; multi vero electi, ad tempus sunt mali ac improbi. Hinc expositorie subditur :

Faciunt enim quæ libet, id est, iniqui agunt quæ placent eis, ut dictum est, *dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant :* id est, quum æstimant « se adepturos id bonum quod desiderant », id est bonum finale, utputa beatitudinem, quod in omnibus quærunt, constituentes sibi ultimum finem in rebus caducis, « per ea quibus delectantur », id est per vana ac variabilia, in quibus præcipue se oblectant, dicentes illud Sapientis : Venite, et fruamur bonis Sap. II, 6-8. quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter, nec prætereat nos flos temporis ; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. *Sed minime adipiscuntur,* id est, per talia et in talibus felicitatem nequaquam acquirunt : imo æternam damnationem merentur, ut pro-

f. p. 276 C'. batum est evidenter libro secundo; *quoniam ad beatitudinem probra non veniunt,* id est, peccata ad felicitatem non pertingunt nec ducunt, sed ad opprobrium infernale, quemadmodum per Jeremiam Jer. xxix, 8, 19. Deus testatur : Dabo eos in vexationem et maledictionem, et in stuporem ac sibilum, atque in opprobrium sempiternum, eo quod non obedierint mihi. Quod dum eve- A nerit impiis, adimplebitur quod diu ante prædictum est in libro Sapientiæ : Viden- Sap. v, 2, 3, 6-9. tes turbabuntur timore horribili, gementes præ angustia spiritus, et dicentes : Erravimus a via veritatis, et lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Quid nobis profuit superbia? Aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.

METRUM II

Quos vides sedere celso (*al.* celsos)
Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
Avidis corda venenis;
Hinc flagellat ira mentem,
Fluctus turbida tollens;
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.
Ergo quum caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit quod optat ipse
Dominis pressus iniquis.

ARTICULUS V

EXPOSITIO METRI HUJUS SECUNDI.

Sicut in prosa præcedenti probavit B Philosophia justos esse potentes, impios impotentes; ita hic probat hoc metrice compendioso sermone. Estque ordo verborum :

O Boeti, *si quis detrahat* (id est, exuat et auferat) *superbis tegmina,* id est indumenta, *cultus vani,* id est superbi et curiosi ornatus : *quos* superbos *vides sedere reges,* ita quod sedendo ac præsidendo sunt reges, *culmine,* id est dignitate, *solii,* id est regalis fastigii, *celso,* id est alto, quoniam rex habet quodammodo plenitu- C dinem potestatis civilis, præsertim monarcha seu imperator; *claros purpura nitente,* id est fulgida veste purpurea : qua olim, ut fertur, non licuit nisi regibus uti, et quibus reges hoc annuerunt. Unde primo Machabæorum habetur, quod rex Antiochus dedit Jonathæ potestatem utendi I Mach. xi, 58. purpura et bibendi in auro. *Septos armis tristibus,* id est armigeris, quibus frequenter eveniunt tristia et adversa in præliis, imminenteque bello aliquando pavent. Propter quod in Job scriptum est : Angustia vallabit impium, sicut regem qui Job xv, 24. præparatur ad prælium. Dicuntur quoque tristia arma ex consequente effectu, quia mœstitiam grandem inferunt eis quos occidunt et lædunt, atque amicis et propin-

quis eorum. Tales armigeri adstant regibus A
pro eorum custodia et tutela ; aut etiam
circumeunt eorum cubiculum, juxta illud
Cant. III, 7. 8. in Canticis : En lectulum Salomonis sexa-
ginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel,
omnes tenentes gladios, et ad bella doctis-
simi, propter timores nocturnos. Insuper
I Reg. XXII. 6. primo libro Regum habetur : Quum Saul
rex esset in nemore hastam manu tenens,
circumsteterunt eum satellites ejus. *Com-
minantes,* id est, minas inferentes his
quibus indignantur, *ore torvo,* id est fero-
ci adspectu ; *anhelos,* id est ebullientes et B
spumantes, *rabie cordis,* id est furore quo-
dam et iracundia animi : sicut S. Guillel-
mus nondum conversus spumavit contra
S. Bernardum. *Videbit jam dominos,* id est
ipsos reges, *ferre intus,* id est in anima,
catenas arctas, id est vincula vitiorum,
mentem stringentia atque prementia, jux-
Job XVI, 8. ta illud Job : Nunc autem oppressit me
dolor. Istæ sunt arctæ catenæ quæ men-
tem deprimunt et angustant, ne in liber-
tatem spiritus evolet ac respiret. Quocon-
II Cor. III. 17. tra dixit Apostolus : Ubi Spiritus Domini, C
Prov. XV. 15. ibi libertas ; Salomon quoque : Secura
mens, quasi juge convivium.

Hinc enim, id est ex hac parte, *libido,*
id est concupiscentia et complacentia pra-
va, *versat,* id est, exagitat et circumagit,
corda carnalium hominum, quibus passio-
nes adhuc dominantur, *venenis avidis,* id
est affectibus et oblectamentis fallacibus
inficientibus animam. Unde in Ecclesiaste
Eccle. XI, 10. habetur : Adolescentia et voluptas vana
Eccli. XVIII. 30. sunt ; in Ecclesiastico quoque : Post con-
cupiscentias tuas non eas, et a voluptate D
tua avertere. Quemadmodum autem sapi-
entia et virtutes mentem reddunt quie-
tam, sic passiones et vitia eam efficiunt
inquietam, instabilem ac nutantem, juxta
Ibid. XXVII. 12. quod scriptum est : Homo sanctus in sapi-
entia manet ut sol, stultus mutatur ut
luna.

Hinc ira flagellat, id est, torquet, affli-
git pungitque, *mentem :* juxta illud Job,
Job V. 2. Virum stultum interficit iracundia. Unde
ait Hieronymus : Quid irato confert ira-
cundia sua, quem sævissimis exagitat sti-
mulis, ut dum irascitur, insanire creda-
tur ? *Tollens,* id est, extollens et erumpere
faciens, *turbida,* id est turbulentos impe-
tus, *fluctus,* id est interioris commotionis
ex inundationibus fellis seu choleræ ac
sanguinis evaporantis, ex quibus mente
cæcata (juxta illud Catonis, Ira impedit
animum ne possit cernere verum), contin-
git quod Salomon loquitur : Ira non habet Prov. XXVII, 4.
misericordiam, nec erumpens furor ; et
impetum concitati spiritus ferre quis po-
terit ? Unde et ira in vindicando modum
excedit. Propter quod unus velut pruden- Socrates.
tium dixit ad offendentem : Ego me vindi-
carem de te, nisi irascerer tibi. Hinc dixit
et Seneca : Quamdiu irasceris, nil tibi lici-
tum putes, nisi ut ipsam iram refrenes ;
quia quamdiu irasceris, quidquid commo-
tio suggerit, licitum arbitraris.

Aut mœror, id est inordinata tristitia,
fatigat captos, id est vitiis victos, seu cor-
poraliter vinctos. Idcirco in Proverbiis
dicitur : In mœrore animi dejicitur spiri- Prov. XV, 13.
tus ; itemque : Animus gaudens ætatem Ibid. XVII, 22.
floridam facit ; spiritus tristis exsiccat os-
sa. *Aut spes lubrica,* id est incerta exspe-
ctatio liberationis seu prosperitatis spera-
tæ, *torquet* cor ejus qui non consequitur
quod speravit, aut cui contrarium accidit.
Unde Salomon est locutus : Spes quæ dif- Ibid. XIII, 12.
fertur, affligit animam ; lignum vitæ, de-
siderium veniens. Jeremias quoque pro-
pheta : Sustinuimus (inquit) pacem, et non Jer. VIII, 15 ; XIV, 19.
venit ; quæsivimus bona, et ecce turbatio.

Ergo, o Boeti, *quum cernas,* id est
videas, *unum caput,* id est unum suppo-
situm, intelligendo totum per partem ; vel,
« unum caput », id est unum capitaneum
seu regem aut principem (juxta illud in
Amos propheta, Optimates capita populo- Amos VI, 1.
rum ; et item in Isaia, Longævus et hono- Is. IX, 15.
rabilis, ipse est caput) ; *ferre,* id est mise-
rabiliter ac infeliciter pati, *tot tyrannos,*
id est tyrannicos et crudeles motus et
impetus passionum, quibus superatur ac
subditur, ideoque eorum est servus, juxta
illud in secunda beatissimi Petri Cano-

Petr. II, nica : A quo quis superatus est, hujus et A servus est. Iniquus ergo tot dominos habet nequissimos, quot tentatoribus ac tentationibus, quot vitiis, passionibus et peccatis dejicitur. *Ipse pressus,* id est homo quicumque, seu princeps sive tyrannus, oppressus, tot *dominis iniquis,* id est vitiis, scilicet spiritu superbiæ, spiritu iracundiæ, spiritu fornicationis, et consimilibus immundis spiritibus (de quibus in Evangelio ait Salvator : Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit ; tunc vadit, et assumit alios septem spiritus nequiores se, etc.), *non facit quod optat.* Matth. XII, 43, 45.

ARTICULUS VI

DIFFICULTATUM PROSÆ AC METRI PRÆCEDENTIUM PROPOSITIO LUCULENTAQUE EXPEDITIO.

JOANNES. — Circa præcedentis prosæ B eloquia occurrunt mihi dubia multa : attamen ex tua expositione diligenter pensata, pro magna parte videntur soluta. Nonne a Joanne Damasceno veraciter est prolatum, quod nulla res creata expers est propriæ operationis? Ergo nec propriæ potentiæ, quum potentia sit vis operandi. Quomodo ergo vitiosi non habent potentiam ? Rursus, si non habent potentiam, ergo non possunt se emendare. Cur ergo de emendatione monentur ? Amplius, de Sap. VI, 7, iniquis scriptum est : Potentes potenter C tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatus. De quibus sacratissima, Luc. I, 52. incomparabilis atque Deifera Virgo, Deposuit (ait) potentes de sede. Aristoteles quoque asserit, unumquodque esse perfectum seu perfectæ potentiæ, dum potest sibi simile generare : quod possunt ac faciunt multi iniqui, et nequeunt quidam justi.

Cf. p. 448 et s. DIONYSIUS. — Verba Philosophiæ (ut dixi) intelligenda sunt pie, et proprie ac præcise, nec de quacumque potentia, ut Cf. p. 457. satis expressum est. Iniqui etiam possunt D se emendare, faciendo quod in ipsis est, vi liberi arbitrii, et informi virtute, acquisita seu infusa, nondum tamen sortiti potestatem virtutis formatæ, meritoriæ, Deo acceptæ, de qua Philosophia hic loquitur. Denique, reges iniqui ac infideles, dicuntur potentes et fortes potestate corporali, præsidentiali.

JOANNES. — Frequenter jam dictum est, quod non sit summum malum. Et apparet quod imo : quoniam summo bono opponitur summum malum, summæ felicitati summa miseria, summæ virtuti summum peccatum.

DIONYSIUS. — Deo proprie nihil opponitur, nec contrarie, nec privative, nec contradictorie, quum Deus sit supra omne genus, et supra et ante esse, ut in libro de Causis ostenditur. Porro, quum dicitur non esse aliquod summum malum, intelligendum est juxta sanctorum Patrum et catholicorum doctorum intentionem, qui locuti sunt hoc contra stolidissimi Manichæi hæreticam falsitatem : qui (ut sanctus disseruit Leo Papa) inexplicabilium mendaciorum monstra contexuit, affirmans duo esse realia, formalia et effectiva rerum prima principia, æterna et increata, unum substantialiter bonum, aliud essentialiter malum : quod prorsus falsissimum est, quum unumquodque tantum habeat de bonitate, quantum de entitate et potestate productiva. Verum, quum malum, juxta communem distinctionem, sit duplex, videlicet, malum culpæ, et malum pœnæ : dici potest, quod sicut caritas Dei est summa virtus, sic odium Dei est sum-

mum maximumque peccatum seu malum A culpæ; et sicut beatitudo humanitatis Christi est summum bonum gloriæ constitutum in genere, sic pœna et afflictio primi illius apostatæ, seu Antichristi, est aut erit summum malum pœnæ.

JOANNES. — Quum unumquodque producat simile sibi, quomodo potest bonum esse origo, subjectum et causa mali?

DIONYSIUS. — Bonum in quantum bonum, est adductivum boni, secundum Philosophum, et suæ bonitatis diffusivum,
Cf. t. XVI, p. 87 B, 120 A. secundum magnum Dionysium. Nihilo minus bonum in quantum ex nihilo et defectivum in se, ac indeterminatum seu indifferens ad utrumque oppositorum, utpote illimitatum ac liberum, potuit esse prima origo et causa atque subjectum mali, eo modo quo malo culpæ competit causam habere.

JOANNES. — Cupio clarius explanari quomodo omnis peccans sit ignorans, et item erronee judicans, quum quidam dicantur peccare ex certa scientia et cum actuali remorsu : quod verum non esset, nisi scirent hoc ipsum quod perpetrant, esse malum; sicque etiam in particulari habent scientiam et verum judicium.

DIONYSIUS. — Satis argute proponis hoc. Sed sicut, juxta Philosophum, projectio mercium in mare tempore tempestatis ex timore submersionis, est quid voluntarium involuntario mixtum ; sic in tali eventu quem tangis, est aliquid scientiæ, et aliquid ignorantiæ. In omni enim peccato B mortali, est rationis consensus : quæ non consentiret iniquitati, nisi jam quodammodo obscurata, victa maleque judicans ; sicque ignorantiam habet contrariam scientiæ formatæ, practicæ approbativæque boni, quamvis adhuc informis scientiæ notitiam servet. Et ita contingit unum et idem uno modo sciri, et alio modo nesciri : hinc talem dicimus insipientem, quamvis nudam et informem scientiam habeat.

PROSA III

VIDESNE igitur quanto in cœno probra volvantur, qua probitas luce resplendeat? In quo perspicuum est, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia. Rerum enim quæ geruntur, illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præmium esse non injuria videri potest : uti currenti in stadio, propter quam curritur, jacet præmium corona. Sed beatitudinem esse idem ipsum bonum propter quod omnia geruntur, ostendimus. Est igitur humanis actibus ipsum bonum, veluti præmium commune, propositum. Atqui hoc a bonis non potest separari : neque enim bonus ultra jure vocabitur, qui careat bono. Quare probos mores sua præmia non relinquunt. Quantumlibet igitur sæviant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet : neque enim probis animis proprium decus aliena decerpit improbitas. Quod si extrinsecus accepto lætaretur, poterat hoc vel alius quispiam, vel ipse etiam qui contulisset, auferre ; sed quoniam id sua cuique probitas confert, tum suo præmio carebit, quum probus esse desierit. Postremo, quum omne præmium idcirco appetatur quoniam bonum esse creditur, quis boni compotem, præmii judicet expertem? At cujus præmii? Omnium pulcherrimi maximique. Memento enim corollarii illius quod paulo ante

præcipuum dedi, ac sic collige : quum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes, eo ipso quod boni sunt*, fieri beatos liquet; sed qui beati sunt, deos esse convenit : est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet improbitas, deos fieri. * sint

Quæ quum ita sint, de malorum quoque inseparabili pœna dubitare sapiens nequeat. Nam quum bonum malumque, item pœna atque præmium, adversa fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant : sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. Jam vero quisquis afficitur pœna, malo se affectum esse non dubitat. Si igitur sese ipsi æstimare velint, possuntne sibi supplicii expertes videri, quos omnium malorum extrema nequitia non afficit modo, verum etiam vehementer inficit? Vide autem ex diversa* parte bonorum, quæ improbos pœna comitetur. Omne namque quod sit, unum esse, ipsumque unum, bonum esse, paulo ante didicisti. Cui consequens est, ut omne quod sit, id etiam bonum esse videatur. Hoc igitur modo, quidquid a bono deficit, esse desistit. Quo fit ut mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat : quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam. Sed quum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur ut quem transformatum vitiis videas, hominem æstimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Lupi similem dixeris. Ferox atque inquietus* linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus* subripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate deserta homo esse desierit, quum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

* adversa

* inquies

* occultis

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO TERTIÆ HUJUS PROSÆ.

POSTQUAM prosa jam præcedenti probatum est malos homines consistere impotentes, et bonos esse potentes, hic probat Philosophia utrisque debitam remunerationem accidere.

Videsne igitur, id est, quum illa quæ dicta sunt ita se habeant, nonne attendis, A *quanto in cœno probra volvantur,* id est, in quam magna turpitudine ac vilitate vitia fiant, ita quod in se ipsis sunt fœda ac turpia? Propter quod Seneca dixit : Quamvis dii vellent mihi ignoscere, nollem peccare, propter peccati turpitudinem ; Aristoteles quoque : Homo iniquus

decies millies pejor est bestiis. Hinc beatissimus princeps Apostolorum, de peccantibus post agnitam veritatem, in secunda sua epistola loquitur : Contingit illis illud veri proverbii, Canis reversus ad vomitum ; et, Sus lota in volutabro luti. Unde pœnitens videns in quantis sordibus fuit peccando, gratias referens, psallit : Eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis. Videsne etiam *qua probitas luce resplendeat*, id est, quanta claritate refulgeat virtus ? Cujus tantus est decor, quod animam efficit Dei amicam, sponsam ac filiam. Ideo dixit Macrobius, quod in virtute splendor est maximus. Et de justitia ait Philosophus, quod non est Lucifer nec Hesperus tam admirandi decoris. Recte ergo de qualibet anima virtuosa exponitur illud in Canticis : Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol ? Et rursus : Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

II Petr. II, 22. — Ps. XXXIX, 3. — Cant. VI, 9. — Ibid. 3.

In quo perspicuum est, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia : id est, clarum est ex hoc verbo præmisso, « præmia nunquam deesse bonis », id est justis et virtuosis hominibus, et « supplicia », id est justam pœnam, nullo tempore abesse « sceleribus », id est sceleratis hominibus : quia tam virtus quam vitium proprios habent effectus semper sibi conjunctos, ita quod virtutum effectus sunt salutares, præclari et valde amabiles (propter quod dici possunt præmia quædam seu retributiones virtutum), econtra effectus vitiorum sunt viles ac miseri et detestabiles nimis. Virtus quippe animam Deo conjungit, conformat, desponsat, perornat ; liberam cœlestisque regni facit eam heredem, Creatorisque sui amicam et filiam nobilem et sublimem, laudabilem, honorabilem, exemplarem, dæmonum et vitiorum victricem, fortem, tranquillam et intra se dulcem. Effectus vero vitiorum sunt his prorsus contrarii : quia peccatum animam a Deo elongat, dissimilem reddit ; diabolo eam assimilat, deturpat, fœdam, detestabilem, aspernabilem facit : imo adulteram facit eam diaboli, adversariam inimicamque Dei, æternaque damnatione condignam. Insuper mentem excæcat, lædit : imo spiritualiter perimit, ita quod suas calamitates non advertit, læsiones non sentit, damna non pensat nec deflet ; quumque continuo appropinquet inferno, sic gaudet quasi jam nullum sibi instet periculum, juxta quod Salomon protestatur : Lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Hæc est insensibilitas, excæcatio, obduratio cordis iniqui. Hinc Eusebius Emisenus in suis loquitur homiliis : Si bene advertimus, etiam in præsenti vita magnam bonæ conversationis mercedem recipimus. Numquid modicum bonum est, infelicissimum dominatum scelerum evitasse, beatæ quieti operam dare, Creatori quotidie magis ac magis placere, appropinquare, uniri, contemplationi insistere, in Deitatis amore fervere, vacare et videre, gustare et experiri quam dulcis sit Deus, sicque futuram beatitudinem in vita hac quodammodo inchoare ?

Prov. II, 14. — Ps. XXXIII, 9 ; I Petr. II, 3.

Denique istud Philosophia consequenter prosequitur et declarat.

Non injuria enim, id est non injuriose neque injuste, imo rationabiliter, *potest videri*, id est alicui apparere, *rerum quæ geruntur, illud propter quod geritur unaquæque res*, id est bonum, cujus intuitu et amore quodcumque opus exercetur, *esse præmium ejusdem rei* gestæ, seu operis. Quod maxime verum est de bono ultimate finali, seu summo bono, quod est ipsa felicitas. Sub quo fine supremo sunt alii fines inferiores, qui omnes ordinantur ad finem illum supremum simpliciter ultimum : quemadmodum homo æger capit medicinam ut sanetur, et suam sanationem refert ad Dei obsequium, ac ipsum obsequium ad salutem æternam. Deinde exemplificat Philosophia, subdendo : *uti currenti in stadio, propter quam curritur, jacet præmium corona :* id est, sicut his qui currunt in spatio quod stadium

nuncupatur, « corona propter quam curritur », scilicet gladius, aut aliquid tale, « jacet præmium », id est, pro mercede seu bravio cursus velocioris, est præparata ei qui celerius ceteris pertingit ad stadii terminum. Unde ad Corinthios scribit Apostolus : Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? At vero quinque pedum longitudo efficit passum, et centum viginti quinque passus constituunt stadium: quod a stando nomen sortitur, quia (ut fertur) per tantum spatium currebat Hercules uno anhelitu, et tunc stabat.

Cor. IX,

Sed ostendimus beatitudinem esse idem ipsum bonum propter quod omnia geruntur, præsertim omnes actus virtuosi, quorum præmium beatitudo consistit. Omnes quoque homines, etiam prave viventes, aliquo modo beatitudinem appetunt ac adipisci intendunt, quamvis non semper beatitudinem veram, neque per media apta, ut tertio libro expositum est. *Est igitur humanis actibus ipsum bonum, veluti præmium commune, propositum :* id est, summum « bonum est propositum » (tanquam objectum et finis) « actibus humanis veluti præmium commune », id est universis et singulis justis pro præmio exhibendum. Quod Christus in Evangelio designavit per denarium quem omnes in vinea laborantes acceperunt pro mercede.

f. p. 295 et s.

atth. xx, 10.

Atqui, id est certe, *hoc a bonis non potest separari,* id est, summum bonum, seu præmium beatificum, removeri et auferri non potest a virtuosis hominibus. Quod qualiter intelligendum sit, ex sequenti elicitur verbo quod subditur : *neque enim bonus ultra jure vocabitur, qui careat bono.* Itaque de homine virtuoso loqui dupliciter possumus. Primo materialiter, in quantum videlicet est rationalis creatura et viator, liberi exsistens arbitrii : et ita, quamdiu in hac vita subsistit, potest de bono in malum ac de malo in bonum mutari, a caritate excidere et eam recuperare, atque a statu salutis corruere ac denuo pœnitere; sicque potest ab eo

A separari summum bonum, felicitas viæ, bonitas gratiæ ac virtutum. Nec sic loquitur nunc Philosophia de bonis hominibus. Hinc in Apocalypsi Christus ait ad quemdam : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age. Apostolus quoque nos avisando hortatur : Qui stat, videat ne cadat. Secundo formaliter, utputa secundum quod talis. Juxta quem sensum impossibile est humilem perire, prædestinatum damnari, sapientem errare. Et ita Philosophia jam B fatur. Certum est etiam, quod beatitudo auferri non queat a Beatis in patria, nec a confirmatis in gratia. In quorum persona dixit Apostolus : Quis nos separabit a caritate Dei?

Apoc. II, 4, 5.

I Cor. x, 12.

Rom. VIII, 35.

Aliqui vero dicunt, quod duplex est præmium bonorum. Unum intrinsecum, utputa contemplatio et delectatio ejus : et hoc non valet eis auferri. Aliud extrinsecum, quod est Deus : quod potest ab eis tolli. Istud imperite prolatum est : quo- C niam cuicumque inest contemplatio Dei, seu sapientiæ donum, aut caritas, cum illo est Deus, sicut ait S. Joannes : Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Atque quam cito amittit homo caritatem, aut sapientiæ donum, seu cetera dona caritati inseparabiliter juncta, Deus etiam recedit et separatur ab ipso, dicente Apostolo : Si caritatem non habuero, nihil sum. Amplius, constat quod nec summum bonum, nec caritas, nec aliquod spirituale chari- D sma separari et auferri potest ab homine violenter, hoc est homine prorsus invito, ut dictum est plenius libro primo. Actus demum humani proprie appellantur, qui ex deliberatione procedunt, non qui ex sola imaginatione seu inadvertentia oriuntur.

I Joann. IV, 16.

I Cor. XIII, 2.

Cf. p. 24 C', 61 C'.

Quare probos mores sua præmia non relinquunt : hoc est, actus morigerati et mores venusti debitis præmiis non privantur, præsertim si eis perseverantia adsit : quia qui perseveraverit usque in finem, salvus

Matth. x, 22; XXIV, 13.

erit. Quod si quis in bonis non perseveret, quamvis omnes ejus justitiæ erunt in oblivione coram Deo, quantum ad hoc quod ipse pro eis felicitatem non consequetur in patria, non tamen erunt irremuneratæ, quoniam mystico corpori electorum, cum quibus ipse ad tempus unum fuit, cedent in gloriam.

Quantumlibet igitur sæviant mali, id est, quantumcumque reprobi et iniqui proterviant contra justos, *sapienti tamen corona non decidet, non arescet,* id est, gloriosa remuneratio non deerit neque deficiet sapienti qui veram et spiritualem sapientiam infusam, quæ donum est, habet [Is. xi, 2.] et servat usque in finem. Quæ sapientia caritati inseparabiliter est conjuncta; estque sapida divinorum notitia, per quam homo bene judicat de divinis per connaturalitatem et conformitatem sui affectus ad ea, quod scilicet summo Deo dumtaxat sit finaliter inhærendum, sine quo cetera omnia vana et nihil sunt : quemadmodum divinus Dionysius de beato recitat Hierotheo, quod [De Divin. nom. c. II.] bene se habuit circa divina, tanquam patiens ea et per experientiam gustans, et influxum inde suscipiens. De hac sapientia salutari scriptum est in libro Sapientiæ : Neminem diligit Deus, nisi eum qui [Sap. VII, 28.] cum sapientia inhabitat. Et Jacobus : Quæ [Jacob. III, 17.] (inquit) desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Præterea, de hac corona loquitur princeps Apostolorum in prima sua Canonica : Quum ap- [I Petr. v, 4.] paruerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Et S. Paulus : Reposita est (inquit) mihi corona [II Tim. IV, 8.] justitiæ.

Improbitas enim aliena, id est vitiositas, inhonestas aliorum, non *decerpit,* id est, non aufert, *animis probis,* id est mentibus honestis ac virtuosis, *proprium decus,* id est interiorem eorum decorem, nec beatificam mercedem : de qua fertur in Psalmo, Gloriam et magnum decorem [Ps. XX, 6.] impones super eum ; itemque, Gloria et [Ps. VIII, 6.] honore coronasti eum, Domine. De quibus loquitur Isaias : Lætitia sempiterna super [Is. XXXV, 10.] capita eorum. Imo, quanto plus sæviunt pravi contra justos, tanto copiosius coronabuntur justi qui Dei amore omnia æquanimiter pertulerint adversa. Quibus loquitur Christus : Beati eritis quum persecuti [Matth. V, 11, 12; Luc. VI, 22, 23.] vos fuerint ; gaudete in illa hora, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et rursus : Si mundus vos odit, scitote [Joann. XV, 18, 20.] quia me priorem vobis odio habuit ; si me persecuti sunt, et vos persequentur. Nempe electi et justi, in hoc sæculo per reprobos et iniquos exercentur, purgantur, ac taliter coronantur.

Consequenter Philosophia tangit breviter causam cur probis non potest minuere præmium improbus.

Quod si extrinsecus accepto lætaretur, id est, si probus homo gauderet solum de merito aliorum sibi communicato, et non de propriis actibus virtuosis meritoriis, *poterat hoc vel alius quispiam, vel ipse etiam qui contulisset, auferre,* id est, quivis, sive aliquis alius, sive qui contulisset hoc præmium et gaudium, auferre posset illud a taliter gloriante. Nullus autem adultæ ætatis salvatur sine proprio merito. Attamen meritis Christi omnes sunt liberati : quod meritum applicatur hominibus per Baptismum et fidem, ac aliis mediis, et ipso juvantur electi. Hinc ait Apostolus: Unusquisque accipiet secundum suum la- [I Cor. III, 8.] borem ; et rursus : Omnes nos manifestari [II Cor. V, 10.] oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit.

Sed quoniam id sua cuique probitas confert : id est, ex quo unicuique bono adultæ ætatis « probitas sua », id est proprius actus bonus caritate informatus, « confert id », id est hoc bonum seu præmium, Deo tamen cooperante, imo principaliter agente, et nostrum liberum arbitrium excitante, juxta illud Apostoli : Deus [Philipp. II, 13.] est qui operatur in vobis et velle et perficere. Propter quod nostra merita sunt Dei munera : de quo loquitur Isaias, Omnia [Is. XXVI, 12.] opera nostra operatus es nobis. *Tum suo*

præmio carebit, id est, privari merebitur sua mercede, *quum probus esse desierit,* id est, quum cessaverit esse virtuosus, hoc est, dum peccaverit mortaliter : per quod caritatem, sine qua nemo salvatur, amitteret. Unde per Ezechielem loquitur Deus :
Ezech. viii, 24. Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur, et in prævaricatione sua morietur. Verumtamen potest denuo pœnitere, et per veram contritionem amissa merita recuperare.

Deinde tangitur alia ratio ad probandum quod dictum est, scilicet bonos suo præmio non privari. *Postremo, quum omne præmium idcirco appetatur quoniam bonum esse creditur* (bonum quippe est appetitus objectum), *quis boni compotem, præmii judicet expertem?* id est, quis poterit rationabiliter judicare hominem « compotem boni », id est valentem auctorem ac possessorem operis virtuosi, esse « expertem præmii », id est extra susceptionem participationemque præmii correspondentis suæ justitiæ ? Cur etenim Deus omnipotens contulit homini rationem liberumque arbitrium, nisi ut eis utatur bene agendo ? Hoc ergo agendo, facit id ad quod Deus præstitit sibi has vires : sicque obtemperat Deo, ac promeretur felicitatem, quæ præmium est virtutis.

At cujus præmii? Hoc Philosophia quærit, ut sua quæstione atque responsione cor nostrum accendat desiderio præmii tanti. Et respondet : *Omnium pulcherrimi maximique,* id est summi ac splendidissimi meriti, cuncta alia merita excedentis, quod est vita æterna, beatifica visio, re-
Ps. cxliv, 3. gnum cœlorum, de quo cantamus : Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum. Unde Dominus dixit ad Abraham :
Gen. xv, 1. Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. Quumque supergloriosissimus Deus sit in se ipso essentialiter pulchritudo penitus infinita incircumscriptaque bonitas, constat quod ipsum in se ipso facialiter intueri, sit præmium vere pulcherrimum,

A et incomparabiliter magnum. Quod consequenter probat ex præinductis.

Memento enim corollarii illius quod paulo ante præcipuum dedi, id est, deprompsi supra, decima prosa tertii libri, tanquam præclarum ac nobile documentum, videlicet quod omnis beatus sit quodammodo deus, prout ibi diffuse exposi- Cf. p. 393
tum est, hicque compendiose repetitur; *ac* C et s.
sic collige, id est, ex præmissis proba hoc ita :

Quum ipsum bonum beatitudo sit, id
B est, quum bonum æternum et increatum sit beatitudo objectalis, fontalis, immensa, *bonos omnes, eo ipso quod boni sunt, fieri beatos liquet :* id est, constat universos « bonos » bonitate gratuita caritatis ac virtutis infusæ, « fieri beatos », nunc inchoative, in spe ac merito, et prælibatione ac participatione felicitatis futuræ, deinde consummate in patria, quum beatitudo et bonum sint idem in re. *Sed qui beati sunt, deos esse convenit,* id est, conveniens est ut Beati sint dii, non essentialiter, sed
C participative, hoc est divini et deificati, tanquam Deo altissimo supernaturaliter conformati et deiformiter assimilati, et tanto perfectius, quanto limpidius viderint eum ferventiusque dilexerint, atque intimius fuerint ei uniti, vehementiusque in divitias gloriæ ejus absorpti.

Est igitur præmium bonorum, id est hominum virtuosorum, *quod nullus deterat dies,* id est, nulla diuturnitas temporis deterere, consumere seu diminuere poterit, quoniam sine fine durabit, *nullius mi-*
D *nuat potestas,* id est, nullus conturbabit, quoniam securissimum erit, *nullius fuscet improbitas,* id est, nulla admixtione improbitatis, pravitatis aut maculæ obnubilabitur, quoniam nihil inquinatum intrabit Apoc. xxi,
in illam civitatem, ut in Apocalypsi ha- 27.
betur. Et quid sit tanta beatitudo subjungitur : *deos fieri,* id est Deo perfecte assimilari. Unumquodque enim in illud quasi convertitur, et illi potissime assimilatur, cujus operationes magis sectatur, frequentiusque exercet, et magis eminenter ac

indesinenter exsequitur. Porro operatio, imo et vita superexcellentissimi Dei, est sui ipsius æterna ac prorsus perfecta intuitio atque dilectio. Ideo quo Beati Deum clarius viderint, ardentius quoque dilexerint sine interpolatione ac termino, eo supernaturalius ac eminentius deificabuntur et dii consistent. Propter quod dixit
I Joann. III, 2. S. Joannes : Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est : itemque electionis
I Cor. XIII, 12. Vas : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Consequenter probat Philosophia, iniquis non deesse supplicia.

Quæ quum ita sint, id est, quum nunc prolata de præmiis bonorum sint vera, *de malorum quoque inseparabili pœna dubitare sapiens nequeat,* id est, nullus « sapiens » dubitet « de pœna » pravorum hominum « inseparabili », id est perpetua, quæ ab eis separari non poterit. Cujus subjungitur ratio. *Nam quum bonum malumque, item pœna atque præmium, adversa fronte dissideant,* id est, mutuo opponantur, seque contrario vultu respiciant ; *quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant :* id est, necessario sequitur, quod « eadem », videlicet præmia desiderabilia, « quæ videmus » oculo mentis, imo et interdum etiam oculo corporali, « accidere », id est evenire ac dari, « in præmio boni », id est in mercede justi, seu pro præmio operis virtuosi, « respondeant », id est, correspondenter et proportionabiliter accidant, « in pœna mali », id est in punitione justa iniqui, seu operis pravi omissionisve debiti, « parte contraria », id est modo opposito, juxta illud in Topicis : Sicut oppositum in opposito, ita propositum in proposito.

Et certe horum utrumque exigit infinita sapientia, quæ in universo nil inordinatum relinquit in toto, sed quod inordinatum est per culpam, ordinat et emendat per pœnam, atque ex malis elicit multa bona ; et quanto quis plus acquiescit propriæ voluntati contra Dei justitiam, tanto gravius eum affligit contra propriæ voluntatis inclinationem. Idem quoque requirit omnipotentis Dei justitia, cujus est culpam per pœnam ulcisci : juxta illud Jeremiæ, Num- Jer. V, 9.
quid super his non visitabo, et in gente hujuscemodi non ulciscetur anima mea ? Qui et per Ezechielem locutus est : Unum- Ezech. XVIII, 30.
quemque juxta vias suas judicabo.

Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, id est, virtuosis hominibus virtuositas causa est et ratio præmii gloriosi, juxta illud libri Sapientiæ : Bonorum labo- Sap. III, 15.
rum gloriosus est fructus. Unde dixit Apostolus : Qui seminat in spiritu, de spiritu Galat. VI, 8.
metet vitam æternam ; et Psalmista : Euntes Ps. CXXV, 6.
ibant et flebant, mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. *Ita improbis nequitia ipsa supplicium est,* id est, vitiosis hominibus ipsa eorum perversitas convertitur in tormentum, juxta illud Ecclesiastici : Cor nequam gravabitur in Eccli III, 29.
doloribus.

Præterea, juxta prætacta, virtus etiam in præsenti multipliciter per suos effectus salubres clarissimos præmiatur. Unicuique quoque virtuti propria delectatio est conjuncta, sicut ait Scriptura : Gaudium justo Prov. XXI, 15.
est facere judicium. Ideo dixit Propheta : Gaudebunt labia mea quum cantavero ti- Ps. LXX, 23.
bi. Conformiter, vitia propriis suis effectibus jam torquentur et puniuntur. Hinc, sicut animus inordinatus sibi ipsi est pœna, sic animus ordinatus sibi ipsi est suavis, et conscientia bona suam habet dulcedinem et quietem, sicut ait Apostolus : Gloria nostra est testimonium con- II Cor. I, 12.
scientiæ nostræ. Hinc in Sapientiæ libro scriptum est : Semper præsumit sæva, Sap. XVII, 10.
conscientia perturbata. Job quoque ait : Sonitus terroris semper in auribus im- Job XV, 21.
pii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur.

Interea, quædam sunt vitia in se ipsis amara, ut rancor, invidia, ira, furor, amaritudo, impatientia : de quibus jam dicta potissime verificantur. Quæ etiam vitia melius superantur, eorum naturas ac proprie-

tates diligenter pensando, quia sic amplius abhorrentur. Alia vero sunt vitia in se ipsis delectabilia, sicut venerea : quæ tutius celeriusque vincuntur, mentem, imaginationem, oculos ab eis et ab eorum objectis, materiis, causis, incitamentis, occasionibus protinus avertendo, ac Judicis summi præsentiam, Christi acerbissimam passionem, ac quatuor novissima profunde pensando. A

Quod autem mali sua affligantur nequitia, declaratur. *Jam vero quisquis afficitur pœna,* id est, quicumque qualificatur punitione, *malo se affectum esse non dubitat,* id est, certus est experimentaliter quod malo quodam pœnali, seu etiam pro malo culpæ, sic torqueatur. *Si igitur sese ipsi æstimare velint,* id est, « si ipsi » homines vitiosi « velint » voluntate transeunte in actum, « sese æstimare », id est bene attendere semetipsos et sua interiora, *possuntne sibi videri supplicii expertes ?* id est, tunc utique ipsi impii non valebunt se judicare esse « expertes supplicii », id est immunes a pœnis : imo multiplicem habebunt remorsum, conscientiæ vermem, displicentiam gravem, horrorem, suspicionem, et consimilia multa. Unde disseruit Leo Papa : Peccatrix conscientia jam intra se patitur quidquid Dei bonitate differtur. Nam et in Sapientiæ libro legitur :
Sap. XVII, 10. Nequitia ipsa est timida. *Quos,* scilicet vitiosos, *omnium malorum extrema nequitia non afficit modo,* id est, quos pravos « extrema nequitia omnium malorum », id est perversitas maxima, « non afficit modo », id est, non solum angit, qualificat, torquet, *verum etiam inficit vehementer,* id est, valide intus fallit, excæcat, intoxicat : ita quod instar dæmonum obdu-
Job XXIV, 13. rantur, fiuntque obstinati, et rebelles sunt lumini; nec de suis erubescunt sceleribus, imo se jactant de illis, et ita de gravibus vitiis ruunt ad graviora, et de gravioribus ad gravissima, quia peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud, imo ad pejus, ut sanctus fatur Gregorius.

Is. III, 9. De talibus scriptum est in Isaia : Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Jeremias quoque ait : Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. *Jer.* V, 3. Insuper unicuique talium Deus denuo loquitur per eumdem Jeremiam prophetam : Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Ibid.* III, 3.

Sequitur alia ratio probans improbis pœnam imo et quamdam adesse corruptionem ex suis peccatis.

B *Vide autem,* id est, sed considera, *ex diversa parte bonorum, quæ pœna comitetur,* id est, sequatur et apprehendat, *improbos,* id est vitiosos. *Omne namque quod fit* *, *unum esse, ipsumque unum, bonum esse, paulo ante didicisti :* id est, tu, Boeti, « didicisti » ex mea doctrina « paulo ante », puta in tertio libro, « omne quod fit, unum esse », id est, quidquid producitur et est terminus productionis realis, unum numero esse, id est quid individuale seu particulare. Unde primo Metaphysicæ perhibetur, quod esse et fieri seu pati, est suppositorum. In tractatu quoque de Unitate et uno, ait idem iste Boetius : Omne quod est, ideo est, quoniam unum est.

* sit

Cf. p. 411 C et s.

C

Cui consequens est, id est, ex quo dicto consequitur, *ut omne quod sit,* id est, quod est ens reale, *id etiam bonum esse videatur :* nam ens et bonum, similiter ens et unum, convertibilia sunt. Propterea dixit Averroes, quod Avicenna multum peccavit, asserendo quod unum quod est transcendens et convertibile cum ente, et unum quod est principium numeri, idem sint. Et est (inquit) mirum de homine isto, quod taliter aberraverit. D

Hoc igitur modo, id est propter hoc, *quidquid a bono deficit,* id est, quod desinit esse bonum bonitate naturæ, quæ est ipsa entitas rei, *esse desistit,* id est, desinit esse. *Quo fit,* id est, ex quo innotescit ac sequitur, *ut mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat :* hoc est, « ipsa species adhuc

reliqua », id est adhuc residua forma seu A figura, « corporis humani », ostendit illos iniquos « fuisse homines » antequam a bonitate recesserunt. *Quare versi in malitiam,* id est ad pravitatem : non quod substantialiter in malitiam possint converti, sed per proprietatem ac assimilationem, sicut homo prorsus crudelis fertur versus in belluam, et homo multum virtuosus asseritur in affectum bonitatis atque in viscera pietatis mutatus ; *humanam quoque amisere naturam,* id est, humanitatem perdiderunt : non ipsam naturam realiter, B sed operabiliter, id est quantum ad usum et debitam actionem. Itaque perdiderunt naturam humanam, non quantum ad esse, sed quantum ad bene esse. Juxta quem modum B. Gregorius protestatur, et in Decreto habetur, quod sacerdotes iniqui aut
Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 2. simoniace ordinati, esse desinunt sacerdotes : non quod characterem seu potestatem et ordinem sacerdotii amiserint, et conficere nequeant, sed quod sacerdotali potestate uti prohibeantur quousque reconcilientur.

Sed quum ultra homines quemque provehere sola probitas possit : id est, quum nihil formaliter valeat hominem elevare « ultra homines », id est supra statum et conditionem seu proprietatem naturæ humanæ, ita ut per participationem vocetur angelicus seu divinus, nisi « probitas », id est excellens virtuositas, seu virtus heroica, quæ, ut in Ethicis docet Philosophus, hominem facit se ipso altiorem, puta divinum ; *necesse est ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum* D *detrudat improbitas,* id est malitiositas, quæ, etiam secundum Philosophum, hominem facit brutalem. Et horum utrumque paucorum est, quia ut in homilia asserit Augustinus, Quemadmodum perfecta virtus paucorum est, ita et extrema malitia est paucorum. Itaque « necesse est », id est, necessario sequitur, « ut improbitas » ista « detrudat », id est dejiciat, « infra meritum hominis », id est infra communem hominum pravitatem, sumendo meritum pro demerito, eos « quos » ipsa improbitas « dejecit » formaliter « a conditione » (id est specie) « humana », secundum sensum prætactum, non auferendo esse, sed bene esse ; neque tollendo aut corrumpendo veritatem essentiæ, sed congruentiam actionis ac vitæ. Quum enim homo sit rationalis naturæ, quanto irrationabilius atque crudelius seu inhumanius habet se, tanto indignior est homo vocari. Præterea, juxta hunc modum, quum homo sit naturaliter animal sociale, civile, homo solus, id est solitarie degens, nominatur deus aut bestia.

Evenit igitur ut quem transformatum vitiis videas, hominem æstimare non possis : id est, hoc contingit et sequitur ex prædictis, « ut non possis » de jure seu rationabiliter illum « æstimare », id est reputare ac judicare, « hominem » per veritatem vitæ usumque rationis rectæ, « quem videas », id est conspexeris, « transformatum vitiis », id est habituatum et induratum peccatis, per quæ magis assimilatur C bestiis, imo dæmonibus, quam veris hominibus, secundum quod per Jeremiam Deus improperat Synagogæ, hoc est plebi obstinatæ ac perfidæ Judæorum : Quomodo Jer. II, 21.
conversa es in pravum, vinea aliena ? De quibus in Psalmo asserit Christus : Circum- Ps. XXI, 13.
dederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me ; et rursus : Circumdede- Ibid. 17.
runt me canes multi.

Deinde ponit Philosophia de his multa exempla : in quibus non est specialis difficultas.

Avaritia fervet alienarum opum violentior ereptor ?* hoc est, « ereptor vio- * violentus
lentior », id est deprædator multum violentus, « opum alienarum », id est divitiarum hominum aliorum, « fervet avaritia », id est, cupiditate succensus est ? *Lupi similem dixeris,* id est, talem dic similem lupo, ratione rapacitatis, quoniam lupus est animal rapax potius quam avarum : et quod lupus omnes oves in ovili occidit, ex gulositate agere dicitur, magis quam ex feritate, quia ex aviditate sua sibi videtur

quod universas oves simul poterit devorare. Sic et Christus in Evangelio de hypocritis loquitur : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. (*Matth.* VII, 15.) *Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet?* id est, homo severus et turbulentus linguam suam ad verba rixosa relaxat? *Cani comparabis* hujusmodi hominem : non quod in cane aut brutis sit peccatum, sed quantum ad ipsos actus et effectus in se attenduntur istæ assimilationes, quia et canis est animal choleri- cum, latratibus ac litibus vacans. *Insidiator occultus subripuisse fraudibus gaudet?* id est, illaqueator secretus lætatur in hoc quod fraudulenter abstulit bona alterius? *Vulpeculis exæquetur,* id est conformatur, quia vulpes sunt multum dolosæ, et ita furantur gallinas et aucas. *Iræ intemperans,* id est iracundiam non refrenans, *fremit,* id est, crudeliter frendit in alium? *Leonis animum gestare credatur,* id est, per suam ferociam, iram, audaciam, animositatem, leoni similis reputetur.

Pavidus ac fugax, id est homo naturaliter formidolosus et pronus ad fugam, *non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet?* id est, homo piger et stolidus per ignaviam tardus est? *Asinum vivit,* id est, asino comparandus est, et asininus vocatur. *Levis atque inconstans studia permutat,* id est, officia variat, nunc istud, nunc illud exercens, sicut in libro de Doctrina scholarium de filio inconstanti scriptum est? *Nihil ab avibus differt,* id est, avibus multum assimilatur, quæ assidue mutant locum. *Fœdis immundisque libidinibus immergitur?* id est, aliquis homo involvitur spurcitiis car-

A nis? *Sordidæ suis voluptate detinetur,* id est, tanquam porca delectatione brutali vincitur, ac porco assimilatur. Unde et Salomon ait : Circulus aureus in naribus suis (id est porcæ), mulier pulchra et fatua. (*Prov.* XI, 22.)

Ita fit, ut qui probitate deserta homo esse desierit, juxta expositionem jam sæpe præhabitam, *quum in divinam conditionem transire non possit,* id est, divinus fieri nequeat debili conatu : tamen auxilio gratiæ et forti assiduoque annisu posset
B converti, proficere perfectusque fieri; *vertatur in belluam* per morum corruptionem et operum conformitatem. Juxta hunc sensum multa in divinis Scripturis dicuntur, ut quum in secunda sua epistola S. Petrus ait de iniquis : Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et perniciem, in corruptione sua peribunt. (II *Petr.* II, 12.)

Denique naturales istæ proprietates in brutis non sunt pravæ, nec propter eas calumniandus est eorum plasmator. Imo, sicut homines vitiosi assimilantur brutis
C per tales proprietates, ita et justi per alias qualitates brutorum. Nam et Christus dicitur leo in Apocalypsi : Ecce vicit leo de tribu Juda. (*Apoc.* V, 5.) Similiter diabolus, prima Petri : Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. (I *Petr.* V, 8.) Et sancti prædicatores per canes designantur. Unde de negligentibus non sermocinantibus pastoribus scriptum est in Isaia : Speculatores ejus cæci omnes, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes. (*Is.* LVI, 10.) In Genesi quoque Jacob patri-
D archa suis filiis benedicens, comparavit eos his brutis in bonum, dicendo : Catulus leonis, Juda; Issachar, asinus fortis; Benjamin, lupus rapax; fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. (*Gen.* XLIX, 9, 14, 27, 17.)

ARTICULUS VIII

DIFFICULTATUM HUJUS PROSÆ TERTIÆ PROPOSITIO BREVISQUE ABSOLUTIO.

JOANNES. — Videtur ultima ista Philosophiæ probatio in fallacia æquivocationis peccare, dum arguit ita : Quidquid deficit a bono, esse desistit. Arguit namque a bono et uno transcendentibus, ad bonum morale ; et a non esse bonum moraliter, ad non esse bonum simpliciter ; similiter a non esse secundum quid, ad simpliciter non esse. Nec sequitur : Non sunt boni virtute, ergo amittunt naturam humanam. Imo videtur argumentatio ista esse sicut argumentatio Heracliti, asserentis propter continuam rerum mutationem in accidentalibus, eumdem equum non bis ingredi aquam.

DIONYSIUS. — Philosophia in his exponit se ipsam, et per verba sequentia pandit quo sensu intulerit quæ conclusit. In moralibus autem, propter morum correctionem tales persuasiones fieri solent et admittuntur.

JOANNES. — De qua beatitudine dixit Philosophia, quod præmium bonorum est quod nullus deterit dies, nulla potestas minuit, nulla improbitate fuscatur?

DIONYSIUS. — Quamvis hoc de supernaturali beatitudine, quam edocet fides, præcipue verum sit, nihilo minus etiam de naturali felicitate intellectualium creaturarum verificatur : quam beatitudinem in contemplatione sitam Porphyrius et Plotinus, Avicenna et Algazel, multique alii, asserebant esse perpetuam, deliciosam, impassibilem et imperturbabilem.

JOANNES. — Utrum homo possit vere in brutum converti? Et utrum homine permanente, valeat ipse in figuram bestiæ transmutari, sicut de Nabuchodonosor legitur, et Ovidius in libro de transformatis sentire videtur? [Dan. IV, 30.] [Liber Metamorphoseon.]

A

DIONYSIUS. — De hoc in metro sequenti tangitur et tractatur : ibi igitur respondebo.

JOANNES. — Quomodo per eamdem rem designari queunt Christus atque diabolus, impius et vir justus, præsertim si proprietates illæ in bestiis non sunt malæ?

DIONYSIUS. — Per diversas (ut dixi) proprietates rei ejusdem. Christus ergo per leonem exprimitur, propter suam fortitudinem, et regiam dignitatem, imperterritamque et victoriosam constantiam, quia

B

de Christo fertur in Psalmo : Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens. [Ps. XXIII, 8.] De leone autem in libro Proverbiorum : Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. [Prov. XXX, 30.] Præterea constat, quod in sola intellectuali rationalique creatura inveniantur bonum virtutis et malum culpæ. Sed ut divinus Dionysius ait, quod est bonum in uno, est malum in alio : [De Divin. nom. c. IV.] sicque esse ferocem, est bonum in leone, et esse iracundum, est bonum in cane, non in homine. Comparatio ergo illa ho-

C

minum ad bruta, attenditur quantum ad illas brutorum proprietates secundum se sumptas.

JOANNES. — In his brevis es satis, ne dicam nimis. Tamen, si placet, de vera et æternali beatitudine supernaturali, quam Christus promisit, aliquid plenius tange.

DIONYSIUS. — Supra de prolixitate causatus es, et nunc de brevitate conqueris? [Cf. p. 71 B, 89 A'.] Porro de vera et superdesiderabili electorum felicitate sanctus deprompsit Bernardus : Beatificum præmium est Deum

D

videre, in Deo et cum Deo et de Deo perpetuo vivere, atque inseparabiliter esse cum eo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum : et [I Cor. XV, 28.]

ubi summum bonum, ibi summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfectissima caritas, æterna securitas, secura æternitas; ibi vera lætitia, plena scientia, incomparabilis pulchritudo, plenissima beatitudo; ibi æternaliter est pax quæ omnem sensum exsuperat; ibi pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gloria, requies, dulcis concordia, et quidquid appetitur. Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, impiæ tyrannidis ferre dominium, et non magis adspirare ad tantam salutem, ad Sanctorum felicitatem, ad societatem angelicam, ad tam inæstimabiliter beatificam vitam, ad superbeatissimæ Trinitatis gloriosum deliciosissimumque conspectum? Præterea, si jam esset in terris vir tantæ sapientiæ ut Salomon, aut tantæ sanctitatis ut Joannes Baptista, vel tot ac tantis fulgens miraculis sicut Petrus apostolus, seu tantæ gloriæ in prædicando ut Paulus, tantæ fortitudinis ut Samson, tantæ pulchritudinis ut Absalon: quam multi ad illum confluerent! A quam remotis locis concurrerent! Quod si esset in mundo unus homo in quo omnes excellentiæ istæ essent collectæ, quantum æstuaremus illum conspicere! Nonne ad illum videndum a finibus terræ accurrerent universi? Et tamen omnis illa unius illius perfectio esset magnitudine et numero limitata, dependens, indigens ac finita. Quæ est ergo

Philipp. IV, 7.

A excæcatio, insipientia, perversitas ista, non adspirare, non festinare, non incalescere et fervere ad claram, immediatam, æternam visionem illius in quo omnia ista et innumerabiles plures excellentiæ et perfectiones sunt penitus infinitæ, simplicissimæ, independentes atque ab omni indigentia alienæ, qui est creator et pater, salvator, conservator et rex noster? Quis non discurreret usque ad fines mundi ad videndum sacratissimam Virginem per horulam unam? Cur igitur non inardescimus
B ad totius triumphantis Ecclesiæ gloriosissimam, speciosissimam, suavissimam societatem?

Joannes. — Heu, heu, heu! quanta est nostra miseria, quanta negligentia, quanta inconsideratio atque acedia, quod ista non intuemur quotidie, nec pensamus profunde! Verumtamen in his concaluit cor meum intra me; et sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat modo anima mea ad Deum altissimum, et ad jucundissimam illam supercœlestis palatii
C universitatem, in qua sine labore, uno momento, ad totius sapientiæ culmen, ad omnium scientiarum apicem pertingetur. Sitit jam plane anima mea ad Deum fortem, vivum, de cujus majestate tot et tanta dixerunt philosophi, de cujus justitia tot et tanta horribilia dixerunt Judæi, de cujus pietate et gratia tot et tanta locuti sunt Christiani.

Ps. XXXVIII, 4.
Ps. XLI, 2.
Ibid. 3.

METRUM III

Vela Neritii ducis,
Et vagas pelago rates,
Eurus appulit insulæ,
Pulchra qua residens dea,
Solis edita semine,
Miscet hospitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo,
Dente crescit et unguibus;
Hic lupis superadditus
Flere dum parat, ululat,
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat.

Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis
Obsitum miserans ducem,
Peste solverit hospitis ;
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant,
Jam sues Cerealia
Glande pabula verterant.
Et nihil manet integrum,
Voce, corpore perditis.
Sola mens stabilis, super
Monstra quæ patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent !
Intus est hominum vigor,
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi,
Dira : quæ penitus meant ;
Nec nocentia corpori,
Mentis vulnere (*al.* ulcere) sæviunt.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO METRI HUJUS TERTII.

In fine præhabitæ prosæ locuta est Philosophia de spirituali et vili transformatione hominum iniquorum in bruta ; hic tangit de hoc quasdam fabulas poetarum. Nempe in libro Metamorphoseon refert Ovidius, quod Ulysses princeps cum sociis suis ac servis navigans, redeundo a Troja ad Græciam terram suam natalem, appulsus est tempestate ad insulam quamdam, in qua regnavit dea nomine Circe, filia Solis : ad quam quidam ex comitiva Ulyssis missi, ab ea in bestias dicuntur conversi. Offenderant enim deam illam in Troja : propter quod redeuntibus suscitavit tempestatem in mari, ita quod compulsi sunt declinare ad domum deæ illius. Itaque sensus et ordo verborum est :

Eurus, id est ventus orientalis sic dictus, *appulit,* id est, vi adduxit applicareque fecit, *vela,* id est lintea expansa in navi, *ducis Neritii,* id est Ulyssis principis, originem ducentis ex terra Neritiæ regionis, *et rates,* id est naves, *vagas pelago,* id est vage hinc inde jactatas in mari ex vento et tempestate. « Appulit », inquam, *insulæ qua,* id est in qua, *residens dea pulchra,* utputa Circe, *edita semine,* A id est nata ex semine, *Solis,* quia ob pulchritudinem et sapientiam suam dicebatur filia Solis : quoniam Sol, sicut Apollo, deus sapientiæ vocabatur, quemadmodum et Minerva, sapientiæ dea ; *miscet,* id est præparat, *hospitibus novis,* id est advenis ad se missis, *pocula tacta carmine,* id est confecta cum incantatione magicæ artis.

Quos hospites, *ut,* id est postquam, *manus,* id est virtus seu actus deæ præfatæ, *herbipotens,* id est potens in herbis, ad agendum secreta virtute herbarum (in B quarum virtutibus cognoscendis, a malis fuit instructa spiritibus), *vertit in varios modos,* id est diversas formas, figuras, effigies bestiales ; *facies apri tegit hunc :* id est, dispositio vultus ipsius apri videbatur esse in uno sociorum Ulyssis transformato in aprum ; *ille,* id est alter illorum, effectus, quantum ad exteriorem effigiem, *leo Marmaricus,* id est regionis quæ Marmarica nuncupatur (et ut fertur, est pars Africæ : in qua Marmarica sunt gentes feroces, et valde fortes leones), *crescit* C *dente et unguibus,* id est, dentes et ungues ei succrescunt. Mox enim ut homines pocula illa biberunt, creverunt eis diversa

ad bestias pertinentia, ut ungues, dentes et cornua. *Hic,* id est alter illorum, *superadditus lupis,* id est lupus apparenter effectus, *dum parat flere,* id est transformationem suam deplangere : quia intellectus mansit in taliter transformatis ; *ululat,* id est, vocem lupi emittit. *Ille,* id est alter illorum, factus *ut tigris Indica,* id est ex India, in qua sunt tigrides, bestiæ velocissimæ, *obambulat tecta,* id est, incedit in domo sub tectis, *mitis,* id est mansuetus, nulli nocens instar tigrium atrocium nocivarum.

Sed licet numen, id est deus quidam, *Arcadis alitis,* puta Mercurius, *miserans ducem,* videlicet ipsum Ulyssem, cui condoluit, *obsitum malis variis,* id est circumdatum diversis periculis maris ac deæ præfatæ, *solverit,* id est, ipsum Ulyssem liberaverit, *peste hospitis,* id est a pestifera transformatione deæ illius : quam scilicet transformationem dea illa, imo trufatrix, maga et pessima, intulit aliis, suis necromanticis artibus. Ut enim fingit Ovidius, ipse Mercurius sciens quid contigerit legatis Ulyssis, imo et quid ei etiam immineret, præstitit ei album florem, cujus virtute ab illa transformatione præservaretur. *Jam tamen remiges,* id est ductores remorum Ulyssis, *traxerant ore,* id est potaverant, *pocula* illa *mala* incantationibus mixta. *Jam sues,* id est socii Ulyssis transmutati in sues seu apros secundum exteriorem effigiem, *verterant,* id est immutaverant, *pabula Cerealia,* id est facta ex bladis seu frugibus, quorum dea dicitur Ceres, *glande :* id est, pro panibus, qui sunt cibi humani, utebantur glandibus, id est alimentis porcinis. *Et* in illis transmutatis *nihil manet* (id est, nil mansit) *integrum* in eorum corporibus, *voce* et *corpore perditis,* id est, uniuscujusque eorum « corpore » ac « voce » a naturali dispositione « perditis », id est mutatis. *Mens sola,* id est rationalis atque superior pars animæ, *stabilis,* id est, perseverans in eis, *gemit,* id est, cum gemitu dolet, *super monstra,* id est monstruosas

A mutationes, *quæ patitur,* id est, tunc patiebatur.

Consequenter dicit Philosophia, quod illa transformatio levior et tolerabilior est quam præfata transformatio hominum in bruta per vitia.

O (exclamatorie) *manum nimium levem,* id est, vim et operationem Circes deæ dico levem « nimium », id est valde, *nec gramina* illa dico fuisse *potentia,* id est magnæ virtutis, *quæ licet valeant vertere membra,* id est corporis partes mutare in

B effigiem bestialem, *non* tamen *valent corda* vertere, id est mutare et auferre!

Intus, id est in anima, *est hominum vigor,* id est potestas et usus rationis, *conditus arce abdita,* id est absconditus in sublimitate secreta : in qua arce imago summæ Trinitatis relucet. *Hæc venena,* id est vitia, *detrahunt potentius hominem sibi,* id est, auferunt ei usum expeditum rationis, et deprimunt eum sub se ipso, ac bestiis statuunt viliorem, *dira :* quia et mentem obdurant, et obicem po-

C nunt gratiæ Dei, nec cedunt admonitionibus bonis instinctibusque salubribus Spiritus Sancti ac angelorum. *Quæ penitus meant,* id est, transeunt usque ad intimas ac supremas animæ vires, quas obscurant ac lædunt. Ideo subditur : *nec nocentia corpori,* id est, carnem non affligentia nec vulnerantia, *sæviunt,* id est, atrociter nocent ac lædunt, *vulnere mentis,* id est ipsam animam spiritualiter occidendo : quemadmodum in libro Sapientiæ habetur, Os quod mentitur, occidit animam ; *Sap.* I, 11.

D et rursus in libro eodem, Homo per malitiam occidit animam suam. *Ibid.* XVI, 14. Ideo loquitur Isaias : Hic est omnis fructus, ut auferatur *Is.* XXVII, 9. peccatum. Ecclesia quoque cantat : Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Verumtamen quædam peccata, ut gula, luxuria, etiam corpori nocent : non tamen tam evidenter et directe ut animæ ; nec corpus est proprie subjectum peccati formaliter sumpti. De talibus animabus in Ezechiele inducitur : Vivificabant animas *Ezech.* XIII, 19. quæ non vivunt.

At vero horum poeticorum dictorum sensui spirituali insistere reor indignum. Quoniam tamen Philosophia hæc narrat, breviter dico, quod per Ulyssem intelligi potest intellectus seu ratio, quæ est dux, princeps et oculus mentis, et alias dirigit vires. Familia vero hujus ducis sunt inferiorum virium actus, sensitivique appetitus affectiones et passiones. Per Circen designatur mundana prosperitas, quam multi appretiantur et quærunt ac amant ut deam. Hæc prosperitas rationi insidiatur, et eam quærit subvertere ac bestialem efficere, quemadmodum actus et motus sensualitatis sibi subjugare atque allicere nititur. Porro per « numen Arcadis alitis » intelligitur auxilium gratiæ Dei, ac divinus instinctus : qui florem album, id est puritatis amorem ac gratiæ lumen et sapientiæ claritatem, menti infundit, quibus contra fallacias prosperitatis terrenæ munitur, et famulos suos deceptos reducit. Cavendum est igitur ne mundanæ prosperitatis pocula infecta, id est oblectamenta vana, gustemus, nec hauriamus, ne in bruta vertamur, nec cum filio prodigo substantiam nostram cum scortis turpiter vivendo consumamus.

Luc. xv, 13, 30.

Joannes. — Ingens mihi circa præhabita oritur admiratio, an arte magica possint humana corpora in lineamenta, organizationem et figuram brutalium corporum transmutari, an etiam vere sint gesta quæ hic recitantur in littera de hominibus transformatis.

Dionysius. — Ista materia a doctoribus super secundum Sententiarum tractatur. Beatus quoque Augustinus libro de Civitate Dei multa super his scribit : Nulla (inquiens) ratione crediderim, operatione dæmonum aut aliqua nefaria arte hoc veraciter fieri posse. Hinc doctores Augustinum sequendo, affirmant, quod sicut dæmones assumere possunt corpora quædam aeria seu alia, et in illis apparere, loqui ac facere multa ; sic corporalibus rebus superinducere, circumdare et quasi supervestire possunt corpora quædam similia corporibus bestiarum aliarumve rerum : sicque homines quibus permittuntur talia facere, videntur transformati in bruta. Ad hæc quoque et consimilia peragenda possunt applicare varia rerum semina, vires herbarum ac lapidum, et consimilia naturalia agentia abdita : per quæ omnia infelix gentilitas fuit variis modis decepta. Verum hæc omnia diaboli machinamenta et deorum dearumque figmenta, per beatissimos Christi Apostolos et eorum discipulos in toto orbe sunt patefacta, confutata, et pro maxima parte destructa, in tantum quod etiam quamplures necromantici magni, videntes artes et machinas suas virtute crucis Christi ac fidei totaliter superari, sunt ad Christum conversi.

Cf. t. XXI, p. 419 D' et s.

Verum de his plurima introduci hic possent : de quibus pertranseo, quoniam super secundum Sententiarum de eis plenius scripsi, plenissime tamen in tractatu contra errores Valdensium et contra magicas artes. Quæ autem in textu dicuntur de transformatione hominum in corpora bestiarum, intelligenda sunt quantum ad exteriorem effigiem. Et potuit esse quod vere circumdata fuerunt hominibus illis corpora quædam brutalia : quod nihilo minus apparere sic posset per exteriorum sensuum illusionem, ac aliis modis, prout locis prætactis expressi. Denique recitat Augustinus qualiter his malis artibus imbutæ fuerunt mulieres quædam malignæ, quæ dabant hominibus caseum ad edendum : quo sumpto, videbantur versi in asinos, et onera eis superposita deferebant. Si autem illi de quibus in hoc metro narratur, amisissent realiter lineamenta et organa corporum humanorum, non potuissent in bestialibus illis corporibus uti ratione et intellectu vigere.

Joannes. — Jam, si placet, responde quid de Nabuchodonosor rege Babylonis tenendum sit, an corpus ejus fuerit realiter in bestialem figurationem mutatum.

Dionysius. — Josephus et alii quidam dixerunt quod imo. Quod probant ex textu visionis Danielis, quo legitur, quod rex
an. iv, 33. ille reversus ad mentem, dixit : Figura mea reversa est ad me. Attamen expositores communiter tenent contrarium, et quod regi illi apparuit sic se esse mutatum, et ad pristinam figuram reductum. Nec dubium quin omnipotenti Deo hoc facere fuisset perfacile. Et de hac re super
Cf. t. X, .80 B et s. Danielem scripsi completius.

Joannes. — Philosophia in prosa secun-
A da præhabita dixit, vitiosos consistere impotentes : quomodo ergo nunc ait, vitia potentiora esse dea Circe et herbis ?

Dionysius. — Metaphorice dicit hoc, et nomen potentiæ sumendo extense, ut in expositione prosæ illius expressi. Postre- Cf. p. 448 C et s., 450 B' et s.
mo, transformatio triplex est : una naturalis, ut quando ex uno elemento aliud generatur, ut vermis ex carne ; alia spiritualis, ut dum homo per vitia transmutatur in bestiam ; tertia magicalis, de qua hic facta est mentio.

PROSA IV

Tum ego : Fateor, inquam ; nec injuria dici video vitiosos, tametsi humani corporis speciem servent, in belluas tamen animorum qualitate mutari. Sed quorum atrox scelerataque mens bonorum pernicie sævit, id ipsum eis licere noluissem. — Nec licet, inquit, uti convenienti monstrabitur loco : sed tamen si id ipsum quod eis licere creditur, auferatur, magna ex parte sceleratorum hominum pœna relevatur. Etenim, quod incredibile cuiquam forte videatur, infeliciores esse necesse est malos quum cupita perfecerint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Itaque, quum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est urgeantur, quos videas scelus velle, posse, perficere. — Accedo, inquam ; sed uti hoc infortunio cito careant, patrandi sceleris possibilitate deserti, vehementer exopto. — Carebunt (inquit) ocius quam vel tu forsitan velis, vel illi sese existiment esse carituros. Neque enim est aliquid in tam brevibus vitæ metis ita serum, quod exspectare longum immortalis præsertim animus putet. Quorum magna spes et excelsa facinorum machina, repentino atque insperato sæpe fine destruitur : quod quidem illis miseriæ modum statuit. Nam si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam. Quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. Etenim, si de pravitatis infortunio vera conclusimus, infinitam liquet esse miseriam quam esse constat æternam.

— Tum ego : Mira quidem (inquam) et concessu difficilis illatio ; sed his eam quæ prius concessa sunt, nimium convenire cognosco. — Recte (inquit) existimas. Sed qui conclusioni accedere durum putat, æquum est, vel falsum aliquid præcessisse demonstret, vel collationem propositionum non esse efficacem necessariæ conclusionis ostendat : alioqui concessis præcedentibus, nihil prorsus est quod de illatione causetur. Nam hoc quoque quod dicam, non minus mirum videatur ; sed ex his

quæ sumpta sunt, æque est necessarium. — Quidnam? inquam. — Feliciores (inquit) esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat. Neque id nunc molior, quod cuivis veniat in mentem, corrigi ultione pravos mores, et ad rectum supplicii terrore deduci, ceteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi ; sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror impunitos, tametsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli. — Et quis erit (inquam) præter hos alius modus? — Et illa : Bonos (inquit) esse felices, malos vero miseros, nonne concessimus? — Ita est, inquam. — Si igitur, inquit, miseriæ cujuspiam bonum aliquod * addatur, nonne felicior est eo cujus pura ac solitaria sine cujusquam boni admixtione miseria est? — Sic (inquam) videtur. — Quid, si eidem misero qui cunctis careat bonis, præter ea quibus miser est, malum aliud fuerit annexum? Nonne multo infelicior eo censendus est cujus infortunium boni participatione relevatur? — Quidni? inquam. — Habent igitur improbi, quum puniuntur, boni quidem aliquid annexum, pœnam ipsam scilicet, quæ ratione justitiæ bona est ; iidemque quum supplicio carent, inest eis aliquid ulterius mali, ipsa impunitas, quam iniquitatis merito, malum esse confessus es. — Negare non possum. — Multo igitur infeliciores improbi sunt, injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. Sed puniri improbos, justum, impunitos vero elabi, iniquum esse, manifestum est. — Quis id neget? — Sed ne illud quidem, ait, quisquam negabit : bonum esse omne quod justum est, contraque quod injustum est, malum liquere esse.

* aliquid

— Tum ego : Ista quidem consequentia sunt eis quæ paulo ante conclusa sunt. Sed quæso (inquam) te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? — Et magna quidem, inquit : quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto. Sed nunc de his disserere consilium non est. Id vero hactenus egimus, ut quæ indignissima tibi videbatur malorum potestas, eam nullam esse cognosceres ; quosque impunitos querebare, videres nunquam improbitatis suæ carere suppliciis ; licentiam quam cito finiri precabaris, nec longam esse disceres, infelicioremque fore, si diuturnior, infelicissimam vero, si esset æterna ; post hæc, miseriores esse improbos injusta impunitate dimissos, quam justa ultione punitos : cui sententiæ consequens est, ut tum demum gravioribus suppliciis urgeantur, quum impuniti esse creduntur.

— Tum ego : Quum tuas (inquam) rationes considero, nihil dici verius puto. At si ad hominum judicia revertar, quis ille est cui hæc non credenda modo, sed saltem audienda videantur?

— Ita est, inquit illa. Nequeunt enim oculos tenebris assuetos, ad lucem perspicuæ veritatis attollere ; similesque avibus sunt quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat. Dum enim non rerum ordinem sed suos intuentur affectus, vel licentiam vel impunitatem scelerum putant esse felicem. Vide autem quid æterna lex sanciat. Melioribus animum conformaveris? Nihil opus est judice præmium deferente : tu te ipse excellentioribus addidisti. Studium ad pejora deflexeris? Extra ne quæ-

sieris ultorem : tu te ipse in deteriora detrusisti. Veluti si vicibus sordidam humum cœlumque respicias, cunctis extra cessantibus, ipsa cernendi ratione, nunc cœno, nunc sideribus interesse videaris. At vulgus ista non respicit. Quid igitur? Hisne accedamus quos belluis similes esse monstravimus? Quid, si quis amisso penitus visu, ipsum etiam se habuisse oblivisceretur intuitum, nihilque sibi ad humanam perfectionem deesse arbitraretur? Num videntes eadem cæcos putaremus? Nam ne illud quidem acquiescent, quod æque validis rationum nititur firmamentis, infeliciores eos esse qui faciunt quam qui patiuntur injuriam. — Vellem, inquam, has ipsas audire rationes.

— Omnem (inquit) improbum num supplicio dignum negas? — Minime, inquam. — Infelices vero esse qui sunt improbi, multipliciter liquet. — Ita est, inquam. — Qui igitur supplicio digni sunt, miseros esse non dubitas. — Convenit, inquam. — Si igitur cognitor (ait) resideres, cui supplicium inferendum putares? Eine qui fecisset, an qui pertulisset injuriam? — Nec ambigo, inquam, quin perpesso satisfacerem dolore facientis. — Miserior igitur tibi injuriæ illator quam acceptor, esse videretur. — Consequitur, inquam. — Hac * igitur, aliisque de causis ea radice nitentibus quod turpitudo suapte natura miseros faciat, apparet illatam cuilibet injuriam, non accipientis sed inferentis esse miseriam. Atqui nunc, ait, contra faciunt oratores. Pro his enim qui grave quid acerbumque perpessi sunt, miserationem judicum excitare conantur, quum magis admittentibus justior miseratio debeatur : quos non ab iratis, sed a propitiis potius miserantibusque accusatoribus, ad judicium veluti ægros ad medicum duci oportebat, ut culpæ morbos supplicio resecarent; quo pacto, defensorum opera vel tota frigeret, vel si prodesse hominibus mallet, in accusationis habitum verteretur. Ipsi quoque improbi, si eis aliqua rimula virtutem relictam fas esset adspicere, vitiorumque sordes, pœnarum cruciatibus se depösituros viderent; compensatione adipiscendæ probitatis, nec hos cruciatus esse dicerent *, defensorumque operam repudiarent, ac se totos accusatoribus judicibusque permitterent. Quo fit ut apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquatur. Nam bonos quis nisi stultissimus oderit? Malos vero odisse, ratione caret. Nam si uti corporum languor, ita vitiositas quidam est quasi morbus animorum; quum ægros corpore minime dignos odio sed potius miseratione judicemus, multo magis non insequendi sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas.

* Hinc

* ducerent

ARTICULUS X

ELUCIDATIO QUARTÆ HUJUS PROSÆ.

Cf. p. 460 D'. DEINCEPS Philosophia docet ac probat A tertium supra (in prima hujus quarti libri prosa) promissum, videlicet : bonis hominibus semper evenire felicia, et infelicia malis.

Primo itaque Boetius approbans, præinducta affirmat. *Tum ego* Boetius : *Fateor, inquam,* id est, dico et fateor quæ dixisti; *nec video,* id est, non intelligo, *dici injuria,* id est ex injuria seu injuriose, *vitiosos mutari in belluas, qualitate,* id est irrationabili pravitate, *animorum,* id est cordium suorum. Unde de Achaz rege impio B et doloso Dominus Deus dixit ad Isaiam : Vade et dic vulpi illi. Quod et Christus in Luc. XIII, 32. Evangelio protulit de Herode : Dicite (inquiens) vulpi illi. Similiter Amos ad carnales Amos IV, 1. et acediosos principes Israel : Audite, ait, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ. *Tametsi,* id est quamvis, *servent speciem,* id est veritatem specificam, dispositionem et figuram, *corporis humani.* Sic et sub habitu religioso multi gerunt cor sæculare, atque sub veste ovium cor lupinum.

Sed quorum, id est quorum hominum, *mens atrox,* id est crudelis in proximos, transgrediendo præcepta secundæ tabulæ, et *scelerata* in Deum, per prævaricationem præceptorum tabulæ primæ, *sævit,* id est, feraliter habet se, *pernicie bonorum,* id est bonis hominibus inferendo perniciem, id est damna atque incommoda. Ideo in Ecclesiastico Eccli. XIII, 21, 22. scriptum est : Si communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio homini sancto ad canem? Hinc Christus dixit discipulis suis: D Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Joann. XV, 20. *Id ipsum eis licere noluissem,* id est, non voluissem iniquis hoc licitum esse, vel potius vellem quod hoc eis non permitteretur neque possibile esset.

— *Nec licet, inquit,* id est, Philosophia respondit, Hoc ipsum non licet iniquis, *uti,* id est sicut, *convenienti monstrabitur loco.* Certum est autem quod non liceat eis ita quod sine culpa id facere valeant. *Sed tamen si id ipsum quod eis licere creditur, auferatur,* id est, si licentia seu posse agendi aliquid in damnum et gravamen justorum, tollatur impiis, *magna ex parte sceleratorum hominum pœna relevatur,* quia quo minus peccant, eo pœnam merentur minorem : imo ad majorem eorum damnationem permittuntur persequi justos. Hinc Plato loquitur in Phædone : Etenim si anima moreretur, lucrum inventum esset malis morientibus a corpore pariter liberari et a malitia.

Etenim, quod incredibile forte videatur alicui, infeliciores necesse est esse malos quum cupita perfecerint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint,* hoc est, necesse est malos esse plus infelices C dum optata mala compleverint, quam dum ea exsequi nequeunt. Quum enim sit duplex miseria seu infelicitas, una culpæ, alia pœnæ : certum est quod sicut homo est tanto infelicior infelicitate seu miseria pœnæ, quanto pluribus ac majoribus pœnis torquetur ; sic tanto infelicior est infelicitate culpæ, quo pluribus ac enormioribus vitiis inquinatur. De primis miseriis ait Christus in Psalmo : Repleta est malis anima mea ; et rursus ad Patrem : Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria. Hinc præcipua gratia Dei est, quod retrahit hominem ab exsecutione mali propositi. Propter quod David flexus deprecatione Abigail, ne virum ejus Nabal

* cuiquam

Ps. LXXXVII, 4. Ibid. 19.

iniquum occideret sicut ex commotione iræ proposuit, dixit : Benedictus Dominus, qui prohibuit me hodie ne ulciscerer me et venirem ad sanguinem. Unde secundo Machabæorum libro asseritur : Etenim non diu sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Gravissima vero Dei ira vocatur, dum permittit hominem ad libitum suum in concupiscentiis et perversitatibus suis ambulare impune, sicut de reprobis protestatur : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. De quibus sanctus Job loquitur : Non est virga Dei super eos.

eg. xxv, 34. — Mach. 13. — s. LXXX, — b XXI, 9.

« Quod » mysterium « forte videatur », id est, videri poterit, « alicui » adhuc carnali, non spirituali, « incredibile ». Nempe, ut ait Apostolus : Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei ; imo stultitia est illi. Ideo sibi apparet quod impii sunt felices, qui divitiis, deliciis honoribusque abundant, et tanto feliciores, quanto diutius in talibus amplius prosperantur : quia divini rigorem judicii non attendit, juxta id Psalmi, Auferuntur judicia tua a facie ejus. Istud ergo Philosophia declarat.

Cor. II, — s. x, 5, Hebr.

Nam si miserum est voluisse prava, id est illicita. De qua voluntate iniqua Dominus asserit per Osee prophetam : Confundetur Israel in voluntate sua. Imo, non solum velle inique, sed etiam cogitare hujusmodi, reprobatur a Deo dicente : Væ qui cogitatis inutile ; et, Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Potuisse miserius est,* id est, sequitur quod mala « potuisse » efficere (potentia perducta in actum, quantum est ex parte volentis, ita quod est voluntas imperativa et plena, quæ reputatur pro opere), sit majoris calamitatis. Habuisse autem solum habitualem aut aptitudinalem potentiam ad peccandum, non est peccatum. *Sine quo voluntatis miseræ langueret effectus :* id est, « sine quo » posse imperativo, « effectus » (id est exsecutio) « voluntatis miseræ langueret », id est, deficeret nec compleretur.

e x, 6. — h. II, 1. — I, 16.

A

Itaque, quum sua singulis miseria sit : hoc est, ex quo « singulis », id est, tam voluntati actuali, quam possibilitati extentæ in opus pro posse, ac etiam effectui inde sequenti, « sua miseria sit », id est propria calamitas seu culpa, quia unumquodque eorum est culpabile ; *triplici infortunio necesse est urgeantur,* id est, necessario sequitur, quod « triplici infortunio urgeantur », id est, spiritualiter coarctentur et torqueantur, *quos videas scelus velle, posse, perficere,* id est, quicumque volunt et valent et exsequuntur iniquitatem. Verumtamen non sunt tria specialia ac distincta peccata, quando sunt circa idem objectum nec ipsa separantur, ut infra patebit.

B

Consequenter probatur, quod impiorum potestas sit brevis, non diuturna.

— *Accedo, inquam,* id est, mente consentio ; *sed uti hoc infortunio cito careant, patrandi sceleris possibilitate deserti, vehementer exopto :* hoc est, ego Boetius « exopto », id est, ex corde opto, « vehementer uti » (id est quatenus) ipsi iniqui « deserti », id est privati, « possibilitate sceleris patrandi », id est facultate peccandi, « careant cito hoc infortunio », id est triplici præfata miseria. Istud licitum est optare, sic tamen ut mors iniquorum non appetatur contra exigentiam caritatis, sed ut pœnitentes cessent a vitiis, atque de cetero virtuose se habeant.

C

— *Carebunt (inquit) ocius,* id est, Philosophia ait, Iniqui « carebunt » præfato diffortunio « ocius », id est celerius, *quam vel tu forsitan velis,* id est, « quam vel tu » ipse « velis », id est optabis, « forsitan » (additque « forsitan » ad innuendum flexibilitatem liberi arbitrii, vel quia futura certo non prænovit), *vel illi sese existiment esse carituros* triplici infortunio seu vitio illo. *Neque enim est aliquid in tam brevibus vitæ metis ita serum, quod exspectare longum immortalis præsertim animus putet :* id est, quia non « est aliquid

D

in metis tam brevibus », id est in viis et
terminis valde brevibus, « vitæ » præsen-
tis, hoc est, nullum est temporale et tran-
sitorium, habens præfixam sibi periodum
in tempore vitæ hujus, « ita serum », id
est tam tardum ac diuturnum et tam diu
durans, « quod præsertim animus », id est
spiritus seu mens, « immortalis », ut est
anima rationalis, « exspectare, putet » (id
est, rationabiliter æstimare debeat) esse
« longum », saltem respectu æternitatis
futuræ, cujus comparatione vita præsens,
quantumlibet longa, est quasi momentum,
Cf. p. 266 B. ut supra est habitum. Ideo ait Gregorius :
Finis rei temporalis indicat quia res talis
prope finem fuit, etiam quum stare vide-
batur; cursus temporalium monstrat quam
breve fuit quod transire terminarique po-
tuit. Chrysostomus quoque : Centum an-
nos, si placet, demus deliciis ; addamus et
alios centum, imo addamus et mille : quid
sunt omnia ista ad æternitatem? Si primus
homo usque in hodiernum diem vixisset,
et hodie moreretur, nonne totum tempus
præteritum, esset tanquam momentum
quoad imminentem durationem, quæ nun-
quam terminabitur? Sic dici potest de
aliis : quia si Octavianus imperator usque
in hanc horam regnasset, et modo decede-
ret, nonne totum præteritum, esset ut um-
bra quæ repente evanuit? Et impiis sola
remanent scelera, quæ æterna sortiuntur
supplicia.

Quorum magna spes et excelsa facino-
* *facinorum* *rosorum* machina, repentino atque in-*
sperato sæpe fine destruitur : hoc est,
« quorum », utpute iniquorum, « spes
magna », id est grandis præsumptio, seu
res sperata, vel præstolatio vana, « et ex-
celsa machina », id est congeries seu com-
pago, « facinorosorum » actuum (de quibus
Matth. VI, 23. ait Salvator : Si oculus tuus fuerit nequam,
id est intentio perversa ; totum corpus
tuum tenebrosum erit, id est, congeries
operationum tuarum erit iniqua), « de-
struitur sæpe fine repentino », id est ce-
lerrime veniente et consummato, « atque
insperato », id est inopinato, imparato

A et improviso. Unde Ecclesiastes ait : Non *Eccle.* VIII, 13.
sit bonum impio, nec prolongentur dies
ejus ; sed tanquam umbra prætereant qui
non timent faciem Domini. De quibus lo-
quitur Isaias : Non satus nec radicatus in *Is.* XL, 24.
terra truncus eorum ; subito flavit in eos,
et aruerunt. Et Psalmista : Vidi impium *Ps.* XXXVI, 35, 36.
superexaltatum et elevatum sicut cedros
Libani ; et transivi, et ecce non erat ; et
quæsivi eum, et non est inventus lo-
cus ejus.

Quod quidem illis miseriæ modum sta-
B *tuit :* id est, pro certo, hoc, id est tam im-
provise ac subito destrui, « statuit », id
est, fecit ac posuit, « modum », id est
mensuram ac terminum, « miseriæ », id
est impietatis culpæ, « illis », puta iniquis
et reprobis : de quibus Job profert, Semi- *Job* XXII, 15, 16.
tam sæculorum calcaverunt viri iniqui,
qui ante tempus suum sublati sunt : ne
scilicet vivendo diutius, excederent gra-
vius, et intolerabilius damnarentur. Quo
constat, quod Deus omnipotens incorri-
gibiles tales quandoque misericorditer
C aufert. Interdum vero quosdam tales diu
vivere sinit, ut justior appareat eorum
damnatio, et ex aliis causis diversis sibi
cognitis, nobis incognitis. Unde et Chri-
stus, qui quosdam tyrannos in sanctorum
martyrum martyrizatione, et quosdam sta-
tim post illam, repente plagavit ac inter-
fecit, sui ipsius interfectores sævissimos,
Annam et Caipham, diu satis post suam
crucifixionem subsistere condonavit, ut
nullam prorsus excusationem haberent.

Nam si nequitia facit miseros, id est,
D quia iniquitas « facit » homines esse « mi-
seros » : et hoc iniquitas facit in genere
causæ formalis, et per modum causæ me-
ritoriæ, vel potius demeritoriæ. Peccator
autem, in genere causæ efficientis facit se
miserum miseria culpæ; Judex vero cœle-
stis efficit eum miserum miseria pœnæ,
eum juste damnando. Ideo in Proverbiis
Salomon loquitur : Justitia elevat gentem; *Prov.* XIV, 34.
miseros autem facit populos peccatum. Ja-
cobus quoque talibus dicit : Agite nunc, *Jacob.* V, 1.
divites, plorate ululantes in miseriis quæ

advenient vobis. *Miserior sit necesse est* A *diuturnior nequam:* id est, quum culpa hominem faciat miserum, « necesse est », id est, necessario concluditur, quod « nequam diuturnior », id est homo iniquus in peccatis diutius manens et crescens, « sit miserior », id est magis infelix, quoniam aucta causa, augetur effectus. De tali misero dicitur in Ecclesiastico : Peccator adjiciet ad peccandum. Ideo tales miserrimos, qui tanto miseriores consistunt quanto minus hoc sentiunt et advertunt, Isaias sanctus hortatur : Redite, prævaricatores, ad cor. B

Eccli. III, 29. — *Is.* XLVI, 8

Quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret : nam ut fatur Gregorius, Si impii sine fine vivere possent, sine fine peccarent. Quamvis autem morientes in peccato mortali, maneant sine fine in pravitatis suæ affectu, atque perpetuo in inferno Deum blasphement ; non tamen post separationem a corpore demerentur, nec est eis lex posita ad bene vivendum, quum non possint reverti ad bonum. Hinc proprie loquendo non peccant, quum peccatum sit, teste Ambrosio, divinæ legis transgressio. Attamen male agunt : quemadmodum et Beati bene (imo et optime) agunt, non tamen merentur. Mors quippe est terminus promerendi ac demerendi. Propter quod asserit Damascenus libro secundo : Quod angelis est casus, hoc hominibus est mors. C

Etenim, si de pravitatis infortunio vera conclusimus, id est, quia recte probavimus, quod pravitati seu culpæ debetur pœna, quæ est adversitas et infortunium durum ; *infinitam liquet esse miseriam quam constat esse æternam,* id est sine fine durantem, ac indesinenter majorem ac graviorem. Idcirco, si impii immortales essent in sæculo isto, iniquitates eorum augerentur in infinitum. Itaque « liquet », id est patet, « miseriam », id est culpam, « esse infinitam » extensive, atque quodammodo intensive, crescendo assidue, quæ est æterna, id est sine termino durans D

Cf. p. 468 B et s.

et crescens, sicut esset si hæc vita fine careret.

Ad hæc Boetius : *Tum ego : Mira quidem (inquam) et concessu difficilis illatio :* hoc est, ista « illatio », id est conclusio seu consequentia, est « mira et difficilis concessu », id est gravis ad concedendum. Nam et quidam magni philosophi, ut Avicenna, Algazel, ac alii quidam, dixerunt miseriam non esse æternam : quia (ut Aristoteles dixit) nullum violentum est perpetuum ; nec putabant pro temporali flagitio inferri æternum supplicium. Sed mentita est iniquitas sibi ; et quod credere noluerunt, jam miseri experiuntur. *Sed his eam quæ prius concessa sunt, nimirum* * *convenire cognosco :* id est, ego Boetius nosco et video, « eam », id est istam illationem, « convenire nimirum », id est sine rationabili admiratione concordare, « his quæ prius concessa sunt ».

Ps. XXVI, 12. — * nimium

— *Recte (inquit) existimas :* id est, Philosophia ait, O Boeti, tu « existimas recte », id est, rationabiliter sentis. *Sed qui conclusioni accedere durum putat,* id est, qui judicat « durum » vel irrationabile esse huic « conclusioni accedere » per consensum, id est consentire eidem, *æquum est, vel falsum aliquid præcessisse demonstret,* hoc est, « æquum » seu justum « est » ut « demonstret », id est, evidenter probet, « vel præcessisse aliquid falsum » in præinductis, *vel ostendat collationem propositionum,* id est formam et ordinem præmissarum, *non esse efficacem necessariæ conclusionis,* id est non esse efficaciter ostensivam seu illativam « conclusionis necessariæ » jam prætactæ, quam dico necessario sequi ex præmissis. *Alioqui concessis præcedentibus,* id est præmissis præhabitis, *nihil prorsus est quod de illatione causetur,* id est, conqueratur, reprehendat, aut instet contra conclusionem illationisve formam.

Consequenter probat Philosophia aliud quid, quod prædictis prima facie videtur magis mirabile apud vulgares et imperi-

tos, quamvis exercitatis in Scripturis perfacile sit. Itaque probat, quod mali et improbi magis felices sunt puniti quam impuniti.

Nam hoc quoque quod dicam, non minus mirum videatur : sed ex his quæ sumpta sunt, æque est necessarium : id est, tam necessario verum est ut præcedens conclusio ; et hoc, « ex his quæ sumpta sunt », id est ex præassumptis ac introductis. Ad quod Boetius : *Quidnam? inquam,* id est, dico et quæro, Quid est hoc?

Ad quod Philosophia : *Feliciores (inquit) esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat,* hoc est, quod ipsi vitiosi debitas nunc recipientes pœnas pro suis excessibus, sunt magis felices quam si per nullam justam pœnam retrahantur et refrenentur a vitiis. Quamvis enim tam pœna quam culpa sit quædam miseria, tamen quanto ratio mali ac læsionis et nocumenti plus convenit culpæ quam pœnæ quæ sic est pœna quod non sit culpa, tanto major est miseria ipsa culpa quam pœna. Ideo incomparabiliter melius, desiderabilius feliciusque consistit nunc pati pœnam pro culpa et digna flagella pro peccatis, quam impunite peccare, nec in sæculo isto castigari a Domino : præsertim quum castigatio talis, sit effectus et signum paternæ dilectionis Dei ad nos, secundum quod ait, Ego quos amo, arguo et castigo. Unde et Scriptura ait : Beatus homo qui corripitur a Domino. Denique pœnæ vitæ præsentis sunt medicinales, vulnera vitiorum curantes. Idcirco dispositive felices sunt : præsertim quia non solum a peccatis purgant præteritis, imo præservant etiam a futuris, sicque disponunt ad gratiam et introducunt ad gloriam ; illuminant mentem, quia vexatio tribuit intellectum ; passioni etiam Christi conformant patientem, a futuris quoque suppliciis eruunt pœnitentem. Verum Philosophia consequenter fatetur istud se dicere non propter has rationes, sed ob alias causas.

Apoc. III, 19. *Job* V, 17. *Is.* XXVIII, 19.

Neque id nunc molior, id est, non conor nec studeo neque intendo istud assignare pro causa meæ assertionis, *quod veniat in mentem cuivis,* id est, a quovis homine valeat considerari (et utinam bene ascendat in cor), utputa : *corrigi ultione pravos mores,* id est, quod mores distorti et inordinatæ affectiones corriguntur, vitantur et emendantur « ultione », id est per pœnas quæ pro justa infliguntur vindicta, prout Deus in Deuteronomio testatur : Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore ; *et ad rectum supplicii terrore deduci,* id est, pravos mores reduci ad rectitudinem æquitatis « terrore supplicii ». Nempe, ut asserit Augustinus : Vitatur peccatum et bonum peragitur promissione præmii, et comminatione seu terrore aut acerbitate supplicii ; imo est tertius modus perfectior, hoc est, sincero Dei amore ac puro bonitatis affectu et zelo justitiæ, vitia abhorrere ac agere virtuose. *Ceteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi,* id est vitandi peccata : quod fit dum homo pro suis culpis corrigitur. Propter quod jussit Apostolus Timotheo : Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Salomon quoque in Proverbiis fassus est : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

Deut. XXXII, 35. *I Tim.* V, 20. *Prov.* XIX, 25.

Sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror impunitos : hoc est, ego « arbitror », id est judico, impios « impunitos, esse infeliciores alio quodam modo », id est alia ratione ; *tametsi,* id est quamvis, *nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli :* id est, dico, hoc etiam dato, quod « nulla ratio correctionis habeatur », id est, quod non consideretur utilitas corrigendi pravos mores : quod fit per debitam disciplinam, juxta illud, Virga disciplinæ fugabit stultitiam. Propter quod asserit Augustinus : Dum dormit disciplina, sævit impunita nequitia ; itemque : Corripiamus verbis, et si opus est, corripiamus et verberibus. Quamvis etiam « nullus respectus exempli » habeatur, id est, utilitas ædificationis aliorum non attendatur.

Ibid. XXII, 15.

— *Et quis erit (inquam) præter hos alius modus?* id est, quæ alia ratio poterit assignari cur vitiosi homines sint infeliciores impuniti quam puniti pro suis peccatis, præter rationes istas nunc tactas?

— *Et illa : Bonos (inquit) esse felices, malos vero miseros, nonne concessimus?* hoc est, « illa inquit », id est, Philosophia respondit : « Nonne » (id est utique) « concessimus, bonos », id est virtuosos homines, quamvis adhuc viatores, « esse felices » in spe ac merito, et quadam inchoatione et prægustatione felicitatis futuræ perfectæ, « malos vero » malitia culpæ, esse « miseros » merito damnationis æternæ atque miseriis culpæ? Omnes vero, tam boni quam mali, miseri sunt per carentiam beatificæ fruitionis, per exsilium præsentis peregrinationis, per quotidianas culpas, saltem veniales, per diversas afflictiones ; et quia in medio ambulant laqueorum, variis gravissimisque periculis sunt expositi, et crudelissimis ac versutissimis inimicis circumdati. — *Ita est, inquam,* id est, ego Boetius dico sic esse.

Cf. p. 464 C et s.

— *Si igitur, inquit, miseriæ cujuspiam bonum aliquod addatur, nonne felicior est eo cujus pura ac solitaria sine cujusquam boni admixtione miseria est?* id est, « si bonum aliquod », id est aliquid virtutis, « addatur miseriæ cujuspiam », id est peccatis hominis alicujus, « nonne felicior est » homine illo « cujus miseria est pura ac solitaria », id est nihil habens admixtum bonitatis et virtutis? Unde expositorie subditur : « sine cujusquam boni admixtione ». — *Sic (inquam) videtur* mihi Boetio. Quod et verum est, ceteris paribus : nam posset accidere quod esset aliquis adolescens totus vagus et lubricus, qui nunquam interfuisset divino Officio, nec orasset, neque eleemosynas tribuisset, nec aliquod egisset bonum ex genere ; nec tamen esset tam miser, id est vitiosus et impius, sicut aliquis senex adulter, usurarius, in sceleribus plurimis annis inveteratus, qui multa bona ex genere perpetrasset extra caritatem, ex naturali ratione

A et fide informi. Si vero casus intelligatur de admixtione alicujus boni gratuiti gratificantis, nullum remanet dubium.

Subjungit demum Philosophia, ulterius sciscitando : *Quid,* supple, putas dicendum, *si eidem misero qui cunctis careat bonis,* id est omni virtute et actu virtutis tam infusæ quam acquisitæ (certum est autem quod non sit aliquod pure malum, prout dixerunt Manichæi), *præter ea quibus miser est,* id est ultra mala quæ habet, *malum aliud fuerit annexum? Nonne*

B *multo censendus est infelicior eo cujus infortunium boni participatione relevatur?* Istud expositione non eget : et per « infortunium » designantur mala culpæ seu pœnæ. Ad quod Boetius : *Quidni? inquam :* id est, dico, Quid aliud ad hoc dici potest, nisi quod ita sit?

Ex quibus Philosophia concludit : *Habent igitur improbi, quum puniuntur, boni quidem aliquid annexum,* videlicet justam pœnam. Unde subjungitur : *pœnam ipsam scilicet, quæ ratione justitiæ bona*

C *est,* et justa vocatur ex justitia juste judicantis ac punientis, secundum quod exterius opus aut factum sumit denominationem a virtute aut vitio interiori. *Iidemque quum supplicio carent, inest eis aliquid ulterius mali, ipsa impunitas, quam iniquitatis merito, malum esse confessus es,* id est, « quam » impunitatem, id est carentiam debitæ castigationis seu immunitatem a pœna, « confessus es esse malum », hoc est salubris boni privationem : et ita est malum privativum, atque

Cf. p. 481 A et s.

D occasio multiplicis culpæ, ut tactum est. Ad hoc Boetius : *Negare non possum,* id est, contradicere his de jure non valeo.

Ad quod Philosophia : *Multo igitur infeliciores improbi sunt, injusta impunitate donati,* id est supportati seu privilegiati (quæ impunitas non vocatur injusta ex parte Dei pœnam pie ac rationabiliter differentis ; sed quandoque ex parte prælati aut judicis temporalis injuste dissimulantis, vel quoniam ipse reus indignus est supportatione et impunitate hujusmo-

di), *quam justa ultione puniti. Sed puniri improbos, justum, impunitos vero elabi*, id est evadere impunitos, *iniquum esse, manifestum est :* et hoc, secundum legem communem. Attamen rex aut princeps, qui plenitudinem potestatis sortitur in regno suo, potest ex rationabili causa clementer dimittere irrogatam sibi injuriam. Multo plus Deus super omnem legem exsistens : qui tamen adulto nunquam ignoscit mortale peccatum sine omni penitus pœna ; imo ad minus requirit in reo veram contritionem, quæ dicitur esse dolor maximus qui est in natura. — *Quis id neget ?* id est, ego Boetius fateor id negari non posse.

— *Sed ne illud quidem, ait, quisquam negabit :* id est, Philosophia « ait, Sed ne » (id est nec) « quisquam negabit quidem », id est pro certo, « illud » quod subditur : *bonum esse omne quod justum est ; contraque quod injustum est, malum esse liquere :* hoc est, et « contra », id est econverso, « liquere », id est certum esse, « malum esse quod injustum est » : a specie ad genus ; ut, homo currit, ergo animal currit. — *Tum ego,* id est, ego Boetius dico : *Ista quidem consequentia sunt eis* (id est, sequuntur ad ea) *quæ paulo ante conclusa sunt.*

Deinde Boetius, tanquam philosophus, inducit quæstionem de pœna hanc vitam sequente. *Sed quæso (inquam) te,* id est, o Philosophia, « quæso te », *nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis ?* hoc est, « ne », id est utrum seu numquid, « relinquis », id est, restare sentis et doces, « nulla supplicia animarum post corpus defunctum morte », id est corpore resoluto per mortem ? Per quam corpus defungitur, id est, extra functionem et usum vitæ ponitur. Unde secundo Machabæorum libro narratur :
II *Mach.* XIV, 46. Iste hoc modo vita defunctus est.

— *Et magna quidem, inquit :* id est, Philosophia respondit, « Et quidem magna », id est, supplicia magna animarum dico esse post corporis mortem. *Quorum*

A *alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto :* id est, « quorum » suppliciorum « puto alia », id est quædam, « exerceri », id est irrogari et infligi, « acerbitate pœnali », id est amaritudine infernali ; « alia vero » puto exerceri « clementia purgatoria », id est medicamine pio, ita quod pœna illa non solum juste punit, sed etiam misericorditer purgat. *Sed nunc de his disserere consilium non est,* id est, consultum non reputo tractare de his in hoc loco.

B *Id vero hactenus egimus,* id est, declaravimus hucusque id, *ut quæ indignissima tibi videbatur malorum potestas, eam nullam esse cognosceres :* hoc est, « ut cognosceres eam » potestatem « malorum nullam esse, quæ potestas videbatur tibi indignissima » esse, id est indecentissime illis collata, et abusiva atque tyrannica, prout hoc jam supra in hoc libro quarto expositum est. *Cf.* p. 437 B' et s. *Quosque impunitos querebare, videres nunquam improbitatis suæ carere suppliciis :* hoc est, « videres », C id est cognosceres, eos « nunquam carere suppliciis suæ improbitatis, quos querebare », id est, ex zelo justitiæ, non ex infidelitate, conquerebaris, esse « impunitos », saltem ad tempus, vel in sæculo isto. *Licentiam quam cito finiri precabaris, nec longam esse disceres :* id est, addiscendo a me cognosceres, « licentiam », id est libertatem et potestatem improborum, non « esse longam, quam precabaris », id est orabas, « finiri cito », in quantum adversam bono communi, seu ob alias D pias causas. Quod tamen non est simpliciter appetendum, nec quomodolibet exorandum, quum scriptum sit : Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. *Ps.* XXXVI, 1. Ideo committendum est hoc secreto Dei judicio, et orandum pro improborum præsidentium conversione. *Infelicioremque fore,* supple, potentiam iniquorum, *si diuturnior, infelicissimam vero, si esset æterna :* id est « si esset diuturnior », multum longior quam est, scires esse « infeliciorem ; infelicis-

simam vero » esse, « si » esset « æterna » : prout istud in præcedentibus hujus quarti libri prosis ostensum est.

Cf. p. 448 C et s., 468 B et s., 481 D et s.

Post hæc, supple, cognosceres, *miseriores esse improbos injusta impunitate dimissos, quam justa ultione punitos. Cui sententiæ consequens est,* id est sequens ad ipsam, *ut tum demum gravioribus suppliciis urgeantur, quum impuniti esse creduntur :* id est, « ut urgeantur », id est, spiritualiter comprimantur, « tum demum », id est tunc consequenter sive finaliter, « suppliciis gravioribus », id est pœnis acrioribus, seu magis damnosis et nocivis animarum saluti, « quum creduntur esse impuniti », id est non puniti sensibilibus pœnis, sicut expositum est : ista enim non sunt nisi quædam epilogationes præhabitorum.

Cf. p. 484 B et s.

— *Tum ego : Quum tuas (inquam) rationes considero, nihil dici verius puto. At si ad hominum judicia revertar,* id est, si considerando redeam ad vulgarium et imperitorum hominum judicia, *quis est ille cui hæc non credenda modo, sed saltem audienda videantur ?* id est, « quis est ille » de numero vulgarium, « cui hæc videantur non modo » (id est solum) « credenda, sed saltem audienda » ? Quasi dicat : Nullus istorum reputabit hæc digna audiri, et multo minus reputabit ea digna credi.

— *Ita est, inquit illa,* id est, Philosophia respondit sic esse. Et rationem subjungit. *Nequeunt enim oculos tenebris assuetos, ad lucem perspicuæ veritatis attollere :* id est, non valent « attollere oculos » suos interiores, intellectuales, « assuetos tenebris » ignorantiæ et errorum ac vitiorum, « ad lucem » et claritatem « veritatis perspicuæ », id est in se ipsa claræ. Quemadmodum qui diu sederunt in carceribus tenebrosis, egredientes non possunt mox intueri lumen et radios, quia assueti sunt tenebris ; paulatim vero assuescunt lumini solis : sic et tales possunt consuetudinem pravam abjicere profectuique studere, ac desuper

A illustrari perspicuasque veritates limpide contemplari. *Similesque avibus sunt quarum intuitum nox illuminat,* id est modicum lumen quod apparet de nocte ex luce stellarum : quæ præ debilitate oculorum suorum ferre nequeunt lumen intensum, ut sunt bufones, vespertiliones, nycticoraces. Ideo additur : *dies cæcat,* id est, lux diei obnubilat et « cæcat », id est, visum illarum affligit.

Deinde Philosophia declarat qualiter obtenebrati sunt oculi mentales vulgarium.

B *Dum enim non rerum ordinem sed suos intuentur affectus :* id est, dum vulgares non contemplantur « ordinem » universi ac regimen mundi (qualiter corporalia ordinentur ad spiritualia, et inferiora regantur per superiora, et providentia Dei in rebus resplendeat, ita quod vitia detestetur ac puniat, et virtutum actus remuneret), sed propria commoda quærunt, et affectionem, non rationem, sequuntur ; *vel licentiam vel impunitatem scelerum putant esse felicem,* id est, potentiam et

C libertatem peccandi suamque incorrectionem reputant quasi quamdam prosperitatem, et « esse felicem » ac eis felicitatem. Sicque peccant audenter : nam ut Salomon loquitur, Quia non cito profertur sententia, sed omnia in futurum reservantur incerta, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Quocontra scriptum est in Ecclesiastico : Altissimus enim est patiens redditor. In talium persona per Malachiam dicitur : Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt,

Eccle. VIII, 11 ; IX, 2. Eccli. V, 4. Malach. III, 15.

D facientes impietatem.

Vide autem quid æterna lex sanciat : id est, illis tam insipienter judicantibus, tu « vide », id est considera, « quid lex æterna », id est lex divina, statuat, approbet, reprobet et confirmet. Et potest per legem æternam designari lex increata, quæ est ipsemet Deus, legislator summus et primus, causa et fons omnis justitiæ ; de quo loquitur Isaias : Dominus legifer noster, Dominus rex noster. A quo derivata est lex naturalis, lex novi ac veteris

Is. XXXIII, 22.

Testamenti, et omnis lex recta, quantum A ad id quod veræ rectitudinis est in ea. Quamvis autem legem æternam et increatam in se ipsa videre nequimus, tamen in legibus istis creatis, quæ sunt quasi quædam impressiones illius, possumus eam tanquam in suis effectibus aliqualiter contemplari, et quid ipsa sanciat intueri. Unde decem præcepta Decalogi divinitus data, et ab æterna lege expressa, sunt de naturalis dictamine rationis. Sicque ratio naturalis, præsertim adjuta lumine fidei ac Scripturis, videt « quid sanciat lex B æterna ».

Si *melioribus animum conformaveris,* id est, si mentem tuam subjeceris sapientiæ atque virtutibus, legibusque divinis, *nihil opus est judice præmium deferente :* id est, non indigebis induci et excitari ad opera bona agenda per judicem exteriorem humanum, qui te per præmiorum promissionem et exhibitionem ad bona impellat. Cujus subjungitur ratio : *tu te ipse excellentioribus addidisti,* id est, « tu ipse addidisti » et applicuisti « te » C exercitiis salubrioribus, sequendo legem æternam et naturalem, et dedisti te ad spiritualia et honesta, non propter mercedem præcipue, sed ipsius summi boni amore et ex virtutum affectu potissime. Verumtamen istud non dicitur quod homo debeat exteriorem præsidentem contemnere, sed quod non indiget illo sicut hi qui non considerant quid æterna lex sanciat, nec se melioribus applicant.

Si *studium ad pejora deflexeris,* id est, si cordis tui conatum, intentionem et ope- D ram converteris ad magis illicita, contra
Eccli. v, 5. illud Ecclesiastici, Ne adjicias peccatum super peccatum ; *extra ne quæsieris ultorem,* id est, non solum quæras ab alio castigari : *tu te ipse in deteriora detrusisti,* id est, non aliunde coactus, sed propria libertate et motu tuo interiori consensuque libero dejecisti ac præcipitasti te ipsum in lacum perditionis, et ad graviora peccata : juxta quod in Proverbio-
Prov. XVIII, 3. rum libro asseritur, Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

Verumtamen, per hoc non est intelligendum quod is qui proprio motu sponte peccavit, non debet pro satisfactione et salubri sui correctione habere recursum ad confessorem propriumque pastorem, aut alios quorum interest suum excessum ulcisci ; sed ne sic ad illos confugiat quod negligat se ipsum dijudicare et castigare : quia ut ait Apostolus, Si nos ipsos diju- I *Cor.* XI, 31.
dicaremus, non utique judicaremur. Ideo dixit Michæas propheta : Indicabo tibi, *Mich.* VI, 8.
o homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te ; facere judicium et justitiam : ut scilicet in primis judices et corrigas temetipsum, prout ordo exigit caritatis. Cujus contrarium agunt insipientes et miseri filii hominum, proni judicare proximos suos, et palpare et excusare se ipsos. Imo minora vident in aliis, graviora dissimulant in se ipsis, contra id quod ait Salvator : Quid vides festucam *Matth.* VII, 3.
in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ?

Veluti si vicibus sordidam humum cælumque respicias : id est, in his te habendo « veluti si respicias humum sordidam » (id est lutum) et « cœlum vicibus », id est vicissim seu per vices diversas. Dum enim in pejora te flectis, respicis quasi lutum ; dum autem meliora assumis, quasi ad cœlestia respicis. Ideo in Daniele scriptum est de iniquis carnalibusque judicibus : Declinaverunt oculos *Dan.* XIII, 9.
suos ut non viderent cœlum. *Cunctis extra cessantibus, ipsa cernendi ratione, nunc cœno, nunc sideribus interesse videaris :* id est, videri poteris « interesse », id est præsens consistere, « nunc cœno », id est terrenis ac vilibus rebus, « nunc sideribus », id est rebus cœlestibus ac divinis, « ratione ipsa cernendi », id est ratione considerationis, quæ fertur in suum objectum, et per eam homo conjungitur aliquo modo suo objecto, id est rei cognitæ, præsertim si etiam afficiatur ad eam amore avide. Imo, secundum Augustinum, verius est anima ubi amat, quam ubi

animat. Apostolus quoque adhuc vivens A in carne testatus est : Nostra conversatio in cœlis est. (*Philipp.* III, 20.) Et hæc dico, « cunctis extra cessantibus », id est, nullo extrinseco te movente. Hinc elevemus cor nostrum indesinenter ad meliora, ad incrementa sapientiæ ac virtutum ; nec ab illis relabamur in fœda ac turpia, ne nobis conveniat illud Threnorum : Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. (*Thren.* IV, 5.)

At vulgus ista despicit *, id est, pro certo vulgares ista despiciunt : quia carnalibus non sapiunt spiritualia et divina. B Ideo in Proverbiorum libro dicitur : In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui ; (*Prov.* XXIII, 9.) et iterum : Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris ea quæ versantur in corde ejus. (*Ibid.* XVIII, 2.) Hinc in Ecclesiastico fertur : Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. (*Eccli.* XXI, 17.) *Quid igitur ?* id est, quid restat ? *Hisne accedamus* (id est, non appropinquemus per mentis consensum et per vitiorum conformitatem his) *quos belluis similes esse monstravimus,* id est C hominibus vitiosis, crudelibus, belluinis, qui sic persequuntur, spoliant, detrahendo lacerant justos, pios et innocentes, quemadmodum belluæ animantia parva ? Tales igitur excæcatos nequaquam sequamur, sicut subjungitur.

* non respicit

Quid, supple, dicis ad simile istud, *si quis amisso penitus visu, ipsum etiam se habuisse oblivisceretur intuitum,* id est, si aliquis amisisset potentiam visivam, in tantum quod nec recordaretur se aliquando usum esse illa potentia, aut actu- D alem intuitum habuisse, *nihilque sibi ad humanam perfectionem deesse arbitraretur,* id est, nihilo minus putaret se esse perfectum in omnibus quæ ad perfectionem hominis requiruntur ? *Num videntes, eosdem cæcos putaremus ?* id est, nonne nos qui adhuc visum habemus, « putaremus » homines tales penitus « cæcos » in carne et anima, qui tam fatue judicarent ? Ideo illos non sequeremur : sic nec sequi debemus mores atque judicia bestialium hominum, qui quum cæci sunt corde, prudentes se opinantur.

Heu ! quam multi sunt tales ! Imo tales sunt universi qui creata præferunt Creatori, carnalia spiritualibus, transitoria sempiternis, terrena cœlestibus, ut sunt superbi, ambitiosi, cupidi et lascivi : de quibus Salomon protestatur, Stultorum infinitus est numerus. (*Eccle.* I, 15.) Quid enim tam stultum sicut sic agere ? Quibus loquitur Isaias : Væ qui sapientes estis in oculis vestris. (*Is.* V, 21.) Quorum unicuique loquitur Judex supremus in Apocalypsi : Quomodo dicis, Dives sum, et nullius egeo ? et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus ? (*Apoc.* III, 17.) Tales quoque fuerunt Scribæ et Pharisæi Judæorum, qui (ut Joannes ait) dixerunt : Numquid et nos cæci sumus ? (*Joann.* IX, 40.)

Deinde probat Philosophia, infeliciores esse eos qui aliis injuriantur, quam qui injurias patiuntur.

Nam ne illud quidem acquiescent, id est, vulgares et imperiti non « acquiescent », id est, non concedunt, « illud », *quod æque validis rationum nititur fundamentis* * : id est, quod innititur ac utitur « fundamentis rationum », id est argumentorum, « æque validis », id est tam fortibus sicut prædicta, hoc est, quod tam firmiter demonstratur ut illa. Et quid sit illud, subjungitur : *infeliciores eos esse qui faciunt quam qui patiuntur injuriam.*

* firmamentis

— *Vellem, inquam* ego Boetius, *has ipsas audire rationes.* Ad quod Philosophia :

Omnem (inquit) improbum num supplicio dignum negas ? hoc est, « num », id est numquid, tu Boeti, « negas improbum omnem », id est omnem hominem iniquum, esse « dignum supplicio » ? — *Minime, inquam,* id est, ego Boetius nullatenus nego hoc. Subdit Philosophia : *Infelices vero esse qui sunt improbi, multipliciter liquet :* hoc est, « vero », id est sed, « liquet multipliciter », id est, multis modis probatum est, « infelices esse » eos « qui sunt improbi », quia iniquitas est ma-

Cf. p. [illegible], 15 et s. xima infelicitas, sicut ostensum est. — *Ita est, inquam,* id est, sic esse dico ego Boetius.

Ex quibus Philosophia concludit : *Qui igitur supplicio digni sunt, miseros esse non dubitas,* id est, non ambigis eos existere miseros, qui sunt digni pœnis propter sua peccata. — *Convenit, inquam,* id est, hoc convenit et concedo.

— *Si igitur cognitor (ait) resideres :* hoc est, Philosophia ait, « Si igitur », id est, quum ista ita se habeant, si tu « resideres cognitor », id est, residendo in solio judiciali, esses cognitor, id est judex, ad quem pertinet causam cum suis circumstantiis diligenter investigare, juxta illud Job : Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. (*Job* XXIX, 16.) *Cui supplicium inferendum putares,* id est judicares ? *Eine qui fecisset, an qui pertulisset injuriam ?* id est, utrum ei qui intulisset injuriam alteri, aut ei qui eam ab alio pertulisset ? — *Nec ambigo, inquam,* id est, ego Boetius dico, « Nec ambigo », *quin perpesso satisfacerem,* id est, satisfaciendum judicarem « perpesso » injuriam, *dolore facientis,* id est punitione seu damno aut aliqua pœna ejus qui ei fecit injuriam.

Ad quod Philosophia : *Miserior igitur tibi injuriæ illator quam acceptor, esse videretur :* id est, ex hoc sequitur, quod « illator injuriæ videretur tibi esse miserior », id est plus miser, quia deterior et pœnis condignior, ceteris paribus, « quam acceptor », qui eas patiendo accepit. — *Consequitur, inquam,* id est, hoc consequens esse dico.

Ad quod Philosophia : *Hinc igitur, aliisque de causis ea radice nitentibus,* id est, ex eodem fundamento vim trahentibus, scilicet *quod turpitudo suapte natura miseros faciat,* id est, quod fœditas culpæ ex « suapte natura », id est propria ratione atque intrinseca proprietate, « faciat miseros » formaliter, miseria pravitatis, quia in se miseria felicitati contraria est ; *apparet illatam cuilibet injuriam, non accipientis sed inferentis esse miseriam.* A Hoc plane consequitur et veritatem sortitur ad sensum hunc, quod injuria alteri illata, est miseria injuriantis, loquendo de miseria culpæ. Si tamen illa injuria sit læsio, mutilatio aut gravis afflictio injuriati, potest dici ejus miseria, loquendo de miseria pœnæ : de qua sanctus Job dixit, Non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. (*Job* X, 15.)

Itaque, sicut sancti Patres fatentur, uniuscujusque malum in proprium redundat auctorem ; et qui persequitur alium, magis B se ipsum lædit quam illum, directe. Occasionaliter tamen posset alteri multum nocere, inducendo eum ad impatientiam, iram, rancorem adversus se : cujus tamen impatientiæ, iræ, invidiæ, ille injuriam passus, esset causa directe ; et sic sibi sua propria culpa noceret. Porro, si patientiam habuerit in adversis, nil sibi nocet, imo maxime prodest, injuriator et injuriatio ejus. Ideo viri vere virtuosi et illustrati, incomparabiliter malunt adversa pati, injurias, damna, opprobria, detractiones, læ- C siones, irrisiones sufferre, quam irrogare : imo injuriantibus atque peccantibus in se compatiuntur, et orant pro ipsis ; Deoque gratias agunt, scientes quod ipsi per tales purgantur, exercentur, proficiunt et salvantur. Econtrario homines passionati suis passionibus et peccatis sic excæcantur, ut putent se non sibi sed aliis magis nocere quibus injuriantur et obloquuntur, non pensantes quod de homine pravo ait Psalmista : Lacum aperuit, et effodit eum ; et incidit in foveam quam fecit. (*Ps.* VII, 16.) Hinc in Pro- D verbiorum libro scriptum est : Supplantatio perversorum vastabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui. (*Prov.* XI, 3, 6.) In Ecclesiastico quoque legitur : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniet illi. (*Eccli.* XXVII, 30.) Itaque saluberrimum est, semper in simplicitate et sinceritate ambulare, quia ut scriptum est : Simulatores et callidi provocant iram Dei. (*Job* XXXVI, 13.)

Consequenter tractat Philosophia de quibusdam iniquitatibus oratorum, defenso-

rum et judicum, qui frequenter patrocinantur et opem impendunt parti injustæ.

Atqui nunc, ait, contra faciunt oratores : id est, Philosophia dixit, « Atqui », id est certe, « oratores », id est causidici, « faciunt nunc » sæpe « contra », id est contrarium his quæ dico. *Pro his enim qui grave quid acerbumque perpessi sunt, miserationem judicum excitare conantur :* id est, ipsi causidici nituntur communiter « excitare miserationem judicum pro his », id est ad condolendum et recompensandum eis, « qui perpessi sunt grave quid acerbumque », id est aliquid durum et molestum; *quum magis admittentibus justior miseratio debeatur :* hoc est, « quum », id est ex quo, « miseratio justior », id est convenientior, « debeatur magis admittentibus », id est facientibus injuriam, quam patientibus eam : quia probatum est nunc, quod injuriantes, ceteris paribus, sunt miseriores, id est pejores, quam injuriati ab eis ; et quanto quis miserior est, tanto plus compatiendum est ei.

Verumtamen istud non est simpliciter intelligendum ut sonat. Imo injuriatis est compatiendum et succurrendum ; et instigandus est judex ut judicet pro eisdem, et eis satisfieri judicet : et hoc totum, secundum juris tenorem, et sine derogatione alterius partis. Nam et Moyses
Exod. XXIII, 3. scripsit, Pauperis non misereberis in judicio : utpote in derogationem justitiæ,
Job XXIX, 15, 16. 25. partisque læsæ. Hinc sanctus Job ait : Oculus fui cæco, et pes claudo ; pater eram pauperum, et quum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. In Ecclesiastico quo-
Eccli. IV, 10. que docetur : In judicando pupillos, esto eis misericors ut pater. Est igitur horum sensus verborum, quod causidici ac ceteri non debent sic excitare animum judicis ad miserendum injuriatis, quin etiam injuriantibus compatiantur, imo plus doleant de malo culpæ quam de malo pœnæ : tamen ex zelo justitiæ licet expetere ultionem de injuriatoribus ; etiam ex caritate, quoniam expedit saluti animarum

A eorum, in hac vita pro peccatis suis puniri. Hinc subditur :

Quos non ab iratis, sed a propitiis potius miserantibusque accusatoribus, ad judicium veluti ægros ad medicum duci oportebat. Sensus est : « quos », scilicet injuriatores ac reos, « oportebat duci ad judicium non ab accusatoribus iratis » ira per vitium, « sed a propitiis potius miserantibusque », id est piis, qui misereantur potius quam turbulenter et immoderanter irascantur. Est autem duplex ira. Una
B culpabilis : quæ vocatur ira per vitium. De qua Salomon exhortatur : Non sis velox ad irascendum, quoniam ira in sinu stulti requiescit. *Eccle.* VII, 10. Hæc etenim ira rationem prævenit, turbat, obtenebrat. Alia est per zelum : quæ exstat laudabilis, et a ratione sponte assumitur, quatenus actum justitiæ virilius exsequatur. Unde ait Gregorius : Ira non debet rationem prævenire aut superare ut domina, sed comitari et cooperari ei tanquam ancilla. « Veluti ægros » (id est sicut infirmos) oportet duci « ad
C medicum » : quoniam pœna judicis infligitur reis pro medicina morbi iniquitatis. Hinc additur : *ut culpæ morbos supplicio resecarent :* hoc est, quatenus accusatores seu accusati « resecarent », id est removerent, « morbos culpæ », id est peccata, quibus anima infirmatur, et a quibus a Deo curatur (de quo Psalmista testatur, Qui sanat omnes infirmitates tuas), « sup- *Ps.* CII, 3.
plicio », id est per temporale supplicium, quod est satisfactio pro peccatis. Et si fuerit satisfactio sufficiens, non infligetur
D post hanc vitam afflictio alia, juxta illud Nahum : Non consurget duplex tribulatio. *Nahum* I, 9.
Ubi alia habet translatio : Non vindicabit Dominus bis in id ipsum in tribulatione ; vel, ut alius transtulit, Non judicabit Dominus bis, etc.

Quo pacto, defensorum opera vel tota frigeret, vel si prodesse hominibus mallet, in accusationis habitum verteretur : hoc est, « quo pacto », id est per quem modum, videlicet si injuriatores ad judicium ducerentur ex pietate modo prætacto,

« opera », id est auxiliatio, « defensorum » seu advocatorum, « vel frigeret tota », id est omnino cessaret : quia non conarentur reum a morte eripere ; imo permitterent eum occidi, ut hic punitus, damnationem evaderet, quemadmodum ad Corinthios scribit de excommunicato Apo-
I Cor. v, 5 stolus : Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini. « Vel si » opera seu diligentia defensorum « mallet hominibus » salubriter « prodesse » et subvenire, « verteretur in habitum accusationis », id est in assiduitatem accusandi, ita quod frequenter accusaret recidivantes et incorrectos, servato ordine fraternæ correctionis, ut scilicet admonitio secreta publicam fraternam correptionem præcedat, prout Chri-
Matth. xviii, 15-17. stus in Evangelio docuit : Si peccaverit in te (inquiens) frater tuus (id est, te sciente), corripe eum inter te et ipsum solum ; si te non audierit, adhibe tecum unum aut duos testes ; quod si illos non audierit, dic Ecclesiæ, id est ecclesiastico judici. Verumtamen nec supplicio nec accusatione peccatum dimittitur sine ipsius rei contritione.

Consequenter ostendit Philosophia, quod reus non refugeret præsens judicium, si consideraret idonee multiplicem ejus fructum.

Ipsi quoque improbi, si eis aliqua rimula virtutem relictam fas esset adspicere, vitiorumque sordes, pœnarum cruciatibus se deposituros viderent ; compensatione adipiscendæ probitatis nec hos cruciatus esse dicerent : hoc est, « ipsi quoque improbi, si fas » (id est facultas) « esset eis adspicere aliqua rimula », id est aliqua saltem tenui intuitione, ex gratia et sapientia salutari præveniente, « virtutem relictam », id est dignitatem et pulchritudinem virtutum quas peccando perdiderunt ac reliquerunt, et « viderent se deposituros sordes vitiorum cruciatibus pœnarum », id est per cruciatus pœnales, mediante vera contritione (vel si jam ante per contritionem deletæ sunt quantum ad

A culpam, deleantur per cruciatus istos plenius, etiam quantum ad pœnam) ; « dicerent hos cruciatus non esse », id est nullius esse reputationis neque momenti, « compensatione », id est intuitu et desiderio compensationis seu recuperationis, « probitatis adipiscendæ », id est virtutum per has pœnas recuperandarum. *Defensorumque operam repudiarent,* id est, abjicerent « operam defensorum », id est auxilium protectorum ; *ac se totos accusatoribus judicibusque permitterent :* id est, promptis-
B sime, cum omni compunctione exponerent se accusatoribus atque judicibus suis, accusantium objectiones ac judicum sententias et tormenta æquanimiter sustinendo propter tot fructus et utilitates, et quia per brevia hæc tormenta, futuræ vitæ supplicia ineffabiliter acriora et diuturniora evaduntur, præsertim quum quidam permittant se uri, secari, scindi, ac certis in membris lacerari, desiderio sanitatis corporeæ brevis et incertæ.

Postremo, ex præinductis corollarie in-
C fert : *Quo fit ut apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquatur :* hoc est, « quo fit », id est, ex quibus præhabitis patet, quod « nullus prorsus locus relinquatur odio apud sapientes », id est in corde sapientium sapientia infusa quæ est donum : de qua in libro Sapientiæ legitur, Sapientiam non vincit malitia ; itemque, Sap. vii, 30.
Melior est sapientia quam vires. Ibid. vi, 1.

Nam bonos quis nisi stultissimus oderit ? id est, nemo odit homines bonos et virtuosos, nisi valde insipiens, qui excæ-
D catur in tantum quod odit eos a quibus corripitur, corrigitur, refrenatur, juxta illud Amos : Odio habuerunt corripientem, Amos v, 10.
et loquentem perfecte, abominati sunt. In Proverbiorum quoque libro : Non amat Prov. xv, 12.
pestilens eum qui se corripit. Et certe tales sunt multi. Unde dixit Christus discipulis suis : Odio eritis omnibus hominibus Matth. x, 22 ; xxiv, 9.
propter nomen meum.

Malos vero odisse, ratione caret. Sunt enim spiritualiter diligendi, ita ut eis optemus veniam, gratiam, emendationem in

omnibus, et salutem. Non tamen amandi sunt in quantum mali, sed in quantum sunt viatores gratiæ et salutis capaces, ad superbeatissimæ Trinitatis imaginem conditi, Christi sanguine liberati, ac proximi nostri. Nihil enim tam secundum naturam sicut amare naturæ consortem, ut ait Ambrosius super Lucam. Amanda est ergo bona natura, et persona quoniam bona, vel ut sit bona. Et hoc ad omnem pertinet Christianum, potissime quoniam Christus ait : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. (*Joann.* XIII, 34, 35.)

Nam sicut * *corporum languor, ita vitiositas quidam est quasi morbus animorum,* id est, « sicut languor » est « corporum » infirmitas corporalis, « ita vitiositas est quasi quidam morbus animorum », ut ubertim ostensum est. *Quum ægros corpore minime dignos odio sed potius miseratione judicemus :* hoc est, « quum », id est quumque, seu ex quo, « judicemus ægros corpore dignos » non « odio, sed potius miseratione », quia miserabiles sunt personæ; *multo magis non insequendi* (id est non odio habendi) *sed miserandi sunt, quorum mentem* * *omni languore atrocior urget improbitas :* id est, « miserandi » et refovendi « sunt » mali, « quorum mentem improbitas atrocior » (id est vitiositas crudelior atque nocivior) « omni languore » corporeo, « urget », id est, comprimit, perimit, et angustat captivamque detinet, ita quod non ambulat in latitudine caritatis neque in via salutis, nec resipiscit a diaboli laqueis. Ideo condolendum est ei vehementer, et orandum pro ea ferventer. (*Ps.* CXVIII, 45. II *Tim.* II, 26.)

* si uti

* mentes

ARTICULUS XI

DIFFICULTATUM HUJUS PROSÆ QUARTÆ PROPOSITIO LUCULENTAQUE EXPEDITIO.

JOANNES. — Aliqua mihi dubia circa præhabita oriuntur. Primum, an actus interior, et prava locutio ex illicita cogitatione seu perversa affectione procedens, et operatio exterior, sint tria peccata realiter ab invicem distincta. Et videtur Philosophia sentire quod imo, vocans ea triplex infortunium (*Pros.* IV, lin. 9, 10); et quod unum horum malorum prius sit alio. Rursus, quodlibet eorum per se sumptum, est unum peccatum; nec unum alteri adveniens minuit illud, sed auget : sicut interior concupiscentia per verba detestanda et per gesta quædam exteriora vehementius inflammatur. Iterum, tria hæc differunt subjecto, et unum frequenter est altero prius, atque diversis prohibentur præceptis.

DIONYSIUS. — Paucis verbis tangis multa motiva. Itaque Alexander respondet : Duplex est peccati descriptio. Prima, quod peccatum est actus incidens ex defectu boni. Et ita hæc tria sunt triplex peccatum, quum ibi sit defectus triplicis boni : quia et bonitas actus requirit quod sit in materia debita, et debitis circumstantiis vestiatur. Secunda descriptio peccati est, quod sit voluntarium malum. Et ita sunt unum peccatum : quoniam sic in peccato attenditur radix peccandi, quæ est voluntas seu ejus volitio; et ita sunt unum peccatum. (*Cf.* t. XXII, p. 558 B' et s.)

Porro Bonaventura concordat, dicendo : Ista secundum quod ita conjuncta sunt ac ordinata quod unum oritur ex altero, sunt unum peccatum, quum ibi sit unus contemptus Dei, et una aversio voluntatis, quæ contemnit dum ad commutabile bonum convertitur, non solum quantum ad proprium actum, sed etiam quantum ad

actum inferioris potentiæ. Quamvis vero A sit una ibi deordinatio formaliter, tamen plura sunt ibi deordinata materialiter : ideo licet sint formaliter unum peccatum, materialiter tamen sunt plura peccata. Et hoc tenet Magister Sententiarum, libro secundo, distinctione quadragesima secunda : et bene, quoniam una est ibi ratio deordinationis, nec actus exterior habet deordinationem nisi ab actu interiori.

His demum satis consonat Thomas, in Scripto secundi : Unum, inquiens, et ens convertuntur. Hinc secundum id a quo B res habet esse, accipitur judicium de ejus unitate et multiplicitate : quemadmodum in naturalibus res habet esse a forma, et per consequens habet et unitatem ab illa. Actus vero non ponitur in genere moris nisi per voluntatem, in quantum a voluntate procedit elicitive aut imperative : ideo secundum unitatem voluntatis, judicium sumitur de unitate actus moralis. Unde actus unus secundum esse naturæ, potest esse plures moraliter : ut dum quis furatur ut vacet gulæ atque luxuriæ. Con- C formiter, voluntas seu volitio conjuncta actui exteriori, et actus ille exterior, sunt unum peccatum, quia non multiplicatur actus interior voluntatis. Hinc isto præce-
Exod. xx, 17. pto, Non concupisces rem proximi tui, prohibetur voluntas seu concupiscentia ejus separata ab actu ; quæ autem conjuncta est, prohibetur eodem præcepto quo opus illicitum. Hæc in Scripto. — Præterea, in prima secundæ, quæstione septuagesima
art. 7. secunda : Peccatum, ait, dividitur in peccatum cordis et oris ac operis, non sicut D per species diversas completas. Peccatum namque inchoatur in corde, manifestatur ore, et opere consummatur : sicque distinguuntur hæc tria secundum diversos gradus peccati. Pertinent tamen ad unam completam peccati rationem seu speciem, quum ab eodem motivo procedant. Iracundus quippe appetendo vindictam, primo turbatur in corde ; secundo in verba contumeliosa prorumpit ; tertio ad facta injuriosa procedit.

Albertus demum circa hæc scribit : Actus exterior et voluntas duo quidem sunt, sed unum peccatum, per malitiam duplex, ut asserit magister Præpositivus, rationem assignans : quia si quilibet actus interior et exterior deberet reputari pro diverso peccato, minus grave esset opus et onus culparum. Et dedit exemplum : Si quis surgat ad furandum aut occidendum, quilibet passus esset ei speciale peccatum. Ideo dixit, quod totum a principio pravæ voluntatis usque in finem consummationis operis, est unum peccatum multiplex : unum secundum substantiam operis, duplex seu multiplex pravitate.

JOANNES. — Quum formale in peccato sit pravitas ipsa, si unum peccatum est multiplex pravitate, erit formaliter plura. Denique in eodem actu potest esse violatio plurium præceptorum : ut si quis in ecclesia committat adulterium, aut ibi furetur ut ex furatis vacet gulæ atque venereis. Ergo in eodem actu sunt plura peccata mortalia.

DIONYSIUS. — A principali et finali intentione denominatio rei speciesque sumuntur. Et ita est unum peccatum : in quo tamen multæ deformitates mortales considerantur ac continentur. Ideo tale unum peccatum, est æquivalenter multa, atque tam grave ut multa mortalia : quemadmodum qui die festivo coram aliis seu illis scientibus fornicatur, peccat mortaliter alios scandalizando, peccat mortaliter diem celebrem violando, peccat mortaliter præceptum continentiæ transgrediendo ; et si feminam alliciat, aut (quod deterius esset) opprimat, est ibi etiam alia species culpæ mortalis. Insuper clerici ad septem Horas tenentur canonicas ex præcepto, ita quod si unam, vel etiam minimam, scienter et sine rationabili causa omitterent, peccarent mortaliter, toties quoties. Quod si quis omnes Horas illas uno die scienter sine rationabili causa omitteret, incideret septem peccata mortalia, aut unum septempliciter mortale.

JOANNES. — Horribilia sunt hæc. Sed

deprecor edoceri an actus exterior malus, A seu prava aut falsa locutio, aliquid culpæ superaddat actui interiori.

Dionysius. — Hanc quæstionem movet Magister libro secundo, distinctione quadragesima. De qua doctores ibidem multa conscribunt ac plurima sciscitantur : quæ propter prolixitatem vitandam dimitto. Responsionemque Thomæ breviter tangam, qui ait in Scripto secundi : Actus exterior et actus voluntatis interior ita comparantur ad invicem, quod uterque est alteri quodammodo causa bonitatis seu pravita- B tis. Actus namque exterior bonitatem sortitur ex circumstantiarum commensuratione, secundum quam proportionatus est ad finem hominis consequendum. Quumque actus exterior comparetur ad voluntatem sicut objectum ad potentiam, ideo hanc bonitatem voluntatis actus interior ab exteriori habet, non secundum quod est exercitus, sed secundum quod est intentus ac volitus : quia in quantum exercitus, sequitur actum voluntatis. Quædam autem ratio bonitatis consistit in actu in- C teriori secundum se, prout voluntas est domina actuum suorum : secundum quam bonitatem actus habet rationem meriti sive laudabilis. Et hæc bonitas ab actu interiori ad exteriorem descendit. Loquendo ergo de illa bonitate quam actus interior præbet exteriori, actus exterior nihil adjicit bonitatis, dummodo voluntas æqualiter sit intensa. Quod addo, quoniam quidam actus ita sunt delectabiles, quod voluntas non potest esse tam intensa in eis ante actum sicut in actu, ut in venereis. D Idcirco non æqualiter demeretur qui vult turpiter agere, et qui hoc agit. Quidam vero sunt actus difficiles, in quibus voluntas in actu remittitur ; et in his voluntas est magis perfecta ante actum exteriorem quam in illo. Loquendo autem de bonitate actus quam habet actus exterior secundum se, sic actus exterior complet et perficit interiorem in bonitate seu pravitate, quemadmodum terminus motus complet motum. Comparatur enim ad voluntatem tanquam objectum ipsius. Quumque actus ordinetur ad præmium essentiale per primam bonitatem, quam habet a voluntate prout liberaliter et ex amore exhibetur : ideo actus exterior nihil adjungit ad præmium essentiale. Hinc decimo Ethicorum ait Philosophus, quod actus exteriores sunt ad virtutis manifestationem.

Cf. t. XXII, p. 534 D et s.

Consonat quoque quod sanctus ait Bernardus : Bona voluntas sufficit ad meritum, sed bona operatio requiritur propter exemplum. Et item quod super Matthæum scribit Chrysostomus : Voluntas est quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo ; opera vero sunt testimonia voluntatis. Quod intelligendum est de voluntate consummata, imperativa, quæ sola impotentia, aut alia justa causa, revocatur ab opere. Postremo his alludit quod loquitur Augustinus : Non longiturnitas temporis, non numerositas operis, sed melior voluntas majorque caritas remuneratur a Deo, præmio scilicet essentiali.

Joannes. — Quid secundum philosophicam veritatem sentiendum est de remuneratione animarum post hanc vitam ?

Dionysius. — Nonne de hoc supra introducta sunt multa, etiam sæpe ? Infra tamen adhuc inde dicetur.

Cf. p. 272 A' et s., 364 D' et s., etc.

METRUM IV

Quid tantos juvat excitare motus,
Et propria fatum sollicitare manu ?
Si mortem petitis, propinquat ipsa,
Sponte sua, volucres nec remoratur equos.

Quos serpens, leo, tigris, ursus, aper (*al.* apri)
Dente petunt, iidem se tamen ense petunt.
An distant quia dissidentque mores,
Injustas acies et fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, et miseresce malis.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO METRI HUJUS QUARTI.

In præcedentibus prosis inducta sunt A multa de impotentia et miseria iniquorum; hic eorumdem insipientiam deflet Philosophia.

Quid, o miseri fatuique mortales, *juvat,* id est, confert, delectat seu adjuvat, *excitare motus tantos,* id est, quod unusquisque vestrum contra proximum suum excitat et intra se movet tam multos et magnos iracundiæ, impatientiæ, indignationis dissensionisve motus? Quia (ut patuit) per hoc potissime vobis ipsis nocetis, *Cf.* p. 470 D' et s., 475 B' et s. proprias animas læditis, necatis ac perditis, Deum offenditis, diabolo complacetis, omni Dei gratia ac virtute vos ipsos privatis, æterna felicitate et gloria indignos vos facitis, cunctis bestiis viliores vos facitis. Nonne ergo vere locutus est Salomon : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet? *Eccle.* IX, 18. Et merito dixit Psalmista : Filii hominum, usquequo gravi corde? *Ps.* IV, 3. Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Certe, ut sanctus Raphael angelus dixit Tobiæ : Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *Tob.* XII, 10. Hoc C est quod ait vir secundum cor Dei : *Act.* XIII, 22. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Ps.* X, 6. *Et* quid juvat *sollicitare,* id est accelerare et procurare, *fatum,* id est mortem sui ipsius sive alterius, *propria manu,* id est propria operatione, violentia, inductione? Fatum autem interdum accipitur pro eventu quasi fortuito, inopinato, et qui fatalis putatur, quamvis respectu Dei nullius mors sit proprie fatalis, cui sanctus Job loquitur : Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Job* XIV, 5.

Si mortem petitis, id est, optatis seu quæritis. Quam aliqui appetunt vitiose, ut ex desperatione, seu pravo tædio vitæ; aliqui virtuose, cupientes dissolvi et esse cum Christo, sicut dixit Apostolus, *Philipp.* I, 23. Quis B me liberabit de corpore mortis hujus? *Rom.* VII, 24. *Ipsa propinquat,* id est, indesinenter vobis propinquior fit. Propter quod piissimus Ezechias rex ait : Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me; de mane usque ad vesperam finies me. *Is.* XXXVIII, 12. Seneca quoque locutus est : Quotidie morimur, quia quotidie aliqua vitæ pars demitur. Hinc occasum et terminum vitæ nostræ ordinationi divinæ providentiæ debemus committere, atque quotidie taliter vivere quasi ipso die morituri: quia (ut asserit Augustinus) is sapienter conversatur, qui quemlibet vitæ suæ diem quasi ultimum arbitratur. Itaque mors « propinquat » *sua sponte,* id est quasi spontanee naturalique cursu, quamvis nec importune optetur, nec violenter infligatur. Ideo sanctus David in adolescentia sua

ab impio rege Saul persecutionem gravissimam sustinens, nequaquam voluit eum occidere, neque a consobrino suo occidi (I *Reg.* XXVI, 9-11.) permisit; sed dixit: Vivit Dominus, quia nisi venerit dies ejus ut moriatur aut in prælium descendens perierit, non extendam manum meam in eum. *Nec* ipsa mors *remoratur,* id est, non retrahit aut retardat, *volucres equos* suos, id est celerrimos suos accessus, instar equorum festinos. Et possunt per equos mortis, causæ corruptionis intelligi, quæ mortem adducunt et introducunt. Loquitur item de morte more poetico, quasi de re subsistente, quum tamen mors proprie non sit nisi privatio vitæ. Hinc veteres mortem pingebant in equorum curru.

Iidem homines *quos serpens, leo, tigris, ursus, aper,* atque consimiles feræ, *petunt,* id est invadunt, *dente,* id est, dentibus suis lædunt ac laniant, *petunt tamen se ense,* id est, se ipsos digladiant, id est, gladiis ac aliis armis impugnant ac perimunt. Unde, ut Augustinus ait libro de Civitate Dei : Nullum animal tam concors est ex natura cum consortibus suæ naturæ ut homo, tamque discors ex vitio cum eisdem. Interea, ut asserunt naturales, bestiæ, quamvis feroces, rarissime invadunt homines, et non nisi ex vehementia famis, vel quoniam timent infestari ab homine : eo quod homines naturaliter vereantur, juxta illud in Doctrinali, Cuncta timent hominem, quoniam præsidet ipse creatis. Unde in Genesi legitur Deus dixisse ad Noe et filios ejus (*Gen.* IX, 2.) : Sit tremor vester super cuncta animalia terræ.

Deinde Philosophia excludit frivolam excusationem qua quis dicere posset : Ista hominum discordia ac concertatio naturalis est, utpote ex diversa hominum complexione, inclinatione ac morigeratione procedens. Quod non excusat plenarie.

An distant, id est, utrum homines sic diversificantur et mutuo contrariantur quoniam « distant », id est, differunt in naturalibus dispositionibus suis? Ideo sub- A ditur : *quia dissident* mores,* id est, inclinationes et dispositiones eorum naturales sunt variæ et quasi contrariæ. Et ideo *movent,* id est, contra se invicem producunt, *acies injustas,* id est cuneos injuste collectos, qui non ex caritate, nec zelo justitiæ, sed ex partialitate aut cupiditate seu aliqua irrationabili causa procedunt ad bellum ; movent quoque *bella fera,* id est pugnas feroces, sine compassione se invicem occidendo ; *voluntque perire,* id est perimi, *telis alternis,* id est spiculis B seu sagittis vel aliis bellicis instrumentis mutuo sibi inflictis : sicut in libris Regum ac Judicum recitatur de filiis Moab et Ammon atque de Madianitis, quod mutuis se conciderunt et occiderunt vulneribus. (IV *Reg.* III, 23; II *Par.* XX, 23; *Judic.* VII, 22.) Verumtamen præliantes non volunt perire in bellis nec ab alio trucidari, sed appetit quilibet triumphare. Attamen, quoniam sponte gradiuntur ad pugnam et interfectionis periculo se exponunt, dicuntur velle alterutrum sic occidi, quemadmodum qui incaute super glaciem gradi- C tur, dicitur velle submergi.

* *dissidentque*

Deinceps Philosophia excusationem hanc refellit, dicendo : *Ratio,* id est causa ista, *sævitiæ,* id est mutuæ dissensionis, crudelitatis et pugnæ, *non est justa satis,* id est rationabilis et condigne excusans: quoniam homo tenetur per rationem se ipsum compescere, et alterum supportare, imo diligere proximos sicut se ipsum, ac facere illis prout sibi vult fieri. (*Matth.* XXII, 39; VII, 12.) Denique, juxta legem divinam nobis desuper datam, tenemur nos regulare, moderari, invicemque D habere ita quod unusquisque proprias culpas, defectuositates, corruptiones attendat, lamentetur ac emendare conetur : et sic proximorum defectus et mores æquanimiter tolerabit, imo modicæ culpabilitatis reputabit comparatione suorum excessuum; postremo, sicut cupit sibi ignosci a Deo, sic ignoscet et proximis. Ideo dixit Apostolus : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. (*Galat.* VI, 2.)

Amplius, Philosophia subjungit in his salubre consilium. *Vis referre* (id est, si

appetis reportare) *vicem aptam*, id est A convenieus præmium recompensationemque congruam, pro *meritis*, id est pro actibus tuis bonis? *Dilige jure*, id est ex debito justitiæ, sicut præceptum est desuper, *bonos*, id est homines virtuosos. Quum enim bonum sit ipsius appetitus objectum, quanto quis fuerit melior, præsertim in donis ac meritis caritatis, tanto (ceteris paribus) est amabilior, potissime ex parte objecti. Hinc Seneca dixit : Si vis diligi, dilige. Ordo autem caritatis variis
Cf. t. XXIII, p. [illegible] B et s. modis pensatur, prout Antisiodorensis in B Summa sua, et Thomas in secunda secundæ, Richardus quoque super tertium Sententiarum declarant. *Et miseresce*, id est, misericors esto, *malis*, id est pravis hominibus, eis cordialiter condolendo, pro ipsis instanter orando, eos caritative et pie corripiendo ac admonendo, non scandalizando, sed factis et verbis ædificando, juxta illud Apostoli : Unusquisque proximo suo *Rom.* xv, 2.
placeat in bonum ad ædificationem. Propter quod in Ecclesiastico etiam scriptum est, Unicuique mandavit Deus de proximo *Eccli.* xvii, 12.
suo : ut scilicet ita habeat se ad illum sicut nunc dictum est.

Nec ista distinctio in ultimo isto tacta versiculo, est ita intelligenda, quod non debeamus malos diligere secundum quod homines sunt, gratiæ ac salutis capaces; sed per appropriationem dictum est istud : quoniam boni secundum quod boni, sunt diligendi; mali vero secundum quod mali ac miseri, sunt miserendi. Quod qui fecerit, « aptam vicem » consequetur a Christo, qui pollicetur : Beati misericordes, quo- *Matth.* v, 7.
niam ipsi misericordiam consequentur.

PROSA V

HIC ego : Video (inquam) quæ sit vel felicitas vel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta; sed in hac ipsa fortuna populari non nihil boni malive inesse perpendo. Neque enim sapientum quisquam, exsul, inops ignominiosusque esse malit, potius quam pollens opibus, honore reverendus, potentia validus, in sua permanens urbe florere. Sic enim clarius testatiusque sapientiæ tractatur officium, quum in contingentes populos, regentium quodammodo
* nexus beatitudo transfunditur : quum præsertim carcer, lex *, ceteraque legalium tormenta pœnarum, perniciosis potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur. Cur hæc igitur versa vice mutentur, scelerumque supplicia bonos premant, præmia virtutum mali rapiant, vehementer admiror; quæque tam injustæ confusionis ratio videatur, ex te scire desidero. Minus etenim mirarer, si misceri omnia fortuitis casibus crederem. Nunc stuporem meum Deus rector exaggerat : qui quum sæpe bonis jucunda, malis aspera, contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat, nisi causa deprehendatur, quid est quod a fortuitis casibus differre videatur?

— Nec mirum, inquit, si quid, ordinis ignorata ratione, temerarium confusumque credatur. Sed tu quamvis causam tantæ dispositionis ignores, tamen, quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS QUINTÆ.

POSTQUAM Philosophia in præhabitis A prosis probavit quæ tanquam obscura ac prima facie quodammodo incredibilia introduxit, hic circa eadem facit Boetius quamdam repetitionem, et movet utilem atque difficilem quæstionem.

* Hic — *Sic* * *ego video, inquam,* id est, « ego » Boetius dico ac fateor, quod « video », id est intelligo, « sic », id est ex modo declarationum et probationum tuarum, *quæ sit vel felicitas vel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta :* id est, « quæ » beatitudo « constituta sit » et B consistat « in meritis ipsis proborum », id est hominum virtuosorum, « vel » quæ « miseria » constituta sit in meritis, id est demeritis, « improborum ». *Sed in hac ipsa fortuna populari non nihil boni malive inesse perpendo :* id est, ego Boetius « perpendo », id est considero, « non nihil boni », id est aliquid bonitatis, prosperitatis seu felicitatis, « malive », id est aut mali, id est infelicitatis, « inesse », id est exsistere, « in hac ipsa fortuna populari », id est in eventibus istis fortuitis et casua- C libus, quos vulgares reputant eufortunia aut diffortunia. Quasi dicat : Quamvis tu Philosophia probaveris, divites et potentes qui prosperantur justosque persequuntur, esse impotentes ac miseros, ipsos quoque pauperes justos, quamvis ab illis oppressos, esse illis potentiores ac feliciores ; his consentire vix valeo, quoniam cerno in fortuna populari esse aliquid felicitatis aut calamitatis. Populares namque illos reputant eufortunatos, quibus arridet et affluit sæcularis potentia, opulentia, fama, D etc. ; illos vero infortunatos, quibus eveniunt horum contraria. Nec in hoc videntur errare, sicut subjungitur.

Neque enim sapientum quisquam, exsul, inops ignominiosusque esse malit : hoc est, « neque enim quisquam sapientum », id est, quia nec aliquis sapientum, « malit », id est, cupit aut vult, « esse exsul », id est in exsilium missus, « inops, ignominiosus », id est diffamatus, ignobilis ; *potius quam pollens opibus, honore reverendus, potentia validus, in sua permanens urbe florere :* id est, magis quam abundare divitiis, et esse validus potestate, ac « florere permanens in sua urbe », id est decorari multitudine propinquorum et amicorum, quemadmodum primo Machabæorum libro nuntius regis Antiochi dixit ad venerabilem Mathathiam : Princeps et clarissimus es in civitate hac, et ornatus filiis ac fratribus. (I *Mach.* II, 17.) Unde quum Eliseus propheta dixisset mulieri Sunamitidi, Vis ut loquar pro te ad regem aut principem? (IV *Reg.* IV, 13.) illa respondit : In medio populi mei habito. Tanquam diceret : Abundo consanguineis et amicis qui poterunt loqui pro me.

Sic enim clarius testatiusque sapientiæ tractatur officium : hoc est, « officium », id est præsidentia seu regimen, « sapientiæ », id est, quod per sapientiam dirigit et solis sapientibus merito competit, « tractatur », id est, exhibetur ac agitur, « sic », id est in ipsa opulentia, potestate, fama, honore, « clarius », id est eminentius, et « testatius », id est magis authentice ; *quum in contingentes populos, regentium quodammodo beatitudo transfunditur :* hoc est, dum « beatitudo regentium », id est prosperitas officiatorum ac præsidentium, « transfunditur quodammodo », id est divulgatur, « in populos contingentes », id est ad terras et gentes in circuitu com-

morantes. Quod adhuc consequenter declarat ac probat.

Quum præsertim carcer, lex, ceteraque legalium tormenta pœnarum, perniciosis potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur : hoc est, « præsertim », id est potissime, « quum », id est ex quo, « carcer », id est incarceratio, « lex », supple punitiva, seu legis præscriptio, « ceteraque tormenta pœnarum legalium », id est instituta in legibus, « debeantur potius civibus perniciosis », id est nocivis et periculosis in communitate, « propter quos », id est propter quorum refrenationem et debitam punitionem, « constituta sunt etiam » illa tormenta :
1 Tim. I, 9. sicut testatur Apostolus, Justis non est lex posita, sed impiis et sceleratis ; et rursus,
Galat. III, 19. Lex propter transgressiones posita est. Quod non est intelligendum de omni lege, sed de coercitiva atque prohibitiva. Quia, ut scribit Isidorus : Diversæ sunt proprietates operationesque legis ; nec solum lex habet punire, sed et informare virtuosumque facere, et remunerare quæ justa sunt. Porro, ut recitat Augustinus libro de Civitate Dei ex Tullii dictis, novem erant genera tormentorum in legibus instituta, videlicet mors, exsilium, carcer, etc. Insuper, quid de hac replicatione Boetii sit tenendum,
Pros. III-VI. dictum est sæpe, præsertim in tertio libro, qualiter scilicet opulentia, potentia, dignitas, fama, ad felicitatem pertineant.

Consequenter Boetius quæstionem suam
Cf. p. 103 C' et s., 122 C' et s., 137 B' et s. proponit : quæ tamen revera frequenter præhabita est et competenter soluta.

Cur hæc igitur versa vice mutentur : id est, miror et sciscitor quare « hæc » jam nominata « mutentur vice versa », id est mutatione contraria, ita quod ea quæ merito conveniunt bonis hominibus, ut præfata ad prosperitatem pertinentia, perveniunt et præstantur iniquis ; *scelerumque supplicia,* ut sunt, exsilium, incarceratio, diffamia, servitus, *bonos premant,* sicut et me Boetium jam diu afflixerunt et oppresserunt : *præmia virtutum mali rapiant,* id est, cur injusti « rapiant », id

A est, consequantur, usurpent, possideant, « præmia virtutum », id est bona ad prosperitatem spectantia, quæ virtuosis debentur : hinc *vehementer admiror.* Istud ait Boetius in persona hominis imperfecti, sicut sæpissime dictum est. *Quæque tam* Cf. p. 29 C et s., 31 A' et s., 122 D, etc.
injustæ confusionis ratio videatur, ex te scire desidero : id est, o Philosophia, ex tua responsione discere cupio « quæ » tibi « videatur ratio confusionis tam injustæ », id est hujus deordinationis, quæ (ut apparet) contrariatur justitiæ.

B *Minus etenim mirarer, si misceri omnia fortuitis casibus crederem,* id est, si putarem « omnia » ista temporalia « misceri », id est commixtim contingere, « casibus fortuitis », id est fortunalibus eventibus. *Nunc stuporem meum Deus rector exaggerat :* id est, « Deus » universorum provisor « exaggerat », id est, multiplicat et augmentat, « stuporem meum », id est vehementem admirationem meam, « nunc », quando sic credo providentiam Dei omnia usque ad minima inclusive, disponere. Sic-
C que Deus per suos effectus fuit causa admirationis istius. *Qui quum sæpe bonis jucunda, malis aspera, contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat :* id est, « qui » omnium rector « quum » concedat « sæpe bonis », id est justis, « jucunda », id est prospera et delectabilia, et « malis », id est impiis, « aspera », id est adversa, « contraque », id est econverso, « tribuat bonis » hominibus « dura », id est adversa, et « concedat malis optata », id est prospera concupita ; *nisi causa*
D *deprehendatur,* id est, nisi horum ratio agnoscatur, *quid est quod a fortuitis casibus differre videatur?* id est, non videtur in aliquo differre ab eventibus fortunalibus.

Ad quod Philosophia : *Nec mirum, inquit, si quid, ordinis ignorata ratione, temerarium confusumque credatur :* id est, mirum non est, « si quid », id est aliquod opus, videatur « temerarium » et « confusum », quod tamen in veritate ordinatum et sapientiale consistit, « ratione ordinis », id est causa connexionis et modi

seu ordinationis facti hujusmodi, « ignorata ». Admiratio namque consurgit, dum grande aut insolitum quid contingit cujus causa nescitur. *Sed tu quamvis causam tantæ dispositionis ignores,* id est, tu Boeti, qui docilis benevolusque consistis, licet nondum scias « causam », rationem et ordinem tam sublimis « dispositionis » provisoris altissimi; *tamen, quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri* A *cuncta ne dubites :* id est, non ambigas omnia ista « recte » et ordinate accidere per comparationem ad providentiam Dei, « quoniam rector bonus », id est Deus essentialiter bonus, justus ac sapiens, « temperat », id est, curat, disponit et regit, « mundum », id est totum universum, specialiter rationales intellectualesque creaturas. De his jam tam frequenter præinductis pertranseo. *Cf.* p. 367 C, 421 D.

METRUM V

Si quis Arcturi sidera nescit
  Propinqua summo cardine labi,
Cur regat tardus plaustra Bootes,
  Mergatque seras æquore flammas,
Quum nimis celeres explicet ortus;
  Legem stupebit ætheris alti.
Palleant plenæ cornua lunæ,
  Infecta metis noctis opacæ,
Quæque fulgenti texerat ore,
  Confusa Phœbe detegat astra;
Commovet gentes publicus error,
  Lassantque crebris pulsibus æra.
Nemo miratur flamina Cauri
  Littus frementi tundere fluctu;
Nec nivis duram frigore molem,
  Fervente Phœbi solvier æstu.
Hic enim causas cernere promptum est;
  Illic latentes pectora turbant.
Cuncta quæ rara provehit ætas
  Stupetque subitis mobile vulgus,
Cedat inscitiæ nubilus error,
  Cessant profecto mira videri.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO METRI HUJUS QUINTI.

FREQUENTER in hoc libro metra correspondent sententiis prosarum immediate præcedentium : ita et metrum hoc. Dictum est enim in fine prosæ mox antecedentis, mirum non esse si ea quæ fiunt in mundo, videantur aliquando confusa et insipienter provenientia, ei qui nescit causam eventus rationemque entis : quia (ut tactum est ibi) admiratio oritur, dum effectus videtur cujus causa nescitur. Propter quod, secundum Philosophum, propter admirari, id est ex admi- B ratione, cœperunt homines philosophari. Hic ergo ponit Philosophia de hoc duo exempla; deinde subjungit exempla duo, quod nemo miratur de hoc cujus scit causam. Itaque ait :

Si quis nescit sidera Arcturi, id est stellas Ursæ majoris, quæ Currus seu Plaustra vocatur, *labi,* id est sua circumvolutione descendere, *propinqua cardine summo,* id est polo arctico, qui est polus superior quantum ad nos, respectu quorum jugiter elevatus est. De hoc Arcturo

Cf. p. 1[illegible] quære supra, metro quinto primi libri, A ubi de eo plura conscripta sunt. Item, si quis nescit *cur Bootes*, id est stella illa apparatu pusilla, et quasi residens super stellam illam majorem quæ dicitur medius equus ipsius currus, atque a vulgaribus vocatur Auriga, *regat*, id est ducat, *plaustra*, id est Ursam illam, ponendo plurale pro singulari, *tardus*, id est non ita velociter procedens et motus ut stellæ a polo distantiores ; et cur Bootes *mergat*, id est, deprimere videatur, *æquore*, id est in mari Oceano, *flammas seras*, id est splendidas B Ursæ majoris stellas, quæ tarde moventur et circulum parvum describunt propter vicinitatem suam ad polum. Loquitur quoque Philosophia more vulgi secundum apparentiam, judiciumque vulgarium, qui stantes in ripa maris, et præter cœlum et aquas nil ultra videntes, putant et judicant stellas et planetas in aquas descendere, ut dictum est sæpe. (Cf. p. 308 A.) *Quum* tamen Bootes *explicet*, id est, agat et ostendat, *ortus nimis celeres*, id est, valde mane videatur oriri et de occasu suo erumpere. C Denique Philosophia loquitur hic quoad eos qui in climate primo aut secundo vel circiter commorantur : quibus stella hæc occidit, et sub horizonte eorum deprimitur ; nobis autem eminet semper. Itaque qui hæc nescit, *stupebit legem*, id est dispositionem et cursum, *ætheris alti*, id est cœli stellati : cur scilicet in eodem quædam stellæ velocissime moveantur motu sui orbis, quæ remotissime distant a polo ; quædam tardissime, quæ sunt propinquissimæ polo eidem ; quædam medio D modo.

Palleant plenæ cornua lunæ, id est, si contigerit quod pallescant et nobis obtenebrescant cornua lunæ dum plena est. Quod fit dum luna jam plena eclipsatur : cujus cornua dicuntur hic extremitates ipsius, per quas tota luna designatur quoad superficiem ejus versam ad nos. « Cornua », inquam, *infecta*, id est obscurata, *metis noctis opacæ*, id est terminis noctis tenebrosæ : cujus metæ sunt protensiones suæ caliginis, quæ usque ad lunam pertingunt, sole subtus abscondito. Et si *Phœbe confusa*, id est luna eclipsata, *detegat astra*, id est, apparere faciat stellas parvas sibi viciniores : quas suo lumine (antequam eclipsaretur) offuscavit ne apparerent. Ideo subditur : *quæ* astra *texerat*, id est, videri impedivit, *ore fulgenti*, id est superficie sua clara ac splendida. *Error publicus*, id est evidens et generalis imperitia ac falsa opinio, *commovet*, id est, turbat, sollicitat, *gentes* indoctas, puta vulgares, qui putabant eclipsim lunæ per incantationes fieri mulierum, nec esse quid naturale ; *lassantque crebris ictibus* *, id est frequentibus percussionibus, *æra*, id est ærea instrumenta, super quæ fecerunt pulsationes intensas ad terrendum et fugandum hujusmodi incantatrices.

* *pulsibus*

Sequuntur duo exempla seu opera in quibus homines non mirantur. *Nemo miratur flamina*, id est commotiones et impulsiones, *Cauri*, id est venti impetuosi sic appellati, *tundere*, id est percutere, *littus* maris *fluctu frementi*, id est aquis impulsis usque ad littus. *Nec* quisquam miratur *molem nivis duram frigore*, id est grandem massam nivis frigore induratam, *solvier*, id est dissolvi ac liquefieri, *æstu Phœbi fervente*, id est forti solis calore. In quibus verbis « solvier » ponitur pro solvi seu resolvi, causa metri, per figuram quæ dicitur paragoge. *Hic enim*, id est in duobus istis operibus seu exemplis, *cernere* (id est cognoscere) *causas* eorum *promptum est*, id est facile ; *illic*, id est in duobus illis exemplis, causæ *latentes*, id est incognitæ, hoc est ignorantia causarum, seu desiderium cognoscendi incognita, *turbant pectora*, id est, sollicitant mentes ad inquirendum : nam omnes homines naturaliter scire desiderant, secundum Philosophum.

Cuncta quæ ætas provehit, id est, omnia illa quæ tempus humanæ ætatis producit, *rara*, id est raro evenientia, seu inconsueta et ardua (dicitur autem tempus facere ea quæ fiunt in tempore, ut dictum (Cf. p. 27 C, 291 A', etc.)

stupetque est sæpe), *stupet* *, id est miratur, *vulgus* A *mobile,* id est instabile et inconstans, quod motibus passionum atque erroribus levitateque cordis agitatur hinc inde, *subitisque* *, id est, vulgus etiam stupet ex effectibus subito et inopinate fientibus, quamvis sciat quod divina fiant virtute : quoniam prima facie non satis potest considerare excellentiam causæ et efficientiam ejus. *Error nubilus inscitiæ,* id est gravis ignorantia ineruditionis, *cedat,* id est, recedat et deleatur, *cessant profecto,* id est, pro certo cessabunt, *videri mira,* quæ nunc B indoctis mira videntur.

* *subitis*

In præinductis tangitur duplex causa admirationis : una est ignorantia causæ; alia est novitas seu inconsuetudo magnitudove rei. Nempe, ut super Joannem asserit Augustinus : Surrexit unus mortuus, et admirati sunt omnes, quum nemo miretur quotidie generari quæ antea non fuerunt. Quotidiana autem Dei miracula (hoc est magnifici ejus effectus in regimine universi, in rerum naturis, in productionibus rerum) non eorum facilitate, sed assiduitate, hominibus viluerunt. Interea, quamvis omnium rerum causas cognosceremus, adhuc tamen effectus et opera Omnipotentis videremus esse præclara, ita quod diceremus : Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. *Ps.* LXXXV, 8.

PROSA VI

ITA est, inquam. Sed quum tui muneris sit latentium rerum causas evolvere, velatasque caligine explicare rationes : quæso uti hinc decernas; et quoniam hoc me miraculum maxime perturbat, edisseras. — Tum illa paulisper arridens : Ad rem me (inquit) omnium quæsitu maximam vocas, cui vix exhausti quidquam satis sit. Talis namque materia est, ut una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut hydræ capita, succrescant, nec ullus fuerit modus, nisi quis eas vivacissimo mentis igne coerceat. In hac enim, de providentiæ simplicitate, de fati serie, de repentinis casibus, de cognitione ac prædestinatione divina, de arbitrii libertate quæri solet : quæ quanti oneris sint, ipse perpendis. Sed quoniam hæc quoque te nosse, quædam medicinæ tuæ portio est, quanquam angusto limite temporis septi, tamen aliquid delibare conabimur. Quod si te musici carminis oblectamenta delectant, hanc oportet paulisper differas voluptatem, dum nexas sibi ordine contexo rationes. — Ut libet, inquam.

— Tum velut ab alio orsa principio, ita disseruit : Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas ex divinæ mentis stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit : qui modus, quum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, providentia nominatur; quum vero ad ea quæ movet atque disponit refertur, fatum a veteribus appellatum est. Quæ diversa esse, facile liquebit, si quis utriusque vim mente conspexerit. Nam providentia est illa ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit; fatum vero, inhærens rebus mobilibus dispositio per quam pro-

videntia suis quæque nectit ordinibus. Providentia namque cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur; fatum vero singula digerit in motu, locis, formis ac temporibus distributa : ut hæc temporalis ordinis explicatio in divinæ mentis adunata prospectu, providentia sit ; eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur. Quæ licet diversa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, movet operis effectum ; et quod simpliciter præsentarieque prospexerat, per temporales ordines ducit : ita Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit ; fato vero, hæc ipsa quæ disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat. Sive igitur famulantibus quibusdam providentiæ divinis spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inserviente natura, seu cœlestibus siderum motibus, seu angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, seu omnibus, fatalis series texitur : illud certe manifestum est, immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse providentiam ; fatum vero, eorum quæ divina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum atque ordinem temporalem. Quo fit ut omnia quæ fato subsunt, providentiæ quoque subjecta sint, cui ipsum etiam subjacet fatum. Quædam vero * superent quæ sub providentia locata sunt, fati seriem superant *. Ea vero sunt quæ primæ propinqua Divinitati stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Nam ut orbium circa eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus, ad simplicitatem medietatis accedit, ceterorumque extra locatorum veluti cardo quidam circa quem versentur, exsistit ; extimus vero majori ambitu rotatus, quanto a puncti media individuitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur ; si quid vero illi se medio connectat et societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat : simili ratione, quod longius a prima mente discedit, majoribus fati nexibus implicatur ; ac tanto aliquid fato liberum est, quanto illum rerum cardinem vicinius petit ; quod si supernæ mentis hæserit firmitati, motu carens, fati quoque supergreditur necessitatem. Igitur, uti est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est, id quod gignitur, ad æternitatem tempus, ad punctum medium circulus ; ita est fati series mobilis ad providentiæ stabilem simplicitatem.

Ea series cœlum ac sidera movet, elementa in se invicem temperat et alterna commutatione transformat. Eadem nascentia occidentiaque omnia, per similes fetuum seminumque renovat progressus. Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit : quæ quum ab immobilis providentiæ proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est. Ita enim * geruntur res optime reguntur *, si manens in divina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat ; hic vero ordo res mutabiles, et alioqui temere fluituras, propria incommutabilitate coerceat. Quo fit, ut tametsi vobis hunc ordinem minime considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur, nihilo minus tamen suus modus ad bonum dirigens, cuncta disponat. Nihil est enim quod mali causa ne ab ipsis quidem improbis fiat : quos (ut uberrime demonstratum est) bonum

quærentes, pravus error avertit, nedum ordo de summi boni cardine proficiscens, a suo quoquam deflectat exordio.

Quæ vero, inquies, potest ulla iniquior esse confusio, quam ut bonis tum adversa, tum prospera, malis etiam tum optata, tum odiosa contingant? Num igitur ea mentis integritate homines degunt, ut quos probos improbosve censuerint, eos quoque, uti existimant, esse necesse sit? Atqui in hoc hominum judicia depugnant, et quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrantur. Sed concedamus ut aliquis possit bonos malosve discernere : num igitur poterit intueri illam intimam temperiem (veluti in corporibus dici solet) animorum? Non enim dissimile est miraculum nescienti, cur sanis corporibus, his quidem dulcia, illis vero amara conveniant, cur ægri etiam quidam lenibus, quidam vero acribus adjuvantur. At hoc medicus, qui sanitatis ipsius atque ægritudinis modum temperamentumque dignoscit, minime miratur. Quid vero aliud animorum salus videtur esse, quam probitas? quid ægritudo, quam vitia? Quis autem alius vel servator bonorum, vel malorum depulsor, quam rector ac medicator mentium Deus? Qui quum ex alta providentiæ specula respicit, quid unicuique conveniat agnoscit, et quod convenire novit accommodat.

Hinc jam fit illud fatalis ordinis insigne miraculum, quum a sciente geritur quod stupeant ignorantes. Nam ut pauca quæ valet ratio humana, de divina profunditate perstringam, de hoc, quem tu justissimum et æqui servantissimum putas, omnia scienti Providentiæ diversum videtur : et victricem quidem causam diis, victam vero Catoni placuisse, familiaris noster Lucanus admonuit. Hic igitur quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuæ perversa confusio. Sed sit aliquis ita bene moratus ut de eo divinum judicium pariter humanumque consentiat; sed est animi viribus infirmus : cui si quid eveniat adversi, desinet colere forsitan innocentiam, per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei, quem deteriorem facere possit adversitas, ne cui non convenit, laborare patiatur. Est alius cunctis virtutibus absolutus, sanctusque ac Deo proximus. Hunc contingi quibuslibet adversis nefas Providentia judicat, adeo ut ne corporeis quidem morbis agitari sinat. Nam ut quidam me quoque excellentior ait : Viri sacri corpus virtutes ædificarunt*. Fit autem sæpe uti bonis summa rerum regenda* deferatur, ut exuberans retundatur improbitas. Aliis mixta quædam pro animorum qualitate distribuit. Quosdam remordet, ne longa felicitate luxurient; alios duris agitari sinit, ut virtutes animi, patientiæ usu atque exercitatione confirment. Alii plus æquo metuunt quod ferre possunt; alii plus æquo despiciunt quod ferre non possunt : hos, in experimentum sui, tristibus ducit. Nonnulli venerandum sæculi nomen, gloriosæ pretio mortis emerunt; quidam suppliciis inexpugnabiles, exemplum ceteris prætulerunt invictam malis esse virtutem. Quæ quam recte atque disposite, et ex eorum bono quibus accidere videntur, fiant, nulla dubitatio est. Nam illud quoque quod improbis nunc tristia, nunc optata proveniunt, ex eisdem ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur,

* Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι.

* gerenda

quod eos male meritos omnes existimant : quorum quidem supplicia tum ceteros ab sceleribus deterrent, tum ipsos quibus invehuntur, emendant. Læta vero magnum bonis argumentum loquuntur quid de hujusmodi felicitate debeant judicare, quam famulari sæpe improbis cernant. In qua re illud etiam dispensari credo, quod est forsitan alicujus tam præceps atque importuna natura, ut eum in scelera potius exacerbare possit rei familiaris inopia : hujus morbo Providentia collatæ pecuniæ remedio medetur. Hic fœdatam probris conscientiam spectans, et se cum fortuna sua comparans, forsitan pertimescit ne cujus rei * jucundus usus est, sit tristis amissio : mutabit igitur mores, ac dum fortunam metuit amittere, nequitiam derelinquit. Alios in cladem meritam præcipitavit indigne acta * felicitas. Quibusdam permissum puniendi jus, ut exercitii bonis, et malis esset causa supplicii. Nam ut probis atque improbis nullum fœdus est, ita ipsi inter se improbi nequeunt convenire. Quidni, quum a semetipsis, discerpentibus conscientiam vitiis, quique dissentiant, faciantque sæpe quæ quum gesserint, non fuisse gerenda decernant? Ex quo sæpe summa illa Providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent : nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes, ad virtutis frugem rediere, dum se eis dissimiles student esse, quos oderant. Sola est enim divina vis, cui mala quoque bona sint, quum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata * ordinis ratione discesserit, hoc licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati.

* ei
* aucta
* assignati

Difficile autem est me sermone explicare quemadmodum Deus omnia regat et sua providentia disponat *. Neque enim fas est homini cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone. Hoc tantum perspexisse sufficiat, quod naturarum omnium proditor Deus, idem ad bonum dirigens, cuncta disponit; dumque ea quæ protulit in sui similitudinem, retinere festinat, malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat. Quo fit ut quæ in terris abundare creduntur, si disponentem Providentiam spectes, nihil usquam * esse perpendas.

* Ἀργαλέον δέ με ταῦτα θεὸν ὡς πάντ' ἀγορεύειν.
* usquam mali

Sed video jamdudum te et pondere quæstionis oneratum, et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis exspectare dulcedinem. Accipe igitur haustum, quo refectus, firmior in ulteriora contendas.

ARTICULUS XV

EXPLANATIO PROSÆ HUJUS SEXTÆ.

Cf. p. 500 C.

HIC Philosophia respondet ad quæstionem in præcedenti prosa inductam de mirabilibus Dei judiciis : cur scilicet A interdum in vita hac justis proveniunt aspera et adversa, iniquis vero prospera et jucunda, quandoque autem econverso ju-

stis hic accidunt prospera, impiisque adversa. Et ista est prosa totius libri præcipua, sententiosa, profunda : in qua, prout datum fuerit, intendere jam oportet.

Boetius itaque approbans præinducta, effatur :

Ita est, inquam, sicut jam protulisti. *Sed quum sit tui muneris,* id est effectus beneficii tui, opus tuæ doctrinæ atque officium magisterii tui, *latentium rerum causas evolvere,* id est de obscuro ad claram notitiam transferre « causas rerum latentium », id est incognitarum, *velatasque caligine explicare rationes,* id est, principia causalia sua difficultate ac profunditate operta, ac alta mysteria sensum humanum transcendentia, « explicare », id est enodare et extra suæ absconsionis plicas extrahere ; *quæso uti hinc decernas,* id est, precor ut « decernas », id est, judices et exponas, « hinc », id est de ista materia, quid sit sentiendum de ea. Verumtamen istud eminentius spectat ad theologiam ; principalissime autem, fontaliter et auctoritative, ad increatam Sapientiam, Deum
Eccli. I, 9; XVII, 6. altissimum, qui est creans scientias, ac supersplendidissimus totius sapientiæ ac intelligentiæ fons, ut in libro de Causis asseritur, Avicebronque Platonicus in libro Fontis vitæ testatur. Hinc sanctus Daniel
Dan. IX, 23. vates, vir desideriorum spiritualium ac mundorum, divinis revelationibus assue-
Ibid. II, 20, 22. tus, ait : Sit nomen Domini benedictum, quoniam ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta. Istud quoque instrumentaliter ac participative spectat ad viros desuper illustratos, in
Sap. VII, 27. quorum animas sapientia Dei æterna se transfert, amicos Altissimi ac Prophetas eos constituens. Propter quod Danieli Na-
Dan. IV, 6. buchodonosor rex dicebat : Omne sacramentum (id est sacrum absconditum) non
Ibid. V, 16. est impossibile tibi ; et Balthasar rex : Ligata potes dissolvere.

Et quoniam hoc me miraculum maxime perturbat, id est, res ista mirabilis me potissime incitat, angit, et quasi stupidum reddit : videlicet quod sæpe bonis mala, id

A est adversa, malis prospera veniant, quum omnipotens Judex infinitus sit ; *edisseras,* id est, quæso ut dicas et doceas quid in hac quæstione sit sentiendum. Proprie autem miraculum dicitur supernaturalis effectus ; communius vero, quæcumque res mira et magna. Sicque libro de Civitate Dei disseruit Augustinus : Omni miraculo quod in mundo fieri potest, majus miraculum est ipse mundus. Et denuo protestatur, quod omni miraculo quod per hominem fieri potest, majus miraculum ipse est ho-
B mo. Hieronymus quoque in Regula sua fatetur Aristotelem fuisse grande miraculum in tota rerum natura. Sic item Eliu ait : Miraculum meum non te terreat, et *Job* XXXIII, 7.
eloquentia mea non sit tibi gravis.

— *Tum illa,* scilicet Philosophia, *paulisper arridens,* id est, studiositati et quæstioni meæ perutili se congratulari ostendens cum pio et sobrio risu, qui fuit interioris favoris ac gaudii signum. Risus quippe sapientium ac Deum timentium, esse non debet dissolutus, nec frequens,
C nec quempiam scandalizans. Unde sanctus Job dixit : Si quando ridebam, ju- *Ibid.* XXIX, 24.
venes non credebant mihi. Et Salomon ait : Sicut sonitus spinarum ardentium *Eccle.* VII, 7.
sub olla, sic risus stulti ; vir autem *Eccli.* XXI, 23.
sapiens, vix tacite ridebit. Sed et Tullius loquitur : Non est oratorum et sapientium dissoluto ore ridere. *Ad rem me (inquit) omnium quæsitu maximam vocas :* id est, Philosophia « inquit », O Boeti, tu « vocas » (id est invitas) « me ad rem maximam omnium », id est ad mate-
D riam inter omnia valde difficilem ac sublimem, « quæsitu », id est ipsa tua quæstione et inquisitione ; vel, « quæsitu », id est ad inquirendum et inveniendum. Sic et Plato loquitur in Timæo : Ergone magnifice invitatus sum hodie, ut ex ipso apparatu datur intelligi ? *Cui vix exhausti quidquam satis sit :* id est, « cui » quæstioni seu materiæ « vix » sufficiat « quidquam exhausti », id est quæcumque responsio ex corde respondentis extracta seu hausta.

A *Talis namque materia est, ut una dubitatione succisa*, id est una quæstione sublata de medio, ita ut videantur plura non esse quærenda de ea ; vel, « una dubitatione succisa », id est per responsionem ad dubitationem quodammodo defalcata ; *innumerabiles aliæ, velut hydræ capita, succrescant*, id est, valde multæ aliæ interrogationes nascantur, quemadmodum serpenti nomine hydræ statim succrevit aliud caput dum ei Hercules unum caput abscidit. Serpens autem in aqua habitans, hydra vocatur ; atque (ut fabulæ narrant) amputato ei capite uno, mox ei tria alia excrescebant : propter quod occidi ab Hercule non valebat totaliter. Ita, quum Deus sit ens infinitæ actualitatis ac intelligibilitatis, semper in hac vita occurrunt alia et alia de ipso quærenda. Ipse enim est torrens qui transvadari non potest, fons hortorum, puteus aquarum viventium. (*Ezech.* XLVII, 5. *Cant.* IV, 15.)

Nec ullus fuerit modus, id est, nullus terminus, mensura aut moderatio quæstionum hujus materiæ poterit esse, *nisi quis eas vivacissimo mentis igne coerceat :* id est, « nisi » homo « coerceat eas », id est, moderetur ac reprimat hujusmodi quæstiones, « igne mentis », id est discretione intellectus, igniculo rationis, fervore reverentiæ, « vivacissimo », id est valde agili ac subtili. Unde de agno paschali Deus præcepit in Exodo, Si quid residuum fuerit, igne comburetis : quia, ut sanctus exponit Gregorius, subtiliores et secretiores intelligentias divinorum, potissime credendorum, judicio Spiritus Sancti debemus relinquere, quoniam ipse Spiritus scrutatur etiam profunda Dei. Denique vivax ingenium recte ignis nuncupatur : quoniam instar ignis ascendit, duraque penetrat, cogitationes et affectiones decoquit ac depurat ut sint salubris refectio mentis ; animam quoque ad Deum accendit, juxta id Psalmi, In meditatione mea exardescet ignis. Hinc, ut asserunt naturales, quorum præcordia fervent et calidioris exstant naturæ, ingeniosiores solent consistere. (*Exod.* XII, 10. I *Cor.* II, 10. *Ps.* XXXVIII, 4.)

Debemus ergo vivaci discretione quæstiones de Deo moderari, reverenter proponere, sapienter pensare, veraciter solvere, considerando nostræ capacitatis imbecillitatem, materiæ sublimitatem, et cóntentionis periculum. Periculosum est enim de talibus inconsulte quid loqui, et incerta pro certis profari. Propter quod Salomon fassus est : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Ideo dixit Apostolus : Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Quod quia hæresiarchæ non fecerunt, æternaliter perierunt. (*Prov.* XXV, 27. *Rom.* XII, 3.)

B *In hac enim, de providentiæ simplicitate, de fati serie, de repentinis casibus, de cognitione ac prædestinatione divina, de arbitrii libertate quæri solet.* Hoc est : « enim » (pro quia) « solet quæri in hac », id est in ista materia, « de simplicitate providentiæ », id est de providentia Dei, quæ in se ipsa est simplex, et utrum sit simplex omnino, ita quod universa et singula Deus uno intuitu comprehendat; C provideat, ordinet ; « de serie », id est connexione, modo ac ordine, « fati » ac rerum fatalium ; « de casibus repentinis », id est improvisis eventibus ; « de cognitione » (id est scientia) « ac prædestinatione divina », quid sint, et qualiter ab invicem distinguantur ; « de libertate arbitrii », id est de libero arbitrio hominis, quid sit, et an sit specialis potentia ab intellectu et voluntate distincta, specialiter quoque qualiter simul stent certa et invariabilis præ- D cognitio Dei et libertas arbitrii. *Quæ quanti oneris sint, ipse perpendis :* id est, tu « ipse », o Boeti, consideras « quanti oneris », id est quam magnæ difficultatis, « sint » istæ res.

Sed quoniam hæc quoque te nosse, quædam medicinæ tuæ portio est, quanquam angusto limite temporis septi, tamen aliquid deliberare conabimur :* hoc est, quamvis simus « septi », id est conclusi et circumdati, « limite angusto », id est termino brevi, « temporis » vitæ hujus, seu

* delibare

« temporis » nobis restantis ad conferendum, « conabimur tamen », id est, studebimus et enitemur pro viribus, « deliberare », id est deliberate et cum ingenti præavisatione tractare, « aliquid » de his, « quoniam portio quædam medicinæ tuæ », id est pars interioris tuæ curationis, « est nosse te hæc », id est horum cognitio.

Quod si te musici carminis oblectamenta delectant : hoc est, « si » (pro quia) « oblectamenta », id est spirituales delectationes, « carminis musici », id est dictaminis metrici, « delectant te », id est cordis tui palatum, aut etiam sensum auditus, consonantia quadam ; *hanc oportet paulisper differas voluptatem,* hoc est, « oportet », id est convenit, ut « differas paulisper », id est, aliquantulum suspendas, « voluptatem hanc », æquanimiter sustinendo prolixitatem prosæ istius, quæ ceteris longior est, *dum nexas sibi ordine contexam* * *rationes :* hoc est, quamdiu « contexam », id est, componam et prosequar, « rationes », id est sermones, argumentationes seu causas, « nexas sibi », id est invicem condependentes et junctas, « ordine », id est habitudine congrua et ordinato processu. — *Ut libet, inquam :* id est, ego Boetius dico, Fac « ut libet », id est, sicut tibi placet teque delectat.

* *contexo*

— *Tum velut ab alio orsa principio,* id est, Philosophia « orsa » (id est loqui incipiens) tunc « velut a principio alio », id est ab alia maxima seu generali regula ac doctrina, *ita disseruit : Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas ex divinæ mentis stabilitate sortitur.*

Philosophia volens docere quid sit divina providentia, et quid fatum, et qualiter ab invicem distinguantur, præmittit hoc documentum : « Generatio », id est productio, « omnium rerum », et omnis res producta, « cunctusque progressus », id est exitus, « mutabilium naturarum, et quidquid movetur aliquo modo », id est aliqua specie motus, hoc est, omne creatum, omne quod

A est citra Deum (quod utique, juxta præhabita, aliquo modo est mobile, et ex sua natura mutabile ac dependens ; et ut est ex nihilo, vanum, juxta illud Apostoli ad Romanos, Vanitati creatura subjecta est), « sortitur causas » exsistentiæ suæ, et « ordinem », id est habitudinem, relationem seu ordinationem quam habet in rerum universitate, et « formas », id est dispositiones et omnem suam formationem, formam substantialem et accidentalem, omnem suum decorem, virtutem, proprie- B tatem et actionem, « ex divinæ mentis stabilitate », id est ex invariabili mente Dei, ex superlimpidissima et omnipotenti sapientia ejus, quemadmodum dixit gloriosus Apostolus : Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ex ipso, inquam, sicut ex causa efficiente : quod appropriate convenit Patri, cui appropriatur potentia. Per ipsum, sicut per causam formalem exemplarem : quod appropriatum est Filio, cui appropriatur sapientia, idea, ars, ratio, pulchritudo seu species, et C exemplar, quum ipse sit Verbum Dei Patris ; de quo Verbo fertur apud Joannem : Omnia per ipsum facta sunt. Et in ipso, sicut in causa finali : quod appropriatim competit Spiritui Sancto, cui appropriatur bonitas, amor, communio.

Cf. p. 368 D et s.

Rom. VIII, 20.

Ibid. XI, 36.

Joann. I, 3.

Huic verbo Boetii consonat quod supra est allegatum ex Proclo dicente : Omnia procedunt ab intellectu, et totus mundus ab intellectu substantiam habet. Porro, in prima rerum creatione, cuncta creata habuerunt hæc omnia immediate a Deo ; de- D inde inferiora per causas producuntur secundas, sicut testatur Philosophus, quod sol suo accessu et recessu in circulo obliquo, est causa generationis et corruptionis in inferioribus. Animæ vero rationales procedunt per creationem immediate a Deo. — Si autem objiciatur, quod emanatio rerum a Deo est per similitudinem quamdam, quoniam omne agens producit simile sibi : ergo corporalia, temporalia, composita, imperfecta, corruptibilia, et instabilia, imo instabilissima ista, non pro-

p. 304 A'.

fluxerunt immediate a simplicissimo, prorsus immateriali penitusque perfecto et incommutabili Deo. Est respondendum, quod Avicenna, Algazel, et alii multi philosophi opinati sunt hoc, et erraverunt. Non tamen omnia sic profluxerunt a Deo immediate quin ordine quodam : ita quod inter se ordinem habent, et singula quoque propriis exemplaribus rationibus sunt producta ; sicque similitudo quædam imitationis inter Creatorem et creata perpenditur et consistit.

Verumtamen ipsi quoque subtiliores philosophi, tam Platonici quam Peripatetici, multipliciter et efficaciter probaverunt, quod in ipso universo oportet esse unum primum fontale principium, ad quod tanquam ad causalem ac fontanam originem cetera omnia reducantur ; sicque oportere omnia imperfecta et defectiva, cuncta generabilia et corruptibilia, universa mobilia, temporalia atque corporea, reduci ad unum ens primum, omniformiter ac omnifarie simplex, perfectum, independens nulloque indigens, invariabile et æternum, quod sit mensura et regula ceterorum. Imperfecta namque, composita et instabilia nequaquam potuerunt sibi ipsis exhibere ipsum esse ac vivere, neque se conservare, nec a se ipsis illa habere. Hinc in libro de Causis asseritur et probatur, quod omne opus naturæ, est opus intelligentiæ, et omne opus intelligentiæ, opus est primæ causæ.

Insuper, verbis istis Boetii concordat quod decimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Plotinus Platonicus de providentia Dei disputans, probat et asserit eam a summo Deo, cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena et ima pertingere, ex flosculorum ac foliorum pulchritudine : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse affirmat, nisi inde formentur ubi forma exemplaris, intelligibilis et incommutabilis, simul habens omnia perseverat. Hoc ipsum Dominus Jesus Christus in Evangelio docuit, dicens : Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent ; dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua opertus est sicut unum ex illis. *Matth.* vi, 28, 29.

Quibus increatæ Sapientiæ verbis consonat quod dicunt philosophi : Ars imitatur naturam quantum potest, nec valet eam æquare, id est perfecte sequi ac repræsentare. Quod intelligendum est de arte humana. Ideo omnes mundi artifices non possunt rem aliquam tam formose ornare, exarare, depingere, sicut natura omni anno, tempore suo, ornat hortos et agros, herbas et arbores, graminibus, floribus, foliis, fructibus, colore multiplici, odore suavi, formatione decenti. Denique, sicut ars humana imitatur naturam creatam, nec eam potest plene sectari ; sic hæc ipsa natura sequitur artem increatam et exemplarem, a qua fluxit et exemplata est, nec eam potest imitari perfecte, imo in infinitum minus quam ars humana naturam. Ecce quam superbeatissimus et supergloriosissimus est Dominus Deus noster, quam supereminens et penitus infinita est pulchritudo et gloria, amœnitas et dulcedo, convenientia et amabilitas ejus. Heu ! quam vani et viles, quam excæcati et ingrati ac miseri sunt, qui præferunt ei ista carnalia et terrena, ad quæ magis quam ad ipsum afficiuntur ! Per quod ipsum vehementer inhonorant ac vilipendunt : ideo digni sunt condemnatione æterna.

Consequenter providentia Dei et fatum describuntur.

Hæc in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit. Hoc est : « Hæc », id est ipsa mens divina, quæ est ipse simplicissimus et supersapientissimus Deus, « composita », id est decora consistens seque ornatissime ac decentissime habens, secundum quod homines morigeratos dicimus moribus esse compositos, « in arce simplicitatis suæ », id est in incomparabili, summa et supereminentissima sua simplicitate æter-

naliter permanens, in qua nec est compositio ex materia et forma, neque ex actu et potentia, neque ex genere et differentia, nec ex quod et quo est, nec ex esse, posse et agere, neque ex esse et essentia, nec ex supposito et natura : imo in qua omnia sunt unum simplicissimum atque purissimum esse, in qua et quæ est omnis perfectio, omnis nobilitas, omnis beatitudo, cum superexcellentia infinita; « statuit », id est, præfixit, dedit, impressit, « rebus gerendis », id est creaturis ad suos fines dirigendis atque in suo cursu ac ordine administrandis, « modum multiplicem », id est multiformem ac variam dispositionem, formam, habitudinem, inclinationem, processum, unicuique videlicet rei secundum exigentiam suæ naturæ ac proprii finis. Unde in libro Sapientiæ dicitur omnia constituisse in mensura, numero et pondere; atque ut Augustinus disseruit, in modo, specie ac ordine. Hinc Plato fatetur : Operi formam dat opifex suus. Et ut Aristoteles addit, Dans formam, dat consequentia ad formam : quæ sunt inclinatio ad motum et locum, in corporalibus rebus; universaliter autem loquendo, sunt inclinatio ad proprium finem, et vis activa, seu actio qua ad finem pertingitur.

Sap. XI, 21.

A

B

C

Qui modus, quum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, providentia nominatur : id est, « modus » iste, non realiter idem cum modo præfato exemplato, rebus impresso, sed modus exemplaris, increatus, causativus illius modi, secundum quod consideratur ut consistens « in ipsa puritate intelligentiæ » (id est sapientiæ) « divinæ », hoc est in purissima sapientia Dei, « providentia nominatur », id est æterna dispositio et præconcepta ordinatio agendorum : quemadmodum artifex intra se format et concipit quid, quando, ubi, qualiter et propter quid aliquid sit acturus. *Quum vero ad ea quæ movet atque disponit refertur, fatum a veteribus appellatum est :* id est, modus iste seu dispositio agendorum, non idem numero cum modo exemplari mentis divinæ, sed modus ab illo exemplariter productus rebusque inditus, dum « refertur », id est, per considerationem comparatur, « ad ea quæ movet atque disponit », id est ad creaturas quas modus ille exemplaris mentis divinæ « movet » et regit principaliter et effective, modus vero exemplatus et in rebus digestus, regit et movet instrumentaliter et exsecutive.

Quæ diversa esse, facile liquebit, id est, patebit faciliter quod duo hæc, providentia scilicet et fatum, realiter sint distincta, *si quis utriusque vim mente conspexerit,* id est, si quis mentali intuitu viderit clare « vim », id est proprietatem et efficaciam, « utriusque », utpote providentiæ atque fati. Hoc forsan Philosophia subjungit, ne id quod dixit de modo præfato, putetur intelligendum de modo eodem numero. Consequenter ergo ostendit in quibus et quomodo differant.

Nam providentia est illa ipsa divina ratio, id est summa et dignissima, rationabilis et idealis dispositio, *in summo omnium principe constituta,* id est in luce et sapientia Dei, in quo non est per adventiciam seu accidentalem inhærentiam, sed per realem identitatem; quemadmodum sapientia, omnipotentia, justitia, et consimilia attributa, dicuntur esse in Deo, suntque ipsemet Deus, qui tantæ est simplicitatis quod in ipso realiter idem sunt habens et quod habetur, in his quæ absolute dicuntur, non in relativis : nam Pater habet Filium, non tamen est Filius, prout libro de Trinitate loquitur Augustinus.

D

Quæ cuncta disponit, id est, quæ ratio exemplaris universa gubernat, sicut intra se continet et concipit. Ipsa quoque ratio, quum sit ipsa mens divina, in se ipsa disponit et ordinat omnia.

Fatum vero, inhærens rebus mobilibus dispositio per quam providentia suis quæque nectit ordinibus. Hoc est : « fatum » est « dispositio inhærens rebus mobilibus », id est rebus et causis atque causatis creatis, quæ omnes comparatione ejus qui est purus actus et prorsus incommutabilis

p. 105 D. ac æternus, sunt mobiles (qui, ut dictum A est, stabilis manens, dat cuncta moveri); qua dispositione, tanquam per medium exsecutorium seu exsecutivum, divina « providentia nectit quæque », id est, quæcumque seu omnia jungit atque coordinat, « suis ordinibus », id est ordinationibus, habitudinibus, connexionibus et juncturis convenientibus seu debitis ipsis.

De his paulo post plenius loquetur. Interea videtur descriptio ista quodammodo concordare descriptioni fati quam ponit B Hermes Trismegistus, in libro de Natura deorum loquens discipulo suo Asclepio : Fatum est causarum complexio, singulis temporaliter distribuens quæ sacramento deorum cœlestium sunt præordinata. Quam definitionem Thomas in tractatu quodam de Fato exponens : Fatum (inquit) accipitur hic pro forma ordinis esse ac vitæ inferiorum, causata in ipsis ex periodo circuli cœlestis, qui radiationibus suis ambit nativitates eorum. Porro deos cœlestes nominat stellas aut earum motores; sacra- C mentum vero deorum, dispositionem immobilem esse ac vitæ inferiorum : quæ dispositio non exstat immobilis prout in ipsis rebus digesta est, sed per relationem ad suam fontalem originem ; et fluit * hæc forma a multis stellis et sitibus, spatiis, imaginibus, conjunctionibus, præventionibus, ac multiplicibus angulis, qui describuntur in intersecationibus radiorum cœlestium corporum productionumque radiorum super centrum in quo est sol. Hæc ibi. — Verumtamen opinionem illam Tris- D megisti reputo falsam, quum et hoc falsum sit aut incertum, quod stellas asserit deos, utpote intellectualiter animatas. Videtur quippe Trismegistus iste sensisse inferiora omnia de necessitate provenire ; et dicta ejus consonant scriptis Alkindi astronomi in libro de Radiis stellicis, ubi et ista dicuntur : qui liber quamvis videatur multum subtilis, est tamen valde erroneus, ut etiam in libro contra errores philosophorum probat Ægidius.

* fit

Joannes. — Multa mihi hic dubia oriuntur, videlicet : an fatum sit quid unum simpliciter, an solum aggregative ; rursus, an sit substantia, an accidens ; item, in quo aut in quibus sit ; an etiam liceat uti nomine fati, quum dicat Gregorius, Absit a fidelium mentibus ut fatum aliquid esse dicant. Amplius quæro, an fatum sit dispositio activa.

Dionysius. — Non solum hæc, sed et alia multa de fato et providentia hic restant quærenda : quorum solutionem usque in finem expositionis prosæ istius differri complaceat. Attamen quod Durandus super primum Sententiarum conscribit, hic tangam, quoniam ad horum intelligentiam confert, ipsumque fati nomen elucidat. Quemadmodum, inquit, in nobis verbum vocale est effativum interioris conceptus, sic fatum est expressivum divinæ providentiæ, et quasi quoddam fatum seu dictum atque expressio ejus : quoniam quod divina præscientia ordinatum est, quadam causarum connexione effatur. Hinc providentia et fatum distinguuntur in multis. Primo, ex parte subjecti : quoniam providentia est in mente Creatoris, fatum vero in causis secundis, quum sit secundarum ordo causarum reductus in Deum. Secundo, quoniam fatum est quid creatum, dependens ex providentia tanquam ex causa increata. Tertio, quia providentia est æterna, fatum autem temporale : quod enim Deus ab æterno disposuit et providit, fatum temporaliter subministrat. — Hæc eadem scribit super primum Sententiarum Thomas de Argentina.

Joannes. — Ex his compendiose prolatis videntur mihi dubia mea pro magna parte soluta : nunc ergo de litteræ expositione te expedi.

Providentia namque cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur : hoc est, « providentia » Dei « complectitur », id est, comprehendit, intuetur et ordinat, « cuncta » creata, « quamvis » illa sint inter se « diversa »

et « infinita », id est innumerabilia quoad nos. Est autem in Deo scientia multiplex. Et una appellatur scientia visionis, qua cognoscit universa et singula quæ unquam fuerunt, sunt aut erunt. Alia nominatur scientia simplicis intelligentiæ, qua agnoscit et ea quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt. Scientia itaque visionis non cognoscit Deus nisi finita : quia in creaturis non est aliquid actualiter infinitum, nec multitudine, nec magnitudine, nec
Sap. xi, 21. virtute, nec perfectione; imo in mensura, numero et pondere constituta sunt omnia. Scientia vero simplicis intelligentiæ cognoscit Deus simpliciter infinita; sed illorum non est providentia : ideo infinitum hic sumitur sicut expositum est. Vel dicitur infinitum quantum ad partes divisionis, prout continuum dicitur divisibile in partes infinitas; aut quantum ad accidentalia, quæ numero carent, secundum quod ait Philosophus, quod uni rei possunt infinita accidere, quod verum est de infinito admixto potentiæ quæ nunquam
Cf. p. 416) et s., 580)' et s. perducetur ad actum : prout ista super primum Sententiarum a doctoribus plenius exprimuntur. *Fatum vero singula digerit in motu,* id est, universa providentialiter præcognita exsequitur, complet et explicat « in motu », id est in ipsa rerum mutatione, efficientia et productione, et hoc instrumentaliter : singula, inquam, *locis, formis ac temporibus distributa,* id est, deputata et distincta ab invicem propriis « locis », et « formis » substantialibus vel accidentalibus, atque « temporibus ».

Ut hæc temporalis ordinis explicatio in divinæ mentis adunata prospectu, providentia sit; eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur. Hic rursus loquitur Philosophia quasi providentia et fatum sint idem in re, seu eadem; sed juxta prætacta sensus est : « Ut », id est ita quod, « hæc temporalis explicatio ordinis », id est exemplaris præordinatio hujus temporalis executionis, « adunata in prospectu mentis divi-
A næ », id est simul ac simpliciter cognita in mente divina omnia prospiciente non divisim et successive, sed adunatim, uno et indiviso mentis intuitu, « providentia sit; eadem vero adunatio », id est dispositio correspondens et imitative proportionata adunationi seu dispositioni exemplari Sapientiæ increatæ, « digesta », id est rebus impressa et exsecutioni mandata, et « explicata temporibus », id est temporaliter ac evidenter exhibita, « fatum vocetur ».

B *Quæ licet diversa sint,* sicut increatum et creatum, quibus proprie loquendo nihil univoce convenit, *alterum tamen pendet ex altero,* id est, fatum ex providentia sicut ex causa fontali, exemplari et effectiva, profluit ac dependet. *Ordo namque fatalis,* id est series fati atque connexio causarum fatalium comprehensarum in fato, *ex providentiæ simplicitate procedit,* id est, causatur ex simplici providentia Dei. Cujus exemplum subjungitur.

Sicut enim artifex faciendæ rei for-
C *mam mente percipiens,* id est, quemadmodum « artifex », ut domificator, « percipiens mente », id est, intellectualiter præconcipiens perfecteque capiens mente, « formam », id est similitudinem, « rei faciendæ », *movet operis effectum,* id est, materiam rei faciendæ « movet » et applicat, ut ei formam domus inducat; vel, « movet », id est, explet et exsequitur, « effectum operis », intransitive; *et quod simpliciter præsentarieque prospexerat,* id est, quod præconcepit in se « simpli-
D citer », id est nude et sola consideratione, et « præsentarie », id est repræsentative seu similitudinarie, *per temporales ordines ducit,* id est, ad effectum perducit per successiones temporales coordinatas. *Ita Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit :* hoc est, « Deus facienda disponit », id est ordinat, « providentia », id est per providentiam suam æternam, « singulariter », id est excellentissimo modo, seu particulariter et distincte, et non solum in universali,

ut quidam dixerunt, et « stabiliter », id est infallibiliter ac immutabiliter, juxta illud in Job (Job. xxxiii, 14) : Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. *Fato vero, hæc ipsa quæ disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat* : hoc est, Deus « administrat », id est, exercet, operatur, exsequitur, « fato », id est per fatum et explicationem fatalem, mediate aut immediate, « multipliciter », id est multiplicem effectum, variis modis ac per causas secundas diversas, « ac temporaliter », id est in diversis temporum horis ac vicibus, et successive. De quo opere quotidianæ administrationis ait Salvator (Joann. v, 17) : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Consequenter per inductionem, adhuc declarat Philosophia præfatas providentiæ ac fati definitiones esse idoneas.

Sive igitur fatum exercetur, hoc est, sive fatum exerceatur et compleatur ac exsecutionibus mancipetur, *spiritibus quibusdam divinis,* utpote intelligentiis, *famulantibus providentiæ,* id est, obedientibus Deo et ministerialiter exsequentibus ordinationem ejus providentialem (prout in Timæo Plato inducit summum Patrem loquentem spiritibus talibus, O dii deorum, quorum pater et opifex ego, horum sementem ego faciam, vobisque tradam, vos cetera exsequi par erit : ut allegatum est supra) (Cf. p. 379 C' et s.); *seu anima,* id est, sive per animam nobilem, seu animas nobiles, quas dixerunt philosophi esse animas cœlestium corporum ; aut per animam mundi, de qua dictum est nono metro tertii libri (Cf. p. 376 A' et s.); *seu tota inserviente natura,* id est, qualibet causa naturali subministrante, et exsequente quod auctor naturæ sibi præstituit, indidit et agendum præfixit ; *seu cœlestibus siderum motibus,* id est per motus stellarum (sicut octavo Physicorum Aristoteles dicit, quod motus cœli est quasi vita quædam, id est causa vitæ inferiorum ; in libro quoque de Cœlo, Oportet hunc mundum esse contiguum lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur) ; *seu angelica virtute,* id est per angelos sanctos, ut allegatum est ante (Cf. p. 420 A') ex auctoritatibus Augustini ; *seu dæmonum varia solertia,* id est multiplici industria intellectualium substantiarum, quæ a Platonicis in calodæmones, catodæmones et cacodæmones dividebantur : quæ omnia supra expressa sunt. Frequenter quoque (Cf. p. 365 B et s.) per angelos malos, qui communiter dæmones nuncupantur, Deus providentiam suam exsequitur in impiorum punitione.

Seu fatalis series, id est sive ordinatio fati, *texitur,* id est, impletur et fit, *aliquibus horum,* id est per aliquas istarum causarum. Quod in veritate sic est : quia per angelos bonos seu intelligentias corpora moventur cœlestia, quæ etiam lumine, motu et influentia agunt in inferiora. Sed et angeli boni custodiunt homines ; et regnis atque provinciis certi angeli deputantur, juxta quod in Ecclesiastico legitur (Eccli. xvii, 14) : In unamquamque gentem præposuit rectorem. Unde et Gregorius : Omne (inquit) judicium per angelos in hominibus exercetur. Causæ autem naturales suo modo sunt providentiæ divinæ exsecutrices : præsertim natura illa quæ dicitur vis insita cœlis ; natura item particularis, quæ est vis indita rebus, ex similibus similia procreans. Hinc Rabbi Moyses putavit per millia millium angelorum (Dan. vii, 10) Deo obsequentium intelligendas esse naturales rerum virtutes, quæ exsequendo ordinationem providentiæ divinæ, dicerentur quasi nuntii Dei, ipso suo effectu insinuando quid Deus instituit et præcepit quando ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (Ps. xxxii, 9 ; cxlviii, 5). Quæ expositio ad litteram stare nequit, quamvis secundum allegoriam aut tropologiam possit salvari. *Seu omnibus,* id est per omnes causas prætactas : quod non est dicendum, quum nec anima mundi ponenda sit, et forsan nec animæ nobiles.

Quidquid ergo horum dicatur, *illud certe manifestum est, immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse providentiam :* id est, hoc evidens est ex inductis, quod divina providentia sit for-

ma, id est activa dispositio et series ordinationis consistens in mente divina, « rerum gerendarum », id est omnium quæ fiunt in mundo; *fatum vero, eorum quæ divina simplicitas gerenda disponit* *, *mobilem nexum atque ordinem temporalem :* id est, etiam hoc manifestum est, « fatum » esse « nexum mobilem », id est concatenationem, seriem et juncturam variabilem, ac « ordinem temporalem », id est colligationem causalem successive operantem et provenientem, « eorum quæ simplicitas divina », id est simplex providentia Dei, « disponit », id est ordinat, esse « gerenda ». Ista patent ex introductis. Verumtamen, sicut patebit, fatum per respectum ad Deum, certum et immobile est dicendum.

* disposuit

Sequitur alia inter fatum et providentiam distinctio : quoniam providentia comprehendit et includit plura quam fatum. Unde subjungitur :

Quo fit, id est, ex dictis patet et sequitur, *ut omnia quæ fato subsunt,* id est, quæ cadunt sub fato, *providentiæ quoque subjecta sint,* quum fatum non sit nisi impressio atque expressio providentiæ quantum ad aliqua. Est quippe impressio per relationem ad terminum ad quem, hoc est per respectum ad ea quibus ingeritur; et item expressio per comparationem ad terminum a quo, id est ad providentiam, a qua profertur, derivatur et institutionem sortitur. *Cui ipsum etiam subjacet fatum,* id est, hoc fatum subjacet providentiæ tanquam suæ causæ et institutori : a qua providentia legem, connexionem ac ordinem habet. Quæ autem subduntur inferiori, subduntur et superiori, præsertim supremo : sicut qui subest principi militum, subest et regi. Providentia autem est superior fato : imo est summa lex. Ergo fatum et quæ fato subduntur, etiam providentiæ subsunt.

Quædam vero quæ sub providentia locata sunt, quæ scilicet immediate et uniformiter reguntur a Deo, *fati seriem superant,* id est, transcendunt cursum, mutabilitatem ac ordinantiam fati. *Ea vero sunt quæ primæ propinqua Divinitati stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt :* id est, illa creata « sunt » transcendentia fata, « quæ propinqua primæ Divinitati », id est summæ et veræ Deitati, et ideo « fixa stabiliter », id est firmiter stantia in statu eodem, « excedunt ordinem mobilitatis fatalis », id est modum ac habitudinem mutabilitatis ad fatum spectantis. Cujus exemplum subjungitur.

Nam ut orbium circa eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus, ad simplicitatem medietatis accedit, ceterorumque extra locatorum veluti cardo quidam circa quem versantur *, *exsistit.* Ordo et sensus verborum est : « Nam ut » (id est sicut), supple orbis, « orbium », id est exsistens de numero orbium, id est sphærarum, « vertentium sese », id est, qui circumvolvuntur, « circa cardinem eumdem », id est circa idem centrum, polum seu axem, « qui » orbis « est intimus », id est ceteris sphæris minor et contentus sub illis ac proximus centro, « accedit ad simplicitatem medietatis », id est, magis assimilatur stabilitati immobilitatique centri, et « exsistit » quasi « cardo quidam », id est quidam punctus seu centrum, « ceterorum » orbium « extra locatorum », id est aliarum sphærarum exteriorum circumdantium ipsum, « circa quem » cardinem « versantur », id est, in cujus gyro assidue vertuntur et currunt. *Extimus vero majori ambitu rotatus,* id est, orbis extremus et maximus inter ceteros, « rotatus », id est circumactus, « ambitu », id est circuitione, « majori », quia major est, et in circumeundo describit circulum majorem; *quanto a puncti media individuitate discedit,* id est, « quanto » plus elongatur et abit « ab individuitate » (id est ab indivisibilitate) « media puncti », id est centri, hoc est ab indivisibili centro, quod medium est in sphæra, *tanto amplioribus spatiis explicatur,* id est, tanto longioribus ac diffusioribus dimensionibus ex-

* versentur

plicat et consummat proprium motum, sicut istud patet ad oculum. *Si quid vero illi se medio connectat et sociat, in simplicitatem cogitur :* id est, si aliquid immediate et inseparabiliter adhæreat centro, « cogitur in simplicitatem », id est, necesse est ipsum conformari immobilitati illius simplicis centri ; *diffundique ac diffluere cessat,* id est, tale ens « cessat diffundi » per motum, id est ad majorem quantitatem extendi, « ac diffluere », id est per loca plura discurrere.

Deinde simile istud ad propositum applicatur.

Simili ratione, quod longius a prima mente discedit, id est, creatura quæ remotius ac vehementius distat a Creatore, non per localem distantiam, sed per suæ naturæ dissimilitudinem et imperfectionem (de qua distantia in Proverbiis Salomon dixit, Longe est Dominus ab impiis ; et Psalmista, Alta, id est superba, a longe cognoscit), *majoribus fati nexibus implicatur,* id est, circumdatur, involvitur et subest pluribus seu intensioribus mutationibus et colligantiis fati, quoniam plura movent et agunt in ipsum, seu multiplicius imprimunt ei. *Ac tanto aliquid fato liberum est,* id est, tanto plus est res immunis et tuta a dispositionibus et constringentiis fati, *quanto illum rerum cardinem vicinius petit :* id est, « quanto » firmius « petit », id est, appetit et accedit seu obtinet, « cardinem illum rerum », id est Deum incircumscriptum, qui instar puncti, indivisibilis, simplex immobilisque consistit, atque in medio omnium est per essentiam, præsentiam et potentiam, quamvis non ita per gratiam. Circa ipsum quoque moventur et ad ipsum tendunt omnium corda fidelium : imo et suo modo naturalia desideria universorum, quoniam sine participatione et conservatione ipsius, nec ad momentum possunt consistere.

Prov. xv, 29. Ps cxxxvii, 6.

Denique in isto omnes concordant philosophi, quod quanto aliquid est primæ causæ propinquius, tanto est ei in cunctis similius ; et tanto res illi propinquior est, quanto pauciores rerum gradus, perfectiones ac species mediant inter Creatorem et ipsam. Ordo namque est intimus rebus ; et prima ac superiora in creaturis fecit Deus sibi similiora : idcirco sunt magis simplicia et minus variabilia, atque paucioribus motibus impressionem ac perfectionem suscipiunt. De hoc divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia, plenius vero libro de Angelica hierarchia, Proclus quoque et auctor libri de Causis plura loquuntur. Aristoteles etiam libro de Cœlo fatetur, quod ea quæ minus distant a primo et summo ente, paucioribus motibus seu actibus ad ipsum pertingunt : propter quod magis uniformia sunt, minusque subjacent varietati fatali.

De Eccl. hier. c. I, V, VI ; de Cœlest hier. c. IV, VII-IX, X, XIII.

Quod si supernæ mentis hæserit firmitati, motu carens, fati quoque supergreditur necessitatem : id est, « si » aliquid inter creata « hæserit », id est, fixe adhæserit, « firmitati », id est incommutabili stabilitati, « mentis supernæ », id est divini ac summi intellectus, præsertim per confirmationem in bono, et beatificam fruitionem illius ; per hoc « carens motu », id est mutatione et flexibilitate a summo bono, tale ens « supergreditur quoque necessitatem fati » : cujus necessitas non est absoluta, sed conditionata, ut infra dicetur ; vel, « necessitatem », id est inevitabilem mobilitatem, « fati » ipsius.

Ex quibus Philosophia infert hoc corollarium pulchrum : *Igitur, uti est ad intellectum ratiocinatio,* id est, sicut se habet ad intellectum ratiocinatio : nam ratiocinatio est discursiva, successiva et imperfecta cognitio respectu intellectus, id est intellectualis notitiæ, quæ est simplex, instantanea et certa intuitio veritatis ; *ad id quod est, id quod gignitur,* id est, sicut res generabilis corporalis habet se « ad id quod est », id est ad ens perpetuum ; *ad æternitatem tempus,* id est, sicut tempus se habet ad æternitatem ; *ad punctum medium circulus,* id est, sic-

ut sphæra se habet ad centrum : *ita est fati* A *series mobilis ad providentiæ stabilem simplicitatem,* id est, sic se habet fatum instabile ad providentiam Dei simplicem atque immobilem : imo breviter, ita sicut se habet creatura ad Creatorem. Ideo providentia, sua perfectione, in infinitum magis transcendit fatum, quam intellectus seu intelligentia ratiocinationem, lineam punctus, æternitas seu perpetuitas tempus, substantia separata lignum aut lapidem.

Insuper Philosophia describit fati effe- B ctus, et tangit ea quæ fato subduntur.

Ea series cœlum ac sidera movet, id est, series ista fati, hoc est fatum sic ordinatum, seu connexio causarum quæ continentur sub fato, movet cuncta cœlestia corpora, utpote orbes, sidera fixa, et planetas habentes motus varios et quasi erraticos, quamvis vere sint ordinati, et ex rationabilibus causis taliter diversificati.

Sed potest quis dicere : Quum corpora illa ab intelligentiis moveantur, vel ab intrinseca vi ac causa motiva, quomodo C dicuntur a fato moveri, præsertim quum intelligentiæ non videantur comprehendi sub fato? Et respondendum, quod quidquid omnipotens Deus agit in creaturis non immediate per se, sed per causas secundas, dicitur fieri fato, id est per causalitatem et seriem causarum creatarum, sicut præordinavit se illud facturum per illas ; et quantum ad hoc, fatum est in intelligentiis quasi active, quamvis et passive in ipsis sit, secundum quod a Deo id receperunt. Vis ergo activa quæ cœle- D stia corpora movet, est causa fatalis, et quid comprehensum in fato : ideo fatum dicitur agere illud quod facit illa, quemadmodum exercitus agere perhibetur quod aliqui de exercitu operantur. Intelligentiæ vero et cetera a Deo immediate producta, quantum ad id quod immediate a Creatore habent et per ejus influxum sortita sunt, non fataliter sed providentialiter gubernantur. Hinc constat, quod fatum non est quid unum simpliciter, sicut homo, lapis seu lignum ; sed est quid unum aggregative, sicut exercitus, seu acervus, aut ordo multorum, prout ordo vocatur relatio. Et sive ipsum fatum dicatur esse substantia, utpote ipsæ causæ substantiales ita coordinatæ et productivæ, seu vires earum causales, activæ aut etiam receptivæ, utrumque intelligi recte potest cum inclusione alterius.

Joannes. — Ex his quæstiones quæ me multum movebant, videntur mihi solutæ.

Dionysius. — Adhuc multa audies inde.

Elementa in se invicem temperat : id est, series seu causalitas fati, elementa quamvis mutuo contraria, tamen facit ea in mixto concurrere, comproportionari, conciliari, et permanere usque ad præfixam periodum, nisi quid incidentale corruptivum superveniens, ea dissolvat; facit quoque unum eorum generari ex alio. Porro, secundum Commentatorem tertio Cœli, et alibi, elementa compatiuntur se invicem in mixto sub esse remisso. Avicenna quoque opinatur ea secundum formas substantiales in mixtis manere. Verior tamen videtur opinio tenens contrarium : quam et sequitur Thomas. Verum de his dictum est supra, libro tertio, metro nono, super illud : Tu numeris elementa ligas. *Et alterna commutatione transformat :* id est, materiam unius elementi transfert ad formam elementi alterius, ad quod concurrunt et operantur qualitates elementares (quæ comprehenduntur in serie fati) « commutatione alterna », id est mutua actione et passione, et per condensationem subtilioris materiæ, atque per extenuationem materiæ grossioris, sicut in libro de Generatione et corruptione docet Philosophus. Et de hoc loquitur Plato in secundo Timæi subtiliter et profunde, tamen obscure, juxta suum modum loquendi frequenter difficilem.

Cf. t. XXII, p. 117 C' et s.

Cf. p. 375 D et s.

Eadem nascentia occidentiaque omnia, per similes fetuum seminumque renovat progressus : hoc est, « eadem », id est hæc ipsa series fati, « renovat », id est, instau-

rat, conservat, multiplicat, « omnia nascentia » et « occidentia », id est cuncta generabilia et corruptibilia, « per progressus similes », id est per generationes et propagationes, « fetuum », id est prolium ejusdem speciei quantum ad animalia, et « seminum » quantum ad arbores, ex quibus oritur semen ad propagationem similium arbustorum, juxta illud Genesis : Gen. I, 11. Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.

Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit : id est, « hæc » dispositio fati « constringit », id est, invicem nectit et ligat, « actus hominum », id est actiones hominum ex deliberatione procedentes, et « fortunas », id est eventus eorum casuales atque fortuitos, « connexione causarum indissolubili », id est certa et inevitabili. Cf. p. 511 D' et s. Sed hoc videtur contra jam dicta, quod scilicet dispositio fati est mobilis, imo mutabilis. Item, si causarum connexio est certa et indissolubilis, videntur omnia de necessitate accidere. Ad quod dicendum, quod dispositio fati, in se et ex natura sua mobilis mutabilisque consistit in inferioribus istis actibusque hominis : nihilo minus per respectum ad providentiam Dei, cujus est quædam expressio et imago, indissolubilem habet causarum colligationem, prout hoc infra clarius elucebit.

Quæ quum ab immobilis providentiæ proficiscatur * [illegible] *exordiis,* id est, ex quo series fati causatur et exit « ab exordiis » æternis et exemplaribus rationibus « providentiæ immobilis » (quæ exordia distinguuntur ab invicem, non re, sed ratione, sicut ideæ ; sunt quoque realiter idem quod providentia ipsa, quamvis ejus exordia appellentur, tanquam pertinentia ad ipsam), *ipsam quoque immutabilem* * ipsas quoque immutabiles *esse necesse est,* id est, necessario sequitur quod et dispositio, ordo seu series fati sit invariabilis, non in se, sed per compara-

A tionem ad providentiam. Verum contra hæc argui posset : nam simili modo argui posset, quod omnis creatura et omnis effectus Dei sit immutabilis, quia ab immutabili causa, id est invariabili Deo, processit. Et respondendum, quod omnem creaturam oportet deficere a Creatoris perfectione. Nec sequitur : Deus est invariabilis, incommutabilis, independens ; ergo creatura est talis. Unde nec in proposito : providentia Dei in se simplex est et invariabilis : ergo et fatum.
B Hinc nec argumentatio ista Boetii tenet nisi secundum expositionem prætactam. Nec tamen est per omnia simile de fato et aliis rebus : quoniam fatum in propria ratione dicit respectum seu habitudinem ad providentiam Dei immobilem, quæ et in definitione ponitur.

Ita enim res optime geruntur, id est, fiunt et gubernantur, *si* (pro quia) *manens in divina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat :* hoc est, « simplicitas », id est simplex providentia, « ma-
C nens in mente divina », imo et exsistens ipsa mens Dei ac Deus, « promat », id est producat, « ordinem causarum indeclinabilem », id est inevitabilem, per comparationem ad infallibilem suum intuitum, ac prævisionem et ordinationem certissimam ; *hic vero ordo res mutabiles, et alioqui temere fluituras, propria incommutabilitate coerceat :* hoc est, « ordo hic » causarum indeclinabilis, id est series fati, « coerceat », id est, restringat ac moderetur, « propria » sua « incommutabilitate », id
D est certa causarum connexione, « res mutabiles, et alioqui », id est, nisi hoc ageret, « fluituras temere », id est, instar insipientis undique jactandas, exagitandas, et dissolvendas.

Quo fit, ut tametsi vobis hunc ordinem minime considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur : hoc est, « quo fit », id est, ex quo sequitur, « ut tametsi » (id est quamvis) « omnia » ista inferiora, hoc est quædam de omnibus, præsertim hominum gesta, « videantur vo-

bis minime valentibus », id est, nequaquam potentibus, « considerare ordinem hunc », id est connexionem et colligationem istarum causarum (quæ frequenter mutabiles sunt et libere operantes : propter quod earum indeterminata causalitas non cadit sub humana scientia), « videantur », inquam, « confusa », id est inordinata, et « perturbata », id est perversa ; *nihilo minus tamen suus modus ad bonum dirigens, cuncta disponat :* hoc est, « tamen modus suus », id est modus naturalis ac proprius cujuslibet rei, « dirigens », id est inclinans, « ad bonum », id est ad rei perfectionem ac finem, « disponat cuncta », id est unumquodque eorum juxta fati tenorem ac providentiæ præordinationem.

Nihil est enim quod mali causa ne ab ipsis quidem improbis fiat, hoc est, « nihil est quod fiat causa mali, ne quidem ab improbis ipsis », id est iniquis, utpote intentione mali formaliter : quoniam malum ut tale, nequit esse appetitus objectum. Propter quod divinus Dionysius effatur, quod nullus respiciens ad malum operatur : quia non cupit nec agit malum nisi in quantum bonum, vere aut apparenter, ut jam ante, tertio libro, declaratum est sæpius ; nec aliquis facit malum nisi propter aliquod apparenter bonum. *Quos (ut uberrime demonstratum est) bonum quærentes, pravus error avertit :* id est, « quos » improbos « bonum quærentes », id est, propter beatitudinem operantes, « pravus error avertit », id est, ignorantia, deceptio seu vitiosa affectio fallit, excæcat, atque a recto modo quærendi felicitatem detorquet : quia nec veram beatitudinem efficaciter quærunt, sed eam quam sibi in rebus caducis et vanis constituunt, nec per proportionata ac debita media ad finem vere beatificum tendunt ; « ut uberrime », id est copiose, « demonstratum est » libro tertio. *Nedum ordo de summi boni cardine proficiscens, a suo quoquam deflectat exordio :* hoc est, « nedum », id est ut non, « ordo », id est series fati,

De Divin. nom. c. IV.

Cf. p. 302 D et s., 396 B et s.

Pros. III-VIII.

A « proficiscens », id est effluens et causatus, « de cardine summi boni », id est a principio totius boni seu ex providentia Dei, « deflectat », id est recedat, « a suo exordio », id est ab ipsa providentia, aliter agendo quam illa prævidit aut ordinavit : per quod providentia frustraretur aut falleretur.

Consequenter Philosophia repetit quæstionem in principio hujus prosæ, imo et frequenter antea, motam. *Quæ vero, inquies, potest ulla iniquior esse confusio,* B *quam ut bonis tum adversa, tum prospera, malis etiam tum optata, tum odiosa contingant ?* Hoc est : sed, « inquies », id est, dices et replicabis contra ea quæ dixi, quod omnia bene regantur ordinateque fiant, « quæ confusio », id est inordinatio, « potest esse iniquior, quam ut bonis » hominibus « contingant tum », id est interdum (seu, « tum », id est tam), « adversa, tum prospera, malis etiam » hominibus contingant « tum optata », id est prospera, « tum odiosa », id est adversa.

C Deinde ostendit Philosophia homines sæpe errare de aliorum hominum bonitate ac pravitate. *Num igitur ea mentis integritate homines degunt,* id est, numquid « homines degunt », id est, vivunt et vigent, « ea mentis integritate », id est tam sano judicio rationis, *ut quos probos improbosve censuerint, eos quoque, uti existimant, esse necesse sit,* hoc est, « ut eos quos censuerint », id est judicaverint, esse « probos » aut « improbos, necesse sit esse » tales, id est, « uti existimant » qui D judicant eos ? quasi dicat, Non : quia judicium hominum de aliis non est tam clarum et certum. Imo homines sæpissime falluntur judicando de aliis. Propter quod dixit Salvator : Nolite judicare, ut non judicemini. Rursus quoque ait : Nolite secundum faciem judicare. Denique istud est unum de communibus pessimis vitiis hominum, quod tam intimorate, incaute ac insipienter judicant alios, imo et bona ac incerta interpretantur in pejus. Ideo ad Romanos scribit Apostolus : Tu quid judi-

Matth. VII, 1. Joann. VII, 24.

Rom. XIV, 10.

cas fratrem tuum ? Aut tu quare spernis A fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

Quod autem homines multoties errent de aliis judicando, probat ex hoc quod sæpe diversi tam diversimode judicant de eisdem. *Atqui in hoc hominum judicia depugnant, ut* quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrentur** : hoc est, « atqui », id est pro certo, « judicia hominum depugnant », id est, contra se invicem pugnant ac mutuo contrariantur, « in hoc, ut » eos « quos alii », id est quidam, « arbitrentur B dignos præmio », utpote probos, « alii » arbitrentur dignos « supplicio ». Nam et de Christo refert Joannes evangelista : Quidam dicebant, Quia bonus est ; alii dicebant, Non, sed seducit turbas.

* *et*

* *arbitrantur*

Joann. VII, 12.

Deinceps Philosophia ostendit, quod quamvis homines possent certitudinaliter judicare de aliorum pravitate et bonitate, adhuc tamen non liceret eis contra Dei judicia murmurare.

Sed concedamus ut aliquis possit bonos malosve discernere : id est, disputationis C gratia admittamus quod « aliquis bonos malosve possit discernere », id est, quod aliquis possit certissime cognoscere ab invicemque judicare bonos aut malos. Quod aliquo modo probabiliter fieri potest ab homine, quum Christus locutus sit : A fructibus eorum cognoscetis eos. *Num igitur poterit intueri illam intimam temperiem (veluti in corporibus dici solet) animorum ?* id est, adhuc tamen non posset inspicere « temperiem illam intimam animorum », id est interiorem cordium dis- D positionem, inclinationem, capacitatem, proportionem, « veluti in corporibus dici solet », id est, sicut a medicis dici solet, quod scilicet nemo potest esse aptus judex et efficax corporum curator, nisi eorum interiorem dispositionem, puta temperiem intemperiemve, cognoscat.

Matth. VII, 16.

Non enim dissimile est miraculum, id est, negotium istud mirum « non est dissimile », id est, simile est de comparatione hac corporum et animorum, *nescienti,* id est quoad nescientem medicinalia, utpote *cur sanis corporibus, his quidem dulcia, illis vero amara conveniant,* id est, cur alimenta suavia conveniant quibusdam sanis corporibus ad hoc quod in sanitate conserventur diutius, amara vero nutrimenta conveniant aliis sanis pro sanitate conservanda ; *cur ægri etiam quidam lenibus, quidam vero acerbis* adjuvantur,* id est, quare « etiam quidam » homines « ægri adjuvantur », id est, curantur vel relevantur, « lenibus », id est dulcibus medicinis, « quidam vero acerbis », id est acrioribus medelis. *At hoc,* id est, de his, *medicus, qui sanitatis ipsius atque ægritudinis modum temperamentumque dignoscit, minime miratur :* quia (ut dictum est) admiratio oritur, quando effectus aliquis notabilis cernitur cujus causa nescitur.

* *acribus*

Quid vero aliud animorum salus videtur esse, quam probitas ? id est, nil aliud est « salus », integritas, sanitas rationalium animarum, « quam probitas », seu virtus (præsertim infusa, quæ mortalia expellit peccata) et ea quæ pertinent ad virtutem, ut gratia gratum faciens, dona Spiritus Sancti, fructus quoque et actus virtuosi, itemque beatitudines de quibus loquitur Christus Matthæi quinto. *Quid ægritudo, quam vitia ?* id est, non aliud est animæ ægritudo, quam habitus pravi, actus iniqui omissionesque boni.

Quis autem alius vel servator bonorum, vel malorum depulsor (id est, nullus alius est « servator bonorum », id est virtutum et operum virtuosorum, seu hominum proborum, « vel depulsor malorum », id est exterminator vitiorum, seu hominum impiorum, impœnitentes damnando, pœnitentes curando, sicque eos depellendo, non quantum ad esse naturæ, sed quantum ad esse culpæ, secundum quod in Proverbiis Salomon loquitur, Verte impios, et non erunt : et ita impletur in quolibet tali illud Regum primo, Mutaberis in virum alium), *quam rector ac medicator mentium Deus ?* Qui solus peccata dimittit,

Prov. XII, 7.

I *Reg.* X, 6.

gratiam tribuit, virtutes infundit, beatitu- A dinem elargitur ; qui misericorditer salvat electos, ac juste deserit, abjicit et condemnat reprobos et impios. Qui in Exodo testatur : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. (Exod. xxiii, 19.) De quo in Ecclesiaste Salomon fassus est : Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. (Eccle. vii, 4.) Denique actus isti soli Deo conveniunt tanquam causæ primæ ac principali ; creaturis autem quibusdam attribuuntur ut causis secundariis instrumentalibus. Nam et Apostolus dixit : Salvos faciam quosdam ex illis. (Rom. xi, 14.) B Sacerdotes quoque a peccatis absolvunt ; et annuntiantes verbum Dei quosdam convertunt et purgant, sicque animarum medentur languoribus. Quod totum per principalem auctoritatem et interiorem efficientiam convenit soli Deo, qui loquitur per Isaiam : Deus justus et salvans non est præter me ; (Is. xlv, 21.) atque in Osee : Salvator non est præter me. (Osee xiii, 4.)

Qui quum ex alta providentiæ specula respicit, C id est, ex sublimi throno ac summo consistorio sapientiæ suæ universa attendit, juxta illud Psalmi : Dominus de cœlo prospexit super filios hominum. (Ps. xiii, 2.) De quo scriptum est in Deuteronomio : Non est Deus alius ut Deus rectissimi ; habitaculum ejus sursum. (Deut. xxxiii, 27.) Loquitur autem Scriptura de Deo more humano, quasi de rege provido, residente in solio, et inde prospiciente, quum tamen incircumscriptibilis Deus sit penitus illocalis. *Quid unicuique conveniat agnoscit, et quod convenire novit accommodat.* D Hoc verbum intricatum videtur. Nonne unicuique convenientissimum esset gratiam in præsenti et gloriam in futuro a Deo suscipere ? Quod tamen non fit. Unicuique quoque ægro vitiis, convenit a cœlesti medico Deo curari ; nec tamen omnes curat. Si autem sic exponatur, « quod convenire novit », id est, secundum merita aut demerita sua unicuique debetur aut congruit ; nec sic stare posse videtur, quia non dat Deus unicuique secundum sua demerita, quum scriptum sit : Non secundum peccata nostra fecit nobis. (Ps. cii, 10.) Potest autem et ita exponi : « quod convenire novit », id est, quod videt sibi decens et congruum esse, et rationi suæ prædestinationis ac providentiæ convenire, hoc præstat. Rursus, quum nullum bonum deserat irremuneratum, nullum quoque malum impunitum, potest simpliciter accipi, quod « accommodat », id est rependit, quod convenit, contemperando tamen in cunctis misericordiam æquitati, juxta illud in Psalmo : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. (Ps. xxiv, 10.) Interea, sicut ait Anselmus, tam bonus et pius est Deus, ut justum sit (id est decens ex parte ipsius) quod quibusdam indignis ac reis misereatur et gratiam largiatur.

Hinc jam fit illud fatalis ordinis insigne miraculum : hoc est, « hinc jam fit », id est, ex ista varia atque multiplici distributione, accommodatione, erogatione Judicis summi medicique superni, contingit, « illud miraculum insigne », id est præclarus iste effectus multis valde mirabilis, « ordinis fatalis », id est ordinationis et dispositionis ad fatum pertinentis : quod scilicet justis sæpe contingunt adversa, et impiis prospera ; *quum a sciente geritur quod stupeant ignorantes,* id est, dum a Deo omnipotente, omnia cognoscente, aliquid agitur « quod ignorantes stupeant », id est, vehementer mirentur ignorantes, id est, causam facti hujusmodi nescientes : ut dum fideles et justi in præliis magnis ab infidelibus ac pessimis vincuntur, occiduntur. Cujus aliud exemplum subjungitur.

Nam ut pauca quæ valet ratio humana, de divina profunditate perstringam : hoc est, « nam ut perstringam », id est, breviter comprehendam, « pauca », id est modica opera seu judicia, vel pauca verba aut scripta, « de profunditate divina », id est de tam imperscrutabili altitudine providentiæ Dei, « quæ ratio humana valet », id est, potest perstringere aut capere ; *de hoc, quem tu justissimum et æqui servantissimum putas, omnia scienti Providen-*

tiæ diversum videtur : hoc est, homo « quem tu putas justissimum », id est valde justum fuisse quantum ad cordis affectum, « et servantissimum æqui », id est valde tenacem æquitatis in opere, « diversum videtur », id est contrarium quid sensisse, « providentiæ » divinæ « omnia scienti » (vel, « videtur diversum », id est exstitisse res diversa, contraria, « providentiæ » Dei), « de hoc », id est de isto judicio ordinationis divinæ et humanorum eventuum ; *et victricem quidem causam diis, victam vero Catoni placuisse, familiaris noster Lucanus admonuit :* id est, « Lucanus » poeta nobis « familiaris, admonuit », id est commemoravit, « victricem causam », id est causam Julii Cæsaris, « placuisse quidem » (id est certe) « diis », quos putavit hujus mundi rectores ; secundum nos, Deo, summo omnium moderatori. De quo Aristoteles scripsit : Entia nolunt male disponi ; pluralitas principum mala : unus ergo princeps. « Victam vero » causam « Catoni » placuisse admonuit.

Præterea, ut in historiis recitatur, Julius et Pompeius, cujus uxor fuit Julii filia, fuerunt duo præcipui consules Romanorum. Pompeius quoque vastavit orientem, Julius occidentem. Quumque Julius victor redisset, et consulatum adhuc diutius postulasset nec consequeretur, indignatus ac suorum fretus auxilio usurpavit imperium. Cui Pompeius fortiter diuque restitit. Tandem in regnum quoddam orientis deveniens, a rege quodam captus fuit et decollatus, qui et caput Pompeii Julio misit : quo viso, lacrimatus est Julius, reminiscens strenuitatis Pompeii. Qui autem tunc Romanorum prudentissimi erant, ut Cato et Cicero, favebant Pompeio, quia nolebant rempublicam per regem administrari, sed per senatores et consules. Unde et Cicero edidit orationem de laudibus Pompeii. Itaque hoc exemplo probat Philosophia, quod de eadem re aliter judicat providentia Dei, aliter homo, etiam justus et prudens : quemadmodum Cato tunc inter Romanos prudentissimus atque justissimus, judicavit causam Pompeii justam ac dignam triumpho; providentia vero Dei concessit victoriam Julio.

Atque, ut quidam hic scribunt, causa Julii fuit justa Deoque placita : propter quod præstitit ei triumphum. Quod non videtur : quoniam Julius, quamvis aliunde fuit vir bonus virtutibus acquisitis, ut legitur, et de novem melioribus unus, tamen in hoc facto ex ambitione est motus, et censetur fuisse tyrannus, ut etiam S. Thomas circa finem secundi Sententiarum et in libro de Regimine principum fatetur. Nec ideo succubuit Pompeius quia injustam habuit causam bellandi contra Julium, et Julius justam; sed quia Pompeius aliunde exstitit coram Altissimo reus, triumpho indignus, occidique dignus. Unde et in historiis legitur, quod postquam Pompeius in templo Dei in Jerusalem, ex contemptu legis Judæorum, suos equos installavit, desiit prosperari, adversitatibusque subjacuit quousque prætacto modo fuit occisus. Porro Deus justissimus, propter causas justas et rationabiles victoriam Julio dedit, ut et Pompeius juste puniretur, et Julius, qui per alia opera ex genere suo bona illam forsan meruit prosperitatem, hanc pro mercede reciperet. Deo item ex aliis placuit causis ut Romana respublica administraretur per regem et imperatorem. Nam et in veritate, regimen monarchicum et regale, quo unus toti præsidet communitati, est optimum, ut in Politicis etiam probat Philosophus. Verum ad has justas causas Julius non adspexit, sed ad proprium honorem et commodum.

Cf. t. XXII, p. 585 D, 586 A'.

Amplius, istud ex divinis Scripturis declaratur. Legitur quippe in libro Judicum quemadmodum contra tribum Benjamin ceteræ tribus Israel convenerunt ad præliandum, et ex Dei responso congressæ sunt contra Benjamitas : nihilo minus bis victæ fuerunt ; nec dubium quin causa earum exstitit justa ac divinitus approbata. Causa vero tribus Benjamin injustissima fuit : propter quod in tertio congressu

Judic. XX.

totaliter victa fuit. Sic et frequenter Christiani contra perfidos Sarracenos et Teucros* congrediuntur, intentione et desiderio defendendi fidem et legem Christi, et exstirpandi legem (imo potius fæcem) falsissimam Mahometi : attamen succumbunt ; et prævalent infideles, quorum injustissima exstat causa. Deus autem justissimus ex justis causis victoriam illis interdum largitur ; nec dubium quin saluti Christianorum multo plus sæpe expediat vinci quam vincere.

* Turcas

Hic igitur quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuæ perversa confusio : hoc est, « quidquid videas geri hic », id est fieri in sæculo isto, « citra spem », id est, aliter quam sperasti seu æstimasti, « ordo rectus est », id est, decens et certa seu justa series et ordinatio causarum est, per comparationem ad providentiam Dei : ex quibus causis procedit effectus ille, ideo subditur, « rebus », id est operibus quæ causantur ; « confusio vero perversa », id est irrationabilis error, est « tuæ opinioni » qua opinaris oppositum.

Consequenter Philosophia incipit solvere motiva Boetii propter quæ providentia Dei videbatur sibi tam admiranda : propter hoc quod justis proveniunt sæpe adversa, et impiis prospera, et interdum econtra ; aliquando etiam quibusdam justis adversa, et quibusdam justis prospera : imo interdum eidem justo nunc prospera, nunc adversa. De his ergo ponit Philosophia varios casus.

Sed sit aliquis ita bene moratus, id est, dato quod aliquis homo sit tam eminenter moribus bonis ornatus, *ut de eo divinum judicium pariter humanumque consentiat :* id est, ut tam Deus quam homines judicent eum forinsecus bene morigeratum, et ita « judicium divinum », id est censura mentis divinæ, « pariter » (id est simul) et « humanum » judicium « consentiat », id est, unum cum alio concorditer sentiat, « de eo », quod sit vere extra facetus : quod aliquibus inest a natura.

A *Sed est animi viribus infirmus,* id est, non est in virtutibus fortis. *Cui si quid eveniat adversi,* id est, si aliqua notabilis adversitas acciderit ei, *desinet colere forsitan innocentiam,* id est, forsan cessabit exercere justitiam, nulli nocendo, et quæ nociva sunt evitando, *per quam non potuit retinere fortunam,* id est, per cujus innocentiæ observantiam aut meritum, vidit se non consequi temporalem prosperitatem.

Parcit itaque sapiens dispensatio ei :
B hoc est, « dispensatio sapiens », id est dispensator, moderator et erogator omnis boni, Deus essentialiter sapiens, qui est dispensatio sua activa, sicut ipse est sua cognitio et sua dilectio, « parcit ei », id est, præservat illum a tentationibus et persecutionibus, sicut ait Apostolus, Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis ; *quem deteriorem facere possit adversitas,* id est, qui occasione adversitatis se ipsum faceret « deteriorem », per impatientiam suam aut
C alio modo adversitatibus succumbendo. Hoc Deus in quibusdam sic agit. Attamen interdum permittit tales tentari, quamvis eos sciat casuros : sicut in Evangelio asserit Dominus, Qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Unde apud Matthæum loquitur : Hic est qui audit verbum Dei et cum gaudio suscipit illud ; non habet autem in se radicem, sed est temporalis ; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. *Ne cui non convenit,*
D *laborare patiatur :* id est, « ne » Deus « patiatur », id est permittat, illum « laborare », id est affligi tolerando adversa, cui non expedit, nec dispositus est ad resistendum ac sustinendum idonee.

I Cor. x, 13.

Luc. VIII, 13.

Matth. XIII, 20, 21.

Deinde ponitur alius casus, huic quasi ex opposito contrarius.

Est alius cunctis virtutibus absolutus, id est absolute perfectus : non tamen omnifarie, sed in genere suo, utpote excellenter heroicus ; ideo subditur, *sanctusque,* id est ab omni terrena et carnali affectio-

ne prorsus purgatus, *ac Deo proximus*, id **A** est multum propinquus per ardentissimæ caritatis intimam unitionem ac mysticæ theologiæ contemplationem : ita quod per donum sapientiæ consummatum atque seraphicam caritatem, stat quasi in contactu Solis justitiæ, ab illo suscipiens stillicidia roris divini, scintillas ignis Spiritus Sancti, et exuberantem supernorum charismatum influxum, ita quod est quasi con- [*Ps.* L, 8.] siliarius et secretarius Dei, qui incerta et occulta sapientiæ suæ illi revelat.

Hunc contingi quibuslibet adversis ne- **B** *fas Providentia judicat :* id est, « Providentia » Dei « judicat » esse illicitum seu indecens « hunc contingi », id est tangi et affligi, « adversis quibuslibet ». Unde de talibus per Zachariam dicitur : [*Zach.* II, 8.] Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi [*Malach.* III, 17.] mei. Malachias quoque ait : Parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Istud (ut tactum est) Deus interdum sic agit : quum tamen sanctiores illis seu quibusdam illorum, tradiderit gravioribus pœnis, ut ipsummet Christum, et beatis- **C** simum Joannem Baptistam, et gloriosos Apostolos. Sacratissimam etiam Virginem, et magnam illam Mariam Magdalene, sanctamque Theclam, ac sublimem Joannem evangelistam, a suppliciis præservavit aut rapuit. Voluit namque infinitæ sapientiæ Deus ac immensæ potentiæ, in Sanctis diversimode operari, ut sic excellentiam suam, libertatem et beatitudinem multipliciter demonstraret, ut decuit. Nempe, [*Prov.* XVI, 4.] ut Salomon fatetur, Omnia propter se ipsum operatus est Deus. *Adeo ut ne cor-* **D** *poreis quidem morbis agitari sinat :* id est, in tantum Deus hunc præservat a pœnis, « ut quidem » (id est certe) « ne sinat » eum « agitari », id est frequenter agi et vexari, « morbis corporeis ».

Nam ut quidam me quoque excellentior ait (cujus verba Græca tantum designat in Latino) : *Viri sacri corpus virtutes ædificarunt :* id est, ipsæ excellentes « virtutes » et actus earum « ædificarunt », id est, munierunt et quasi circumvallaverunt, « corpus sacri viri », id est virorum sanctorum, ita quod quidam eorum non potuerunt tangi et pati ab impiis. Quis autem fuerit iste major, nescitur ; et puto quod magnus Græcus aliquis theologus (ut Basilius, aut Gregorius Nazianzenus, etc.), qui in quantum theologus, fuit major Philosophia.

Consequenter tanguntur modi quibus interdum bonis hominibus proveniant prospera. *Fit autem sæpe uti bonis summa rerum gerenda deferatur :* id est, frequenter contingit ut « summa » (id est potestas et dignitas) « rerum deferatur », id est, præbeatur et committatur, electis et virtuosis hominibus, puta principibus ac prælatis idoneis, quales fuerunt innumerabiles sancti pontifices principesque catholici ; *ut exuberans retundatur improbitas,* id est, abundans malitia compescatur et exstirpetur per eos : quemadmodum in Proverbiis Salomon loquitur, Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo [*Prov.* XX, 8.] dissipat omne malum ; in Ecclesiastico quoque, Secundum judicem populi, sic et [*Eccli.* X, 2.] ministri ejus : prout de isto superius al- [*Cf.* p. 94 D' et s.] legatæ sunt multæ auctoritates.

Interdum prosperitas talis conceditur virtuosis cum admixtione adversitatis, ne extollantur, sicut dixit Apostolus : Ne ma- [II *Cor.* XII, 7.] gnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanæ, qui me colaphizet. Unde nunc sequitur : *Aliis mixta quædam pro animorum qualitate distribuit,* id est, Providentia quibusdam confert commixtim prospera et adversa. Et ita contingit in electis communiter, præsertim in bonis prælatis atque principibus, quibus dum aliqui favent, obtemperant, obsequuntur, alii adversantur, quia nec omnibus queunt placere. Hinc, juxta Apostolum, per infamiam et bonam famam [*Ibid.* VI, 8.] serviunt Deo. In quorum persona dixit Apostolus : Benedictus Deus, qui consola- [*Ibid.* I, 3, 4.] tur nos in omni tribulatione nostra ; et Psalmista : Secundum multitudinem dolo- [*Ps.* XCIII, 19.] rum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Dispensatio *quosdam remordet,* id est, A
Deus dispensans, per adversitatum remor-
sus ac punctiones reprimit et affligit non-
ee II. 6. nullos : sicut ait per Osee, Ecce ego se-
piam viam tuam spinis. In quorum per-
. LXV. 12. sona fertur in Psalmo : Transivimus per
ignem et aquam. *Ne longa felicitate lu-
xurient,* id est, ne diuturna prosperitate
in petulantiam resolvantur, et dissoluti
intimoratique fiant, prout Dominus ait ani-
er. XXXI. mæ tali : Usquequo deliciis dissolveris,
filia vaga? Hoc salubre adversitatis et pun-
s. XXXI. cturæ remedium expertus Propheta, Con- B
versus sum (inquit) in ærumna mea, dum
configitur spina.

Alios duris agitari sinit, id est, Pro-
videntia quosdam permittit, imo et facit,
« agitari », id est exerceri, « duris », id
est adversitatibus, tribulationibus, persecu-
tionibus magnis et diuturnis : sicut permi-
sit sanctum David quasi sex annis agitari
eg. XX. 3. a Saul, ita quod David dixit, Ego et mors
tantum uno gradu dividimur; *ut virtutes
animi, patientiæ usu atque exercitatione*
confir-nt *confirmentur*,* id est, radicentur in eis. C
Quemadmodum enim ex multis actibus
bonis boni habitus generantur, ita exer-
citationibus roborantur ac splendent : sic-
ut et cuprum rubigine non offuscatur si
frequenter teratur. Ideo tali homini Do-
. XLVIII, minus loquitur per Isaiam : Excoxi te et
elegi te in camino paupertatis. Et Sapiens
p. III, 6. dicit : Tanquam aurum in fornace proba-
vit electos Dominus. Hinc in claustris ve-
re religiosis congregationibusque devotis,
fratres per exercitia humilitatis et pati-
entiæ ac obedientiæ, multipliciter solent D
probari, et assuefieri in cunctis frangere,
contemnere, accusare se ipsos. Sic Deus
ob. II, 12. exercitavit Job, Tobiam, Eustachium.

*Alii plus æquo metuunt quod ferre pos-
sunt,* id est, quidam formidolosi ac pu-
sillanimes verentur aggredi et non inci-
piunt quod tamen Deo adjuvante possunt
explere, pati seu agere. Ex qua formidine
aliqui omittunt religionem intrare, quum
tamen videre possint multos se teneriores,
in religione robustos subsistere. Sic se-
cundo Paralipomenon de Roboam filio Sa-
lomonis asseritur : Roboam rudis erat et II *Par.* XIII, 7.
corde pavido. Talium quisque cum Apo-
stolo dicat : Omnia possum in eo qui me *Philipp.* IV, 13.
confortat; et cum Psalmographo : Quoniam *Ps* XVII. 30.
in te, Domine, eripiar a tentatione, et in
Deo meo transgrediar murum. Talem quo-
que se fuisse ad tempus, refert Augustinus
in libro Confessionum; et animavit se,
dicens : Tu non poteris quod illi et illæ?
Quousque in te stas et non stas? Projice
cogitatum tuum in Domino, et confide
in eo sine quo nihil potes, et per quem
omnia potes. *Alii plus æquo despiciunt
quod ferre non possunt,* id est, quidam
plus quam decet et licet parvi pendunt
ea, tanquam sibi facilia aut saltem pos-
sibilia, quæ supergrediuntur vires eorum,
ut præsumptuosi et incircumspecti, qui-
bus vera deest prudentia; idcirco sunt
male audaces. Quibus in Isaia dicitur :
Superbia tantum est, quiesce. Jeremias *Is.* XXX, 7.
quoque ait : Quia plus fecit (id est, facere *Jer.* XLVIII, 36.
præsumpsit) quam potuit, idcirco periit.
Tale quid, non quidem ex elatione, sed
quadam inconsideratione nimioque amore,
accidit S. Petro adhuc infirmo, ita quod
dixit : Etsi omnes scandalizati fuerint in *Matth.*
te, ego nunquam scandalizabor. XXVI, 33.

*Hos, in experimentum sui, tristibus du-
cit,* id est, providentia Dei per tristia et
adversa perducit tam illos formidolosos
quam hos præsumptuosos, ad experimen-
talem notitiam sui ipsorum ac virium pro-
priarum : dum timidi talia sustinendo aut
operando, discunt se talia posse, et su-
munt in Deo fiduciam, ac ardua strenue
aggrediuntur (juxta quod scriptum est :
Exspecta Dominum, viriliter age; et con- *Ps.* XXVI, 14.
fortetur cor tuum, et sustine Dominum);
præsumptuosi vero et male audaces, de-
ficiendo discunt propriam imbecillitatem
ac fragilitatem.

*Nonnulli venerandum sæculi nomen,
gloriosæ pretio mortis emerunt :* hoc est,
aliqui « emerunt », id est, instar emen-
tium obtinuerunt, « nomen sæculi vene-
randum », id est magnam et inclytam fa-

mam, et titulum altum ac celebre nomen, A « pretio mortis gloriosæ », id est merito exitus virtuosi ac strenui. Quocirca sciendum, quod quidam ex vanitate cupientes in memoriis hominum permanere, fecerunt sibi quædam quasi proba ac strenua opera, sicut et Alexander. Qui autem bonam famam retulerunt ad Dei honorem aliorumque ædificationem, bene fecerunt, quemadmodum fortissimus Judas, qui imminente

I *Mach.* IX, 6. prælio in quo cum octingentis inclytis viris contra quadraginta millia armatorum con-

Ibid. 10. gressus est, dixit : Si appropiavit tempus B nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. Et interfecit ex illis viginti millia primæ cohortis, deinde multos circumstantes et fortes cohortis secundæ ;

Ibid. 17, 18. ingravatoque prælio, cecidit etiam ipse, ut primo libro Machabæorum describitur. Talis item videtur fuisse Eleazarus, frater

Ibid. VI, 43-46. (ut creditur) Judæ : qui se dedit periculo, interficiens in medio legionis a dextris et sinistris, ut acquireret sibi nomen æternum. Potissime autem beatissimi marty- C res, pretio suæ gloriosissimæ mortis mercati sunt sibi præclarissimum nomen in hoc sæculo et futuro, in omni plane militanti ac triumphanti Ecclesia.

Quidam suppliciis inexpugnabiles, id est, tam virtuosi quod nullis potuerunt suppliciis superari, hoc est a veritate et æquitate averti, quamvis corporaliter occidebantur, *exemplum ceteris prætulerunt,* id est, proposuerunt et exhibuerunt aliis « exemplum » peroptimum, utpote *invictam malis esse virtutem,* id est, quod D virtus seu homo virtuosus non valet vinci a « malis », id est a vitiis, neque a « malis » hominibus, loquendo de virtute perfecta : nam et virtus ex sua natura fortior est peccatis, quamvis interdum ex fragilitate sui subinde succumbant. Istud exemplum omnibus nobis prætulerunt ac reliquerunt martyres præelecti : quia, ut asserit Leo Papa, plus est opere docere quam sermone, et validiora sunt exempla quam verba. In quorum persona dixit Apostolus : Certus sum quia neque mors *Rom.* VIII, 38, 39.
neque vita, nec creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. Hinc de Eleazaro sene, secundo libro Machabæorum narratur : Eleazarus ætate provectus, gloriosam II *Mach.* VI, 18, 19.
mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium.

Quæ quam recte atque disposite, et ex eorum bono quibus accidere videntur, fiant, nulla dubitatio est : hoc est, « quæ » omnia jam prædicta divinæ providentiæ opera « quam recte » et « disposite », id est quam decenter et ordinate, « fiant, et ex bono », id est ex profectu et salute, sive ex merito aut bona radice, « eorum quibus videntur », id est, palam cernuntur, « accidere, dubitatio nulla est » : quia jam constat ex dictis, quod per respectum ad sapientissimam ac rationabilissimam providentiam Dei, omnia ista omnino ordinate proveniunt, atque ad maximum præmium electorum, et ad salubre exemplum viventium.

Deinde pandit Philosophia, quam rationabilis et decora sit providentia Dei circa reprobos et iniquos, et cur illis quoque nunc prospera, nunc adversa eveniant, et quot modis.

Nam illud quoque quod improbis nunc tristia, nunc optata proveniunt, ex eisdem ducitur causis : id est, ex rationibus divinæ providentiæ seu operum ejus et dispensationibus illius jam tactis, « ducitur », id est procedit, « quod nunc tristia », id est adversa, « nunc optata », id est prospera et jucunda, « proveniunt improbis ».

Ac de tristibus quidem nemo miratur, id est, nullus miratur de hoc quod adversa accidunt pravis hominibus, quoniam culpæ debetur pœna : ideo subditur, *quod eos male meritos omnes existimant :* hoc est, quia « omnes existimant eos », videlicet improbos, esse « male meritos », id est reos, quia sunt meriti mali, id est demeriti, quod sunt supplicio digni. Et pœna ipsorum est fructuosa, sicut sub-

jungitur. *Quorum quidem supplicia tum ceteros ab sceleribus deterrent :* hoc est, « quorum » improborum « supplicia tum » (id est etiam) « deterrent », id est, terrore quem causant retrahunt, « ceteros » qui vident aut percipiunt illa supplicia, « ab sceleribus », ne et ipsi sic puniantur. Ideo
Tim. v, 20. dixit Apostolus, Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant : pro-
Cf. p. 484 et s. ut paulo ante plenius fuit expositum. *Tum ipsos quibus invehuntur, emendant,* id est, supplicia ista etiam corrigunt et purgant eos quibus infliguntur : quoniam pœnæ hujus vitæ sunt medicinales ex sua natura aut institutione, et ex conditione status præsentis intentioneque corrigentis ; idcirco « emendant » aut natæ sunt emendare punitum, nisi ille ex sua malitia incorrigibilis sit, et per impatientiam, iram, indignationem aut resistentiam suam fiat deterior.

Consequenter tanguntur quædam utilitates quæ nascuntur ex hoc quod vitiosis hominibus etiam interdum proveniunt prospera.

Læta vero magnum bonis argumentum loquuntur, id est, prospera « loquuntur » materialiter et bene considerantibus præbent « argumentum magnum », id est grande documentum atque probabilem rationem, *quid de hujusmodi felicitate debeant judicare,* id est, quid debeant sentire de terrena prosperitate, *quam famulari sæpe improbis cernant,* id est, quam quotidie possint videre evenire ac suppetere iniquis hominibus.

In qua re illud etiam dispensari credo : hoc est, « in qua re », utpote quod prosperitas ista arridet injustis, « credo dispensari », id est ex summi provisoris providentia ordinari, « etiam illud » quod subditur : *quod est forsitan alicujus tam præceps atque importuna natura,* id est naturalis inclinatio, sumendo naturam pro natura corrupta, juxta modum quo in li-
Sap. XII, 10. bro Sapientiæ scriptum est, quod naturalis fuit Chananæorum malitia, *ut eum in scelera potius exacerbare possit rei fa-*

A *miliaris inopia :* hoc est, « ut inopia », id est carentia et defectus, « rei familiaris », id est terrenæ possessionis, « possit eum exacerbare », id est amaricare et provocare, « in scelera », id est ad impatientiam et appetentiam rei alienæ, deinde ad furta, rapinam, fraudes, mendacia. Propter quod orat vir sapiens : Divitias Prov. XXX, 8, 9.
et paupertatem ne dederis mihi ; tribue tantum victui meo necessaria, ne egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Hujus morbo Providentia collatæ*
B *pecuniæ remedio medetur :* hoc est, « providentia » Dei « medetur », id est, curationem largitur et præservationem a scelere, « remedio », id est beneficio, « pecuniæ collatæ », id est opulentiæ seu competentiæ temporalis. Unde et Plato in Phædone disseruit : Propter pecuniarum possessionem universa nobis prælia fiunt, et tamen eas possidere compellimur propter corporis necessitatem.

Hic fœdatam probris conscientiam spectans, id est, alter aliquis malus « spe-
C ctans », id est attendens, « conscientiam » suam vel alterius, seu « conscientiam » in communi, « fœdatam probris », id est vitiis maculatam, quam vilis, periculosa et fugienda sit conscientia talis, *et se cum fortuna sua comparans,* id est, comparationem faciens inter se et suam fortunam, id est rem suam temporalem fortunæ subjectam, et eventus suos fortuitos ; *forsitan pertimescit ne cujus rei jucundus usus est, sit tristis amissio,* id est, « ne amissio » suæ « rei » temporalis « sit » sibi
D « tristis », id est molesta et ipsum contristans, « cujus » rei « usus », id est possessio et visio, est delectabilis sibi. *Mutabit igitur mores,* id est, « mores » pravos, consuetudines vitiosas, affectus corruptos, « mutabit » utcumque in melius, timore damni temporalis quod per transgressiones consuetas incurreret. Ideo in Proverbiis scriptum est : Per timorem Ibid. XV, 27.
Domini unusquisque declinat a malo. *Ac dum fortunam metuit amittere,* id est, dum formidat perdere temporalia bona,

nequitiam derelinquit, id est, scelera vitat. [A] Verumtamen iste est timor omnino servilis : qui non sufficit ad rationem virtutis, nec ad veritatem salutis, ut tertio [dist. xxxiv, D et s.] Sententiarum probat Magister auctoritatibus Augustini ; sed est dispositio ad virtutes : [Ps. cx, 10.] propter quod initium sapientiæ appellatur. Et nisi hoc timore homines ad vitia proni cohiberentur, nulla esset mensura facinorum : idcirco oportuit esse sæcularia judicia etiam rigorosa, legesque positivas, ut in Politicis scribit Aristoteles, disputans contra philosophiam Socratis et [B] Platonis, dicentium reum quantumlibet non esse totaliter occidendum, sed mitius puniendum.

Alios in cladem meritam præcipitavit indigne aucta felicitas : id est, terrena prosperitas « aucta indigne », id est copiose concessa abutentibus ea, et contra eorum demerita (quia transgressor indignus est pane quo vescitur, ac totius obsequio creaturæ : propter quod in die [Sap. v, 21-24.] judicii pugnabit pro Creatore orbis terrarum, regio elementorum, et universitas [C] creaturarum, contra ingratos et insensatos), « alios præcipitavit », id est dejecit, « in cladem meritam », id est in calamitatem et pœnam quam meruerunt, sicut [Prov. i, 32.] Salomon dixit : Prosperitas stultorum perdet eos.

Consequenter docet, quod impiis quoque interdum conceditur auctoritas præsidendi ac puniendi, quam ipsi in tyrannidem vertunt.

Quibusdam permissum puniendi jus, hoc est, « jus puniendi », id est aucto- [D] ritas judicialis et præsidendi potestas, « permissum » est, id est traditum vel admissum, « quibusdam » pravis hominibus, *ut exercitii bonis, et malis esset causa supplicii :* id est, quatenus istud jus iniquorum « esset » et fieret « bonis », id est justis et electis hominibus, « causa exercitii », id est exercitationis salubris, dum propter Deum et pro suis peccatis ac profectu virtutum æquanimiter tolerant præsidentem indignum atque tyrannicum, « et » jus istud esset causa « supplicii », id est damnationis, hominibus « malis » : non quod jus seu potestas in se mala sit et causa directa perditionis et pœnæ suæ. Denique apte ait Philosophia, impiis esse permissum jus puniendi : talibus enim potius videtur permissum quam datum, quantum ad hoc quod inordinate ascendunt. Propter quod Deus per Osee prophetam de ipsis testatur : Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi. [Osee viii, 4.] Verum, quoniam ipsa potestas a Deo est, qui et justo judicio [Rom. xiii, 1.] tales promoveri permittit, idcirco dicuntur a Deo concessi : qui denuo loquitur per Osee, Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. [Osee xiii, 11.] De isto dictum est supra frequenter, et allegatum [Cf. p. 124 A' et s., 254 A' et s.] est illud in Job : Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. [Job xxxiv, 30.]

Nam ut probis atque improbis nullum fœdus est : id est, nulla concordia, nullum amicitiæ fœdus est inter iniquos et virtuosos, quum sint diversæ atque contrariæ voluntatis ; amicorum autem est eadem velle et nolle, secundum Philosophum. Unde, secundum Tullium, non nisi inter sapientes et virtuosos est amicitia vera. Verumtamen his objici potest, quia in Genesi legitur Abraham Dei amicus cum [Gen. xiv, 13 ; xxi, 27, 32.] quibusdam Chananæis fœdus iniisse. Secundo quoque Paralipomenon reprehen- [II Par. xix, 2.] ditur Josaphat rex virtuosus, quoniam amicitiam iniit cum Achab rege, cujus opera pessima erant. Imo videmus ad oculum, quod frequenter aliqui sunt mutuo familiares, amicabiles simul, quorum unus est virtuosus, alter iniquus. Ad quæ omnia et consimilia respondendum videtur, quod amicitia quæ est virtus et relationem includit, non est nisi inter bonos ; conformiter, nec fœdus caritatis infusæ : attamen amicitia naturalis et socialis, et fœdus hujusmodi, inter probum et improbum potest consistere. Iterum dici potest, quod inter probos et improbos, loquendo de eis formaliter, puta secundum quod tales

sunt, nullum est fœdus (sic enim contrarii sunt), sed in quantum in quibusdam concordant. Atque sic verificatur quod subditur : *ita ipsi inter se improbi nequeunt convenire,* id est concordare. Et constat quod non concordant in omnibus, neque in bonis, neque stabiliter, quum
rov. xiii, et Salomon protestetur : Inter superbos semper sunt jurgia. Nihilo minus, sicut
b xli, 6. in Job legitur quod squamæ ceti squamis adhærent, sic tales interdum in rebus pessimis tenaciter sibi cohærent.

Quidni, id est, quid mirum quod ita est, et quid aliud est de isto nisi quod dictum est, quod sibi nequeunt convenire, *quum a semetipsis, discerpentibus conscientiam vitiis, quique dissentiant,* id est, unusquisque eorum a semetipso dissentiat, agendo contra conscientiam propriam atque synderesim, sintque in eo invicem contrariæ ratio et sensualitas, « discerpentibus » in eo « conscientiam vitiis », id est, peccatis ejus suo remorsu quem pariunt, distrahentibus et affligentibus conscientiam ipsam, *faciantque sæpe quæ quum gesserint, non fuisse gerenda decernant,* id est, frequenter agant aliqua tam vehementer enormia, ex vehementia passionum aut usu pravissimo, « quæ quum gesserint », id est, opere impleverint, « decernant », id est judicent, ea « non fuisse gerenda »? quia cessante jam impetu passionis ac vehementia malignitatis, redeunt ad cor, ac tanti excessus concutiuntur horrore. Quibus consonat illud Catonis : Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

Ex quo sæpe summa illa Providentia protulit insigne miraculum : hoc est, « ex quo », id est, ex hoc quod mali a malis dissentiant, « Providentia illa summa protulit », id est produxit, « sæpe miraculum insigne », id est opus præclarum atque mirabile, utpote *ut malos mali bonos facerent,* id est, quod iniqui puniendo quædam enormia scelera, dispositive cooperantur ad hoc quod pravi debite castigati emendant se, et alii timore sustinendi si-

A milia a vitiis retrahuntur. Hinc in Enchiridio et libro de Civitate Dei asserit Augustinus : Pravis hominum voluntatibus Deus bene utitur, nec quemquam malorum esse sivisset, si non præscivisset quibus eum bonorum usibus suo tempore commodaret.

Deinde exprimit modum quo istud efficitur. *Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur :* hoc est, « dum quidam », id est aliqui mali, « videntur sibi perpeti », id est, putant se tolerare,
B « iniqua », id est injuriosa, « a pessimis » hominibus seu tyrannis; *noxiorum odio flagrantes,* id est, ferventes « odio noxiorum » talium injuriatorum, qui sibi ipsis ac aliis sunt nocivi (quorum personam non licet odire, sed vitium), *ad virtutis frugem rediere,* id est, redierunt et conversi sunt « ad frugem », id est fructum et operationem, « virtutis », id est justitiæ (quæ dicitur omnis virtus, quoniam omnis virtus est quædam justitia, quia per unamquamque virtutem homo se habet sicut
C debet), *dum se eis dissimiles student esse,* hoc est, « dum student », id est, intendunt et conantur, « se esse dissimiles eis », id est illis iniquis, *quos oderant :* quia quod detestantur in aliis, cupiunt exstirpare a se. Et istud est commendabile, ut malum quod reprehendis et odis in alio, expellas a temetipso : verumtamen non potest se homo veraciter emendare, nisi odium adversarii a suo abjiciat corde, quamvis inimicus in quantum inimicus et impius, non sit amandus.

D *Sola est enim divina vis,* id est, divinæ et increatæ virtuti hoc proprium est, *cui mala quoque bona sint,* id est, « cui » virtuti « mala quoque », id est etiam mala culpæ, « sint bona », id est ordinabilia ad aliqua bona, quamvis mala illa in se vitia sint, displicentia Deo : ideo quasi expositorie subditur, *quum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum :* id est, dum Deus « elicit », id est producit, « effectum boni alicujus, utendo competenter eis », videlicet vitiis. Propter

quod in Enchiridio asserit Augustinus : Tam bonus et sapiens est Deus, quod non permitteret fieri mala, nisi posset et vellet ex eis elicere bona. Sic etenim, quamvis occisio Christi fuerit gravissimum scelus, tamen ex eo elicuit Deus maximum bonum, utpote totius humani generis redemptionem ; sic quoque ex infidelitate atque ferocia tyrannorum, Deo providente et eliciente, consecutus est ineffabilis decor et gloria martyrum. In punitione etiam vitiosorum, justitia Dei multiformiter pulchriformiterque relucet. Imo ex illorum damnatione justa, augetur gloria electorum : nam et opposita juxta se posita
Ps. LVII, 11. magis elucescunt; et lætabitur justus quum viderit vindictam. Quum itaque malum culpæ ad tot tantaque bona deserviat, et Deo sit quasi materia ad ea, recte utique dicitur bonum Deo, sicut et sanctum nominatur, quod ordinatur ad sanctitatem Deique cultum.

Ordo enim quidam cuncta complectitur : id est, « ordo » divinæ providentiæ, utpote ordinatio qua Deus in se ipso ordinavit ac ordinat universa, « complectitur cuncta », id est, omnia comprehendit ac intuetur, et omnem connexionem causarum et causatorum, omnem cohabitudinem et influxum superiorum et inferiorum; *ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit,* id est, quatenus effectus qui exorbitaverit et deviaverit « a ratione » (id est tenore ac serie) « ordinis assignata » et certa, et particulari seu naturali, *hoc licet in alium, tamen in ordinem relabatur,* id est, « hoc » idem « relabatur tamen in ordinem », id est in præordinationem Providentiæ, « licet », id est quamvis, « in alium » ordinem : nam exeundo ac evadendo ordinem particularem, incidit in ordinem divinæ justitiæ generalem omnia complectentem; *ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati,* id est, ne aliquid in toto universo licere adscribatur insipientiæ aut improvido causarum processui; vel, « ne quid temeritati liceat », id est, ne aliquid putetur temere

A aut improvide evenire, per comparationem ad providentiam Dei. Idem hoc dixerunt in Metaphysicis suis Avicenna et Algazel, et reprehenduntur; dicit hoc Boetius, et laudatur. Illi enim voluerunt ex hoc demonstrare omnia de necessitate venire ; non autem Boetius, ut tactum est supra diceturque plenius infra. *Cf.* p. 516 C', 518 B et s.

Interea, horum exemplum sanctus ponit Gregorius in Joseph, quem fratres sui vendiderunt, ut in Ægyptum descendens, ipsis non dominaretur; et hoc ipsum quod illuc *Gen.* XXXVII, XXXIX et seq.

B devenit, fuit occasio quod ei tandem fuerunt subjecti. Ex quo infert Gregorius, quod divinæ providentiæ nemo valet obsistere, neque hanc impedire : imo per hoc ipsum providentia sæpe impletur, per quod impii eam impedire nituntur.

Sequitur : *Deus enim fortissimus cuncta gubernat* ineffabiliter sua benignitate, prout de hoc dicta sunt multa ; et allegatum est illud Job : Quem constituit alium super terram ? Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? *Neque* *Cf.* p. 122 A' et s., 141 C' et s., 421 C et s. *Job* XXXIV, 13.

C *enim fas est homini,* id est, non est licitum neque possibile « homini » viatori, *cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone**, ita quod nullum horum est possibile homini. Machinæ autem « divini operis » appellantur secretæ ac subtiles dispositiones ac rationes divinorum effectuum, quas plene et perfecte in omnibus scire nemo potest sine revelatione divina. Unde dixit Apostolus : Quis cognovit sensum Domini ? Aut quis consiliarius ejus fuit ? * *Difficile autem est me sermone explicare quemadmodum Deus omnia regat et sua providentia disponat.* *Rom.* XI, 34.

D Jeremias quoque : Quis adfuit (inquit) in consilio Domini, et audivit sermones ejus ? *Jer.* XXIII, 18. Hinc libro de Civitate loquitur Augustinus : Sicut Deus, qui fecit mundum, secretus est, ita modus quo fecit et regit mundum, secretus est. Per hæc etiam verba Philosophia excusat se ab immoderato scrutinio divinorum, quia, ut etiam in Timæo effatus est Plato, in tam sublimibus rebus mediocris elocutio est quid magnum censenda. Unde et in libro Sapientiæ habetur : Difficile æstimamus quæ in terra *Sap.* IX, 16.

sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore ; quæ autem in cœlis sunt quis investigabit ? Consonat his Alanus in Anticlaudiano : In his (inquiens) hæret intellectus, hebet ratio, sapientia nutat, Tullius ipse silet, raucescit lingua Maronis, languet Aristoteles, Ptolemæi sensus aberrat.

Hoc tantum perspexisse sufficiat, id est, pro nunc sufficiat considerasse, *quod naturarum omnium proditor Deus,* hoc est, « quod Deus proditor », id est emanator et productor, « naturarum omnium », *idem ad bonum dirigens,* id est, unumquodque ad suam perfectionem ac finem inclinans, quoniam opus naturæ est opus primæ causæ, *cuncta disponit :* juxta illud
p. viii, 1. Sapientiæ, Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit cuncta suaviter. *Dumque ea quæ protulit in sui similitudinem, retinere festinat :* id est, dum Deus celeriter curat « retinere », id est conservare, « ea quæ protulit », id est plasmavit, « in similitudinem sui », id est in participationem bonitatis et perfectionis quam eis communicavit, et in assimilationem quam habent cum sua idea in mente divina
id. xi, 26. (unde in libro Sapientiæ dicitur Deo, Quomodo aliquid posset permanere, nisi tu voluisses ?) ; *malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat :* id est, exterminat et expellit « de terminis », id est de finibus, « reipublicæ suæ », id est totius universi, « per seriem », id est connexionem et colligationem, « necessitatis fatalis », id est fati, necessitatem habentis per respectum ad providentiam Dei, quamvis ex se necessitatem non habeat, ut dictum est sæpe.

Denique dicitur Deus « omne malum » de universo expellere, non quod in mundo non remaneant mala culpæ ac pœnæ, nec sine fine in inferno manebunt ; sed quoniam infinita atque omnipotens sapientia Dei nullum malum culpæ relinquit inordinatum, imo mala per culpam, ordinat et compensat per pœnam : quod cedit ad universi decorem. Hinc, secundum Augustinum, mala culpæ comparantur ve-

A neno, quod in se quidem perniciosum est, quum vero alteri apte mixtum exstat, affert commodum, ut patet de theriaca : quemadmodum etiam niger color albo substernitur, ut albus clarior videatur. Unde et undecimo de Civitate fatetur : Venena, quæ per inconvenientiam nociva noscuntur et perniciosa, prudenter adhibita, in salubria medicamina vertuntur.

Quo fit ut quæ in terris abundare creduntur, id est peccata, quibus homines in mundo replentur, *si disponentem Pro-*
B *videntiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas :* id est, agnoscas « nihil mali », id est peccati, « esse usquam », id est alicubi in hoc mundo, « si spectes », id est, rite attendas, « providentiam » Dei omnia « disponentem » : et hoc juxta sensum jam positum, quia nihil tandem manebit inordinatum.

Sed video jamdudum te et pondere quæstionis oneratum, et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis exspectare dulcedinem : id est, o Boeti, attendo
C « te et oneratum », id est gravatum, « pondere », id est difficultate, « quæstionis » jam ventilatæ, « et fatigatum prolixitate rationis », id est expositionis prosæ istius, « exspectare dulcedinem aliquam carminis », quia alternis uti delectabile est. Intellectus quoque in difficilium perscrutatione valde laborat : ideo eget solatio. Denique modus agendi proportionatur modo essendi. Ideo, sicut natura humana multiplicem in se habet compositionem, sic varietas actionum convenit ei : ut et
D in Problematibus suis ait Philosophus, quod homines plus lassantur pergendo diu per viam planam et uniformem, quam si tantum tempus gradiantur itinere nunc ascensum nunc descensum habente. *Accipe igitur haustum,* id est sequentis carminis suavitatem, intelligentiam ac saporem, *quo refectus,* id est mente refocillatus, *firmior in ulteriora contendas,* id est, mecum tendas et procedas « firmior », id est robustior, « in ulteriora », id est ad ea quæ restant.

ARTICULUS XVI

DE MIRABILIBUS JUDICIIS DEI ET PROVIDENTIA EJUS.

Videntur verba Philosophiæ in hac A prosa et aliis, ex dictis B. Augustini in libro de Civitate Dei magna ex parte accepta, ubi et inter cetera loquitur : Nunc autem et mala æquo animo ferre discimus, quæ patiuntur et boni, et bona non magni pendere, quæ adipiscuntur et mali ; ac per hoc etiam in his rebus in quibus non apparet divina justitia, salutaris est divina doctrina. Nescimus enim quo Dei judicio bonus ille sit pauper, malus iste sit dives ; iste gaudeat, quem pro perditis suis moribus cruciari debuisse B mœroribus arbitramur ; contristetur ille, quem vita laudabilis gaudere debuisse persuadet : exeat de judicio non solum inultus, verum etiam damnatus, innocens aut iniquitate judicis pressus, aut falsis testimoniis obrutus ; econtrario scelestus adversarius ejus non solum impunitus, sed etiam vindicatus, judicato insultans : impius optime valeat, pius languore tabescat : latrocinentur sanissimi juvenes ; et qui nec aliquem verbo lædere potuerunt, diversa morborum atrocitate affli- C gantur pueri : adolescentes humanis rebus perutiles, immatura morte tollantur ; et qui videntur nec nasci debuisse, diutissime insuper vivant : plenus criminibus sublimetur honoribus ; et hominem sine querela, utpote virtuosum, tenebræ ignobilitatis abscondant : et cetera hujusmodi, quæ quis colligere, quis numerare sufficiat ? Quæ si in sua quasi absurditate haberent constantiam seu uniformitatem, ita ut in hac vita (in qua, sicut sacer
Ps. CXLIII, 4. psalmus eloquitur, homo vanitati simi- D lis factus est, et dies ejus velut umbra prætereunt) non nisi mali adipiscerentur transitoria bona ista atque terrena, et non nisi boni paterentur talia mala ; posset hoc referri ad justum Dei judicium, aut etiam benignum : quatenus qui non erant assecuturi bona æterna beatificantia, temporalibus deciperentur pro sua nequitia, vel consolarentur ex divina misericordia ; et qui non erant passuri æterna tormenta, temporalibus malis affligerentur pro suis qualibuscumque culpis, vel pro suis virtutibus exercendis et consummandis. Nunc vero, quando non solum in malo sunt boni, atque in bono mali, quod videtur injustum ; verum etiam plerumque et malis mala eveniunt, et bonis bona : magis inscrutabilia fiunt judicia Dei et investigabiles viæ ejus. *Rom.* XI, 33. Quamvis ergo ignoremus quo judicio Deus hæc faciat vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, summa sapientia, summa justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas : salubriter tamen hinc discimus non magni pendere seu bona (id est prospera), seu mala (id est adversa), quæ videmus justis et injustis esse communia ; illaque bona quærere quæ propria sunt bonorum, illaque mala maxime fugere quæ propria sunt malorum. Porro, quum ad judicium Dei venerimus, cujus tempus proprie dies judicii aut dies Domini nuncupatur ; non *II Petr.* III, 9 ; *I Cor.* III, 13. solum quæcumque tunc judicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio judicata, et quæcumque usque ad illud tempus adhuc judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo Dei judicio fiat ut nunc tam multa ac pene omnia justa Dei judicia lateant sensus mentesque mortalium, quum tamen in hac re piorum fidem non lateat justum esse quod latet. Hæc Augustinus.

Insuper de his narratur in Vitis Patrum

exemplum notabile, ex quo multa possunt A elici ac perpendi. Fuit in solitudine Ægypti vir sanctus, qui in consideratione altitudinis et admirabilitatis judiciorum divinæ providentiæ ac sapientiæ prorsus deficiens, Deum frequenter oravit, dicens : Domine, ostende mihi judicia tua. Venit ergo tandem ad eum angelus Dei in forma humana. Veni, inquiens, ut videamus sanctos patres. Quumque de sero pulsassent ad cellam cujusdam sancti senis, petentes hospitium, suscepit eos cum gaudio, et caritative eos tractavit. Mane dum abirent, B tulit angelus scutellam quam solam senex habebat : misit ergo senex discipulum suum post eos, ut redderent ei scutellam. Angelus vero discipulum illum præcipitavit a loco eminenti, tam valide quod totus diruptus est. Quo viso, horruit senex comes itineris angeli, intra se loquens : Heu, quam male contigit seni qui nos caritative tractavit! Deinde ambulantes per eremum, venerunt de sero ad cellam cujusdam durissimi senis, hospitium postulantes. Qui repulit eos, et dixit : Cur ita discurritis, C et non in cellulis vestris manetis? Illi vero instanter rogabant ut permitterentur ostium ingredi, ne a bestiis devorarentur : quod tandem vix permisit, et jussit discipulo suo ut nec panem nec lumen ipsis porrigeret, nec cellam sineret introire. Mane angelus ait discipulo : Roga dominum abbatem ut benedicere nos dignetur. Quo nolente, rursus angelus ait discipulo : Roga ut veniat, quia habemus ei dare aliquid. Dumque abbas venisset, angelus dedit ei catinum : quo recepto, protinus se D avertit. Et illis egressis, senex dixit ad angelum : Recede a me, quia perversa sunt opera tua. Ecce sanctum senem illum pro beneficiis quæ nobis impendit, qualiter remunerasti, paropsidem ejus abstulisti, et ejus discipulum tam atrociter occidisti; huic autem seni, qui nec Deum timet nec hominem reveretur, dedisti illius boni senis catinum. Dixitque angelus : Nonne tu Deum rogasti ut ostenderet quam justa sint ejus judicia? Idcirco me misit ut tibi ostendam hoc. Senex ille bonus, vir sanctus est; hæc tamen scutella ad eum devenit injuste, nec decuit injustum quid apud justissimum esse : ideo abstuli ei. Discipulus vero ejus in gravi fuit tentatione; quem nisi occidissem, manum mox injecisset in senem : expediens ergo ei fuit ante tam grave crimen occidi. At vero alius senex, quamvis durus et ferox, tamen aliquid boni fuit in eo, et aliquid boni egit in nos : pro quo hanc ei remunerationem exhibui. Quibus dictis, disparuit angelus.

Rursus in Vitis Patrum describitur quemadmodum quidam bonus sæcularis servivit uni sancto anachoretæ, quem quadam die invenit devoratum a bellua; alium quemdam iniquum defunctum vidit cum ingenti honore duci ad sepulcrum. Prostravit se ergo sæcularis ille in terram, dicens : Domine, hinc non surgam nisi ostenderis mihi quid sint hæc. Ad quem locutus est angelus juxta tenorem responsionis præmissæ.

Præterea, ad Ezechielem prophetam Dominus loquebatur : Fili hominis, vade ad *Ezech.* III, 4-7.
domum Israel. Non enim ad populos ignotæ linguæ tu mitteris : et si ad illos mittereris, ipsi audirent te; domus autem Israel nolunt audire te. Ecce misit Prophetam ad eos quos noverat non audituros, et non misit ad illos quos noverat audituros.

Joannes. — Merito dixit Psalmista : Ve- *Ps.* LXV, 5.
nite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

Dionysius. — De his multa scribit Gregorius; et ea quæ in libro isto de Consolatione philosophiæ continentur, præsertim in prosis, multo diffusius in Moralibus super Job inducuntur. Tota nempe disputatio et admiratio ista Boetii, est de isto tam vario eventu fortunæ et dispensatione divinæ providentiæ circa homines probos et improbos, quod interdum eadem, interdum diversa proveniunt eis. Quocirca possent tangi ac introduci alia multa multo

difficiliora, de præscientia et prædestinatione : et cur Deus omnipotens et æternus condidit primum illum apostatam, per quem prævidit tam innumerabilia millia angelorum mox peritura ; cur præfecit ipsum Jeroboam in regem decem tribuum, quas per ipsum noverat mox ad pessimam idololatriam pertrahendas ; cur edidit impiissimum Mahometum, per quem præscivit quasi tertiam partem generis humani decipiendam. Multa consimilia possent quæri de aliis hæresiarchis aliisque subversoribus ac perditoribus animarum. Cur hanc animam infundit corpusculo prolis Judæorum infideliumve parentum, ita quod ad Baptismi gratiam non pertingit ; hanc vero corpusculo prolis fidelium : cur unum tam vehementer derelinquit, alium tam gratiose ad se applicat ; istum misericordissime prævenit, illi quasi inexorabilem se exhibere videtur ; istum in suis iniquitatibus diutissime sustinet, et circa finem vitæ convertit, illum in adolescentia aut juventute sua in suis deprehendit ac perdit sceleribus.

III *Reg.* XII, 20 et seq.

In his et consimilibus debemus nos imbecilles ac miseri, supergloriosissimi Dei sancta ac metuenda judicia perhorrere, venerari ac glorificare, certissimi quod ipse Deus essentialiter sanctus, bonus, justus ac sapiens, nil agit nisi sapienter, bene ac gloriose, atque quod parvitas nostræ capacitatis, debilitas nostri intellectus deficit prorsus in infinitum a comprehensione, perscrutatione, dijudicatione ac discussione sapientiæ ac providentiæ judiciorum Dei : qui in veritate est naturaliter et incircumscriptibiliter et incomparabiliter bonus, pius, justus et dulcis ; qui quantum diligat genus humanum et ejus optet salutem, per incarnationem Verbi æterni et cetera mysteria Christi, et per innumerabilia beneficia, copiosissime et evidentissime nobis monstravit ; cui indesinenter oportet nos cum summa reverentia et timore subjectos et gratos consistere.

ARTICULUS XVII

DE PROVIDENTIA DEI EX DICTIS PATRUM ET DOCTORUM.

Circa finem libri secundi loquitur Damascenus : Necesse est eumdem esse factorem (id est creatorem) omnium rerum et provisorem. Neque enim decens nec consequens est, alium esse universorum creatorem, alium provisorem : alias imbecillis esset uterque, alter ad providendum, alter ad producendum. Atque in quantum bonus, providet (quia nec bonus est, qui non providet : etenim homines et animalia propriis filiis naturaliter provident, et non providenti exprobratur) ; et ut sapiens, optime eorum quæ sunt curam habet. Idcirco oportet nos admirari, laudare et acceptare omnia quæ sunt providentiæ ejus, etiam si forsitan videantur injusta : nam et incomprehensibilis est providentia ejus. Insuper quædam pertinent ad providentiam Dei secundum acceptionem : ut quæcumque incontradictive sunt bona, id est irreprehensibiliter virtuosa et apta. Quædam secundum concessionem : sicut concedit et permittit justum in adversitates incidere ut virtus ejus manifestetur, ut in Job. Interdum concedit aliquid inconveniens agi, ut per operationem inconvenientem æstimatam, magnum aliquid et mirabile dirigatur, id est, bonum eximium procuretur, ut salus mundi per crucem Christi. Rursus interdum concedit et sinit justum mala pati ne excidat a virtute, ut in Paulo. Derelinquit quoque providentia

Tob. II, 12.

II *Cor.* XII, 7-9.

Dei hominem dupliciter : primo, dispensative et ad tempus, ad ejus aut aliorum eruditionem ; secundo, finaliter. Multi demum sunt modi providentiæ Dei qui nec sermone exprimi queunt, nec intellectu comprehendi. Oportet etiam scire quod omnes tristes superventiones, id est tribulationes, ad salutem et utilitatem inducuntur his qui patienter et cum gratiarum actione suscipiunt eas. Hæc Damascenus : qui de his multa conscribit ibidem, quæ ad primum Sententiarum potius pertinent.

At vero Antisiodorensis in Summa sua, libro primo, testatur : Providentia Dei est diligentia qua subditis suis et rebus creatis necessaria administrat, sive sint bona, sive mala pœnalia, per quæ Deus homines castigat et flagellat ad correptionem et emendationem. Nam, ut asserit Augustinus : Omnis pœna vitæ præsentis infligitur aut in purgationem, aut ad conservationem, aut ad initium pœnæ futuræ.

Porro de providentia et fato grandem inducit tractatum Guillelmus Parisiensis ultima parte primi libri de Universo : Præscientia, inquiens, plus est et plura includit ac respicit quam providentia, quoniam Deus præscit bona et mala, non autem providet nisi bona. Non enim dicitur aliquis sibi ipsi aut aliis mala providere. Providet namque, qui consulte intendit aliquid facere, aut aliquid fieri : mala vero non intenduntur consulte et circumspecte, sed accidunt per errorem. Amplius, qui providet aliquid, ex intentione procurat hoc fieri : non autem est intentio bonitatis providentiæ Dei ut mala fiant, nec ea provenire procurat. Verumtamen universa et singula, tam bona quam mala, curat Creator : quod constat de bonis, quoniam tribuit et conservat eis esse. Quod si quis dixerit, quia postquam dederit eis esse, dimittit ea sibimet, non curans amplius ea nec regens ; huic objicitur, quia aut Creator dedit eis virtutes aut vires per quas se ipsa sufficerent regere absque ampliori Creatoris cura, aut non. Si sic, et hoc utique fecit providenter et scien-

A ter : ergo ea regit hoc modo. Cujus exemplum est, si quis filium suum committat alteri instruendum et gubernandum, informans rectorem illum atque præcipiens qualiter instruat filium. Talis pater non deserit filium suum, sed per alium curat et instruit eum. Nec negligit eum : illa quippe proprie non curantur quæ negliguntur. Denique vires ita collatæ, sunt gubernacula per quæ res illæ sic reguntur : ideo, sicut gubernator regit navem cujus gubernacula tenet, sic Deus regit B res quarum tenet vires. Iterum, qui regit rectorem in eo quod rector est, regit et recta ab illo.

Hanc disputationem dominus Guillelmus prolixe ac bene prosequitur, ostendens deinceps ex uniformi ac jugi motu et influxu cœlestium corporum, et cohabitudine superiorum et inferiorum ad invicem, providentiam rectoris universorum. Recitat quoque opinionem dicentium, ex his non plus sequi nisi quod cognoscit ordinem universi, et species naturalesque C proprietates omnium rerum ; non autem quod noscat individua earumdem singulariter, circumstantionaliter, penitusque distincte quoad omnia quæ his accidunt et accidere queunt, sed solum secundum quod in specie colliguntur atque communicant, et quoad ea quæ ratione naturæ specificæ ipsis conveniunt. Quam opinionem erroneam multipliciter improbat, quum et talis cognitio sit indistincta et imperfecta, præsertim in operabilibus.

Arguit quoque ex proprietatibus natu- D ralium rerum, quas non nisi ex institutione Creatoris originaliter sunt sortitæ. Ut (inquit) te erigam et dirigam ad nobiliorem et sublimiorem considerationem curæ ac providentiæ Dei, considera a quo et ubi discunt araneæ filare et retiacula texere, ac muscas esse casuras in ea, atque quod muscæ erunt prædæ et esca earum, etiam antequam viderent muscas, aut matres suas filantes ; item ubi formicæ didicerunt thesaurizare, et (quod mirabilius est) ubi didicerunt grana tritici

germinatura, si ea sub terra relinquerent integra, ideoque dividunt ea in frusta. De perdicibus quoque admiratio est non parva, qualiter matrem cognoscant, quam nunquam viderunt, relinquantque perdiculi perdicem quæ furata fuerat ova matris : nam mox nati, illam statim relinquunt, et matrem quæ ova posuit in quibus sunt nati, inseparabiliter sequuntur. Longe vero mirabilius est quod scarabei, quum non viderint scarabeos alios generare, miro artificio generant : de stercore enim equino globos parvulos formant rotundos, quos ad receptacula sua portantes ac desuper incubantes, generant alios. Quis docuit phœnicem ex aromatibus sibi rogum construere, et in eo se concremare, ut ex ejus cineribus phœnix alia generetur?

Hinc videtur dicendum, quod sicut fluit ipsum esse a primo fonte super cuncta creata, bonitasque et pulchritudo ejus super omne bonum et pulchrum causatum ab ipso ; sic a lumine sapientiæ Creatoris descendunt ac fluunt naturaliter, pro beneplacito ipsius, lumina talium cognitionum, prout requirit necessitas et utilitas hujusmodi bestiarum : ut super formicam, lumen quoddam prudentiæ *. Sic et super canes lumen quoddam quasi divinationis descendisse videtur, ita ut latrones hominesque occultos investigent, dignoscant et apprehendant : quoniam canis factus est ad custodiam hominum et rerum eorum ; quod ipsi amicabilitate et sollicitudine sua ad homines pandunt. Denique de vulturibus fertur quod prævident strages futuras ex præliis hominum : propter quod congregantur in locis ubi futuræ sunt strages hujusmodi, tanquam habituri escam ibidem. Ex quibus potes perpendere, quod luminositas sapientiæ Creatoris penetret omnia usque ad minima. Alioqui quis docuit bufonem alieno morsu venenoque læsum, accedere rutam, et ei locum vulneris affricare, sicque curari? Innumerabilia talia inveniuntur in variis rebus, tam animatis quam inanimatis, quarum tam multæ et tam magnæ ac miræ

* providentiæ

A virtutes, proprietates operationesque sunt, ut nec describi, nec cognosci, nec exprimi queant.

Denique scribit hic doctor : Quoniam maxime erraverunt et adhuc errant homines circa curam et providentiam Creatoris in his quæ casu tantum videntur accidere, ut ea quæ communiter atque æqualiter eveniunt sapientibus et insipientibus, justis et injustis, ut sunt pericula naufragiorum, varia genera mortis, et consimilia incommoda fortuita ; secundo in his qui B omnino non curari videntur, tam a Creatore quam ab aliis, ut furiosi, qui solo furore feruntur ; tertio in his qui pro libito vivunt, et non nisi male vivere volunt, et (ut ita dicatur) stulta sua voluntate ducuntur, vel magis aguntur nullo rectore vel curatore, ut videtur exterius ; quarto in his qui omnino derelicti videntur, quemadmodum cadaver avibus canibusque expositum, pro cujus ereptione nil agitur (sic nonnulli pauperes a potentibus et violentis multipliciter affli- C guntur et opprimuntur, non solum nullo eripiente aut defendente, imo nec contradicente : qui tamen pauperes sanctissimi sunt atque justissimi) : scito ergo quod casus et fortuna sive temeritas tam longe sunt a bonitate ac sapientia Creatoris, quam longe stultitia et ignorantia ; et propter hoc, quantum ad Creatorem nihil est casus. Apud nos vero locum habet casus : et hoc, quantum ad nos, hoc est propter ignorantiam et improvisionem nostram. Creator enim omnia intuetur, non intui- D tione quæ sit quasi habitus dormiens, quin potius intuitione quæ est in ultimitate vigilantiæ et actualitatis ; nec quidquam opertum est aut absconditum a visione ipsius ullo modorum, videtque omnia nude et velut a proximo, imo quasi præsentialiter. — Itaque bona exteriora terrena, sunt parva et vilia, et per ea tanquam per quædam munuscula, attraxit sibi olim Omnipotens homines pueriles, imperfectos, pusillos, puta Judæos : quibus et comminatus est temporalia mala pœnalia.

Erudito vero genere humano, promisit bona spiritualia et æterna, et comminatus est pœnas perpetuas. Non est ergo magnum si Deus justis et electis suis permittat talia bona auferri, ut per hoc ad spiritualia copiosius disponantur. Denique furiosi non sunt extra providentiam Dei : imo ex dispositione et cura ipsius ab hominibus aliis detinentur, qui et ipsis compatiuntur ac necessaria largiuntur, de remediis provident etiam ipsis pro posse. Unde et interdum permittunt eis libere ire et inter homines ambulare, dum probabiliter putant quod aliis non erunt nocivi : quia dimissio illa ex vinculis, est pro relevamine furoris ipsorum. Interdum quoque ipsa furia est pœna ex divina providentia juste aut certe paterne medicinaliterque inflicta ; nec tales ab angelica custodia totaliter relinquuntur. Præterea nec voluptuosi, et qui se totaliter mancipant servituti facinorum, extra Dei providentiam vivunt, qui et justo judicio sic eos relinquit (quemadmodum ait in Psalmo, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum) ; sic etiam, quod deliciarum ablatione gravius insanirent, et quod hi qui per prospera et jucunda non attrahuntur ad divinum amorem, per flagella et aspera ad deteriora corruerent, imo ad blasphemias, infidelitates, ac Dei negationem : consultius ergo dimittit eos in his quæ amant perverse. Et quamvis illis abutantur, hoc tamen est præter Creatoris intentionem, qui et vinum non concessit ut homines inebrientur, sed sobrie ac salubriter illo utantur.

Ps. LXXX, 3. — *Eccli.* XXI, 35.

Amplius, providentiæ suæ majestatem et æquitatem Deus frequenter monstravit a mundi exordio, et per universale diluvium, per subversionem Pentapolis, et per plagationes Ægyptiorum ; in Israelitico etiam populo in deserto, per devorationem quorumdam a terra, et per alias varias rebellium strages ; deinde in exstirpatione Chananæorum, quando sol et luna steterunt in cœlo immobiles spatio unius diei ; item temporibus Judicum, quando transgredientes Judæos juste reliquit et dire ac diu afflixit, pœnitentes vero piissime liberavit. De his in evangelica lege sic facta innumerabilia, certissime vera, descripta sunt, de multiplici ultione Dei in tyrannos sanctorum martyrum occisores, et de præclarissimis miraculis pro defensione fidei et glorificatione beatissimorum martyrum, ab omnipotenti Deo exhibitis.

Gen. VII. — *Ibid.* XIX. — *Exod.* VII et seq. — *Num.* XVI. — *Josue* X, 12-14.

Diligenter demum perpendens, invenies nihil vacare a Creatoris justitia : imo et ipsas belluas et pene omnia animalium genera reperies quamdam exercere justitiam, et jura sua defendere. Vide qualiter ursa ablationem vel necem suorum vindicet catulorum ; similiter qualiter leo atque ciconia pro suis uxoribus ac fetibus pugnent ; cum quanta justitia masculi et femellæ in brutis labores suos invicem partiantur, ut femina remanente in nido aut spelunca, masculus ad perquirendum et reportandum cibum feminæ suæ ac pullis, egrediatur et regrediatur. Tempore etiam meo ciconia tanquam de adulterio per olfactum mariti sui convicta, congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo vel crimen ejus detegente, a tota illa multitudine deplumata fuit ac lacerata, quasi consilio ac judicio omnium rea adulterii judicata. Narratur item de equo qui dum velatis oculis matrem suam cognovisset, deprehenso quod egerat, propriis dentibus genitalia sua præscidit, quasi vindicans in se ipso incestum quem ignoranter commisit. — Insuper nulla est natio tam barbarica, quæ non per superiores quosdam ac legibus refrenetur. Imo, quum triplex sit lex, utpote naturalis, positiva et divina, quæ omnes a Deo exortæ sunt, nulla est gens quæ non regatur aut una earum, aut simul duabus, aut omnibus tribus : ergo sub Dei providentia vivunt. — Hæc Guillelmus.

Impii quoque injuriam et contumeliam quas suo inferunt Creatori, in se ipsis gravissime ulciscuntur, tot et tantis be-

neficiis Dei se privando, jugo diaboli et A peccati se ipsos subdendo, atque æternæ damnationi se ipsos exponendo. Porro dum justi multas et magnas ab impiis adversitates patiuntur, nequaquam a Deo relicti sunt, sicut nec martyres sancti, nec beatus Job suis possessionibus, prolibus Job I, II. ac corporis sanitate privatus : imo talia multipliciter eis expediunt, ut dictum est Cf. p. 82 C' et s., 104 C', 110 A', 124 A'. alibi.

ARTICULUS XVIII

PROPOSITIO ET SOLUTIO DUARUM QUÆSTIONUM DE PROVIDENTIA ATQUE SCIENTIA DEI, QUALITER SIT UNIVERSORUM ET SINGULORUM.

JOANNES. — Horum narratio me dele- B ctat, quamvis prolixitas terreat ne forsan et alios gravet qui brevitate lætantur. Sed adhuc dubitationes quædam me inquietant. Asseris quippe universa et singula, etiam irrationabilia inanimata, distincte et singulariter sub divina providentia cadere. Sed obviare videtur illud Apostoli : I Cor. IX, 9. Numquid de bobus cura est Deo? Denique, si omnia illa tam particulariter cadunt sub providentia Dei, ergo et ea quæ indifferentia sunt vel ex sola imaginatione procedunt : ut quod in retia piscantium C potius cadat pisciculus iste quam ille, et iste piscis in rete hujus piscantis, atque quod unus potius comedat hanc buccellam panis quam illam, et prius istam quam aliam, et consimilia multa, in quibus nihil interesse videtur quid aut qualiter fiat. Videntur quoque hæc contrariari verbis B. Hieronymi asserentis : Absurdum est ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur quotve moriantur, quota pulicum et muscarum sit multitudo, quotve pisces D natent in aquis, et similia. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum providentiam ejus usque ad ima retrudimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem irrationabilium et rationabilium providentiam esse dicentes. His quoque verbis Hieronymi videtur consonare quod ait Averroes : Vilesceret divinus intellectus, si vilia et infima ista cognosceret. — Amplius quæro, an secundum naturalem rationem loquendo, sit concedendum quod summus et adorandus Deus habeat universorum distinctam notitiam ac providentiam certam ac veram, et de hoc quid senserunt philosophi.

DIONYSIUS. — Nullum invenio doctorem scholasticum qui tam diffuse scripsit de his ut Guillelmus Parisiensis, qui ultima parte primi libri de Universo primam quæstionum istarum movet et solvit, dicendo :

Quæstio est, an per curam et providentiam Dei fiat quod iste lepusculus aut ista capreola potius capiatur a venatore quam alter aut altera, et quod iste onager magis capiatur et devoretur a leone quam alius, aut ab isto leone quam ab alio, et unus mus a murilego magis quam alter; sic de araneis, sic de muscis, hirundinibus, etc.

Ad quæ omnia et consimilia dicimus, quod sapientia Dei non minus attingit minima quam maxima aut media; nec minus cognoscit utilitates minimorum, licet minimas, quam maximorum, quamvis maximas, et tam hæ quam illæ ex ipso sunt et per ipsum, sapienter, providenter ac volenter. Et sicut cura fuit ei ut essent singula, sic est ei cura ordinare singula ad fines suos ac utilitates. Denique venatores et piscatores non dubitant dicere : Deus dedit mihi hodie piscem istum, aut

feram istam. Quumque nil capiunt, dicunt : Deus non dedit mihi hodie aliquid capere. In qua diversitate, sive alternatione capiendi uno die vel non capiendi, evidens est utilitas, credulitas et admiratio providentiæ Dei ; similiter excitatio timoris et amoris Creatoris, gratitudinisque in ipsum, ut quum dat, ei gratiæ referantur, et quum non dat, timeatur esse offensus, et de ejus munere quod quæritur exspectetur. Sciendum vero, quod curare et non curare, dupliciter sumitur. Primo, prout pertinet ad vim affectivam : sicque non curare, est aliquid non habere cordi, eousque ut de ejus eventu neque quis gaudeat si fiat, neque tristetur si non eveniat. Et sic Deus vulgariter dicitur non curare id pro quo nec pœnam infert, nec mercedem largitur : et ita Deus non curat muscas quæ ab araneis capiuntur, nec quo ordine buccella sumatur. Secundo, prout ad vim spectat apprehensivam, ut curare sit idem quod attendere seu cogitare : et sic cuncta creata Deus curat, quia et ipsa attendit, et fines ac utilitates seu fructus eorum, quæ omnia prævidet et ordinat. — Hæc Guillelmus.

Ex his quæstio prima soluta est cum suis objectis, excepta auctoritate Hieronymi super Habacuc prophetam expressa, quam solvit Magister Sententiarum, primo libro, distinctione tricesima nona, dicendo : Hieronymus non negavit Deum omnia ista scire, sed negat eum illa scire alternatim et particulatim, seu per diversa temporum momenta, quasi ejus scientia varietur, augeatur aut minuatur ; et innuit Deum aliter curam ac providentiam habere irrationalium et rationalium creaturarum. Quod autem cuncta ista Deus cognoscat et curet aliquo modo, Christus in Evangelio docet : *uc.* xii. 6, *Matth.* 29, 30. Nonne (inquiens) quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro, id est sine providentia Dei Patris ? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Quod vero ex verbis Averrois allegasti, simpliciter falsum est : imo, quum opposita jux-

A ta se posita evidentius pateant, quo Deus altissimus ceterorum vilitatem et imperfectionem atque miserias limpidius intuetur, eo sui ipsius nobilitatem, perfectionem et beatitudinem clarius et deliciosius contemplari ostenditur, quemadmodum Beatorum gloria fertur augeri ex inspectione tormentorum et cladium damnatorum.

Ad secundam quæstionem respondeo, de hoc varias esse opiniones, et diversimode inde senserunt philosophi, prout super B primum Sententiarum Alexander, Bonaventura, Albertus et alii scribunt. *Cf.* t. XX, p. 497 D et s. Ubi et Thomas effatur : Hæc quæstio ab omnibus fere sapientibus est ventilata ; idcirco oportet diversorum opiniones narrare, ut falsis opinionibus refutatis, veram sequamur. Quidam itaque philosophi, ut Epicurus et Democritus, providentiam Dei negaverunt totaliter, dicentes omnia casu contingere : quæ opinio a posterioribus satis est reprobata. — Alii dixerunt providentiam Dei esse quarumdam rerum, C non omnium. Quorum quidam dixerunt eam extendi usque ad species rerum, non usque ad individua corruptibilium entium, nisi quæ necessaria sunt : quia dixerunt id quod exit cursum legibus naturæ statutum, ipsi providentiæ non subesse ; unde et ea quæ frequenter deficiunt a cursu ordinato putabant non esse provisa, ut particularia corruptibilia et generabilia. Hæcque opinio Aristoteli imputatur, quamvis ex verbis ejus expresse haberi non valeat. Sed Commentator suus unde- D cimo Metaphysicæ ponit eam expresse. Ait namque : Non est fas bonitati divinæ habere de singularibus sollicitudinem, nisi secundum quod communicationem habent in natura communi ; ut quod aranea faciat telam, non quod ista hoc agat. Hæc autem opinio falsa et perfida tollit judicium Dei de actibus hominum. — Ideo alia fuit opinio, quod Deus providentiam habet de omnibus jam prætactis, atque de individuis speciei humanæ, etiam secundum particulares actus eorum. Et hæc

est positio Rabbi Moysis, qui pro ratione assignat quia in quolibet homine est intellectualis natura, per quam apprehendit formam speciei in quantum est species, cui et rationem universalitatis attribuit : ideo non deseritur a providentia Dei, quæ directe est specierum ; et præsertim quoniam homo per splendorem intellectus communicat cum substantiis separatis, quæ et per se et quantum ad individua cadunt sub providentia Dei. Sed quia divina cognitio æqualiter est singularium et universalium, et ejus qui est summe bonus, est omnia ordinare in finem secundum quod nata sunt; inconveniens est singularium seu particularium aliquorum providentiam non adscribere Deo. — Hinc alii dicunt, quod Deus providentiam omnium habet. Sed horum aliqui dicunt providentiam omnium rerum æqualiter esse in Deo : qui ex hoc incidunt in tres errores. Quidam enim putantes similiter esse providentiam bonorum et malorum, quum bona et mala nequeant esse intenta ab eodem agente, posuerunt duos deos, quorum unus (utpote deus lucis, substantialiter bonus) provideret bona, alius (scilicet deus tenebrarum, essentialiter malus) provideret mala : et hæc fuit hæresis impii Manichæi, quæ non solum a theologis, sed etiam a philosophis, sufficienter est reprobata, quoniam malum non habet causam efficientem, sed magis deficientem, nec est per se intentum in quantum malum. Alii æstimantes quod similiter sit providentia contingentium et necessariorum, dixerunt omnia de necessitate accidere, negantes libertatem arbitrii et contingentiam rerum : quod ad sensum constat esse falsum. Alii æstimantes quod similiter rationalium et irrationalium creaturarum providentia sit, dixerunt nihil mali etiam brutis accidere, quod non sit eis provisum in pœnam, aut in majoris præmii occasionem : propter quod asserebant peccatum esse occidere brutum, sicut et hominem.

Sed quia hæc omnia sunt a fide penitus aliena, dicendum quod omnium est providentia, sed non eodem modo. Providentia enim includit dispositionem quæ in rebus determinat ordinem, qui in gradu diversarum naturarum consistit. Quumque providentiæ non sit destruere ordinem rerum, effectus providentiæ expletur in rebus secundum convenientiam rerum, prout natæ sunt consequi finem suum. Sicut enim quarto capitulo de Divinis nominibus S. Dionysius loquitur : Non est providentiæ Dei naturam rei destruere, sed salvare. Ideo Deus quasdam res ita instituit, ut secundum suam conditionem consequantur sibi præfixum finem, per principium quod est natura tantum, sicut in omnibus irrationalibus ; in aliis super hoc principium addidit voluntatem. — In his quoque quæ consequuntur finem suum per principium quod est natura, est aliquis gradus : quia quorumdam natura impediri non potest a consecutione sui effectus ac finis, et iste est in illis altior gradus : ut in corporibus cœlestibus, in quibus nihil contingit non intentum a Deo ex defectu eorum. Propter quod dicit Avicenna, quod super orbem lunæ non contingit malum, loquens de malo naturæ. Alius gradus naturæ potest deficere ac impediri, ut generabilium et corruptibilium natura : quæ quamvis sit in bonitate inferior, attamen etiam bona est, et melius est esse utramque quam alteram tantum. Si autem Deus dedisset huic naturæ nunquam posse deficere, jam non esset hæc natura, sed altera et sic non esset utraque natura : in quo derogaretur perfectioni totius universi. Hanc ergo naturam condidit Deus, prænoscens defectum ei contingentem, qui est malum naturæ, non tamen intendens hoc malum : sed ita providit, ut si malum contingeret ex defectu alicujus naturæ, ordinaretur in aliquod bonum ; sicut videmus quod corruptio unius est generatio alterius. Et iste modus providentiæ extendit se usque ad bruta inclusive, quæ potius aguntur instinctu naturæ quam voluntatis electione. Ideo malum quod contingit in eis recompensatur per bonum naturæ, non per bonum

præmii : sicut quod mors muscæ est cibus araneæ. — Porro in nobilioribus creaturis invenitur aliud principium præter naturam : quod est voluntas. Quod quanto Deo vicinius est, tanto a necessitate naturalium causarum magis est liberum : ideo ex sua conditione rectum ordinem potest tenere tendendo in finem, et item deficere. Si autem inevitabiliter aut indeviabiliter in suum tenderet finem, per divinam providentiam jam tolleretur ab eo conditio suæ naturæ, ut S. Dionysius protestatur ubi supra. Hos quoque defectus voluntatum contingentes præter intentionem divinæ providentiæ, Deus præscivit et ordinavit in aliquod bonum, non tantum naturæ, sed etiam singularis gratiæ : ut in bonum justitiæ, quod fit dum culpa per pœnam ordinatur; atque in bonum voluntatis aliorum, qui per illorum nequitiam corriguntur pro suis peccatis, aut in gratia et in gloria crescunt; et in alia multa bona, quæ humana mens non potest jam capere nec explicare.

Unde constat quod bonum et malum subjacent divinæ providentiæ: sed malum, tanquam præscitum et ordinatum, non ut a Deo intentum; bonum vero, tanquam et intentum ab eo: sed necessarium, ita ut deficere nequeat; contingens autem, ita ut possit deficere : voluntarium quoque, ita ut præmium consequatur aut pœnam, aut in præmium pœnamve alicujus ordinetur; sed naturale, ita quod naturalem finem adipiscatur si bonum, aut cedat in finem alterius naturæ si malum est. — Hæc Thomas in Scripto.

Quibus concordant scripta Alberti, Petri, Ægidii et Richardi : qui quærunt an Deus immediate provideat omnibus. Et respondent : Ad providentiam pertinent duo. Primum est ratio seu dispositio ordinis rerum provisarum ac ordinatarum in finem. Secundum est exsecutio ordinis seu ordinationis istius æternæ. Quantum ad primum, Deus immediate providet universis; quantum vero ad secundum, multa prosequitur per causas secundas, et infe-

A riora regit per superiora, non ex insufficientia sua, sed ex plenitudine suæ bonitatis, ut scilicet provisivam et gubernativam suam perfectionem communicet creaturis suis.

JOANNES. — Placent hæc omnia. Sed quæro qualiter liceat nobis uti nomine fati, quum in homilia sanctus dicat Gregorius : Absit a fidelium mentibus ut fatum dicant aliquid esse. Augustinus quoque quinto de Civitate Dei : Si quis (inquit) voluntatem aut potestatem Dei fatum appellet, sententiam teneat, linguam corrigat.

B

DIONYSIUS. — Ex his quæ allegas, Thomas in Summa contra gentiles, tertio libro, concludit : Ex quo cum infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex consortio nominum oriatur erroris occasio, nomine fati non est a fidelibus utendum, ne videamur illis consentire qui male de fato senserunt, omnia ista inferiora necessitati siderum subjicientes. cap. 93.

Verumtamen, quia Boetius vir sapientissimus atque catholicus utitur nomine fati, et illud definit ac ejus efficientias ac proprietates describit, et magistri in scholis imitando Boetium nomine fati utuntur, et fatum aliquid esse fatentur; dicendum videtur quod non sit periculosum neque illicitum fati nomine uti, præmissa vero descriptione ipsius et distinctione, qualiter variis modis sumatur. Gregorius vero prohibet dicere fatum aliquid, eo modo quo mathematici seu astrologi posuerunt fatum, dicendo quod rebus humanis necessitatem imponat. Hoc idem Augustinus intendit, quod scilicet simpliciter et absolute, videlicet sine declaratione significationis fati, non sit eo utendum.

C

D

Hinc super primum Sententiarum loquitur Alexander : Duplex est fati acceptio. Nam primo dicitur lex astrorum quæ rebus singulis fertur necessitatem imponere, libero quoque arbitrio : et de fato sic sumpto loquitur Gregorius quod sit nihil. Secundo dicitur dispositio quædam in temporalibus rebus relicta ex providen-

p. [illegible] A. tia Dei. Sicque definit illud Boetius : Fatum, inquiens, est eorum quæ divina simplicitas gerenda disposuit mobilis nexus p. [illegible] D. temporalisque ordo ; et rursus : Fatum est rebus mobilibus, etc. Et ita est quid creatum, propriusque divinæ providentiæ effectus. Aliquando tamen improprie sumitur pro dispositione seu voluntate divina, et sic quinto de Civitate asserit Augustinus : Prorsus divina providentia constituuntur regna humana ; quam si quis fati nomine exprimat, linguam corrigat, sententiam teneat. Fatum itaque dicit B naturam rei non absolute, sed cum relatione ac ordine : fatum namque est dispositio seu nexus quidam relictus in rebus ex Dei providentia, ordinante et connectente causas et habitudines rerum. Hæc Alexander.

Insuper, in prætacto tractatu de Fato ponuntur diversæ fati acceptiones, videlicet, quod fatum quandoque vocatur mors dispositione periodorum inducta, sicut dicitur in Anticlaudiano : Livor post fata quiescit. Sicque decursum vitæ tribus fata- C libus deabus tribuit Plato, inceptionem scilicet Clotho, progressum Lachesi, conclusionem seu finem Atropo, juxta illud :

Clotho colum portat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Secundo modo fatum dicitur dispositio providentiæ divinæ de rebus gerendis, sicut jam tactum est. Tertio modo fatum dicitur forma ordinis esse et vitæ inferiorum, causata in ipsis ex periodo cœlestis circuli. Sicque Hermes dicebat : Fatum est causarum complexio, etc., ut supra. Et Cf. p. 512 B. secundo modo fatum ponendum est, sicut Boetius illud accepit.

Interea, de eo quod quæris, an secundum naturalem rationem dicendum sit Deum habere distinctam notitiam ac providentiam singularem universorum, nunc patet ex introductis, quod de hoc diversimode valde senserunt diversi ; et quid de hoc sensit Plato, supra expressum est. De Ari- Cf. p. 364 D' et s. stotele quoque non est admodum certum quid senserit ; et infra de hoc ponentur opiniones Ciceronis et Senecæ.

METRUM VI

Si vis celsi jura tonantis
Pura solers cernere mente,
Adspice summi culmina cœli.
Illic justo fœdere rerum,
Veterem servant sidera pacem.
Non sol rutilo concitus igne
Gelidum Phœbes impedit axem ;
Nec quæ summo vertice mundi
Flectit rapidos Ursa meatus,
Nunquam occiduo lota profundo,
Cetera cernens sidera mergi,
Cupit Oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nuntiat umbras,
Revehitque diem Lucifer almum.
Sic æternos reficit cursus
Alternus amor ; sic astrigeris
Bellum discors exsulat oris.
Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, ut pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Jungantque fidem frigora flammis ;
Pendulus ignis surgat in altum,
Terræque graves pondere sidant.
Iisdem causis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æstas cererem fervida siccat,
Remeat pomis gravis autumnus,
Hiemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit ac profert

Quidquid vitam spirat in orbe ;
Eadem rapiens condit et aufert,
Obitu mergens orta supremo.
Sedet interea Conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas
Rex et dominus, fons et origo,
Lex et sapiens arbiter æqui ;
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat :
Nam nisi rectos revocans itus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri :
Quia non aliter durare queunt,
Nisi converso rursus amore
Refluant causæ quæ dedit esse.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO SEXTI HUJUS METRI.

QUEMADMODUM in fine prosæ præcedentis Philosophia promisit lassum Boetium carmine relevare, ita hic agit, ostendens in sexto hoc metro, res creatas inter se distinctas, differentes, contrarias, et quamplures, ex providentia Dei stabiliter conservari, et quamdam quasi pacem tenere. Sensus vero totius hujus metri satis sæpe præhabitus est. Itaque sensus et ordo verborum sic habet :

Si, o Boeti, *vis cernere,* id est, si appetis contemplari, *pura mente,* id est intellectu a vitiis passionibusque mundato, *solers,* id est prudens ac diligens. Est autem solertia proprie industria inveniendi rationem rei in tempore non prospecto, id est repente : ut cur hi duo antea inimici, facti sunt amici, quia habuerunt unum tertium inimicum, ut libro Posteriorum ait Philosophus. Sic ergo « si vis cernere solers pura mente » (talis quippe mens ad contemplationem est apta, non illa quæ vitiis sordidatur et passionibus inquietatur, ut in Phædone disseruit Plato, et plenius libro de Prophetia) *jura,* id est leges æternas et ordinationes ac instituta, *celsi,* id est Dei altissimi, *tonantis,* id est, magnifice resonantis, tonitrua producentis, terribiliter comminantis. De quo scriptum est in Job : Tonabit Deus voce magnitudinis suæ, et non investigabitur quum audita fuerit vox ejus ; in Ezechiele quoque : Audiebam sonum quasi sonum sublimis Dei. Unde in Apocalypsi ait Joannes : Audivi vocem quasi aquarum multarum et tonitruorum magnorum. *Adspice culmina,* id est elevationem et apicem, *summi cœli,* id est primi mobilis, vel potius cœli empyrei, quod est mansio ac regio Beatorum : in quo sunt chori ac ordines angelorum, quorum culmina sunt sacratissima Seraphim.

[Job xxxvii, ; Ezech. i, 24. ; Apoc. xix, 6.]

Illic sidera servant pacem veterem, id est uniformitatem, cursum, et connexionem quam ab initio habuerunt, *fœdere rerum justo,* id est decenti contemperatione virium et influentiarum suarum, seu pacto divinitus instituto. Unde dictum est supra : Quisquis rerum fœdera nectis ; itemque : Legemque pati sidera cogis. Verumtamen influentia unius planetæ seu stellæ interdum videtur contrariari influentiæ effectuique alterius et impedire eosdem : non est tamen inter eos discordia mutua, sicut de hoc Albumasar in Introductorio majori, Ptolemæus et Albategni multa conscribunt, Guillelmus quoque in libro de Fide et legibus, atque Albertus libro de Coæquævis. Ineffabiliter autem perfectius regnat pax prorsus dulcissima invio-

[p. 125 A, 120 A.]

labilisque concordia in civibus cœli em- A pyrei. Propter quod scriptum est in Job : Potestas et terror apud Deum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

Job xxv, 2

Sol concitus, id est velox in motu suo, *igne rutilo,* id est, splendore claro quo et calefacit inferiora per radiorum reflexionem, *non impedit axem gelidum,* id est frigidum orbem, *Phœbes,* id est lunæ, quæ cum sphæra sua vocatur frigida effective, ut dictum est sæpe. Cujus influxum, motum et vim non impedit sol : nihilo minus prædominatur et temperat eos. *Nec Ursa,* B id est Ursa major, quæ dicitur Currus, *quæ flectit,* id est circumducit, *meatus rapidos,* id est motus celeres, *summo vertice mundi,* id est circa polum arcticum : qui nobis videtur sublimior polo antarctico, quamvis ex natura rei et secundum veritatem polus antarcticus superior sit, ut libro de Cœlo et mundo probat Philosophus ; *nunquam lota profundo occiduo,* id est in mari occidentali nunquam humecta. Et hoc dicit Philosophia, non quod aliæ stellæ laventur et mergantur in mari C secundum veritatem, sed secundum apparentiam tantum : quia (ut frequenter præhabitum est) stantibus in ripa maris, et nihil nisi mare et cœlum ac stellas cernentibus, apparet quod planetæ et stellæ pro maxima parte descendant in aquas ; nec sciunt quod inter aquas et cœlestia corpora mediant aer et ignis elementaris. Hinc subditur : *cernens cetera sidera mergi,* id est in mare descendere secundum apparentiam : non tamen omnia, sed quæ in tantum distant a polo quod habitatori- D bus terræ occumbunt. Ursa autem non occumbit nobis : imo jugiter posset videri, nisi lux solis aut obnubilatio aeris impediret. *Cupit tingere flammas,* id est stellas suas micantes, effective calidas, circumducere et multum approximare, *Oceano,* id est magno mari seu aqueo elemento : nam stellæ in Ursa contentæ, semper notabiliter videntur distare a descensu sub terra et aqua.

Cf. p. 49 A', etc.

Cf. p. 308 A.

Vesper, id est stella vespertina, *nuntiat,* id est, sua apparitione designat, *umbras seras,* id est tardas obscuritates nocturnas, *semper,* id est omni tempore opportuno, utpote *vicibus æquis temporis,* id est horis ad hoc divinitus institutis. Et *Lucifer,* id est stella matutina, *revehit,* id est, suo ortu redire demonstrat, *diem almum,* id est clarum ac lucidum ; vel, « almum », id est sanctum, quia in die communis plebs magis vacat cultui Dei, quam in noctibus aut somni tempore.

Alternus amor, id est mutua rerum concordia, et inclinatio siderum naturalis, *reficit sic,* id est, hoc modo continuat et conservat, *cursus æternos,* id est circumvolutiones perpetuas, vel potius juges, seu usque ad finem sæculi duraturas. Sic sumitur æternum libro de Causis, quum dicitur : Omne esse superius aut est ante æternitatem, aut cum æternitate, aut post æternitatem. *Bellum discors,* id est impugnatio ex discordia veniens, *exsulat,* id est, longe distat, *sic,* id est per istam concordiam, *oris,* id est ab oris seu locis et regionibus, *astrigeris,* id est cœlestibus sphæris quæ gerunt astra, quæ in octava sphæra sunt fixa : quorum aliqua, ut planetæ, in propriis sphæris moventur, non fixa, sed velut erratica, ut Ptolemæus evidenter probavit, quamvis Aristoteles sensit oppositum.

Consequenter idem probatur in elementis. *Hæc concordia,* id est comproportionatio rerum, *temperat,* id est, temperate miscet et unit, *elementa* in mixtis, *modis æquis,* id est congruis temperationibus : *ut pugnantia,* id est elementa sibi invicem contrariantia, *cedant,* id est, se invicem compatiantur, et unum intret locum alterius, *vicibus,* id est vicissim ac mutuo, et aptis temporibus, utputa *humida,* ut sunt aer et aqua, *siccis,* id est igni et terræ, et *frigora,* id est frigida elementa, ut aqua et terra, *jungant fidem,* id est, concorditer socientur, *flammis,* id est calidis elementis, ut igni et aeri ; et *ignis pendulus,* id est levis et mobilis, super aerem pendens, *surgat in altum,* id est,

ascendat dum extra naturalem fuerit lo- A cum, et *terræ graves sidant,* id est, in imo jaceant, *pondere,* id est sua gravitate. Unde libro de Civitate loquitur Augustinus : Pondera et inclinationes rerum sunt quasi naturales amores earum, quibus unaquæque ad congruentem sibi locum movetur : quarum omnium infima terra centrum vocatur.

Annus florifer, id est pars anni in qua arbores florent, videlicet *vere tepenti,* id est temperate calido, *spirat odores,* id est, dulciter fragrat. Dicitur enim tempus fa- B cere id quod fit in tempore : in vernali autem tempore flores suavem fundunt odorem. *Æstas fervida* ex solis approximatione ad zenith capitis nostri, *siccat cererem,* id est, fruges maturat, extrahendo seu consumendo, vel potius convertendo in substantiam frugum, humores bladorum et frugum. *Autumnus remeat,* id est, post æstatem revertitur, *gravis,* id est onustus ac fertilis, *pomis,* id est fructibus arborum et lignorum, qui communi nomine poma vocantur, quamvis pomum C interdum strictius capiatur. Sic quoque pomum communiter sumitur, quum Augustinus exponens quod apud Marcum le-
arc. xi, 14. gitur, Christum maledixisse ficulneæ, quoniam non invenit fructum in ea, ait : Non enim erat tempus ficorum, id est pomi illius. *Imber defluus,* id est pluvia desuper fluens et cadens, *irrigat hiemem,* id est terram et quæ sunt in ea tempore hiemali. Quod Deus sapientissime agit guttatim per imbres, non impetuose per fluvios,
xii, 15. juxta illud Job : Si continuerit aquas, om- D nia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram. Aliquæ enim terræ rigantur aqua fluviali, aliquæ aqua pluviali. Unde
s. cxlvi, in Psalmo : Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Ideo loquitur Jere-
.xiv, 22. mias : Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? quasi dicat : Hoc Deo proprium est.

Hæc temperies, id est ista concordia seu dispositio rerum, vel moderatio providentiæ Dei seriesque causarum, *alit ac profert,* id est, nutrit et producit, *quidquid spirat vitam,* id est, vitalem motum aut actum habet, *in orbe,* id est in mundo isto inferiori. *Eadem* causa et temperies ista *rapiens,* id est, auferens et corrumpens ista inferiora viventia, juxta illud Psalmi : Avertente te faciem, turbabun- *Ps.* ciii, 29.
tur ; auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Quod etiam in hominibus agit, sicut in libro sancti Job dicitur : Conteret multos et *Job* xxxiv, 24.
innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Hinc subditur : *condit et aufert,* id est, ea corrumpit et tollit de medio et abscondit, ita quod amplius non appareant, *mergens,* id est, absorbens seu destruens, *orta,* id est, illa quæ generata fuerunt, *obitu supremo,* id est ultima morte, quæ est finis omnium corruptibilium in hoc mundo. Verumtamen productio rerum et collatio beneficiorum ipsius, esse aut vivere, est directe de intentione liberalissimi Dei ; corruptio autem et destructio rerum, concomitanter et quasi per accidens, sive in ultionem, aut quia hæc desinit conservare. Ideo scriptum est in libro Sapientiæ : Deus mortem non fecit, nec *Sap.* i, 13.
lætatur in perditione vivorum.

Consequenter tangitur suprema et prima omnium horum causa. *Conditor altus,* id est Creator sublimis, *sedet interea,* id est, immobiliter residet in throno gloriæ suæ. Qui apud Isaiam loquitur : Cœlum *Is.* lxvi, 1;
mihi sedes est. Et *regens,* id est, cuncta *Act.* vii, 49.
gubernans (sicut in libro de Causis habetur : Causa prima regit res omnes per finem decoris, id est pulcherrime), *flectit,* id est, ad placitum suum vertit et movet, *habenas* (id est gubernacula atque regimina) *rerum,* juxta illud in libro Esther : Domine Deus, rex omnipotens, in ditione *Esther* xiii, 9.
tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. De quo apud Job scriptum est : Si subverterit omnia, *Job* xi, 10.
vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? *Rex* universorum, *et dominus,* propria auctoritate præsidens cunctis. Qui ait per Isaiam : Ego Dominus, hoc est *Is.* xlii, 8.

A nomen meum : gloriam meam alteri non dabo. De quo dixit Psalmographus : Qui dominatur in virtute sua in æternum. (Ps. LXV, 7.) *Fons,* id est omnium bonorum principium, exordium effectivum, sicut ait Philosophus : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere. *Et origo* exemplaris, et causa finalis, prout in Apocalypsi testatur : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus. (Apoc. XXII, 13.) *Lex* prima et increata, idealis et æternalis, lex viva : ad quam ultimate confugitur, a qua omnis lex recta exoritur ; B a qua etiam nullatenus appellatur, quum nec priorem habeat nec superiorem. De qua in libro Sapientiæ fertur : Quum sis justus, omnia juste disponis ; virtus enim tua, justitiæ initium est. (Sap. XII, 15, 16.)

Hinc subditur : *et sapiens arbiter,* id est judex, *æqui,* id est totius justitiæ : quoniam Deus est mensura et regula omnis virtutis, veritatis et æquitatis ; et eo ipso quo ei sic placet aut ita, videtur rectum, et bonum est. Idcirco (ut puto) C Aristoteles dixit, quod Deus potest ad nutum impune peccare. Quod prima facie mirabiliter sonat : propter quod Bonaventura super Sententias affirmat se non credere quod Aristoteles dixerit hoc. Alii dicunt eum hoc protulisse de falso deo quovis gentilium. Sed verius reor quod dixit hoc metaphorice, quemadmodum in Scripturis invariabili et impassionabili Deo attribuuntur ira, furor, tristitia, non per veritatem affectus, sed per similitudinem operis seu effectus : ut sic Deus D essentialiter sanctus et naturaliter atque invariabiliter bonus, dicatur peccare, quoniam instar peccantis se habet, agendo nulli legi subjectus, nullo jure restrictus, nec quempiam habens metuere aut formidare aut curare. Hinc decimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : In civitate superna, Dei voluntas, intelligibilis et incommutabilis lex est. Et denuo fassus est : In civitate Dei, lex est caritas, rex veritas, pax felicitas, vita æternitas.

Et ipse *sistit,* id est, quiescere facit ac firmat, *quæ concitat,* id est, quæ vult et excitat, *ire,* id est transire seu procedere, *motu,* id est per motum : hoc est, ea quæ movet, facit quum vult cessare a motu ; *retrahens,* id est, a motu impediens, seu post quietem reducens ad motum. Ad cujus imperium sol et luna steterunt in cœlo immobiles spatio diei unius, ut patet in Josue. (Josue X, 13.) De quo ait Scriptura in Job : Qui præcipit soli, et non oritur ; et stellas claudit quasi sub signaculo. (Job IX, 7.) *Ac firmat vaga,* id est, instabilia roborat, corda quoque rebellia, irrefrenata et undique evagantia reducit refrenatque suis præceptis, et per gratiam stabilit, sicut ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri cor. (Hebr. XIII, 9.) *Nam nisi* ipse omnium rector *revocans,* id est reducens, *itus rectos,* id est actus seu cursus ad errandum directos : unde subjungitur, *flexos,* id est tales actus ab æquitate retortos ac devios, *cogat iterum,* id est reflectat, *in orbes,* id est in circulos et lineas rectæ ordinationis ; *fatiscunt* *, id est deficiunt, *dissepta suo fonte,* id est disjuncta a suo fontali principio, *quæ nunc continet,* id est, in suo vigore et cursu seu operatione et ordine conservat, *ordo stabilis,* id est tenor et series fati, quod per comparationem ad providentiam Dei immutabile perhibetur, prout in expositione prosæ præcedentis expressum est. (* fatiscant) (Cf. p. 518 D et s.)

Hic, id est Deus, *est amor communis cunctis.* Deus enim est amor increatus. De quo ait in prima sua epistola Joannes apostolus : Deus caritas est. (I Joann. IV, 8, 16.) Nempe in Deo realiter idem sunt amans et amor. Qui amor est universis creatis « communis », quum sit omnium Creator et Dominus, amans ea quæ fecit, et omnibus summe amabilis : qui dat omnibus affluenter, ac liberalissime bonitatem suam communicat. (Jacob. I, 5.) Cui in libro Sapientiæ dicitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, qui amas animas. (Sap. XI, 25, 27.) Et *repetunt,* id est, cuncta creata ad ipsum naturaliter convertuntur, sicut effectus ad suam causam, ut conserventur, *teneri,* id est, ut

teneantur, *fine boni,* id est ab ipso, qui est bonum finale omnium rerum et finis totius boni; *quia non queant* durare,* id est, non possint permanere in esse, *aliter,* id est alio modo nisi redeundo ad ipsum, seu nisi conserventur ab ipso : ideo expositorie subditur, *nisi causæ,* id est secundariæ causæ, seu causæ intrinsecæ rei, ut sunt forma atque materia, *amore rursus converso,* id est naturali desiderio permanendi reflexo ad increatum amorem, *refluant,* id est redeant ad causam *quæ dedit esse,* hoc est ad primam causam.

* queunt

Hinc B. Dionysius protestatur, quod omnia naturaliter convertuntur ad Creatorem, aut naturali, aut animali, aut rationali, aut intellectuali appetitu. Albertus quoque frequenter allegat Aristotelem in epistola de Principio universi esse dixisse, quod omnia redigerentur in nihilum, nisi

De Divin. Nom. c. I. IV.

A primi entis manutenentia conservarentur. Plus quippe dependet omne creatum a Deo, quam quicumque effectus a causa secunda : quum igitur videamus quosdam effectus in esse et permanere in tantum a suis causis creatis dependere, quod nec ad momentum sine illarum conservatione possint consistere, ut patet de lumine fuso a sole, et de illuminatione candelæ; multo plus ita dependet a Creatore omne creatum. Propterea in libro Sapientiæ dicitur Deo : Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?

B

Sap. XI. 26.

Postremo, de spirituali intelligentia hujus metri multa possent proferri; sed sicut litteralis horum sensus in præhabitis continetur, sic et spiritualis eorum intellectus ex illis elici potest : idcirco prolixitatem devitans pertranseo.

PROSA VII

JAMNE igitur vides quid hæc omnia quæ diximus consequatur? — Quidnam? inquam. — Omnem (inquit) bonam prorsus esse fortunam. — Et qui (inquam) fieri potest? — Attende, inquit : quum omnis fortuna, vel jucunda vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendive improbos causa deferatur; omnis bona est, quam vel justam constat esse, vel utilem. — Nimis quidem (inquam) vera ratio; et si quam paulo ante docuisti providentiam fatumve considerem, firmis viribus nixa sententia. Sed eam (si placet) inter eas quas inopinabiles paulo ante posuisti, numeremus. — Quid? inquit. — Quia id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebro, quorumdam malam esse fortunam.

— Visne igitur, inquit, paulisper vulgi sermonibus accedamus, ne nimium velut ab humanitatis usu recessisse videamur? — Ut placet, inquam. — Nonne igitur bonum censes esse quod prodest? — Ita est, inquam. — Quæ vero aut exercet aut corrigit, prodest. — Fateor, inquam. — Bona igitur. — Quidni? — Sed hæc eorum est qui vel in virtute positi, contra aspera bellum gerunt, vel a vitiis declinantes, virtutis iter arripiunt. — Negare (inquam) nequeo. — Quid vero jucunda, quæ in præmium tribuitur bonis? num vulgus malam esse decernit? — Nequaquam; verum uti est, ita quoque esse optimam censet. — Quid reliqua, quæ quum sit aspera, justo supplicio malos coercet? num bonam populus putat? — Imo omnium (inquam) quæ excogitari possunt, judicat esse miserrimam. —

Vide igitur ne opinionem populi sequentes, quiddam valde inopinabile confecerimus. — Quid? inquam. — Ex his enim (ait) quæ concessa sunt, evenit eorum quidem qui vel sunt in possessione, vel in provectu, vel in adeptione virtutis, omnem, quæcumque sit, bonam, in improbitate vero manentibus, omnem pessimam esse fortunam. — Hoc, inquam, verum est, tametsi nemo audeat confiteri. — Quare, inquit, ita vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur, ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus: utrique enim, huic quidem gloriæ propagandæ, illi vero confirmandæ sapientiæ, difficultas ipsa, materia est. Ex quo etiam virtus vocatur, quod suis viribus nitens, non superetur adversis. Neque enim vos in provectu positi virtutis, diffluere deliciis et emarcescere voluptate venistis: prælium cum omni fortuna nimis acre conseritis. Ne vos aut tristis opprimat, aut jucunda corrumpat, firmis medium viribus occupate. Quidquid aut * infra subsistit, aut ultra progreditur, habet contemptum felicitatis, non habet præmium laboris. In vestra est enim situm manu, qualem vobis fortunam formare malitis: omnis enim quæ videtur aspera, nisi aut exercet aut corrigit, punit.

* autem

ARTICULUS XX

EXPOSITIO HUJUS SEPTIMÆ PROSÆ.

HIC ex præinductis omnibus Philosophia infert unam conclusionem quæ prima facie mirabiliter et quasi incredibiliter sonat, videlicet omnem fortunam esse bonam, quum tamen aliqui appellentur infortunati, et quædam sint diffortunia seu adversæ fortunæ. Itaque ait:

Jamne igitur vides, o Boeti, id est, utrum vel numquid consideras jam, *quid hæc omnia quæ diximus consequatur,* id est, « quid » consequens sit et rite inferatur ad « hæc omnia » et ex omnibus « quæ diximus » de providentia Dei et fato? — *Quidnam? inquam,* id est, ego Boetius dico et quæro, « Quidnam » hoc est consequens? — *Omnem (inquit) bonam prorsus esse fortunam,* id est, Philosophia respondit, « Omnem fortunam esse prorsus bonam », id est omnem effectum fortuitum aliquo modo esse expedientem: et hoc per respectum ad divinam providentiam, cujus dispensatione seu moderatione accidit homini, et ordinatur ei ad aliquod bonum, quamvis frequenter homo male utatur tali eventu.

— *Et qui (inquam) fieri potest?* id est, ego Boetius dico, Quomodo hoc fieri potest? — *Attende, inquit,* id est, Philosophia dixit, « Attende » sequentia: *Quum omnis fortuna, vel jucunda vel aspera,* id est, tam illa quæ læta est et prospera, quam illa quæ est adversa et dura seu afflictiva, *deferatur,* id est, hominibus concedatur, *tum,* id est interdum, *causa remunerandi exercendive bonos,* id est virtuosos, ut per prospera provocentur ad proficiendum et regratiandum summo benefactori, et per adversa fiant magis probati, exercitati et patientes, juxta illud Apostoli ad Romanos: Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. (Rom. v, 3, 4.) Ideo Raphael dixit Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. (Tob. xii, 13.) *Tum,* id est aliquando, *pu-*

niendi corrigendive improbos : id est, vel causa « puniendi » peccata eorum in præsenti, ne pereant in futuro : quemadmodum in Proverbiis Salomon loquitur, Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes corporibus stultorum. Unde per Jeremiam Dominus loquitur peccatori : Castigabo te, ne tibi innoxius videaris. Vel causa eos « corrigendi », id est revocandi a vitiis et inducendi ad virtutes, ut scilicet vexatio det illis intellectum. Etenim punitiones Dei in præsenti sunt medicinales, quantum est ex parte ipsius, quia sunt admonitiones ut per eas consideremus nostros excessus, et pœnitendo deinceps virtutibus insistamus. *Omnis bona est,* id est, ex hoc rite concluditur, quod omnis fortuna sit bona aliquo modo, videlicet : secundum se, prout sanitas appetitur propter se ; vel in ordine ad aliud, ut secari, uri, aut amaram sumere potionem, sunt bona per ordinationem ad aliud, utpote in quantum conferunt ad sanitatem adipiscendam ; *quam vel justam constat esse, vel utilem,* id est, juste provenientem secundum providentiam Dei, vel proficuam et expedientem ad finem salubrem : nam pœnæ vitæ præsentis, ut persecutio, infirmitas, paupertas, et consimilia, prosunt ad vitandum multa peccata, ad veniam impetrandam, ad gratiam et misericordiam consequendam, ad cognoscendum et humiliandum se ipsum. Ideo in libro Machabæorum asseritur : Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

(*Prov.* XIX, 9. — *Jer.* XXX, 1. — *Is.* XXVIII, 9. — II *Mach.* I, 13.)

— *Nimis quidem (inquam) vera ratio,* id est, ego Boetius fateor, quod « ratio » seu argumentatio ista, qua probas omnem fortunam esse bonam, est « vera » valde et efficax ; *et si quam paulo ante docuisti providentiam fatumve considerem,* id est, si perpendam « providentiam » Dei, quæ omnia intuetur, includit et ordinat, seu « fatum », quod est quasi expressio et effectus seu exsecutio providentiæ divinæ, *firmis viribus* est *nixa sententia,* id est hæc tua doctrina. *Sed eam (si placet) inter eas quas inopinabiles paulo ante posuisti, numeremus,* id est, si placet tibi, o Philosophia, istam sententiam computemus esse de numero doctrinarum seu propositionum quas vulgus reputat « inopinabiles », id est tam erroneas quod nemo debeat opinari aliquid veritatis aut probabilitatis esse in eis.

(*Cf.* p. 580 B et s.)

— *Quid? inquit,* id est, Philosophia respondet, « Quid » est cur hoc facere debeamus ? — *Quia id hominum sermo communis usurpat,* id est, ego Boetius assigno pro causa, « quia sermo communis hominum id usurpat », id est, præsumptuose asserit seu incaute præsupponit, *et quidem,* id est certe, *crebro,* id est, frequenter hoc dicunt, videlicet *fortunam quorumdam esse malam.* Denique, quoniam (teste Philosopho) fama quam communis hominum opinio tenet, non omnino deperditur, id est, non totaliter falsificatur ; idcirco et istud dictum vulgarium est aliquo modo verum, ita quod fortuna quorumdam hominum est mala malitia pœnæ, hoc est pœnalis seu aspera. Nam et tale malum a Deo est, qui ait apud Isaiam : Ego Dominus formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Nempe, ut dictum est sæpe, duplex est malum, videlicet malum culpæ et malum pœnæ. Est quoque malum naturæ, ut monstruositas, et malum fortunæ : quæ ad malum pœnæ reducuntur.

(*Is.* XLV, 6, 7. — *Cf.* p. 87 B', 461 D', etc.)

— *Visne igitur, inquit, paulisper vulgi sermonibus accedamus,* id est, Philosophia ait, O Boeti, « vis » quod « accedamus paulisper », id est, modicum appropinquemus, opinionibus « vulgi », condescendendo eis quantum fieri valet salva veritate, *ne nimium velut ab humanitatis usu recessisse videamur,* id est, ne judicemur recessisse ab usu humano et a communi modo loquendi ? Ad humanitatem namque pertinet esse rationalem, non nimis extremum, imo potius eligere medium. Unde opiniones multum erroneas

dicit Averroes a natura humana alienas A sive extraneas. — *Ut placet, inquam,* id est, ego Boetius dico, Tu, o Philosophia, fac prout complacet tibi.

— *Nonne igitur bonum censes esse quod prodest?* id est, Philosophia dixit, Nonne judicas bonum esse quod est utile, quum bonum sit triplex, puta, bonum delectabile, bonum utile, et bonum honestum? — *Ita est, inquam.* Et Philosophia : *Quæ vero aut exercet aut corrigit,* id est fortuna exercens, probans, examinans, aut corrigens inducendo ad meliora, *prodest,* B id est, utilis est. Ad quod Boetius : *Fateor, inquam.* Et Philosophia : *Bona* est *igitur.* Et Boetius : *Quidni?* id est, quid aliud sequitur nisi hoc?

Ad quod Philosophia : *Sed hæc,* id est fortuna ista exercens vel corrigens, *eorum est,* id est, convenit illis, *qui vel in virtute positi,* id est, qui consistunt in gratia atque virtutibus, ut sunt proficientes, *contra aspera gerunt bellum,* id est, per patientiam aliasque virtutes dimicant contra adversa, et discunt ea æquanimiter to- C lerare, scilicet passiones tristitiæ, iræ, impatientiæ refrenando, dum considerant quam multipliciter utile saluberrimumque consistat in omnibus patientiam conservare, quum et Salomon protestetur :
Prov. xix, 11. Doctrina viri per patientiam noscitur ; et
Ibid. xvi, 32. item : Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore
Ibid. xiv, 17. urbium ; impatiens vero operabitur stultitiam. *Vel a vitiis declinantes, virtutis*
Ps. xxxvi, 27. *iter arripiunt,* juxta illud Psalmi, Declina a malo, et fac bonum : ut sunt incipien- D tes, qui de præteritis vitiis pœnitentes, incipiunt Deo servire. Quod fuit exordium prædicationis Christi ac S. Joannis Bapti-
Matth. iii, 2 ; iv, 17. stæ dicentium : Pœnitentiam agite ; appropinquabit enim regnum cœlorum. Un-
Luc. xiii, 3. de rursus ait Salvator : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Itaque, corrigens fortuna, magis concernit incipientes ; fortuna vero exercens, specialiter spectat ad proficientes. — *Negare (inquam) nequeo,* id est, ego Boetius non valeo contradicere istis sermonibus.

— *Quid vero jucunda,* id est, quid dicis de fortuna prospera, *quæ in præmium tribuitur bonis,* id est, quæ justis est quædam pars præmii, quibus debetur honor, lætitia, prælatio et potestas? Verumtamen ista fortuna frequenter magis abundat in improbis, ut dictum est copiose, et ex- Cf. p. 104 C', 124 A' et 8.
pressum est quare. *Num vulgus malam esse decernit?* id est, numquid vulgares judicant illam esse adversam? Ad quod Boetius : *Nequaquam ; verum* (pro sed) vulgus *censet* hanc fortunam quæ datur justis *esse optimam,* id est valde bonam, *uti* (id est sicut) *est,* quum tamen in veritate parvi sit ponderis comparatione spiritualium salutariumque bonorum. Vulgares autem et carnales præsentia et terrena magis quærunt, cupiunt et appretiantur, quam spiritualia, cœlestia et æterna, juxta illud Apostoli : Animalis homo non per- I Cor. ii, 14.
cipit ea quæ sunt Spiritus Dei. De quibus apostolus Judas : Hi sunt qui segregant Judæ 19.
semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Ad quod Philosophia : *Quid reliqua,* id est, quid dicendum de reliqua fortuna, illa scilicet quæ iniquis debetur, qui omni prosperitate indigni sunt, *quæ quum sit aspera, justo supplicio malos coercet,* id est, quæ fortuna quum sit adversa, dura et afflictiva, reprimit impios ab aliquibus vitiis, præsertim ab exterioribus factis, quamvis voluntatem pravam non auferat semper? *Num bonam populus putat?* id est, numquid plebs sæcularis reputat fortunam illam esse bonam? Ad quod Boetius : *Imo omnium (inquam) quæ excogitari possunt, judicat esse miserrimam.* In quo judicio apparet maxima excæcatio, insipientia et fatuitas populi, quum incomparabiliter major sit miseria, malitia et odibilitas culpæ quam pœnæ, atque damnationis tartareæ quam temporalis adversitatis.

Ad hoc Philosophia : *Vide igitur,* id est, attende et præcave, *ne* nos *sequentes opinionem populi,* id est vulgarium, *quid-*

dam valde inopinabile confecerimus, id est, videamur fecisse, sensisse, conclusisse prorsus aliquid irrationabile. — *Quid? inquam,* id est, ego Boetius quæro quid est hoc. — *Ex his enim (ait) quæ concessa sunt,* id est, Philosophia ait, Ex jam concessis secundum vulgi opinionem, *evenit,* id est, sequitur istud quod subditur : *eorum quidem,* id est certe eorum, *qui sunt vel in possessione virtutis,* id est in firma habitatione virtutum, ut potissime sunt perfecti, qui sunt in via unitiva, *vel in provectu,* id est in spirituali processu et quotidiano virtutum profectu, ut sunt proficientes, qui in via sunt illuminativa, *vel in adeptione* virtutum, ut sunt pœnitentes et incipientes, qui sunt in via purgativa, *omnem fortunam, quæcumque sit,* id est, qualiscumque sit illa fortuna, *esse bonam; omnem vero* fortunam esse *pessimam,* id est valde malam, *manentibus in improbitate,* id est, his qui manent in sua vitiositate.

Ad quod Boetius : *Hoc, inquam, verum est, tametsi nemo audeat confiteri,* id est, quamvis vix aliquis audeat publice dicere quod sit ita, præsertim ultimum istud, quod videlicet omnis iniquorum fortuna sit mala, quum multa prospera ipsis contingant, et multa adversa istis. Sed sicut adversa illa, quamvis secundum se non sint appetenda, sunt justis bona et salutaria, quoniam eis bene utuntur; sic prospera sunt iniquis adversa et vehementer nociva, quoniam his abutuntur et ad æternam damnationem ducuntur : sicque sunt bona in se, et mala per accidens.

Ex quibus infert Philosophia : *Quare, inquit, ita vir sapiens moleste ferre non debet,* id est, quum omnis fortuna justorum sit bona, idcirco « sapiens vir », qui passionibus et vitiis dominatur, non debet graviter sustinere, *quoties in fortunæ certamen adducitur,* id est, dum cadit in fortunam adversam : contra cujus adversitatem debet per patientiam ceterasque virtutes pugnare. Imo debet in adversitatibus gloriari, prout Jacobus dixit apo-

A stolus : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. *Jacob.* I, 2.
Nam, ut Vas electionis fatetur : Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. *Ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus,* id est, sicut virum habentem fortitudinem non solum corporalem, sed etiam eam quæ est virtus moralis cardinalis, non decet ægre suscipere, irrationabiliter moveri, quum inquietudo et strepitus præliorum ingruerit, præsertim quando est prælium B justum : imo debet esse pro bono communi, pro fidei defensione, pro similibus rationabilibus causis, ad mortem paratus. II *Tim.* II, 5.

Utrique enim, huic quidem gloriæ propagandæ, illi vero confirmandæ sapientiæ, difficultas ipsa, materia est. Id est, « difficultas ipsa » sustinendi dura et aspera seu fortunæ adversitatem, « est utrique », id est tam sapienti quam forti, « materia », id est objectum, causa et incitamentum boni majoris : « huic quidem », utpote forti, est materia « gloriæ C propagandæ », id est acquirendi famam præclaram longe ac late, quemadmodum de Juda Machabæo fortissimo scriptum est, Nominatus est usque ad novissimum terræ (fortes namque in bellis, fiunt famosi, quia in bellicis rebus est periculum vitæ et difficultas præcipua); « illi vero », utpote sapienti, est materia « sapientiæ confirmandæ ». Sapiens namque difficilia et gravia patiendo, fit magis expertus in spiritualibus bellis : per quod fit aptior consulere aliis, in se ipso quoque magis D attentus ad custodiam sui; sicque sapientia radicatur in ipso. Hinc in Ecclesiastico asseritur : Qui non est expertus, pauca recognoscit; vir in multis expertus, cogitabit multa. Verumtamen fortis non debet præliari principaliter intentione ac desiderio propriæ famæ, sed amore Dei et boni communis, et desiderio veræ salutis, ad gloriam Creatoris, quamvis dilatatio famæ concomitetur fortitudinis actum. I *Mach.* III, 9. *Eccli.* XXXIV, 10, 9.

Ex quo etiam virtus vocatur, id est, etiam idcirco non debet vir sapiens ex

fortunæ adversitate turbari aut dejici, quo- A niam virtus hinc nomen sortitur quod in adversis non frangitur nec succumbit quantum est ex parte ipsius, quamvis interdum ex subjecti fragilitate vincatur : ideo subditur, *quod suis viribus nitens,* id est, sua stabilitate, vigorositate utens et agens seu conans, *non superetur adversis.*

Ad idem subditur alia ratio, ac quædam salubris monitio.

Neque enim vos in provectu positi virtutis, id est vos viatores ac milites Dei, B Job vii, 1. quorum vita est militia super terram, qui estis constituti in virtutum « provectu », quia in Dei via et cultu non proficere, est deficere, *diffluere deliciis et emarcescere voluptatibus venistis :* id est, ad Dei servitium, ad legem Omnipotentis non ad hoc « venistis » neque vocati estis, neque ad hoc nati estis et in hoc mundo locati, ut resolvamini et vacetis « deliciis » carnis ac sæculi hujus, et emarcescatis, id est, spiritualiter arescatis amittendo rorem gratiæ, virorem virtutum, irrigationem C supernorum charismatum, « voluptatibus », id est inordinata delectatione. Hinc apud Jer. xxxi, 22. Jeremiam Dominus loquitur : Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga ? In hoc etenim mundo quasi in exsilio positi sumus, et tanquam in valle lacrimarum ac velut in carcere, ubi gemendo, flendo, Galat. v, 24. carnemque nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo (quia, ut ait Gregorius, Quod carnem delectat, spiritum necat), redire nos oportet ad paradisum deliciarum cœlestium. Hinc scriptum est D Judith viii, 23. in Judith : Omnes qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles. Act xiv, 21. Apostolus quoque : Per multas (inquit) tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. *Prælium* enim *nimis acre conseritis,* id est, merito inire ac gerere debetis, *cum omni fortuna,* id est omni eventu fortuito, tam prospero quam adverso, ut (juxta Apostolum) simus et II Cor. vi, 7. incedamus armati per arma justitiæ a dextris et a sinistris.

Ne vos aut tristis opprimat, id est, ne fortuna dura et aspera vos prosternat per tribulationem, impatientiam, tristitiam : imo in ea lætemur, sicut docuit Christus, Gaudete (inquiens) in illa hora, quoniam Matth. v, 12 ; Luc. vi, 23. merces vestra copiosa est in cœlis ; *aut jucunda corrumpat,* inducendo vos ad elationem vanamque gloriam, seu periculosam securitatem, quum in medio laqueorum versemur, et in mari hujus sæculi gradiamur per pontem, in quo de multis evadat vix unus. Ideo ait Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus. Prov. xxviii, 14. Et sanctus Job fassus est : Considerans Deum, timore sollicitor. Job xxiii, 15. Hinc sancti patres Leo et Augustinus affirmant : Hoc omni modo conatur diabolus, ut servum Dei prospera elevent, vel adversa dejiciant. Verum, ut deprompsit Hieronymus : Inter adversa et prospera miles Christi progreditur, nec adversis dejicitur, nec prosperis rebus extollitur ; non adulatione aut laudibus emollitur, nec vituperatione aut correptionibus dissipatur.

Firmis medium viribus occupate : id est, in omnibus apprehendite et tenete « medium » inter duo vitia extrema et inter errores contrarios, quum et ipsa virtus sit quædam medietas inter extrema peccata. Et hoc est medium per abnegationem (non per participationem) : de quo communiter dicitur, Medium tenuere Beati ; et, In medio consistit virtus. Et hoc facite « firmis viribus », id est toto conatu et omni industria. Non enim segni remissoque animo sed cum omni fervore et annisu studendum et insistendum est incremento sapientiæ ac virtutum, quum et Dominus in Apocalypsi protestetur : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex Apoc. iii, 16. ore meo. Unde et Paulus ad Hebræos hortatur : Non segnes efficiamini, neque Hebr. vi, 12 ; xii, 3. fatigemini animis vestris.

Quidquid aut infra subsistit, id est, infra medium virtutis consistit per defectum, non pertingendo ad rationem virtutis ex sua remissione, ut qui de suis peccatis habent attritionem, non contri-

tionem, *aut ultra progreditur,* id est, A
medium excedit versus majus, sicut qui
immoderate et ultra vires jejunat et abs-
tinet, *habet contemptum felicitatis,* id est,
meretur et recipit pœnam quæ felicita-
tis aspernationi debetur. Caret enim dis-
cretione, quæ est sal prudentiæ, de quo
Lev. II, 13. Deus in Levitico jussit : In omni oblatione
offeres sal. Cum discretione quippe opor-
tet nos omnia facere, sicut ad Romanos
Rom. XII, 1. ait Apostolus : Rationabile obsequium ve-
strum. *Non habet præmium laboris,* id
est boni et virtuosi conatus, de quo ad B
I Cor. XV, 58. Corinthios dicitur : Labor vester non est
inanis in Domino. Itaque oportet nos regia
Matth. VII, 14. via incedere, quæ est arcta via salutis,
manendo in medio. Quod tamen non est
indivisibile penitus, sed latitudinem ali-
quam habet : nam, ut in Ethicis ait Phi-
losophus, Non solum est bonus sagittator
qui tangit signum, verum etiam qui ab
ejus tactu non deficit multum. De qua
Is. XXX, 21. scriptum est : Hæc est via, ambulate in
ea, et non declinetis neque ad dexteram
neque ad sinistram. C

Postremo subjungitur alia ratio cur sa-
pientis sit non formidare fortunæ aspe-
ritatem. *In vestra est enim situm manu,*
id est, in potestate mentis ac liberi arbitrii
vestri constitutum est, *qualem vobis for-
tunam formare,* id est facere, *malitis :*
quia si ipsimet vultis, potestis omnem
fortunam facere vobis bonam et saluta-
rem, in prosperis gratias Deo humiliter
referendo, atque in adversis patientiam
firmiter observando, illa pro vestris pec-
catis libenter ferendo. Hinc subditur :
Omnis enim quæ videtur aspera, id est,
« omnis » fortuna « quæ aspera » et dura
esse « videtur », *nisi exercet, aut punit
aut corrigit* : id est, « aut punit » malos * nisi aut exercet aut corrigit, punit
et impœnitentes, quibus pro peccatis de-
bentur supplicia, « aut corrigit », id est,
purgat et ad meliora inducit incipientes,
sicut expositum est, « nisi exercet », id
est, si non exercet, id est, probat et ad
meliora assuefacit proficientes. Quod per
appropriationem intelligendum est, quo-
niam et perfecti pro suis venialibus quo-
tidianis aliquando puniuntur, et per ad-
versa exercentur : quemadmodum sanctus
Job dixit, Probavit me Dominus quasi au- Job XXIII, 10.
rum quod per ignem transit; et Tobias
loquitur, Benedico te, Domine Deus Israel, Tob. XI, 17.
quoniam tu castigasti et salvasti me. Con-
formiter de Moyse et Aaron psallimus :
Domine Deus noster, tu exaudiebas eos ; Ps. XCVIII, 8.
Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in
omnes adinventiones eorum. Denique istud
in nostra situm est potestate, non quod
possimus id meritorie adimplere sine su-
pernaturali adjutorio gratiæ gratum facien-
tis : qua supposita, possumus istud. Qui-
dam quoque philosophi per virtutes natura-
les acquisitas istud aliqualiter impleverunt,
sed imperfecte comparatione Sanctorum.

METRUM VII

Bella bis quinis operatus annis
Ultor Atrides, Phrygiæ ruinis
Fratris amissos thalamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela classi
Optat, et ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miserumque tristis
Fœderat natæ jugulum sacerdos.
Flevit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus vasto recubans in antro,
Mersit immani Polyphemus alvo ;
Sed tamen cæco furibundus ore,
Gaudium mœstis lacrimis rependit.
Herculem duri celebrant labores :
Ille Centauros domuit superbos ;
Abstulit sævo spolium leoni ;
Fixit et certis volucres sagittis ;

Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo læva (*al.* lævam) gravior metallo;
Cerberum traxit triplici catena;
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sævis dominum quadrigis;
Hydra combusto periit veneno;
Fronte turpatus Achelous, amnis
Ora demersit pudibunda ripis;
Stravit Antæum Libycis arenis;
Cacus Evandri satiavit iras;
Quosque pressurus foret altus orbis,
Setiger spumis humeros notavit;
Ultimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo, pretiumque rursus
Ultimi cœlum meruit laboris.
Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via. Cur inertes
Terga nudatis? Superata tellus
Sidera donat.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO HUJUS METRI SEPTIMI.

IN prosa præcedenti hortata est Philosophia homines ad repugnandum strenue vitiis, ut nec prosperis nec adversis a virtutum mediis abducantur. Jam in hoc septimo et ultimo hujus quarti libri metro admonet ad hoc, exemplo fortium trium virorum, qui pro vindicandis sceleribus perseveranter et fortiter laboraverunt.

Primum exemplum est de Agamemnone, fratre Menelai regis Græcorum, mariti Helenæ, quam ex consilio Veneris rapuit Paris filius regis Trojæ, frater Hectoris: qui Paris ingressus Græciam in specie mercatoris, cum nave onusta pretiosissimis mercibus, et ibidem insistens mercantiis, pervenit ad Helenæ alloquium, eamque in nave detulit secum in Trojam. Propter quod Menelaus cum fratre suo et aliis plurimis arripuit iter ad Trojam. Ingressique navem, non potuerunt procedere propter contrarietatem ventorum; quumque sacrificarent et deos suos consulerent, respondit sacerdos Dianæ, quod non possent procedere, nisi placarent Dianam immolatione filiæ Agamemnonis: qua in sacrificium interfecta, venti cessarunt. Aliqui tamen dicunt, quod Diana miserta puellæ adhuc virginis, propitiata fuit promptitudine voluntatis patris puellæ ac aliorum. Hoc tangit Philosophia, dicendo:

Atrides, id est frater Menelai, nomine alio dictus Agamemnon, *operatus bella,* id est, impugnationem continuans, *annis bis quinis,* id est per decem annos, quia tot annos ipse cum suis obsedit impugnavitque Trojam, *ultor* injuriæ fratris sui, quam ei intulerat Paris, auferens ei uxorem; *ruinis,* id est destructione, *Phrygiæ,* id est Trojæ situatæ in provincia Phrygiæ, *piavit,* id est, per districtam ultionem expurgavit, et quasi remissibilem fecit, *amissos thalamos fratris,* id est maritales amplexus fratris sui, quos amisit ablata ei conjuge sua. *Dum ille,* videlicet Atrides, *optat dare vela classi,* id est extendere ipsa « vela » seu carbasa navi, *Graiæ,* id est Græciæ, in qua fuit, *et redimit,* id est, cessare procurat, *ventos* contrarios navigationi, *cruore,* id est sanguine filiæ suæ, oblatæ realiter, vel quantum ad promptitudinem voluntatis; *exuit patrem,* id est viscera paterni affectus circa filiam, cujus occisioni acquievit pro bono communi, *sacerdosque* Dianæ *fœderat,* id est, pro fœdere seu reconciliatione Dianæ exponit, *miserum jugulum,* id est miserabilem jugulationem, seu guttur jugulatum, *natæ,* id est filiæ, *tristis,* videlicet filiæ Agamemnonis, quæ videns se jugulandam, fuit tristissima coram ara, sicut et omnes adstantes.

Sequitur secundum exemplum, de fortitudine Ulyssis, de quo dictum est supra. *Cf.* p. 474 et s. Ordo et sensus verborum est : *Ithacus,* id est Ulysses, qui binomius fuit, *flevit sodales amissos,* id est socios suos sibi violenter ablatos, *quos Polyphemus,* id est gigas sic dictus, *ferus,* id est crudelis, *recubans in antro vasto,* id est, quiescens et latens in spelunca ampla, ex qua insidiabatur navigantibus et iter agentibus, *mersit,* id est deglutivit, *alvo inani* *, id est in ventre suo esuriente et vacuato. *Sed tamen* Polyphemus *furibundus* de sua excæcatione, *rependit* materialiter et objective, *gaudium,* id est consolationem, *lacrimis mœstis,* id est dolorosæ lacrimationi Ulyssis, qui de sociorum suorum amissione lacrimans fuit, *cæco ore,* id est, Polyphemus ipse cum « cæco » suo « ore », id est directione ac beneficio visus privato, rependit gaudium istud Ulyssi. Vel sensus est, quod Polyphemus « rependit gaudium » Ulyssi « lacrimis mœstis », id est luctu proprio, quo luxit suam excæcationem sibi ab Ulysse inflictam.

* *immani*

Hic quippe Ulysses fuit unus principum obsidentium et evertentium Trojam : qui cum suo exercitu revertens navigio, navem egressus ad horam et rediens, invenit remiges et quosdam ex suis ablatos, et cognito quod gigas præfatus hoc fecit, atque ablatos occidit, assavit et manducavit, ingressus speluncam, invenit Polyphemum (ut dicitur) dormientem post lautam et copiosam refectionem; sicque ferro acuto eruit oculum ejus, qui et monoculus fuit, oculum unicum habens in fronte. Qui excæcatus, discurrit hinc inde furibundus ex magnitudine pœnæ, quærens eum a quo exstitit excæcatus : de cujus miseriis gloriabantur Ulysses ac sodales ejus.

Sequitur exemplum de fortitudine Herculis, et describuntur hic consequenter duodecim probitates *, id est fortia facta ipsius. Ordo et sensus verborum est :

* *Cf.* Cangii *Glossarium.*

Labores duri, id est gesta laboriosa, *celebrant,* id est, celebrem ac famosum A fecerunt, *Herculem,* virum fortissimum, quem gentiles inter deos constituerunt. *Ille,* utpote Hercules, *domuit,* id est vicit, *Centauros superbos :* quia (ut fertur) dum se quadam die exerceret in campo, vidit geminos Centauros in aqua ludentes, quos jaculo vulneravit; atque ut in Metamorphoseon nono ait Ovidius, Nessum Centaurum occidit. Porro Centaurus est monstrum a pectore sursum simile homini, inferius autem simile equo. Atque (ut recitatur) Ixion cum quibusdam robustis B equitibus Græciam infestavit : quos indocti quidam qui antea equites non viderunt, putabant esse quid unum, id est Centauros. Ixion quippe gigas dicitur usum equitandi primitus invenisse, et cum nonaginta novem familiaribus suis centum equis insedisse : inde Centauri vocati sunt, quia centum fuerunt, et instar auræ veloces, sic quod præ celeritate videbantur volare in aere. Quos et Hercules dicitur invasisse ac domasse. Hoc est primum forte et strenuum opus ejus.

C Secundum est, quod *abstulit leoni sævo,* id est feroci, *spolium,* id est prædam quam leo rapuerat, et ipsum peremit leonem : quemadmodum Samson et David fecisse scribuntur. *Judic.* XIV, 5. 6; I *Reg.* XVII, 34-36.

Tertium fuit, quod Hercules *et fixit* (id est transfixit) *volucres sagittis certis,* id est efficacibus, quæ suo effectu monstrabant se esse veras sagittas ; vel, « sagittis certis », id est specialibus, ad hoc formatis. Narratur equidem, quod Phineus rex ad suggestionem suæ uxoris excæcavit D filios suos ex conjuge sua prima, quia novercam suam accusarunt de stupro : propter quod et rex ipse fuit postea excæcatus. Deinde ad mensam ejus venire solebant Harpyiæ, id est aves vultum virgineum præferentes, alas vero et pedes instar gallorum, quæ mensam regis fœdabant : quas Hercules sagittis dicitur occidisse.

Quartum est, quod Hercules *poma rapuit,* id est abstulit, *draconi cernenti,* id est vigilanti, *gravior læva,* id est secun-

dum suam sinistram manum ipse Hercules « gravior », id est potentior, *metallo aureo*, id est auro : nam manu dextera dicitur interfecisse draconem, sinistra autem poma sumpsisse. Dicitur enim Atlas poma aurea habuisse in quodam horto : ad quorum custodiam deputavit draconem, ne ingredi quis auderet; sed Hercules fecit quod dictum est.

Quintum est, quod Hercules *traxit Cerberum catena triplici*. Unde fabulæ narrant, quod Hercules descendens ad inferos ut Theseum inde eriperet, primo ligavit janitorem inferni nomine Cerberum tribus catenis, secundum quod tria capita habuit.

Sextum est, quod ipse Hercules *victor*, id est victoriosus, *fertur posuisse pabulum sævis quadrigis immitem dominum*, id est Diomedem ferocem, qui receptos hospitio consuevit occidere, et occisos tradere suis equis ad comedendum : quo cognito, Hercules occidit eum, et tradidit occisum equis ad comedendum.

Septimum est, quod *Hydra periit*, id est, serpens sic dictus, ab Hercule est occisus, *veneno*, id est venenato capite ejus, *combusto*. Hydra namque exstitit serpens grandis, quem Hercules aggressus, præscidit ei caput; sed uno capite amputato, plura capita oriebantur serpenti : quod Hercules cernens, combussit illum. Et de isto, sicut et de aliis quibusdam prætactis, dictum est supra. *Cf.* p. 508 A et s.

Octavum est, quod *Achelous*, id est quidam vir fortis sic nominatus, *turpatus fronte*, id est deformatus facie, *ripis amnis*, id est sub aquis versus ripam, *demersit pudibunda ora*, id est vultum suum pudore suffusum. Hic etenim Achelous in diversas rerum figuras ac species videbatur mutari; quumque adversus Herculem præliaretur, transformabatur in taurum. Cui Hercules unum cornu extraxit : propter quod ille verecundatus, se abscondit sub aquis.

Nonum est, quod Hercules *stravit*, id est, in terram dejecit, *Antæum* gigantem

A *arenis Libycis*, id est in arenis Libyæ, quæ est regio sic vocata. Nam quoties Hercules stravit Antæum in terram, toties surrexit robustior : quod advertens Hercules, levavit eum in aera, et sic occidit levatum.

Decimum est, quod *Cacus*, id est filius Vulcani sic appellatus, *satiavit iras Evandri*. Cacus enim fuit valde robustus et callidus, et intulit multas molestias, furta et damna Evandro regi ac suis. Quem Cacum Hercules de sua extraxit spelunca,
B in qua latebat insidians, interfecitque Cacum. Quo occiso, quievit ira Evandri : quod materialiter fecit Cacus, Hercules vero efficienter.

Undecimum est, quod *Setiger*, id est aper ferens setas, *notavit*, id est, signavit et maculavit, *spumis* suis *humeros* Herculis, qui aprum illum occidit, *quos* humeros *altus orbis*, id est cœlum, *foret pressurus*, id est quieturus super eos, eo modo quo Atlas dicitur cœlum portasse, quia præcipuus fuit astronomus : qui fer-
C tur Herculem docuisse astronomiam; sicque Hercules dicitur succurrisse Atlanti in deportatione sustentationeque cœli. Et hoc est duodecimum opus, de quo subditur :

Hercules *collo* suo *irreflexo*, id est non curvato, *sustulit*, id est sustentavit, *cœlum* : quod fuit *ultimus labor* ejus. Vel, « ultimus labor », id est Hercules ultimo labore seu exercitio suo, « cœlum » portavit. Quod et per hyperbolen accipi potest, id est per excessum prolatum ad designandum magnitudinem fortitudinis Herculis.
D *Meruitque rursus cœlum*, id est poni in cœlo et inter deos gentilium computari, secundum æstimationem paganorum ipsorum, *pretium*, id est mercedem, *laboris* sui *ultimi*, utpote hujus duodecimi exercitii sui.

Hic Philosophia ex prætactis exemplis exhortationem inducit. *Ite nunc*, o vos homines, tanta exempla probitatis fortitudinisque habentes, *fortes*, id est, eundo estote fortes ac perseverantes, *ubi*, id est ad mansionem illam cœlestem ad quam,

via celsa, id est operatio seu conversatio sublimis, *exempli magni,* id est actuum exemplarium, præclarorum, *ducit. Cur inertes,* id est desidiosi, *nudatis terga* ad vacandum carnalibus ? Vel, « Cur nudatis terga », id est, fugiendo terga vestra ostenditis, quum tanta sit vobis merces disposita ? Nam *tellus superata,* id est affectus terreni suppeditati, victi, hoc est terrenorum contemptus virtuosaque gesta, *sidera donat,* id est, mansionem cœlestem et beatitudinem promeretur et obtinet.

De his ita pertranseo, quoniam nec delectant me ista poetica, pro magna parte conficta et fabulosa ; potuissetque Philosophia de his verissima recitasse exempla et gesta ex Scripturis divinis, multo ad inflammandum et ædificandum efficaciora.

Joannes. — Circa hæc merito quærendum videtur, quomodo intelligenda sint jam inducta de diis ac deabus gentilium : ut quod Diana adduxit ventum contrarium, et voluit expiari sacrificio et effusione sanguinis virginalis ; quod item Venus præcepit Paridi ingredi Græciam et tollere Helenam reginam ; et quod gigas contra Herculem pugnans, in varias transformabatur figuras ; et rursus quod Philosophia videtur innuere, viros istos, quorum nobis proponit exempla, beatitudinem esse adeptos.

Dionysius. — Ad hæc beatissimus Augustinus et alii sancti Patres atque doctores catholici plenissime responderunt, quod superbissimi ac vitiosissimi dæmones, qui supergloriosо Creatori voluerunt a principio inordinate assimilari, adhuc cupiunt et jugiter appetierunt divinos sibi impendi honores et sacrificia fieri ; ac Deo supersanctissimo justissime permittente, variis modis illuserunt gentilibus, apparendo in specie defunctorum, respondendo per idola impia, instruendo, et sanando quosdam infirmos, ab inflictis incommodis magis cessando quam vere sanando, aut etiam naturalia activa et passiva multipliciter applicando, ad confirmandum idololatriæ aliorumque vitiorum errores. Hinc constantissime atque certissime protestamur, sentimus ac dicimus, quod omnes illi dii ac deæ gentilium de quibus sciscitatus es, homines vitiosi sunt atque æternaliter condemnati, quamvis quidam eorum virtutes quasdam habuerint acquisitas, ut Hercules et Minerva. Nonne Jupiter rex Cretæ patrem suum Saturnum expulit regno, et propriam suam sororem Junonem sumpsit uxorem, et adulteriis irrefrenate vacavit ? Cujus filiæ erant impudica Diana et immundissima adultera Venus, meretricii dea. Hercules demum ceteris quodammodo melior, furia actus, propriam interfecit uxorem ac sobolem, ac tandem peste infectus atque impatientia victus, se ipsum præcipitavit in ignem. Nonne divini et gloriosi Apostoli gentilibus visibiliter ostenderunt dæmones qui per idola responderunt ? Nec potuerunt dii illi ac deæ resistere Christi discipulis, ipsorum culturam toto orbe terrarum annihilantibus.

Denique verba Philosophiæ non intendunt quod dii illi ac deæ per gesta præfata et consimilia salutem veram adepti sint, sed quod fideles eam sint adepturi, si opera bona ex genere strenue exsequantur ex caritate. Nec unquam potuit quis sine fide, spe et caritate salvari, etiam nec infans cujus fuit unius diei vita super terram, quum et Apostolus protestetur, Sine fide impossibile est placere Deo ; et caritas vestis sit nuptialis, sine qua nemo cœlestis Sponsi nuptias supercœlestes ingredi poterit, sine qua homo spiritualiter nihil est, etiam si linguis angelorum loquatur et hominum. Postremo, quod homo in diversas figuras corporaliter veraciterque nequeat transformari, sed magicis artibus tantum, id quoque declaratum est supra.

Job xiv, 4, 5, juxta LXX.
Hebr. xi, 6.
Matth. xxii, 11-13.
I *Cor.* xiii, 1, 2.
Cf. p. 476 D et s.

ENARRATIONES IN LIBRUM V

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

ENARRATIONES IN LIBRUM V

DE

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

PROSA PRIMA

DIXERAT, orationisque cursum ad alia quædam tractanda atque expedienda vertebat. Tum ego : Recta quidem (inquam) exhortatio, tuaque prorsus auctoritate dignissima. Sed quod tu dudum de providentia quæstionem pluribus aliis implicitam esse dixisti, re experior. Quæro enim, an esse aliquid omnino et quidnam esse casum arbitrere. — Tum illa : Festino (inquit) debitum promissionis absolvere, viamque tibi qua patriam reveharis, aperire. Hæc autem, etsi perutilia cognitu, tamen a propositi nostri tramite paulisper aversa sunt ; verendumque est ne deviis fatigatus, ad emetiendum rectum iter sufficere non possis. — Ne id (inquam) prorsus vereare : nam quietis mihi loco fuerit, ea quibus maxime delector, agnoscere ; simul quum omne disputationis tuæ latus indubitata fide constiterit, nihil de sequentibus ambigatur.

— Tum illa : Morem (inquit) geram tibi. Simulque sic exorsa est : Si quidem (inquit) aliquis eventum temerario motu nullaque causarum connexione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et præter subjectæ rei significationem, inanem prorsus vocem esse decerno. Quis enim, coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse ullus temeritati reliquus potest? Nam nihil ex nihilo exsistere, vera sententia est, cui nemo unquam veterum refragatus est : quanquam id illi non de operante principio, sed de materiali subjecto, hoc est de natura omnium rationum, quasi quoddam jecerint fundamentum. At si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse videbitur. Quod si hoc fieri nequit, nec casum quidem hujusmodi esse possibile est, qualem paulo ante definivimus. — Quid igitur? inquam. Nihilne est, quod vel casus vel fortuitum jure appellari queat? An est aliquid (tametsi vulgus lateat) cui vocabula ista conveniant? — Aristoteles meus id (inquit) in Physicis et brevi et veri propinqua ratione definivit. — Quonam (inquam) modo? — Quoties (ait) aliquid cujuspiam rei gratia geritur,

aliudque, quibusdam de causis, quam quod intendebatur, obtingit, casus vocatur : ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur fortuito quidem creditur accidisse ; verum non de nihilo est : nam proprias causas habet, quarum improvisus inopinatusque concursus casum videtur operatus. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loci pecuniam suam depositor obruisset, aurum non esset inventum. Hæ sunt igitur fortuiti causæ compendii, quod ex obviis sibi et confluentibus causis, non ex gerentis intentione, provenit. Neque enim vel qui aurum obruit, vel qui agrum exercuit, ut ea pecunia reperiretur intendit ; sed (uti dixi) quo ille obruit, hunc fodisse convenit atque concurrit. Licet igitur definire casum, esse inopinatum, ex confluentibus causis, in his quæ ob aliquid geruntur, eventum. Concurrere vero atque confluere causas facit ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit.

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS PRIMÆ.

POSTQUAM in præcedentibus quatuor libris Philosophia, tanquam industriosa fidelisque medica, dispositionem desolationemque Boetii et causas earum scrutata est et cognovit, medicinasque paulatim fortiores et altiores adhibuit, atque in quibus beatitudo vera non sit posita et deinde in quibus consistat, evidenter probavit, sicque tandem in quarto libro de fato et providentia disputavit ; nunc in hoc quinto et ultimo libro adhibet ipsi Boetio, tanquam spiritualiter jam curato et de suis adversitatibus consolato, medicinam validius confortativam et a recidivo præservativam, tractando de quibusdam materiis, utpote : qualiter simul stent certa et invariabilis providentia Dei et casus incertus ac libertas arbitrii ; de ipsa quoque æternitate, et ceteris, sicut patebit. Itaque Boetius ad præinducta continuans ea quæ restant, ait :

Dixerat, id est, Philosophia jam compleverat quæ in præcedentibus libris contenta sunt, *orationisque cursum ad alia quædam tractanda atque expedienda vertebat,* hoc est, Philosophia dirigebat processum celerem sui sermonis ad discutienda et terminanda « alia quædam », id est quasdam materias differentes a præinductis de fato et providentia. *Tum ego* Boetius dixi : *Exhortatio quidem,* id est pro certo præmissa admonitio tua de jugi et strenua exsecutione virtutum, est *recta,* id est vera et salutaris, ad felicitatem rite directa, *tuaque prorsus auctoritate dignissima,* id est valde digna ob tuam auctoritatem et decens eamdem, quoniam sapientem, præsertim ipsam sapientiam, non decet proferre nisi salubria et sapientialia verba. Propter quod in Proverbiis asseritur : Torrens redundans fons sapientiæ. Et *Prov.* XVIII, 4. denuo Salomon loquitur : Pretiosi spiritus *Ibid.* XVII, 27 ; XV, 2. vir eruditus ; os autem fatuorum ebullit stultitiam. Nec hoc mirum, quia, ut ait Salvator : Ex abundantia cordis os lo- *Matth.* XII, 34. quitur.

Sed experior, id est, experimentaliter nosco, *re* ipsa, id est per evidentiam facti, verum esse *quod tu,* Philosophia, *dixisti dudum,* videlicet libro quarto, *quæstionem*

de providentia Dei *esse implicitam,* id est involutam et annexam, *aliis pluribus,* id est multis aliis difficultatibus ac dubiis, Cf. p. 507 C' et s. sicut expositum est. *Quæro enim,* id est, hoc ego interrogo, *an arbitrere,* id est, utrum arbitreris, putes seu judices, *casum esse omnino,* id est simpliciter et absolute, *aliquid* in rerum natura, *et quidnam esse,* id est, quid existimes esse casum, id est fortunam. Quamvis enim casus et fortuna, secundum Philosophum secundo Physicorum, habeant se ut genus et species, ut Cf. p. 168 D'. supra tactum est; hic tamen casus pro fortuna accipitur. Merito demum Boetius Cf. p. 509 D et s. istud quærit, quia ex dictis in prosa sexta libri quarti, sequi videtur, quod tam providentia Dei quam fatum per respectum ad invariabilem providentiam Dei, prorsus excludant casum atque fortunam et omnem casualem fortuitumque effectum.

— *Tum illa inquit,* id est, tunc Philosophia respondit : Ego *festino absolvere,* id est persolvere, exsequi et implere, *debitum promissionis,* id est debitam promissionem, seu debitum ad quod obligor ex Cf. p. 440 C et s. promissione, juxta illud : Omne promissum cadit in debitum. Hoc vero promissum, est declarare adhuc aliqua providentiam concernentia, atque quod subditur : et *aperire tibi,* id est docere te clare, *viam,* id est doctrinam, virtutem, modum ac medium, *qua revcharis,* id est revertaris, *patriam,* id est paradisum cœlestem, seu mentis tranquillitatem æternitatisque pacem. *Hæc autem, etsi perutilia cognitu,* id est, ista quæ quæris de casu, quamvis sint multum utilia ad sciendum, ne quis putet providentiam seu fatum excludere fortunam et casum, *tamen a propositi nostri tramite paulisper aversa sunt,* id est, aliena sunt a processu et via nostri principalis intenti, quod fuit ea describere quæ consolatoria sunt afflictis ; *verendumque est,* id est formidandum, *ne deviis fatigatus,* id est, ne tu lassatus quæstionibus et responsionibus impertinentibus huic proposito et abducentibus a principali intento, *ad emetiendum rectum iter sufficere non possis,* id est, non valeas satis fortis consistere ad pertranseundum « rectum iter », id est investigationem et apprehensionem pertinentium ad principale propositum.

— *Ne id (inquam) prorsus vereare,* id est, ego Boetius dico, Philosophia, ne verearis hoc prorsus, id est, omnino non timeas hoc. *Nam ea quibus maxime delector, agnoscere,* hoc est, scire ea in quibus præcipue delector interiori lætitia, *fuerit,* id est erit, *mihi loco quietis,* id est quies et repausatio, non labor. Consideratio enim veritatis, per se delectat. Ideo Seneca dixit : Qui sine tristitia vivere cupit, philosophiæ insistat. *Simul quum omne disputationis tuæ latus,* id est, quia etiam id quod ad tuam disputationem collateraliter, incidentaliter seu correlative se habet, *indubitata fide constiterit,* id est, certum mihi erit « fide indubitata », id est firmo consensu (sicque fides hic sumitur non prout est theologica virtus, aut evidentiam veritatis excludens, sed pro firmo assensu communiter, sive innitatur auctoritati sive rationi : sicut quum dicitur, Argumentum est ratio, rei dubiæ faciens fidem), *nihil de sequentibus ambigatur,* id est, idcirco nil dubitetur « de sequentibus », id est de dicendis a te, quin ea diligenter advertam.

— *Tum illa inquit,* id est, Philosophia dixit : *Geram tibi morem,* id est, faciam tibi ut consuetum est mihi, et conformabo me tuo affectui condescendamque tibi quantum fas est, quum similitudo sit causa amoris. *Simulque sic exorsa est,* id est, incepit pariter sic loqui :

Si quidem (inquit) aliquis casum esse definiat, id est, « si aliquis » affirmet « casum esse », *eventum,* id est effectum, *productum motu temerario,* id est processu inordinato, improvido, et *connexione causarum nulla,* id est absque omni connexione et ordine causarum ; *nihil omnino casum esse confirmo,* id est, casum sic definitum et sumptum dico non esse aliquid in re, *et præter rei subjectæ significatio-*

nem, inanem prorsus vocem esse decerno, A id est, judico casum sic definitum, « esse vocem prorsus inanem », id est nomen cui nil correspondet in re : ideo additur, « præter rei subjectæ significationem », id est nomen carens significatione rei substratæ et correspondentis significationi, ut hoc nomen, Chimæra. Sicque Epicurei definierunt et esse dixerunt casum. Contra quos subditur :

Quis enim potest esse ullus (id est aliquis) *locus reliquus,* id est residuus, *temeritati,* id est inordinato temerarioque B eventui, et hoc dico, *Deo* per suam providentiam *coercente* (id est, constringente et comprehendente) *cuncta* quæ fiunt *in ordinem,* id est sub ordinata et justa seu condecente causarum coordinatione et connexione, quoad suam prævisionem ? ut patuit prosa sexta libri quarti. [Cf. p. 518 C et s.]

Nam nihil ex nihilo exsistere, vera sententia est, id est, vera doctrina est quod « nihil » constat « ex nihilo », id est, quod res nulla producta est a non ente seu non causa : imo producere seu causare C præsupponit esse. *Cui nemo unquam veterum,* id est antiquorum philosophorum, *refragatus est,* id est, restitit aut contradixit huic sententiæ. Unde primo Physicorum habetur, quod philosophantes maxime horruerunt concedere ex nihilo aliquid fieri : imo effectus et causæ dicuntur ad invicem relative, sicut Creator et creatura. Philosophi tamen hoc intellexerunt de causa materiali, non de causa efficiente. Ideo subditur : *quanquam,* id est quamvis, *illi* antiqui *id jecerint,* id est, hoc D dictum, utpote ex nihilo nihil fieri, posuerint, *quasi quoddam fundamentum omnium rationum de natura,* id est argumentationum et inquisitionum quæ fiunt et sunt « de natura », id est de naturalibus rebus ; seu, « omnium rationum », id est scientiarum, « de natura », id est naturalium ; *non de principio operante,* id est non de causa efficiente, *sed de materiali subjecto,* id est de materia prima seu proxima, quæ est subjectum materiale in quod et circa quod et ex quo agit causa efficiens. Quod etiam verum est loquendo de operatione seu actione quæ fit per motum, non de ea quæ est per primam et simplicem emanationem, quæ non præsupponit nisi causam efficientem, ut Avicenna et Algazel in pluribus locis scripserunt. Unde et Plato in primo Timæi fatetur : Nihil fit cujus ortum legitima causa et ratio non præcedat. In Job quoque habetur : Nihil in terra sine causa fit. [Job v. 6.]

At si nullis ex causis aliquid oriatur, id est, « si aliquid » producatur « ex nullis causis », id est sine omni causa, præsertim efficiente, de qua jam est sermo, *id de nihilo ortum esse videbitur,* id est sine effectivo principio. *Quod si hoc fieri nequit,* id est, quia impossibile est hoc accidere, *nec possibile est quidem,* id est certe, *casum esse hujusmodi,* id est talem esse, *qualem paulo ante definivimus* eum esse, hoc est, qualem nunc in prosa hac ipsa diximus eum ab Epicureis definiri, utpote quod sit eventus temerario motu sine causarum connexione productus : ita quod motus ille dicatur temerarius, quum non dirigatur aliqua causa sapienter ac ordinate agente, quia a tali causa negat Epicurus mundum gubernari, seu etiam esse productum, sed potius ex fortuitu atomorum concursu.

Ad hæc Boetius : *Quid igitur? inquam,* id est, quæro quid ergo dicis esse casum. *Nihilne est,* id est, an sit aliquid, *quod vel casus vel fortuitum jure appellari queat,* id est, quod rationabiliter possit vocari casus seu casuale ? *An est aliquid cui vocabula ista conveniant,* id est, utrum sit « aliquid » in rerum natura seu aliqua res « cui conveniant ista vocabula » casus et casuale, *tametsi,* id est quamvis, *lateat vulgus,* id est vulgares et imperitos ?

Ad quod Philosophia : *Aristoteles meus,* id est inter alumnos et professores meos præcipuus, *id (inquit) definivit,* id est, determinavit « id » quod quæris, *in Physicis,* secundo videlicet Physicorum, *ratione,*

id est descriptione, *et brevi et veri propinqua,* A id est vicina veritati : non quod ratio Aristotelis in hac re aliquid contineat falsitatis, sed quoniam non est satis perfecta, exponendo qualiter fortuna seu casus in divina providentia certam habeat connexionem causarum. — *Quonam (inquam) modo ?* id est, ego Boetius dico et quæro « quonam modo », id est, quo utique modo Aristoteles casum definivit.

— *Quoties (ait) aliquid cujuspiam rei gratia geritur,* id est, Philosophia ait, Quoties agitur aliquid causa seu intentione B alicujus rei, *aliudque, quibusdam de causis, obtingit,* id est, et alter effectus consequitur et contingit, *quam quod intendebatur, casus vocatur,* id est, causa per accidens illius effectus dicitur casus ; vel, « casus », id est casualis effectus, « vocatur » effectus ille non intentus. Quemadmodum autem fortuna quandoque accipitur pro effectu fortuito, quandoque pro causa per accidens illius effectus, ita et casus. Deinde subditur horum exemplum notorium et commune. *Ut si quis fodiens humum,* C id est, sicut si aliquis fodiens terram, *causa agri colendi,* id est intentione seminandi fecundandique agrum, *inveniat pondus auri defossi,* id est occultati sub terra.

Hoc igitur fortuito quidem creditur accidisse, id est, inventio ista thesauri putatur evenisse fortuitu, casualiter : imo et ita est respectu ejus qui per intentionem propriam thesaurum hujusmodi abscondit. *Verum non de nihilo est,* id est, inventio illa non est sine causa, imo nec sine causa D certa ac præintenta, respectu providentiæ Dei omnia ordinantis et præintuentis et connectentis. *Nam proprias causas habet,* utpote auri absconsionem in agro, et fossionem agri in loco illo, *quarum concursus,* scilicet causarum connexio (quamvis una præteriit quantum ad suum esse reale et actuale, puta defossio; virtualiter tamen manet, præsertim in intellectu divino omnia disponente), *improvisus,* id est non præcognitus neque intentus ab inventore pecuniæ, et *inopinatus,* id est insperatus nec præcogitatus, *casum videtur operatus,* id est, causa est ipsius casus seu casualis effectus. Casus quippe pro fortuna acceptus, est realiter practicus intellectus, qui est causa per se fossionis, et causa per accidens inventionis thesauri, ut dictum est supra. *Nam nisi cultor agri humum* *Cf.* p. 168 C et s. *foderet,* id est, nisi agricola seu arator everteret terram, et *nisi depositor,* id est absconditor thesauri, *pecuniam suam eo loci obruisset, aurum non esset inventum,* id est thesaurus ille, tam improvise.

Hæ sunt igitur fortuiti causæ compendii, id est, istæ sunt causæ effectus celeriter provenientis et expedite, hoc est repente et improvise, *quod* compendium casuale *provenit,* id est, oritur et causatur, *ex causis obviis sibi,* id est mutuo obviantibus modo præfato, *et confluentibus,* id est concurrentibus actualiter aut virtualiter, aut quantum ad suos effectus, sicut effectus defossionis est situatio thesauri sub terra, *non ex intentione gerentis,* id est non ex proposito invenientis thesaurum, seu particularis agentis. *Neque enim vel qui aurum obruit,* id est, sub terra abscondit, *vel qui agrum exercuit,* id est, evertit, aravit seu fodit, *ut ea pecunia reperiretur intendit,* id est, nullus eorum intendebat ibi inveniri pecuniam occultatam : quamvis interdum ex intentione pecunia quæratur et inveniatur sub terra ; sed tunc non est casualis effectus. *Sed uti* (id est sicut) jam *dixi, convenit,* id est, in unum seu pariter venit, *atque concurrit, hunc fodisse* in loco *quo ille,* id est alius, *obruit,* id est, gazam celavit.

Ex his concludit et infert Philosophia definitionem casus prout nunc sumitur. *Licet igitur definire casum, esse inopinatum eventum,* id est, licitum est casum sic definire : casus est inopinatus, id est improvisus, eventus, id est effectus, *in his,* scilicet rebus seu factis, *quæ geruntur,* id est fiunt, *ob aliud *,* id est propter alium finem intentum, *ex causis confluentibus,* id est, concurrentibus et coope-

* *aliquid*

rantibus ad eumdem effectum, non tamen A connexionem habentibus quantum ad particularium causarum notitiam. Porro Aristoteles addit, extra frequenter et semper : quod subintelligi potest in nomine isto, « inopinatum », quia quod sæpe contingit, incipit intendi et præcogitari. Chalcidius quoque Ecclesiæ Romanæ * diaconus, in commento super Timæum Platonis concordat, definiendo casum et fortunam prout ab invicem distinguuntur : Casus est concursus simul ac pariter accidentium sine ratione causarum, in carentibus vita, B vel animalibus mutis. Fortuna vero est concursus simul cadentium causarum duarum, originem ex proposito trahentium : ex quo concursu provenit aliquid præter spem cum admiratione.

* Carthaginensis

Consequenter docet Philosophia, quod concursus ille causarum non est penitus non intentus, ut Epicurei æstimabant. *Concurrere vero atque confluere causas facit ordo ille,* id est series fati, *procedens,* id est, processum habens in suis effectibus, *connexione* causarum *inevita-* C *bili,* id est immutabili per respectum ad Providentiam, ex qua fluit, ut dictum est sæpe. Hinc sequitur : *qui de providentiæ fonte descendens,* id est, ex divina providentia oriens ac rebus inhærens, *cuncta suis locis temporibusque disponit,* id est, universa in creatis ordinat, agit et nectit loco et tempore opportuno et præfixo, sumendo locum et tempus extense, prout se ad locum definitivum et tempus discretum extendunt : in quo loco et tempore etiam angeli esse dicuntur.

Cf. p. 518 B et s.

In his non videtur restare aliud ad dicendum, nisi ut declaretur qualiter simul sunt inevitabilis iste ordo causarum ac necessarius nexus earum, et mutabilitas fortuitorum effectuum atque libertas arbitrii. Ex his namque sequi videtur, quod nihil sit casuale neque fortuitum secundum rei veritatem et ex sua natura, sed solum quantum ad nos, propter imperfectionem ac defectum nostræ notitiæ : sicque omnia necessarie evenirent. Hoc ergo, qualiter scilicet simul illa sunt, infra diligentissime atque clarissime ostendetur.

METRUM PRIMUM

Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
   Pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt,
   Et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coeant, cursumque iterum revocentur in unum,
   Confluat alterni quod trahit unda vadi,
Conveniant puppes et vulsi flumine trunci,
   Mixtaque fortuitos implicet unda modos :
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,
   Gurgitis et lapsi defluus ordo regit.
Sic quæ permissis fluitare videtur habenis,
   Fors patitur frenos, ipsaque lege meat.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO METRI HUJUS PRIMI.

IN hoc primo hujus libri quinti metro, declarat Philosophia per quædam exempla quod in fine prosæ præcedentis dixit de casu, quod ex pluribus concurrentibus oritur causis, quæ ex uno fonte, videlicet ex divina providentia, oriuntur, et rursus reducuntur et uniuntur in illa. Sic quippe duo magni fluvii, utpote Tigris et Euphrates, ex uno fluunt fonte paradisi, quamvis interdum ex aliis locis videantur procedere, secundum quod hinc inde absorbentur a terra. Itaque ordo et sensus verborum est : (*Gen.* II, 14.)

Tigris, id est flumen illud impetuosum velociterque decurrens, *et Euphrates,* id est alius fluvius ex paradiso emanans, *resolvunt se,* id est, scaturiunt et ab invicem dividunt se, ex *uno fonte, scopulis,* id est inter scopulos et saxa, *rupis Achæmeniæ,* id est rupis exsistentis in regione sic dicta, ubi sunt saxei montes, ex quorum uno fons effluit, ex quo derivantur hi fluvii, qui originaliter fluunt ex paradiso, ut in libro Geneseos patet, *ubi,* id est in qua Achæmenia exsistente in Chaldæa, *pugna fugax,* id est turba plebis illius pugnans et vulnerans fugiendo, *versa,* id est tergum vertens ad hostes, *figit spicula,* id est, infigit tela et jacula, *pectoribus sequentum,* id est corporibus hostium insequentium eos. Habet enim gens illa consuetudinem hanc, ut prælio imminente callide fugiant, et fugiendo retrorsum ejiciant tela et jacula, per quæ vulnerant insequentes. *Et* Tigris ac Euphrates *dissociantur,* id est, in duo flumina dividuntur, *mox aquis abjunctis,* id est, statim dum aquæ ex uno fonte erumpentes, incipiunt per duo currere loca.

Si coeant, id est, iterum colligantur in A unum, *iterumque revocentur in unum cursum,* ita quod concurrendo fiant denuo unum flumen : quod raro contingit; *confluat,* id est, in unum currat aliquid ex utroque flumine, *quod unda vadi alterni,* id est aqua utriusque fluminis, *trahit,* id est, per semitam suam deducit; *conveniant puppes,* id est, naves utriusque fluminis confluant et congregentur sicut et aquæ per quas procedunt (vel, « conveniant », id est, mutuo sibi occurrant), *et trunci vulsi flumine,* id est, arbores vi fluminum eradicatæ B conveniant; *undaque mixta,* id est collecta ex ambobus illis fluminibus, *implicet,* id est, includat et intra se habeat, *modos fortuitos,* id est motus et inundationes varias et casuales. *Quos tamen casus vagos,* id est incertos fluctus et motus fortuitos, subaudi, regunt, id est, moderantur et causant, *ipsa declivia,* id est declivitas, *terræ* super quam aqua decurrit, unde et elevationes depressionesque habet, *et regit defluus ordo gurgitis lapsi,* id est situs fluminis deorsum currentis, exsistens C non in quiete, sed in defluxu assiduo : ex quo situ seu ordine causatur motus ille aquarum fortuitus.

Sic, id est, sicut jam dictum est de varietate motuum duorum fluminum concurrentium et collectorum, *fors,* id est fortuna, *quæ videtur fluitare,* id est varios et incertos processus et actus habere, secundum quod inopinate et ex causis per accidens concurrentibus oritur, et hoc dico, *habenis,* id est regiminibus suæ instabilitatis ac varietatis, *permissis,* id est suæ D naturæ relictis; *patitur frenos,* id est moderationes et repressiones juxta dispositionem et præordinationem divinæ providentiæ: ideo subditur, *ipsaque,* utpote fors seu

fortuna, *meat*, id est, procedit et operatur, *lege*, id est jussione, dispositione seu præordinatione Providentiæ increatæ.

At vero posset hoc metrum mystice explanari, et pulcherrima documenta proferri : quod tamen sine grandi difficultate et prolixitate extenuationeque litteræ non videtur fieri posse, et forsan tædium magis quam fructum nondum spiritualibus generaret ; idcirco pertranseo.

PROSA II

ANIMADVERTO, inquam, idque uti tu dicis, ita esse consentio. Sed in hac cohærentium sibi serie causarum estne ulla nostri arbitrii libertas, an ipsos quoque humanorum motus animorum fatalis catena constringit? — Est, inquit. Neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adsit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet judicium quo quodque discernat : per se igitur fugienda optandave dignoscit. Quod vero quis optandum esse judicat, petit ; refugit vero quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi nolendique libertas. Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo. Nam supernis divinisque substantiis, et perspicax judicium, et incorrupta voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas. Humanas vero animas, liberiores quidem esse necesse est quum se in mentis divinæ speculatione conservant ; minus vero, quum dilabuntur ad corpora ; minusque etiam, quum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, quum vitiis deditæ, rationis propriæ possessione ceciderunt. Nam ubi oculos a summæ luce veritatis ad inferiora et tenebrosa dejecerint, mox inscitiæ nube caligant, perniciosis turbantur affectibus : quibus accedendo consentiendoque, quam invexere sibi, adjuvant servitutem, et sunt quodammodo propria libertate captivæ. Quæ tamen ille ab æterno cuncta prospiciens, Providentiæ cernit intuitus, et suis quæque meritis prædestinata disponit : πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS SECUNDÆ.

IN hac prosa prosequitur Philosophia unum de præcipuis quæstioni de providentia divina ac fato annexis, puta libertatem, qualiter stet cum immobili et invariabili providentia Dei.

Animadverto, inquam, id est, ego Boetius mente adverto quæ dicis, *idque* quod tu dicis de providentia, fato, casu, fortuna, *consentio ita esse uti tu dicis,* et circa ea hanc moveo quæstionem : *Sed,* o Philosophia, *estne ulla,* id est, utrum est aliqua, *libertas nostri arbitrii,* id est nostri mentalis judicii seu voluntatis, *in serie hac,* id est connexione et ordine,

causarum cohærentium sibi, id est mutuo A conjunctarum quantum ad intuitum præordinationemque Dei, *an fatalis catena,* hoc est utrum dispositio atque connexio fati, *constringit,* id est, coarctat et quadam necessitate regit et comprehendit, *ipsos quoque motus,* id est effectus et actus, *animorum humanorum,* id est cordium voluntatumque hominum?

— *Est, inquit,* id est, Philosophia respondit, Aliqua est in homine libertas arbitrii. Et hoc in nobis certissime experimur : ideo stultum est oppositum opi- B nari. *Neque enim fuerit rationalis ulla natura,* id est, nulla fuit aut est creatura rationalis in naturalibus recte disposita, *quin eidem libertas adsit arbitrii,* quum sit naturalis vis sive perfectio totam consequens speciem creaturæ rationalis ac intellectualis.

Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet judicium, id est vim judicativam seu actum judicandi tempore opportuno, *quo quodque discernat,* id est, quo judicio possit discerni seu judicari C unumquodque quod ad suum pertinet statum. *Per se igitur fugienda optandave dignoscit :* id est, rationalis natura per naturalem sui intellectus potentiam agnoscit actu, habitu aut potentia, quid sit fugiendum, quid optandum, utpote, quod beatitudo sit summe optanda, et propria sua perfectio ac virtutes, et necessaria vitæ; miseria vero damnationis ac vitia sint sibi vitanda. Inest enim homini habitus primorum principiorum, tam speculabilium quam operabilium : ex quibus D habitibus potest procedere ad particularia bona et mala cognoscenda, prosequenda aut fugienda. Sed quia ad supernaturalem beatitudinem conditi sumus, ideo et supernaturalem legem habemus, et adjutorio gratiæ indigemus ad bene vivendum, et supernaturalibus documentis ad judicandum idonee; jamque in his copiose instructi consistimus in Scripturis, et libris Sanctorum atque catholicorum doctorum.

Quod vero quis optandum esse judicat pleno et sufficienti judicio, præsertim caritate formato, *petit,* id est, appetit et prosequitur, seu obtinere conatur. Verumtamen multi sunt qui rationis judicium non sequuntur, imo passionibus et peccatis a salubri proposito, a divino instinctu, a recto judicio retrahuntur : quorum judicium non est efficax et perfectum, nec approbativum boni sinceriter. *Refugit vero quod existimat esse fugiendum,* id est, declinat et vitat quod judicat sibi esse nocivum ac malum. Sed contra hoc esse videtur, quod aliqui peccant ex certa scientia, scientes se agere vitiose. Verum ad hoc responsum est supra. Sciunt nam- *Cf.* p. 303 A et s.
que in universali, sed in particulari judicant male; et quod damnabile est optant et apprehendere enituntur, in quantum apprehendunt illud ut bonum delectabile, utile, seu honestum. Ideo, juxta divinum *Cf.* t. XV, p. 452 D.
Dionysium ac Philosophum, omnis peccans est ignorans; et Salomon dixit : Via *Prov.* XII, 15.
stulti recta in oculis ejus.

Quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi nolendique libertas, id est liberum arbitrium. Ratio namque est potentia inorganica, non determinata ad unum sicut sunt naturales vires organis inhærentes : attamen primis principiis per se notis non potest non consentire; evidentia quoque demonstrationis constringitur.

Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo. Hic Philosophia declarat, quod libertas arbitrii diversis intellectualibus creaturis diversimode inest ac competit; et est sensus : « Sed » ego Philosophia « constituo », id est, dico ac doceo, « hanc » libertatem « non esse æquam », id est æqualem, « in omnibus » suis subjectis.

Nam et judicium perspicax, id est clarum, promptum, non impeditum, imo nec discursivum neque fallibile, *et voluntas incorrupta,* id est ab omni læsione peccati, ab omni errorum caligine et ab ignorantia omni culpabili aliena et immunis, *et efficax potestas optatorum,* id est vis idonea implendi seu obtinendi optata, *præsto est,*

id est, in promptu ac realiter inexsistens A est, *supernis divinisque substantiis*, id est substantiis separatis, seu intelligentiis et angelis : quæ dicuntur supernæ, quia in ordine creaturarum supremæ sunt, et in summo cœlorum beatifice manent. Sunt item divinæ, quoniam Creatori similiores ac magis vicinæ : unde, secundum divi- De Cælest. hier. c. XI, v. 1. num Dionysium, intellectus deiformis competit illis. Propter quod in Ezechiele an- *Ezech.* XXVIII, 12. gelus summus signaculum similitudinis appellatur. Propter quod etiam asserit Augustinus, quod Deus creavit angelum B prope se, materiam prope nihil. Itaque, quanto angeli sancti sunt excellentioris naturæ, tanto perfectiones istæ eminentiori modo exstant in ipsis. De quibus secundo dist. III. Sententiarum ait Magister, quod in angelis sunt, simplex essentia, personalis distinctio, perspicacitas intellectus, ac libertas arbitrii. Item fatetur Damascenus libro secundo. Porro per lumen gloriæ et virtutes ac perfectiones ad beatificam fruitionem pertinentes, ineffabiliter perficiuntur istæ proprietates in angelis omnibus C beatis.

Humanas vero animas, liberiores quidem esse necesse est quum se in mentis divinæ speculatione conservant, id est, dum contemplationi summæ Veritatis stabiliter ac sincere inhærent : quia per hoc a servitute peccati ac jugo diaboli amplius relegantur, et dona naturæ in eis perficiuntur per dona gratiæ ac per actus virtutum, præsertim per contemplationis splendorem atque fervorem. *Minus vero, quum dilabuntur ad corpora,* id est, minus D sunt liberæ dum ad corporales affectiones et concupiscentias viles se vertunt : quia per hoc naturalia in eis læduntur, et ipsæ vitiis ac dæmonibus subduntur; *minusque etiam, quum terrenis artubus colligantur,* id est, actibus et delectationibus quorumlibet membrorum communicant, consentiunt, immerguntur : quia per hoc quasi omnino carnales redduntur. Propterea ad *Rom.* VI, 13. Romanos hortatur Apostolus : Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Videtur autem Philosophia hic loqui de lapsu animarum ad corpora, juxta doctrinam Platonis supra narratam et reprobatam : attamen constat Boetium non fuisse opinionis istius. *Cf.* p. 379 D' et 8.

Extrema vero est servitus, id est, servitus illa est maxima atque vilissima, et a libertate Dei ac Beatorum remotissima, *quum vitiis deditæ,* id est dum animæ se iniquitatibus totaliter mancipantes et omni turpitudini exponentes, *rationis propriæ possessione ceciderunt,* id est, sua carnalitate et prædominante scelerum abundantia, prorsus dejectæ sunt ab expedito et libero usu atque habitione rationis et intelligentiæ eis collatæ, ita quod quasi in brutum, imo magis in dæmonem, conversæ videntur per conformitatem scelerosi affectus. Tales quasi homagium diabolo et peccato fecisse videntur : qualis fuit traditor Christi, de quo dixit Joannes : Nonne ego vos duodecim elegi, et unus *Joann.* VI, 71. ex vobis diabolus est? Talem quoque putavit Eliu esse beatum Job, de quo dixit ad Deum : Pater mi, ne desinas ab homine *Job* XXXIV, 36, 37. iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam. Hinc de Antichristo scripsit Apostolus : Nisi revelatus fuerit homo pec- II *Thess.* II, 3, 4. cati, filius perditionis, etc. Tales sunt omnes in vitiis obdurati, qui aures suas obstruunt veritati : de quorum unoquoque ait Propheta, Noluit intelligere ut bene *Ps.* XXXV, 4, 5. ageret, adstitit omni viæ non bonæ.

*Nam ubi oculos a summæ luce veritatis ad inferiora et tenebrosa dejecerunt**, id **dejecerint* est, statim quum « oculos » mentales averterunt et declinarunt a Dei lumine et doctrina, a lege divina, ab inspiratione interna ac admonitione omni salubri, ad vana et vilia, ad diabolica incitamenta, ad errores et falsitates nefarias; *mox inscitiæ nube caligantes**, id est, protinus cæcu- **caligant* tientes ut noctua, vel potius cæcæ ut talpa, per interpositionem densæ et tenebrosæ impietatis inter ipsas et Lucem summam et increatam (juxta quod sanctus loquitur Isaias, Iniquitates vestræ *Is.* LIX, 2.

diviserunt inter vos et Deum vestrum ; A
Thren. III, 44. Jeremias quoque in Threnis, Opposuisti
(inquit) nubem tibi, ne transeat oratio),
perniciosis turbantur affectibus, id est,
passionibus ignominiosis, desideriis prorsus innaturalibus inquinantur, inquietantur, vincuntur, quemadmodum ad Romanos de talibus deprompsit Apostolus :
Rom. I, 21, 26, 24. Quum cognovissent Deum, non sicut Deum
glorificaverunt ; propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, ut contumeliis afficiant corpora sua in semet-
Ibid. 28, 29. ipsis. Et rursus : Tradidit illos Deus in B
reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt ; repletos omni iniquitate. De
Job XXIV. 13. quibus in libro Job legitur : Ipsi fuerunt
Ibid. XXI, 14. rebelles lumini ; itemque : Dixerunt Deo,
Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Hoc nempe, etsi non verbis, tamen operibus dicunt, dum nec divino acquiescunt instinctui, neque angelicæ inspirationi, nec increpationi ac informationi humanæ. De quibus apud Isaiam scri-
Is. XXX, 10. ptum est : Dicunt adspicientibus, Nolite
adspicere nobis ea quæ recta sunt, lo- C
quimini nobis placentia. Zacharias quo-
Zach. VII, 11, 12. que : Aures (inquit) suas aggravaverunt,
et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. De quorum via Salo-
Prov. IV, 19. mon protestatur : Via impiorum tenebrosa,
nesciunt ubi corruunt.

Quibus desideriis vitiosis et passionibus turpibus *accedendo,* id est per delectationem appropinquando, *consentiendoque,* id est et ea consensu probando per rationis deliberationem vel operis exsecuti-
* adjurant onem, *adunant*,* id est, in unum colligunt D
atque multiplicant et augmentant, *servitutem,* id est vilissimam subjectionem qua adversariis suæ salutis subduntur. De quibus Archiapostolus in sua dixit Canonica :
II Petr. II, 19. Iniqui sunt servi corruptionis ; a quo enim
quis superatus est, hujus et servus est. *Quam* servitutem *invexere sibi,* id est, sibi ipsis sponte intulerunt et ingesserunt, quoniam omne peccatum voluntarium perhibetur. Propter quod in libro Sapientiæ
Sap. XVI, 14. fertur : Homo per malitiam occidit ani-
mam suam. Et apostolus Jacobus ait :
Concupiscentia quum conceperit, parit Jacob. I, 15.
peccatum ; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem. Isti sunt qui aggregant sibi quotidie fascem, pondus et sarcinam vitiorum, adjicientes pec- Eccli. V, 5.
catis peccata. Ideo, sicut Isaias prædixit,
Congregabuntur in congregatione unius Is. XXIV, 22.
fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, haud dubium quin infernali.

Et sunt quodammodo propria libertate captivæ, id est, animæ tales sponte et libere manent in ista vitiorum captivitate et servitute, quoniam pœnitere non volunt, nec resipiscere curant et satagunt : quia, ut Isaias expressit, percusserunt fœ- Ibid. XXVIII, 15.
dus cum morte, et cum inferno pactum inierunt. Quorum unicuique dicitur apud
Jeremiam : Arguet te malitia tua, et aver- Jer. II, 19.
sio tua increpabit te ; scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Potest quoque ita exponi : « Sunt quodammodo propria libertate captivæ », id est, ipsa earum libertas quodammodo capta est, id est, a diabolo vinculata et usu suo privata, propter vehementem assuefactionem ad prava, ita ut vix possint pœnitendo resurgere, utpote obstinatæ. Verumtamen non sunt, absolute loquendo, libertate sua privatæ : alias nec peccarent. De talibus loquitur Paulus : Resipiscant a diaboli laqueis, a quo II Tim. II, 26.
captivi tenentur ad ipsius voluntatem. De qua etiam vinculatione Salomon locutus :
Iniquitates (inquit) suæ capiunt impium, Prov. V, 22.
et funibus peccatorum suorum constringitur. Hinc protulit Isaias : Omnes vincti Is. XXII, 3.
sunt pariter, dureque ligati.

Consequenter Philosophia tangit nec divinæ providentiæ præcognitione, ordinatione ac ordine hæc excludi. *Quæ tamen,* hoc est quæ omnia liberi arbitrii facta et opera, *intuitus ille Providentiæ cuncta prospiciens ab æterno,* id est, universa et singula in ipso æternitatis momento clarissime intuens, tanquam sapientiæ suæ præsentia, infallibiliter *cernit,* juxta illud

Eccli. XXIII, 28, 29. Ecclesiastici : Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum ; Domino enim Deo, antequam crearentur, cuncta sunt cognita. *Et suis quæque meritis prædestinata disponit.* Non est hoc ita intelligendum quod aliquis prædestinatus sit meritis suis, sed quod Deus « disponit », id est, locat, remunerat, ordinat, « prædestinata quæque », id est cunctos prædestinatos, « meritis suis », id est secundum suorum exigentiam meritorum, prout *Apoc.* XXII, 12. in Apocalypsi fatur : Ecce venio cito, et B merces mea mecum est, dare unicuique *Joan.* XIV, 2. juxta opera sua. Hinc Christus ait : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, id est diversi gradus præmiorum juxta varietatem meritorum. Sic et præscita, id est ipsos præscitos, disponit secundum *Eccle.* XII, 14. eorum demerita. Unde et Ecclesiastes promulgavit : Cuncta quæ fiunt adducet Deus A in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum ; Paulus quoque : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal *II Cor.* V, 10. Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.

Postremo ad istud probandum adducit Philosophia auctoritatem cujusdam sapientis Græcorum, cujus iste est sensus : Deus omnia videt, et omnia audit. Quæ verba etiam supra inducta sunt atque exposita ; *Cf.* p. 536 D'. et consonat eis istud Psalmistæ : Qui plantavit aurem, non audiet ? Aut *Ps.* XCIII, 9. qui finxit oculum, non considerat ? Circa quod loquitur Augustinus : Deus qui prævidit, dedit tibi potentiam qua vides, et sensum quo audis ; nonne et ipse videt et audit ? Ideo Jeremias loquitur : Putasne *Jer.* XXIII, 23, 24. Deus e vicino ego sum, et non Deus de longe ? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum ?

ARTICULUS IV

SOLUTIO ALIQUOT QUÆSTIONUM DE LIBERO ARBITRIO.

JOANNES. — Cupio edoceri quid sit liberum arbitrium : an dicat potentiam, an actum, an habitum : an pertineat ad intellectum, an ad voluntatem, et si ad utrumque, ad quid magis ; et utrum sit specialis potentia, quod si sic, cur de illa vi animæ non sint locuti philosophi. Rursus, an in angelis liberum exstet arbitrium, an item in Deo consistat. Et videtur quod non, quoniam liberum arbitrium potest in utrumque oppositorum, puta in bonum et malum : sed Deus et Beati nequeunt nisi in bonum.

DIONYSIUS. — De libero arbitrio sunt opiniones diversæ. Alexander de Hales super secundum Sententiarum potius tenet, quod sit potentia ab intellectu et voluntate distincta, et media inter eas ; quod C item hoc philosophos latuit, sicut et alia multa quæ sunt in rerum natura. Qui et allegat pro se, quod secundum Augustinum, liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur gratia adsistente, et malum gratia desistente. Alii dicunt, quod liberum arbitrium sit habitus voluntatis : quia in libro de Libero arbitrio scribit S. Bernardus, quod liberum arbitrium est habitus animi liber sui ; et rursus, quod liberum arbitrium est liber voluntatis seu animæ motor. Alii D opinantur, quod sit actus rationis seu intellectus, quia arbitrium est idem quod judicium, quod proprie nominat actum.

Porro Albertus Alexandro concordat, dicendo : Secundum dicta Sanctorum dicendum videtur, quod liberum arbitrium est

specialis potentia, ejusque virtus diffusa est in viribus inferioribus quas movet, et primo in ratione, deinde in voluntate : propter quod facultas rationis ac voluntatis vocatur. Libertas quippe libero arbitrio convenit per se, voluntati autem et rationi per participationem libertatis liberi arbitrii.

Verum huic opinioni Thomas et Bonaventura multa objiciunt. Etenim ponere in anima potentiam quamdam tam voluntate quam ratione superiorem, et quod libertas non conveniat voluntati per se, videtur penitus absurdum et a veritate extraneum. Denique S. Augustinus in toto libro de Trinitate, investigando qualiter emanatio ad intra sit in divinis, et in quibus viribus consistat summæ Trinitatis imago in nobis, nullam facit mentionem de libero arbitrio tanquam de vi ab intellectu et voluntate distincta, sed in memoria, intellectu et voluntate dicit superbenedictæ Trinitatis imaginem in nobis consistere. Iterum ait, quod nihil altius intellectu in nobis habeamus ; et idem affirmat Philosophus decimo Ethicorum : quanquam quidam imaginentur voluntatem intellectu superiorem, quum tamen voluntas de se cæca sit similisque tyranno, nisi intellectu illustretur ac regatur. Amplius, ut Bonaventura fatetur : Omnes actus qui libero arbitrio adscribuntur, per rationem et voluntatem sufficienter exercentur ; nec sine necessitate est inducenda pluralitas. Nam et voluntas vult se velle, et movet se ad volendum ; ratio quoque discernit se et proprium actum, et ad intelligendum se excitat. Attamen propter distinctionem rationis quæ est inter liberum arbitrium et inter rationem ac voluntatem, appellatur facultas rationis ac voluntatis. His verbis addit Bonaventura : Liberum arbitrium rationem et voluntatem complectitur et includit. Quod manifestat nominatio ejus. Dicitur enim liberum, et arbitrium : arbitrium autem spectat ad rationem, liberum vero ad voluntatem. Verumtamen ad voluntatem plus pertinet: A nempe in ratione consistit inchoative, quia voluntas non movet nec agit, nisi præcedente actu aliquo rationis ; in voluntate autem consistit consummative. His dictis Thomas concordans, ait in prima parte Summæ, quæstione octogesima tertia : Quædam res operantur sine judicio, ut inanimata ; quædam vero ex judicio prævio, sed non libero (sicut ovis cernens lupum, mox judicat fugiendum : quod judicium non est ex prævia collatione, sed naturali instinctu) ; homo vero agit ex B libero judicio : quia et rationem rei cognoscit, et per rationis collationem judicat de re, sicque ferri potest in partem utramque. At vero proprius actus liberi arbitrii exstat electio : ideo namque dicimur liberi arbitrii, quoniam possumus unum acceptare et aliud repudiare. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte intellectus, puta consilium, quo judicatur aut investigatur quid sit alteri præferendum ; et aliquid ex parte voluntatis, videlicet acceptio unius præ alio. Quumque electio C sit eorum quæ sunt et ordinantur ad finem, quæ habent rationem boni utilis, quod continetur sub bono, quod est voluntatis objectum : idcirco electio principaliter spectat ad voluntatem ; sicque liberum arbitrium est appetitiva potentia, puta voluntas. — Huic positioni Thomæ Petrus de Tarantasia consonat.

(art. 1. — art. 3.)

Ad quæ omnia clarius intelligenda confert quod scribit Richardus de Mediavilla, dicendo : Damascenus libro tertio dicit, quod liberum arbitrium non est aliud D quam voluntas. Augustinus quoque, libro secundo de Libero arbitrio, loquitur : Non peccamus nisi libero arbitrio voluntatis. Itaque, si liberum arbitrium dicatur ab arbitratione consiliativa, quum talis arbitratio sit actus intellectus, liberum arbitrium continet directe intellectum et voluntatem in propria ratione, quoniam liberum velle a voluntate elicitur, et ipsa arbitratio consiliativa actus est ipsius intellectus. Si vero dicatur liberum arbitrium ab arbitratione imperativa, qua quis

absolute vult aliquid aut non : sic intellectus non est de ratione liberi arbitrii nisi dispositive : imo formaliter liberum arbitrium est ipsa voluntas, prout consideratur post deliberationem intellectus, vel post tempus in quo deliberare quis potuit et debuit. — De his prællegati doctores super secundum Sententiarum plura conscribunt : quorum dicta ibidem plenius introduxi. (*Cf. t. XXII p. 276 D et s.*)

Denique multiplex est libertatis distinctio. Una, quam ponit B. Bernardus in libro de Libero arbitrio : Quædam (inquiens) est libertas consilii, quædam complaciti, quædam arbitrii. Magister vero Sententiarum, libro secundo (*dist. xxv I et s.*) : Quædam est (ait) libertas a necessitate, quædam a culpa, quædam a miseria. De prima in Ecclesiastico legitur (*Eccli. xv. 14.*) : Deus reliquit hominem in manu consilii sui. De secunda Apostolus (*II Cor. iii 17.*) : Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. De tertia ad Romanos (*Rom. viii. 21.*) : Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Iterum quædam est libertas naturæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ.

Ex præhabitis patet quod in angelis est excellentiori modo liberum arbitrium, et in universis Beatis, potissime in supersublimi Deo. Nec ad hanc veram ac præclarissimam Beatorum libertatem exigitur posse peccare, posse a bono averti, aut contradictionis potestas : imo posse peccare, posse deficere, posse bonum et non bonum, est impotentia potius quam vera potentia. Est ergo illorum libertas, ab omni coactione, culpa et calamitate immunitas, immobilisque complacentia in quod arbitrantur.

Sed quum liberum arbitrium sit quoddam compositum seu complexum ex adjectivo et substantivo, substantivum illud videtur rei significatæ essentiam designare, adjectivum vero proprietatem ipsius. Unde sequi videtur, quod res significata isto complexo, sit essentialiter ipsum judicium seu arbitrium : quod realiter spectat ad intellectum, qui etiam ex sua natura habet aliquam libertatem. Ex quibus sequi videtur, quod liberum arbitrium realiter principaliterque ad intellectum pertineat, quamvis ad voluntatem valeat pertinere imperative, sicut et ceteri actus intellectus, ad quos movet voluntas. Nec obstat quod intellectus cogi potest, non liberum arbitrium, quia ex hoc non sequitur nisi distinctio secundum rationem, videlicet quod intellectus secundum proprietatem et rationem formalem, qua sortitur nomen liberi arbitrii, seu actus liberæ judicationis ei convenit, non cogitur : quemadmodum etiam distinguuntur intellectus et ratio, ratio quoque superior et inferior. Descriptio demum Augustini prætacta de libero arbitrio, datur de eo secundum quod convenit homini in statu præsenti.

Postremo qualiter libertas arbitrii non repugnet incommutabili certitudini providentiæ, adhuc infra clarius exprimetur. De qua re Ptolemæus quoque in Centilogio loquitur, quod sapiens medicus prospiciens imminere siccam calidamque æstatem, vesci potest frigidis ac humidis alimentis, ne in æstate lædatur ejus complexio : sicque astris sapiens dominatur.

METRUM II

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus :
Qui tamen intima viscera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirma perrumpere luce.

Haud sic magni Conditor orbis.
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt,
Non nox atris nubibus obstat :
Quæ sint, quæ fuerint veniantque,
Uno mentis cernit in ictu.
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO METRI HUJUS SECUNDI.

QUIA in fine prosæ præhabitæ tactum A est de splendidissima claritate cognitionis divinæ ac providentiæ Dei, hic ad ostendendum eminentiam claritatis illius, inducitur comparatio quædam de sole sensibili : qui quamvis præ cunctis corporibus visibilibus mira limpiditate resplendeat, claritate tamen atque acumine cognitionis providentiæ Dei deficit infinite. Itaque ait :

Homerus, id est poeta ille apud Græcos præcipuus, sicut apud Romanos Virgilius, *oris melliflui,* id est dulcis in verbis et B scriptis atque carminibus instar mellis, *canit Phœbum,* id est, laudat solem, *clarum lumine puro,* id est suo præfulgidum jubare. *Qui tamen* sol *non valet perrumpere,* id est attingere et perfundere, *intima viscera terræ aut pelagi,* id est profundiora loca sub terra aut mari, *luce radiorum* suorum *infirma,* id est imbecilli et modica respectu Luminis increati : cujus comparatione omnis lux creata est quasi caligo. Ideo subditur :

Conditor magni orbis, id est Creator C totius mundi, *haud sic,* id est, non ita se habet, nec aliquo modo est luminis imbecillis. *Nulla terræ mole,* id est nulla terræ pars, vel nulla sub terra latentia, *resistunt huic tuenti,* id est conspicienti, *cuncta ex alto,* id est a summo cœlo, ita quod luminis sui penetrationem ac suæ notitiæ visionem impediant. Omnia enim conspicit in se ipso : qui perfecte cognoscendo sui ipsius essentiam, intelligit in eadem omnia quæ eam quocumque modo imitantur, sive participant participareve possunt, hoc est cuncta creata et creabilia, quia hæc omnia idealiter in ea relucent ; qui etiam perfecte cognoscendo omnipotentiam suam, cognoscit in ea universa quæ processerunt, procedunt, procedent seu procedere possunt ab ea. *Nox non obstat* cognitioni ipsius *nubibus atris,* id est obscuris. Ipse Conditor *cernit in uno mentis ictu,* id est unico simplicissimo intuitu, omnia *quæ sint, quæ fuerint veniantque,* hoc est universa præsentia, præterita et futura.

Quem possis dicere, id est metaphorice appellare, *verum solem* spiritualem et intellectualem : qui etiam quantum ad hoc vocatur sol verus. De quo in hymno ait Ambrosius : Verusque sol illabere. Non tamen vocatur sol verus propter conformitatem et unitatem naturæ in sole utroque, sed propter assimilationem, et eminentiam proprietatis in lucendo et alia multa agendo. Juxta quem modum Christus disseruit : Ego sum vitis vera. Unde *Joann.* XV, 1. subjungitur : *quia respicit omnia solus,* id est, ipse « solus respicit » propria pote-

state et luce universa et singula, non solum quæ sunt, sed quæcumque aliquo modo esse possunt. Hinc et juxta nominis interpretationem dicitur sol vere et eminenter, quoniam ipse solus omnibus lucet. Hinc quarto capitulo de Divinis nominibus loquitur Dionysius : Lumen seu radius solis est imago bonitatis divinæ. Quemadmodum enim divina bonitas omnibus su- A peremineus influendo pertransit a summis substantiis usque ad infima, ita sol iste sensibilis omnibus lucis suæ capacibus copiose et liberaliter se communicat ac diffundit. Hinc de Deo altissimo iniqui fatentur : Sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Sap.* v, 6.
De quo item per Malachiam Deus Pater pollicitus est : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. *Malach.* IV, 2.

PROSA III

TUM ego : En (inquam) difficiliori rursus ambiguitate confundor. — Quænam (inquit) ista est ? Jam enim quibus perturbere conjecto.

— Nimium (inquam) adversari ac repugnare videtur, prænoscere universa Deum, et esse ullum libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod Providentia futurum esse præviderit : quare si ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas. Neque enim vel factum aliud ullum vel quælibet exsistere poterit voluntas, nisi quam nescia falli providentia divina præsenserit. Nam si res aliorsum quam provisæ sunt detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia, sed opinio potius incerta : quod de Deo credere nefas judico.

Neque enim illam probo rationem qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim non esse ideo quid eventurum quoniam id Providentia futurum esse prospexerit, sed econtrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam providentiam latere non posse ; eoque modo necessarium hoc in contrariam relabi partem : neque enim necesse est contingere quæ providentur, sed necesse est quæ futura sint provideri. Quasi vero quæ cujusque rei causa sit (præscientiane, futurorum necessitatis, an futurorum necessitas, providentiæ) laboretur. At nos illud demonstrare nitamur, quoquomodo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiamsi præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre. Etenim si quispiam sedeat, opinionem quæ eum sedere conjectat, veram esse necesse est ; at econverso rursus, si de quopiam vera sit opinio quoniam sedet, eum sedere necesse est. In utroque igitur necessitas inest : in hoc quidem, sedendi ; at vero in altero, veritatis. Sed non idcirco quisque sedet quoniam vera est opinio ; sed hæc potius vera est quoniam quempiam sedere præcessit. Ita quum causa veritatis ex altera parte procedat, inest tamen communis in utraque necessitas. Similia de providentia futurisque rebus ratiocinari oportet. Nam etiam si idcirco quoniam futura sunt providentur, non

vero ideo quoniam providentur eveniunt; nihilo minus tamen a Deo vel ventura provideri vel provisa evenire necesse est : quod ad perimendam arbitrii libertatem solum satis est. Jam vero quam præposterum est ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur! Quid est autem aliud, arbitrari ideo Deum futura quoniam sunt eventura providere, quam putare quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ? Ad hæc, sicuti quum quid esse scio, id ipsum esse necesse est; ita quum quid futurum novi, id ipsum futurum esse necesse est. Sic fit igitur ut eventus præscitæ rei nequeat evitari.

Postremo, si quid aliquis aliorsum quam * sese res habet existimet, id non modo scientia non est, sed est opinio fallax, ab scientiæ veritate longe diversa. Quare si quid ita futurum est ut ejus certus ac necessarius non sit eventus, id eventurum esse præsciri qui poterit? Sicut enim scientia ipsa impermixta est falsitati, ita id quod ab ea concipitur, esse aliter quam * concipitur nequit. Ea namque causa est cur mendacio scientia careat, quod se ita rem quamque habere necesse est, uti eam sese habere scientia comprehendit. Quid igitur? Quonam modo Deus hæc incerta futura prænoscit? Nam si inevitabiliter eventura censet quæ etiam non evenire possibile est, fallitur : quod sentire non modo nefas est, sed etiam voce proferre. At si uti sunt, ita ea futura esse decernit, ut æque vel fieri ea vel non fieri posse cognoscat : quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresiæ, Quidquid dicam, aut erit aut non? Quid etiam divina providentia humana opinione * præstiterit, si uti homines incerta judicat quorum est incertus eventus?

* atque

* atque

* humanæ opinioni

Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus eorum est eventus quæ futura firmiter ille præscierit. Quare nulla est humanis consiliis actionibusque libertas, quas divina mens sine falsitatis errore cuncta prospiciens, ad unum alligat et constringit eventum. Quo semel recepto, quantus occasus humanarum rerum consequatur liquet. Frustra enim bonis malisque præmia pœnæve proponuntur, quæ nullus meruit liber ac voluntarius motus animorum. Idque omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos, quos ad alterutrum non propria mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur nec virtutes quidquam fuerint, sed omnium meritorum potius mixta atque indiscreta confusio. Quoque nihil sceleratius excogitari potest, quum ex providentia, rerum omnis ordo ducatur, nihilque consiliis liceat humanis, fit ut vitia quoque nostra ad bonorum omnium referantur auctorem. Igitur nec sperandi aliquid nec deprecandi ulla ratio est. Quid enim vel speret quisquam, vel etiam deprecetur, quando optanda omnia series indeflexa connectit? Auferetur igitur unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet ac deprecandi. Siquidem justæ humilitatis pretio inæstimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur : qui solus modus est quo cum Deo colloqui homines posse videantur, illique inaccessæ luci, prius quoque quam impetrent, ipsa supplicandi ratione conjungi. Quæ si, recepta futurorum necessitate,

nihil virium habere credantur, quid erit quo summo illi rerum Principi connecti atque adhærere possimus? Quare necesse erit humanum genus, uti paulo ante cantabas, disseptum atque disjunctum suo fonte fatiscere.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO PROSÆ HUJUS TERTIÆ.

POSTQUAM de incomparabili certitudine providentiæ et præcognitionis Dei tractatum est, jam circa hoc movet Boetius quæstionem difficilem et antiquam, quomodo simul stent certitudo et infallibilitas providentiæ divinæ et contingentia rerum ac libertas flexibilitasque humani præsertim arbitrii.

Tum ego, id est præhabitis jam inductis ego Boetius : *En (inquam) difficiliori rursus ambiguitate confundor,* id est, inquietor et anxior rursus intricatiori et profundiori quæstione quam ante. — *Quænam (inquit) ista est?* id est, Philosophia dixit, Quæ est ambiguitas ista? *Jam enim quibus perturbere conjecto,* id est, conjicio et suspicor quibus considerationibus perturberis.

Ad quod Boetius : *Nimium (inquam) adversari ac repugnare videtur, prænoscere universa Deum, et esse ullum libertatis arbitrium :* id est, hæc duo, videlicet, « Deum prænoscere universa », seu quod Deus cuncta prænoscat, « et » in nobis « esse » aliquod « libertatis arbitrium », videntur omnino opposita et incompatibilia. *Nam si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod Providentia futurum esse prævide-rit : quare si ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia voluntatesque prænoscit,* hoc est, « si » Deus « prænoscit ab æterno non » solum « facta hominum, sed etiam consilia » et « voluntates » eorum, *nulla erit arbitrii libertas. Neque enim vel factum aliud ullum vel quælibet exsistere poterit voluntas,* id est, nec « ullum aliud factum », nec quæcumque alia « voluntas » seu volitio, affectio, sive res volita, « poterit exsistere », *nisi quæ* nescia falli providentia divina præcesserit*,* id est, nisi ea voluntas et id factum quæ divina providentia ab æterno prævenit. *Nam si* aliorsum quam provisæ sunt detorqueri valent :* id est, « si » res a Deo prævisæ « valent detorqueri », id est flecti, mutari et trahi, « aliorsum », id est ad aliam partem aut habitudinem, « quam provisæ sunt » a Deo ; *non jam erit futuri firma præscientia,* id est, sequitur quod in Deo non sit certa futurorum præcognitio, *sed opinio potius incerta : quod de Deo credere nefas judico,* id est, illicitum arbitror æstimare quod in Deo sit incerta futurorum opinio, quæ est assensus seu æstimatio de aliquo cum formidine de opposito.

* quam — * præsenserit — * si res

Consequenter Boetius reprehendit et reprobat solutionem quorumdam. *Neque enim illam probo rationem,* id est, non approbo illam aliquorum responsionem sive doctrinam, *qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere :* id est, « qua » ratione aliqui putant « se posse dissolvere », explicare atque enodare, « hunc nodum », id est hanc involutionem et difficultatem, « quæstionis » propositæ. *Aiunt enim non ideo quid esse eventurum quoniam id Providentia futurum esse prospexerit ; sed econtrario potius, quoniam quid futurum est,* id est eventurum, *id divinam providentiam latere non posse.* Quasi dicant : Non ideo res necessario eveniunt quia a Deo prævidentur; sed contra,

quia res eveniunt, idcirco a Deo necessario A prævidentur, quia nil futurorum potest Deum latere. *Eoque modo necessarium hoc,* id est per hunc modum necessitatem istam, *in contrariam relabi partem,* id est adscribendam esse alteri parti, utpote quod necessitas providentiæ provenit ex rerum eventu, non necessitas eventus futuritionisque rerum ex providentia Dei. *Neque enim necesse est contingere quæ providentur, sed necesse est quæ futura sint provideri,* ut ista opinio dicit. Contra quam objicit : B

Quasi vero laboretur sciri, id est, istud sonat aut dicitur ac si conemur agnoscere, *quæ causa sit cujusque rei,* id est, quid horum duorum sit causa alterius, *præscientiane, futurorum necessitatis, an futurorum necessitas, providentiæ,* id est, utrum « præscientia » Dei sit causa « necessitatis futurorum, an necessitas futurorum » sit causa « providentiæ » Dei. *At non* * *illud demonstrare nitamur,* id est, non curemus de isto principaliter inquirere et probare, quid scilicet horum sit verius. *Quoquomodo sese habeat ordo causarum,* id est, quocumque horum modo « sese habeat ordo causarum », id est series seu consequentia necessitatis istius vel necessariæ hujus illationis, hoc est, utrum providentia Dei causa sit necessitatis necessarii eventus rerum, vel futuritio aut eventus rerum sit causa necessitatis providentiæ Dei, supple, sequitur, *necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiamsi præscientia* Dei *futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre,* id est, quamvis non inferat eis necessitatem.

* nos

Etenim si quispiam sedeat, opinionem quæ eum sedere conjectat, veram esse necesse est, id est, si aliquis sedeat, necessarium est quod opinio quæ putat seu conjicit eum sedere, sit vera. Quod verum est de veritate conditionata et ex suppositione, non de necessitate absoluta et simplici assertione : quemadmodum si asellus volet, necessario habet alas. *At econverso rursus,* id est, si opinio Petri sit vera, qua opinatur Joannem sedere, necesse est quod sedeat, sicut subjungitur : *si de quopiam,* id est aliquo, *vera sit opinio quoniam sedet, eum sedere necesse est,* stante tali conditione. *In utroque igitur necessitas inest,* id est, necessitas ista conditionalis, est tam in opinione quam in re opinata : *in hoc quidem, sedendi,* id est, in isto sedente est necessitas sessionis, seu necessaria sessio, stante illa conditione; *at vero in altero, veritatis,* id est, in opinione est necessitas veritatis conditionata. *Sed non idcirco quisque sedet quoniam vera est opinio* hæc, id est ista opinio qua putatur sedere; *sed hæc potius vera est,* id est, opinio seu propositio dicens aliquem sedere, idcirco est vera, *quoniam quempiam sedere præcessit,* id est, quia aliquis prius cœpit sedere quam opinio illa fuit de illo. Nempe, ut Aristoteles dixit, propter hoc quod res est vel non est, oratio dicitur vera aut falsa. *Ita quum causa veritatis ex altera parte procedat,* id est, ex re ipsa dependeat, *inest tamen communis in utraque necessitas,* C id est, conditionata necessitas veritatis est tam in opinione quam in re.

Similia de providentia futurisque rebus ratiocinari oportet, sicut jam ratiocinatum est de opinione et re. Quod consequenter exponitur. *Nam etiam si idcirco quoniam futura sunt providentur,* id est, dato quod aliqua ideo prævidentur a Deo quia futura sunt, ut dicit prætacta opinio, *non vero ideo quoniam providentur eveniunt,* id est, et quod non ideo eveniunt quoniam D sunt prævisa, ut sentit præfata opinio; *nihilo minus tamen a Deo vel ventura provideri vel provisa evenire necesse est,* id est, non minus necessarium est aut necessario sequitur ut Deus futura prævideat (quod necessarium est), vel quod prævisa eveniant : quod non est necessarium absolute et in sensu diviso, atque loquendo de prævisis materialiter et per respectum ad eorum proprias et proximas naturalesque causas; est tamen necesse loquendo de prævisis formaliter et in sensu composito,

hoc est, in quantum prævisa sunt, ac per respectum ad summam, primam universalemque causam, utpote ad providentiam Dei. *Quod ad perimendam arbitrii libertatem solum satis est,* id est, solum istud sufficit ad reprobandum et destruendum liberum arbitrium. Hoc Boetius dicit argumentando, non asserendo : quia nec verum est.

Sequitur alia ratio reprobationis prædictæ opinionis. *Jam vero quam præposterum est* (id est, valde perversum est nunc dicere) *ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur,* id est, quod efficientia, adimpletio seu productio « rerum temporalium » aut creatarum « dicatur esse causa æternæ præscientiæ » seu providentiæ Dei, quum præscientia illa sit ipsemet Deus prænoscens ac prævidens, certumque est quod creatum ac temporale nequaquam valeat esse causa æterni et increati! Interea animadvertendum, quod Origenes super epistolam Pauli dixit hæc verba, utpote : Non ideo aliquid evenit quia prævisum est, sed quia futurum, ideo est prævisum. Nec tamen Origenes hæc protulit ad hunc sensum in quo Boetius ea hic accipit, sed ad longe alium sensum, ut infra patebit. *Quid est autem aliud, arbitrari,* id est judicare seu affirmare, *Deum providere futura ideo quoniam sunt eventura, quam putare quæ olim acciderunt,* id est res dudum præteritas, *esse causam summæ illius providentiæ?* Quod sicut Origenes nullatenus putavit, ita nec verba illa ad sensum hunc protulit.

Consequenter Boetius adhuc aliis rationibus scholastice probat, quod præscita a Deo necesse sit evenire. *Ad hæc,* hoc est, hæc prædictis adjicio : *sicuti quum quid esse scio, id ipsum esse necesse est; ita quum novi quid* esse *futurum, necesse est id ipsum esse futurum.* Istud est argumentum a simili, ita quod sicut esse se habet ad præsens, ita futurum esse ad futurum. Et procedit hoc argumentum in sensu composito, non in sensu diviso,

A ut infra dicetur, ubi ista solventur. *Sic fit igitur,* id est, ita consequitur, *ut eventus præscitæ rei nequeat evitari :* quod falsum est loquendo de re præscita materialiter.

Sequitur ad idem probandum alia ratio. *Postremo, si quid aliquis aliorsum quam sese res habet existimet,* id est, reputet et affirmet aliquid « aliorsum », id est aliter, « quam res » illa « habet sese », id est, quam convenit sibi; *id non modo scientia non est,* id est, talis cognitio non

B solum non est scientia, quæ non est nisi verorum, quoniam falsum non scitur, *sed est opinio fallax, ab scientiæ veritate longe diversa. Quare si quid ita futurum est ut ejus certus ac necessarius non sit eventus,* id est, adimpletio seu futuritio ejus certa ac necessaria non sit, *id eventurum esse præsciri qui poterit?* id est, quomodo « poterit præsciri id eventurum esse »? *Sicut enim scientia ipsa impermixta est falsitati, ita id quod ab ea concipitur,* id est, sic id quod ipsa scientia

C concipit formaliter seu elective, videlicet consideratio scientialis, *nequit esse aliter quam concipitur. Ea namque causa est cur mendacio scientia careat, quod se ita rem quamque habere necesse est,* id est « rem » quamcumque cognitam « habere se ita », *uti eam sese habere scientia comprehendit,* id est, sicut « scientia comprehendit se habere » rem illam. Scientia autem comprehendere dicitur, quia ad apprehendendum inclinat scientem; et sciens per scientiam concipit, quemadmodum

D per caritatem diligit.

Sequitur ad idem alia ratio, vel potius rationis hujus declaratio. *Quid igitur?* id est, quid restat dicendum? *Quonam modo Deus hæc incerta futura prænoscit,* id est, futura quæ possunt non evenire et evenire? *Nam si inevitabiliter eventura censet,* id est, si Deus apprehendit et judicat ea inevitabiliter esse ventura, *quæ etiam non evenire possibile est, fallitur :* quia qui rem aliter apprehendit quam est, errat. *Quod sentire,* utpote Deum

falli, *non modo nefas est,* id est criminosum, *sed etiam voce proferre,* id est ore tenus loqui ex levitate seu alia causa non malitiosa, etiam sine interiori perversitate.

At si uti sunt, ita ea futura esse decernit, id est, si Deus cognoscit ea esse futura sicuti sunt, utpote contingenter ac evitabiliter, *ut æque vel fieri ea vel non fieri posse cognoscat,* id est, ita ut sciat ea posse æqualiter accidere et non accidere : *quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit,* id est, apprehendit et noscit ? Quasi dicat : Imperfecta est valde, et dedecens Deum perfectionis immensæ. *Aut quid hoc refert a vaticinio illo ridiculo,* id est ridiculoso, *Tiresiæ* vatis, id est viri illius cui poetæ fingunt a Jove datum spiritum prophetiæ ? De quo fabulosa et ficta narrant poetæ : quæ potius subticenda quam depromenda ratus sum, quum sint carnalitatis provocativa. Cujus vaticinium subditur : *Quidquid dicam, aut erit aut non* erit. Sequitur aliud inconveniens ex hoc sequens. *Quid etiam,* id est in quo, aut quantum, *divina providentia præstiterit,* id est, præstantior et magis proficua erit, *humanæ opinioni* (quasi dicat, Parum eam excellet), *si uti homines judicat incerta,* id est, si instar hominum reputat incerta nobis, etiam sibi esse incerta, et evitabiliter evenire, *quorum est incertus eventus,* id est, « quorum eventus » nobis « incertus est » ?

Consequenter arguit Boetius ad aliam partem, ostendendo quam absurdi et perniciosissimi sequantur errores, si omnia dicantur de necessitate contingere, nec homini insit libertas arbitrii.

Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem, id est, quia in intellectu divino, a quo omne bonum fontaliter scaturit, *nihil incerti esse potest,* id est, nihil de incertitudine, ignorantia vel errore potest esse admixtum, *certus eorum est eventus,* per respectum ad providentiam ejus, *quæ futura firmiter ille præ-*

A *scierit,* id est, quæ Deus clare et infalli-biliter præintellexerit ventura.

Quare nulla est humanis consiliis actionibusque libertas, hoc est, si cuncta necessario fiunt, sequitur quod nulla libertas sit in consiliis et actibus hominum ; *quas,* scilicet actiones et consultationes seu inquisitiones consiliares de agendis aut fugiendis, *divina mens prospiciens cuncta sine falsitatis errore,* id est verissime, *ad unum alligat et constringit eventum,* id est, certo causarum
B ordine ac processu connectit atque in unum determinat certum eventum, ut patet ex dictis de fato ac providentia. *Quo semel recepto,* id est isto errore admisso et approbato, *quantus occasus humanarum rerum consequatur liquet,* id est, constat quam grandis interitus, imbecillitas, confusio operum humanorum inde nascantur ac subsequantur.

Frustra enim bonis malisque præmia pœnæve proponuntur, id est, « præmia » virtutum inaniter « proponuntur bonis »
C hominibus, virtuosis, aut vitiorum supplicia frustra proponuntur, minantur ac intentantur « malis » et injustis hominibus, *quæ,* scilicet præmia et tormenta, *nullus liber ac voluntarius motus,* id est actus, affectus seu operatio, *animorum,* id est cordium humanorum, *meruit :* quia in his et per ea quæ nequaquam vitare et effugere possumus, non meremur nec demeremur. Propter quod dixit Philosophus : Propter ea quæ insunt nobis a natura, non laudamur nec vituperamur. Au-
D gustinus quoque : Peccatum (ait) in tantum est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. Hinc libertas est prima radix peccandi, atque in illis dumtaxat potentiis animæ virtutes et vitia subjective consistunt, quæ libertatem aliquo modo participant. Nihilo minus etiam per alias vires bene agitur vel peccatur, quemadmodum et per corporis membra.

Subditur demum aliud inconveniens quod sequitur inde. *Idque omnium vide-*

bitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, id est, quod optimum judicatur, pessimum erit, videlicet, impios dure puniri, et virtuosos glorificari : unde subjungit, *vel puniri improbos, vel remunerari probos*, quum nec in improbis sint vere demerita et peccata, nec in probis virtutes ac merita, *quos*, scilicet probos et improbos, *non voluntas propria mittit*, id est, movet ac dirigit, *sed certa necessitas futuri*, id est inevitabilitas causarum fatalium, *cogit ad alterutrum*, id est sive ad bonum sive ad malum. *Nec vitia igitur nec virtutes quidquam fuerint*, id est, hoc quoque inde sequitur, quod nec unquam in hominibus fuerint veræ virtutes, nec vitia proprie dicta, quum de ratione utrorumque exstet libertas, *sed omnium meritorum potius mixta atque indiscreta confusio*, id est confusiva mixtura et insipientialis permixtio meritorum ac demeritorum, dum quod uno respectu censetur malum, alio respectu excusabile est omnino, utpote inevitabiliter accidens.

A

Consequenter alia horrenda absurditas tangitur inde sequens. *Quumque omnis ordo*, id est ordinatio, recta dispositio, conveniens habitudo, *rerum* creatarum *ducatur*, id est, derivetur ac profluat, *ex providentia* et ex sapientia Dei (quia, ut *Rom.* XI, 36. ait Apostolus, Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : quumque ordo sit *Cf.* t. XVI, p. 177 C. optimum quid in rebus, ut divinus Dionysius loquitur, et sapientiæ effectus, quoniam sapientis est ordinare ; propterea, *Rom.* XIII, 1. teste Apostolo, Quæ a Deo sunt, ordinata sunt), *nihilque* agi *liceat humanis consiliis*, id est judiciis et legibus hominum positivis, quia (ut tactum est) nec improbis debentur supplicia ; *fit*, id est, consequens est, *ut vitia quoque nostra referantur ad auctorem omnium bonorum*, id est, Deo essentialiter bono, sancto, justo ac sapienti sint adscribenda : *quo* errore blasphemo *nihil sceleratius*, id est criminosius, *potest excogitari :* quemadmodum *Ps.* XX, 12. dicitur de iniquis quibusdam : Quoniam declinaverunt in te mala.

B

Deinde inconveniens aliud tangitur. *Igitur nec sperandi aliquid nec deprecandi ulla ratio est*, id est, nulla remanet ratio exspectandi a Deo remissionem, gratiam aut gloriam per preces et merita, nisi forsan per seriem fati aut necessitatem providentiæ Dei. *Quid enim vel speret quisquam, vel etiam deprecetur, quando optanda omnia series indeflexa connectit?* id est, nemo potest sperare aut obtinere aliquid boni per preces et merita, si invariabilis præordinatio providentiæ Dei cuncta connectit et necessaria cohabitudine conjungit, ita quod nihil aliter potest contingere, nec ulla manet libertas arbitrii.

C

Ex quo sequitur sacrilegum inconveniens istud : *Auferetur igitur unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet ac deprecandi*, id est, sequitur ex illo errore, quod « auferetur commercium illud unicum sperandi » in Deo et exspectandi dona gratiæ suæ ac gloriæ, et invocandi misericordiam ejus. Quod commercium est exercitium religiosum colendi placandique Deum : quo exercitio quasi mercamur a Deo charismata gratiæ ejus, quæ per desideria lacrimosa, per gemitus et singultus, per orationes atque obsequia, adipisci ab ipso enitimur. Unde et Christus in Evangelio dixit : Negotiamini dum venio. De quo *Luc.* XIX, 13. commercio loquitur Deus per Isaiam : Omnes sitientes, venite ad aquas ; et qui *Is.* LV, 1. non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento et absque ulla com-

D

mutatione vinum et lac. In Apocalypsi quoque : Suadeo tibi emere a me aurum *Apoc.* III, 18. ignitum probatum, ut locuples fias.

Hinc additur : *Siquidem justæ humilitatis pretio inæstimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur :* id est, nos viatores et exsules « promeremur vicem inæstimabilem », id est copiosam et ineffabiliter piam recompensam, vicissitudinem, retributionem, « divinæ gratiæ » et omnis gratuiti doni in præsenti, ac gloriæ in futuro, « pretio justæ humilitatis », id est

merito actualis humiliationis, quæ est fundamentum virtutum et totius spiritualis exercitii basis, multumque efficax ad impetrandum a Deo desiderata. De qua in Canonica B. Jacobi legitur : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et in Ecclesiastico : Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo; ac denuo : Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Unde et in Judith dicitur Deo : Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Denique humilitas ista rectissime justa vocatur, quia tenemur nos humiliare jugiter coram Deo, tam ex parte infinitæ majestatis, dignitatis et excellentiæ ejus, quam ex parte propriæ defectuositatis tam in naturalibus quam in accidentalibus, præsertim quoniam tam frequenter atque enormiter Deum offendimus; tum quoniam quidquid boni in nobis est, a Deo collatum est, et ab ipso indesinenter dependet. Propter quod dixit Apostolus : Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Jacob. IV, 6. — Eccli. III, 20. — Ibid. XXXV, 21. — Judith IX, 16. — I Cor. IV, 7.

Qui solus modus est quo cum Deo colloqui homines posse videantur, id est, invocatio ista Dei assidua per justam humilitatem, « est solus modus quo homines » videntur « posse colloqui cum Deo ». Oratio enim est collocutio orantis cum Deo. Et sicut ait Isidorus, quando oramus, cum Domino loquimur; quando studemus, loquitur Deus nobiscum. Hinc scripsit Chrysostomus : Vide, o homo, quanta tibi attributa est gloria, quantus honor impensus, cum Christo miscere colloquia, in orationibus Deum affari. Quanta ergo est insania nostra, quod magis nos delectat cum hominibus inania fabulari, quam cum Deo nostro loqui orando, laudando, imo et meditando!

Illique inaccessæ luci, prius quoque quam impetrent, ipsa supplicandi ratione conjungi : id est, oratio hæc est etiam unicus modus quo supplicantes possint aptissime « conjungi » per mentis conversionem, intuitionem et dilectionem, « luci illi

A inaccessæ », id est incomprehensibili Deo, qui essentialiter lux est superpurissima, incomprehensibilis et immensa. De quo in prima epistola ait S. Joannes : Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ; itemque : Tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. Vas quoque electionis : Beatus est et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium; solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.

I Joann. I, 5. — Ibid. II, 8. — I Tim. VI, 15, 16.

Quocirca scire oportet, quod mens creata B dupliciter dicitur Deum accedere. Primo, accessu mediato et imperfecto, sicut in vita præsenti per fidem et speculationem, hoc est per speculum similitudinemque creaturæ in ænigmate, id est cum obscuritate : sicque accessibilis est Deus, et eum indesinenter accedere possumus et debemus. De quo accessu dicitur ad Hebræos : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ; et in Psalmo : Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Secundo, accessu perfecto et C immediato, quod fit per claram et beatificam intuitionem Dei altissimi in se ipso : et ita a viatoribus in hac vita non potest accedi, sicut nec immediate in se clare videri. Propter quod in Exodo dixit Deus ad Moysen : Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo et vivet. Sic ergo possunt supplicantes Deo conjungi « ipsa ratione supplicandi », id est, ad hoc ut ipsum exorent: sicut pauper potest januam locupletis accedere ratione mendicandi seu causa mendicati- D onis, id est, ad hoc quod mendicet. Vel, « ipsa ratione supplicandi », id est ascensu mentis in Deum. In quo ascensu ratio orationis consistit, ut asserit Damascenus : Oratio est ascensus mentis in Deum. Et « priusquam impetrent », id est, antequam optatam a Domino gratiam consequantur, cujus impetrationem solet accessus iste præcedere, de lege communi. Interdum tamen Dominus gratiam concupitam largitur ante orationis effusionem, quemadmodum de valde electis loquitur per Isaiam : Et

I Cor. XIII, 12. — Hebr. IV, 16. — Ps. XXXIII, 6. — Exod. XXXIII, 20. — Is. LXV, 24.

erit antequam clament, ego exaudiam eos; adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Ps.* x, 17, sec. Hebr. De quibus Psalmista loquitur Deo : Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Verum his objici potest, quia non solum oratione, sed etiam (imo et eminentius) contemplatione, conjungimur Deo, item laudando, psallendo ac meditando. Ad quod primo dici posset, quod Boetius loquitur hic de effectibus istis conjunctim, quoniam sola oratione cum Deo colloquimur et ei conjungimur ipsa ratione supplicandi, antequam impetremus petita. Secundo respondetur, quod oratio accipitur hic extense, prout ad contemplationem extendit se, secundum quod eam definit Damascenus, dicendo : Oratio est ascensus mentis in Deum. Quæ et sic sumpta laudem Dei includit, quoniam efficacissima oratio est quæ ex petitione et laudibus Dei constat. *Ps.* xvii, 4. Propter quod Psalmista testatur : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Quæ si, recepta futurorum necessitate, nihil virium habere credantur : id est, si spes et oratio credantur nihil valere, nihil prodesse, « necessitate futurorum recepta », id est credita seu retenta, hoc est, tenendo quod futura de necessitate eveniant ; *quid erit quo summo illi rerum Principi connecti,* id est uniri, *atque adhærere,* id est in ipsa unione stabiliter permanere, *possimus ?* quasi dicat, A Nihil, sumendo orationem extense, ut dictum est. Ipsa quippe est desiderii boni interpres, id est nuntius mentis ad Deum, reconciliatio Creatoris, sacrificium cordis, expiatio delictorum, impetratio gratiarum, pars satisfactionis, subventio defunctorum, ac omnium auxilium viatorum. Cujus virtutem et efficaciam Deus omnipotens per evidentissimos effectus, per innumerabilia signa, per innumerabiles experientias demonstravit.

Quare necesse erit humanum genus, B *uti paulo ante cantabas, disseptum atque disjunctum suo fonte fatiscere :* *Cf.* p. 516 D. hoc est, si oratio et spes in Deo nil conferunt gratiæ ac salutis, « necesse erit genus humanum disseptum », id est spiritualiter dissipatum, « atque disjunctum » a « suo fonte », id est fontali suo principio, per diffidentiam adjutorii ejus et per negligentiam invocationis ipsius (oportet enim *Luc* xviii, 1. semper orare et non deficere), « fatiscere », id est deficere a salute, ab oratione cessando : nam qui perseveraverit usque in *Matth* x, 22; xxiv, 13. C finem, hic salvus erit, ut ait Salvator. Hinc loquitur Augustinus : Si non vis in exsilio isto deficere, noli ab oratione cessare ; et rursus : Oratio est animæ bonæ præsidium, angelo sancto solatium, diabolo supplicium, Deo obsequium, cultus religionis, spes certa, sanitas incorrupta. Hinc quoque rectissime deprompsit Bernardus : Admoneo vos, fratres, semper habere ad manum tutissimum orationis suffragium.

METRUM III

Quænam discors fœdera rerum
Causa resolvit ? Quis tanta deus
Veris statuit bella duobus,
Ut quæ carptim singula constant,
Eadem nolint mixta jugari ?
An nulla est discordia veris,
Semperque sibi certa cohærent,
Sed mens cæcis obruta membris,
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus ?
Sed cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas ?

Scitne quod appetit anxia nosse?
Sed quis nota scire laborat?
At si nescit, quid cæca petit?
Quis enim quidquam nescius optet?
Aut quis valeat nescita sequi?
Quove inveniat? Quisve repertam
Queat ignarus noscere formam?
An quum mentem cerneret altam,
Pariter summam et singula norat,
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum est oblita sui,
Summamque tenet, singula perdens?
Igitur quisquis vera requirit,
Neutro est habitu : nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit.
Sed quam retinens meminit, summam
Consulit, alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere partes.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO METRI HUJUS TERTII.

In hoc metro circa jam habita movet A quæstionem Philosophia, videlicet quæ sit causa quod inter immobilem divinæ præscientiæ certitudinem atque humani arbitrii libertatem, videatur esse repugnantia tanta; et quis deus hoc fecerit ita, quod duo vera sigillatim accepta, rationabiliter sonent atque faciliter capiantur, simul vero sumpta, incompatibilia videantur. Itaque ait :

Quænam causa discors, id est repugnans, seu discordantia faciens, *resolvit,* id est, dissolvit et aufert, *fœdera rerum,* id est B convenientias et compossibilitatem entium ad invicem, præsertim inter providentiam Dei et liberum arbitrium? *Quis deus statuit,* id est, introduxit ac posuit, *tanta bella,* id est tot repugnantias, *veris duobus,* id est inter duas veritates, utpote : quod Deus universa et singula infallibiliter invariabiliterque praenoscat ac prævideat, et quod homo liberi exstet arbitrii, ac libere contingenterque agat, *ut quæ singula constant,* id est, vera et certa sunt, *carptim,* id est seorsum accepta, *eadem nolint* C *jugari,* id est combinari, *mixta?* Imo repugnantiam sortiuntur mutuo mox dum simul ponuntur, ac si esset aliquis deus causans repugnantiam istam, secundum quod Manichæi posuerunt duos deos invicem prorsus contrarios, unum scilicet essentialiter bonum, alium substantialiter malum. Ad quod Philosophia consequenter respondet.

Introductæ quæstionis solutio est, quod in ipsa præsupponitur falsum, videlicet quod una veritas sit alteri veritati contraria et repugnans. Imo, ut in primo Ethicorum testatur Philosophus, omne verum omni vero consentaneum est, nec veritati opponitur nisi falsum. Ideo dominus Stephanus episcopus Parisiensis, magister theologiæ, una cum alma Universitate Parisiensi reprobavit modum loquendi quorumdam dicentium, Hoc verum est secundum Aristotelem, non secundum fidem catholicam : quasi essent duæ veritates sibi invicem contrariæ. Imo quidquid est contra fidem christianam, est simpliciter falsum.

Denique, totum hoc metrum supra præhabitum est quantum ad sensum : præsertim metro undecimo libri tertii, Quisquis profunda mente; et partim in metro illo, O qui perpetua; ac aliis locis. lib. III, metr. 9.

Itaque ad quæstionem respondet :

An, id est, utrum hoc potius est tenendum quod, *discordia nulla est veris,* id

est, quod inter vera seu veritates nulla exstat discordia? Ideo omnis philosophorum doctrina sacræ Scripturæ contraria, falsa est absolute ; nec aliquid falsius eo quod sacrosanctæ dissonat fidei, quæ increatæ Veritatis auctoritati innititur, atque in supernaturali lumine fundatur. Propter
Galat. I, 8. quod dixit Apostolus : Licet angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Certaque,* id est certitudinaliter vera, *cohærent sibi semper,* id est, consonant sibi mutuo et concordant. Et si objiciatur, quoniam ista propositio vera est, Duo corpora nequeunt simul esse in eodem loco, nec possunt se invicem penetrare ; nihilo minus secundum theologicam veritatem est falsa, utpote in Christo instantiam passa, qui exiit clauso beatissimæ Virginis utero,
Joann. xx, 19-26. clauso quoque sepulcro, itemque clauso cœnaculo ingressus est ad discipulos : est respondendum, quod veritates istæ sibi invicem non repugnant, quoniam una est intelligenda secundum naturam, alia verificata est per supernaturalem Dei omnipotentiam. Sic enim et istæ duæ stant simul: Non possum levare saxum molare, videlicet naturali et humana potentia propria ; et, Possum levare hujuscemodi saxum, utpote supernaturali virtute. Nec est inter eas contradictio ulla, sed consonantia recta. Cur autem videatur humano imbecilli ingenio esse repugnantiam inter hujusmodi veritates, subjungitur.

Sed mens, supple humana, *obruta,* id est prægravata, oppressa, immersa, *membris cæcis,* id est partibus organicis ac materialibus intellectuali visu carentibus, *nequit noscere,* id est, non valet perspicere, *igne,* id est splendore, *luminis oppressi,* id est lucis intellectualis ac naturalis sibi innatæ seu acquisitæ notitiæ, per corpus grossum ac rude obnubilatæ, juxta illud
Sap. IX, 15. Sapientiæ : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. De hoc in Phædone Platonis et aliis allegata sunt multa superius. De quo etiam lumine fer- (*Cf.* p. 288 A, 342 C et s., 441 A et s.)

A tur in Psalmo : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Verumtamen (*Ps.* IV, 7.) non intelligendum est, quod mens seu vis intellectiva sit organica aut materialis potentia. Imo, ut tertio de Anima dicitur, Anaxagoras optime dixit : Intellectus omnino immixtus est, liber a proprietatibus corporis, immaterialis et separatus. Sed quoniam anima est obruta carne, intellectus seu mens exsistens in anima, dicitur obruta corpore membrisque ejus, ita quod « nequit noscere » *nexus rerum te-*
B *nues,* id est connexiones et consonantias rerum subtiles, difficiles ac profundas, sicut de providentia Dei et libertate arbitrii.

Quocirca tangitur alia quæstio, qualiter scilicet mens humana tam avide quærit hujuscemodi veritates cognoscere, si eas ignorat, quum ignotum non valeat appeti nec amari, præsertim quum objectum voluntatis sit bonum intellectum, id est intellectualiter cognitum, ut tertio de Anima edocetur, et S. Augustinus frequenter fa-
C tetur, præsertim libro de Trinitate.

Sed cur, id est, si ita illa se habent, cur mens, *flagrat* (id est ardet) *amore tanto reperire,* id est acquirere per propriam inventionem alteriusve doctrinam, *notas* (id est expressiones) *veri tectas,* id est latentes et exaratas in rerum naturis sinibusque secretis? Veritates enim scientiarum fundamentum habent in rebus, et eliciuntur ex eis. Hinc mens cupit agnoscere veritatum « notas tectas », id est impressuras et signaturas contentas in re-
D bus, ac ipsis influxas ex idealibus rationibus mentis divinæ.

Scitne, id est, utrum mens scit, *quod* ipsa *anxia,* id est sollicita et cum anxietate non pertingendi, *appetit nosse,* id est agnoscere? Consequenter arguit quod non, subdendo : *Sed quis laborat scire nota?* quasi dicat, Nemo conatur scire quæ scit : quamvis interdum studeat ad memoriam revocare quæ novit, vel actualiter considerare quæ habitualiter noscit, aut certe clarius sive distinctius intelligere quæ

imperfecte aut in generali cognovit; quemadmodum videns pulchrum hominem aut picturam a remoto seu obscure, cupit ea limpidius intueri.

Deinde probat quod imo scit ea. *At si nescit,* id est, si prorsus ignorat quæ quærit ac nititur scire, *quid petit cæca?* id est, tunc ipsa nescit quid petat et cupiat. *Quis enim nescius quidquam optet?* id est, nullus optat quod penitus nescit. *Aut quis valeat nescita sequi?* id est, nemo potest utiliter sequi, insectari vel apprehendere ea quæ ignorat omnino : sicut paterfamilias servum insequens fugitivum, non potius apprehenderet eum quam alium, nisi agnosceret ipsum. Ideo subditur : *Quove,* id est quomodo, vel ubi, *inveniat,* id est, reperire poterit ignorata? *Quisve ignarus queat noscere formam repertam?* id est, nemo ignorans « formam » aut speciem seu figuram rei quæsitæ, apprehendet eam, quamvis ipsam invenerit.

Consequenter solutionem inducit. Quæ tamen Platonica magis quam catholica esse videtur, nisi pie intelligatur : propter quod auctor loquitur inquisitive magis quam assertive. *An quum mentem cerneret altam,* id est, utrum hoc potius est tenendum, quod dum mens humana rationalisve anima « cerneret mentem altam », id est, contemplaretur sublimem illam mentem increatam, *pariter summam et singula norat,* id est, agnoverat omnia in communi et in particulari, habendo generalem notitiam, et etiam distincte cuncta sciendo, *nunc condita,* id est operta et obscurata, *nube* (id est velamento et obscuritate) *membrorum, oblita est sui,* id est præhabitæ scientiæ de se ipsa ac aliis, *non in totum,* id est non totaliter, quia non quoad confusam et generalem cognitionem, sed quoad distinctam, sicut subjungitur, *tenetque summam,* id est generalem atque summariam

A quamdam notitiam, *perdens singula,* id est notitiam singulorum?

Igitur, id est, ex prædictis sequitur quod, *quisquis,* id est quicumque, *requirit vera,* id est veras de rebus scientias, *neutro est habitu,* id est, neque in absoluta rerum omnium notitia, neque in absoluta rerum omnium ignoratione versatur. Quod consequenter exponitur. *Nam neque novit omnia,* quia non scit universa particulariter et distincte, *nec tamen nescit,* id est, non tamen ignorat, *penitus* omnia,
B imo adhuc scit ea confuse et universaliter. *Sed summam,* id est generalem notitiam, *quam retinens meminit,* id est, quam adhuc ad memoriam revocat, *consulit,* id est, ex generali illa notione consiliatur, investigat, discurrit, *retractans,* id est, de novo intra se tractans, perpendens, advertens, *alte* (id est subtiliter ac profunde) *visa,* id est prius cognita, ad tempus oblita, ad quorum notitiam redit ex generali cognitione quam reservavit, *ut queat addere partes oblitas,* id est particulares
C scientias oblivioni jam traditas ex immersione in corpore, *servatis,* id est generalibus notitiis memoriter retentis.

Ecce, ut recitatum est sæpe, ista fuit phantasia Platonis, quod universæ animæ rationales fuerunt ab exordio simul creatæ in scientiis virtutibusque perfectæ, atque in stellis comparibus collocatæ, deinde tempore opportuno immissæ corporibus, et quod ex ipsa incorporatione oblivionem pepererunt multorum, ac minorationem scientiæ. Et huic opinioni videtur Boetius
D in hoc libro totali frequenter alludere, nescio quo respectu. Absolute tamen loquendo, opinio ista est falsa, imo ab Aristotele efficaciter improbata; et ab Ecclesia censetur hæretica : idcirco non est imaginandum quod Boetius simpliciter senserit ista, ut plenius dictum est supra, ubi et argumenta Platonis soluta sunt.

Cf. p. 379 D et s., 418 B et s.

PROSA IV

TUM illa : Vetus (inquit) hæc est de providentia querela, Marcoque Tullio, quum divinationem distribuit, vehementer agitata, tibique ipsi res diu prorsus multumque quæsita; sed haudquaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita. Cujus caliginis causa est, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoveri. Quæ si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui : quod ita demum patefacere atque expedire tentabo, si prius ea quibus moveris expendero.

Quæro enim cur illam solventium rationem minus efficacem putes, quæ quia præscientiam non esse futuris rebus causam necessitatis existimat, nihil impediri præscientia arbitrii libertatem putat. Num enim tu aliunde argumentum futurorum necessitatis trahis, nisi quod ea quæ præsciuntur, non evenire non possunt? Si igitur prænotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem (quod tu etiam paulo ante fatebare), quid est quod voluntarii exitus rerum ad certum cogantur eventum? Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas, statuamus nullam esse præscientiam : num igitur, quantum ad hoc attinet, quæ ex arbitrio eveniunt, ad necessitatem coguntur? Minime. Statuamus iterum esse, sed nihil rebus necessitatis injungere : manebit (ut opinor) eadem voluntatis integra atque absoluta libertas.

Sed præscientia, inquies, tametsi futuris eveniendi necessitas non est, signum tamen est, necessario ea esse ventura. Hoc igitur modo, etiam si præcognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret : omne etenim signum, tantum quid sit ostendit, non vero efficit quod designat. Quare demonstrandum prius est, nihil non ex necessitate contingere, ut prænotionem signum esse hujus necessitatis appareat. Alioqui si hæc nulla est, nec illa quidem ejus rei signum poterit esse quæ non est. Jam vero probationem firma ratione subnixam constat, non ex signis neque petitis extrinsecus argumentis, sed ex convenientibus necessariisque causis esse ducendam.

Sed qui fieri potest ut ea non proveniant quæ futura esse providentur? Quasi vero nos ea quæ Providentia futura esse prænoscit, non eventura credamus; ac non illud potius arbitremur, licet eveniant, nihil tamen, ut evenirent, sui natura, necessitatis habuisse : quod hinc facile perpendas licebit. Plura etenim, dum fiunt subjecta oculis, intuemur : ut ea quæ in quadrigis moderandis atque flectendis facere spectantur aurigæ, atque ad hunc modum cetera. Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit? Minime : frustra enim esset artis effectus, si omnia coacta moverentur. Quæ igitur quum fiunt, carent exsistendi necessitate, eadem priusquam fiant, sine necessitate futura sunt. Quare sunt quædam eventura quorum exitus ab omni necessitate sit absolutus. Nam illud quidem nullum arbitror

esse dicturum, quod quæ nunc fiunt, priusquam fierent, eventura non fuerint. Hæc igitur, etiam præcognita, liberos habent eventus : nam sicut scientia præsentium rerum nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt necessitatis importat.

Sed hoc (inquis) ipsum dubitatur, an earum rerum quæ necessarios exitus non habent, ulla possit esse prænotio : dissonare etenim videntur. Putasque, si provideantur, consequi necessitatem; si necessitas desit, minime præsciri, nihilque scientia comprehendi posse nisi certum. Quod si quæ incerti sunt exitus, ea quasi certa providentur, opinionis id esse caliginem, non scientiæ veritatem. Aliter enim ac sese res habeant arbitrari, ab integritate scientiæ credis esse diversum. Cujus erroris causa est, quod omnia quæ quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci existimat quæ sciuntur : quod totum contra est. Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem. Nam ut hoc brevi liqueat exemplo, eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit : ille eminus manens, totum simul jactis radiis intuetur ; hic vero cohærens orbi atque conjunctus, circa ipsum motus ambitum, rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur. Sensus enim figuram in subjecta materia constitutam, imaginatio vero solam sine materia judicat figuram. Ratio vero hanc quoque transcendit, speciemque ipsam, quæ singularibus inest, universali consideratione perpendit. Intelligentiæ vero celsior oculus exsistit : supergressa namque universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. In quo illud maxime considerandum est, quod superior comprehendendi vis amplectitur inferiorem, inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam. Sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma, quæ subsunt etiam cuncta dijudicat ; sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterat, comprehendit. Nam et rationis universum, et imaginationis figuram, et materiale sensibile cognoscit, nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed illo ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens. Ratio quoque quum quid universale respicit, nec imaginatione nec sensibus utens, imaginabilia vel sensibilia comprehendit. Hæc est enim quæ conceptionis suæ universale ita definit : homo est animal bipes rationale. Quæ quum universalis notio sit, tamen * imaginabilem sensibilemque esse rem nullus ignorat : quod illa non imaginatione vel sensu, sed rationali conceptione considerat. Imaginatio quoque tametsi ex sensibus visendi formandique figuras sumpsit exordium, sensu tamen absente, sensibilia quæque collustrat, non sensibili sed imaginaria ratione judicandi. Videsne igitur ut in cognoscendo, cuncta sua potius facultate quam eorum quæ cognoscuntur, utantur? Neque id injuria : nam quum omne judicium, judicantis actus exsistat, necesse est ut suam quisque operam non ex aliena sed ex propria potestate perficiat.

* tum

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS QUARTÆ.

IN prosa hac et consequenter usque ad A finem libri, immoratur Philosophia determinationi et declarationi quæstionis motæ in prosa præcedenti, de compatibilitate providentiæ Dei ac fati cum libertate arbitrii, solutionibus quoque argumentorum contra hoc inductorum : tractat quoque de quibusdam annexis, præsertim de æternitate.

Tum illa, id est tunc Philosophia : *Vetus (inquit) hæc est de providentia querela :* hoc est, quæstio et disputatio ista instar querelæ contentiosa, « est vetus », id B est antiqua, etiam in lege naturæ a gentilibus atque philosophis et poetis multipliciter ventilata : *Marcoque Tullio, quum divinationem distribuit, vehementer agitata :* id est, valde hinc inde discussa a Cicerone (qui etiam dictus est Marcus ac Tullius, secundum quod magni Romani consueverunt esse multinomii), « quum distribuit divinationem », id est in libro de Divinationibus, in quo distribuit (id est, dividit et distinguit) divinationem in species suas, puta, in eam quæ fit per exta, atque eam C quæ fit per auguria garritusve avium, et item in eam quæ captatur per flumina. De quibus et in opusculo Contra superstitiones plenius scripsi, et S. Thomas in secunda secundæ. (quæst. xcv.) *Tibique ipsi res diu prorsus multumque quæsita :* id est, materia seu quæstio ista est « quæsita tibi ipsi », id est a te ipso investigata, vel tibi proposita, valde diu et multum ; *sed haudquaquam expedita,* id est, quæstio hæc non est soluta, *ab ullo vestrum,* id est ab aliquo philosophorum, *hactenus,* id est hucusque, D *satis diligenter ac firmiter,* id est resolute ac solide.

Cujus caliginis (id est insufficientis expeditionis et obscuræ determinationis) *causa est, quod humanæ ratiocinationis motus,* id est discursus, inquisitiones et argumentationes humanæ, *ad divinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoveri,* id est, non valet applicari, conjungi, attingere, « ad simplicitatem præscientiæ divinæ », quæ est una et simplex in se, ac uno intuitu universa et singula præterita, præsentia et futura cognoscit, quasi præsentia et tanquam principaliter in luce suæ sapientiæ constituta, et totum hoc conspicit simul ac semel, invariabiliter, infallibiliter atque certissime. *Quæ si ullo modo cogitari queat,* id est, si hæc præscientia et providentia Dei possit aliquo modo a nobis « cogitari », id est cognosci sicuti est, *nihil prorsus relinquetur ambigui,* id est, nihil dubitationis de hac quæstione manebit quantum ad ea quæ necesse est sciri de ea, quamvis adhuc innumeræ quæstiones possint de ista moveri materia. *Quod demum,* id est quam tandem difficultatem de simplicitate præscientiæ Dei, id est de simplicissima præscientia ejus, quæ non multiplicatur secundum multitudinem ac diversitatem præscitorum, quia nec causatur neque dependet ab illis, imo potius est causa illorum, *ita patefacere atque expedire tentabo,* secundum modum possibilitatis humanæ, non tamen plenarie, quum præscientia illa sit ipsemet Deus cuncta prænoscens, et tam incomprehensibilis sicut et Deus, juxta illud in Job : Digne eum invenire non possumus, et enarrari non potest. (Job xxxvii, 23.) Unde et denuo dicitur : Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? (Ibid. xi, 7.) *Si prius ea quibus moveris expediero**, id est, dum solvero argumenta quibus

* expendero

moveris ad opinandum quod providentia Dei et libertas arbitrii nequeant simul stare.

Quæro enim, id est, interrogo te, *cur putes illam rationem,* id est responsionem, *solventium* argumenta contra providentiam Dei et libertatem arbitrii introducta, *minus efficacem,* id est non satis idoneam, *quæ* responsio *putat libertatem arbitrii nihil impediri præscientia,* id est ex præcognitione et providentia Dei, *quia existimat præscientiam* Dei *non esse causam necessitatis rebus futuris.* Quæ solutio in hoc quidem vera est, quod asserit præscientiam Dei non esse necessariam causam ex æquo quibuslibet rebus futuris. Contingentia quippe futura Deus prænoscit ac prævidet, item futuros hominum lapsus atque peccata : quæ tamen contingenter et non necessario fiunt. Non tamen in hoc vera est, quod dicit ideo Deum præscire aliquid tunc futurum, quia res illa futura est. Hæc namque illorum solutio est qui dicebant non ideo rem esse futuram quia Deus præscivit eam esse futuram, sed ideo Deum id præscire quia futurum fuit. *Num enim tu,* o Boeti, *trahis,* id est elicis, *aliunde argumentum necessitatis futurorum, nisi quod ea quæ præsciuntur, non evenire non possunt,* id est, « non possunt non evenire » ? Ex quo sequi videtur quod necessario veniant. *Si igitur prænotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem,* id est, si præscientia Dei non imprimit futuris rebus necessitatem aliquam, *quod tu etiam paulo ante fatebare,* id est, fatebaris et concedebas, *quid est,* id est, quæ causa est, *quod voluntarii exitus rerum,* id est exsecutiones rerum humanarum a voluntate procedentes, *ad certum cogantur eventum,* id est, necessario constringantur ad determinatum eventum? Si enim providentia necessitatem non influit rebus, ergo nec fatum, quum series fati ab ordine providentiæ sit dependens.

Cf. p. 578 C.

Cf. p. 579 D.

Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas, id est, causa disputationis, ut veritas innotescat, *statuamus,* id

A est, ponamus per impossibile, *nullam esse præscientiam,* id est Deum non habere præcognitionem ac providentiam futurorum. *Num igitur, quantum ad hoc attinet, quæ ex arbitrio eveniunt, ad necessitatem coguntur?* id est, num ex illa positione fit consequens ut ea quæ fiunt « ex arbitrio », id est judicio nostræ mentis nostraque potestate, cogantur « ad necessitatem », id est, necessario contingere adstringantur, « quantum attinet ad hoc », id est, quantum spectat ad id quod præ-

B scientia Dei non sit, sicut continet casus iste? *Minime,* id est, nequaquam sequitur quod veniant ex necessitate. *Statuamus iterum esse,* id est, rursus ponamus providentiam esse in Deo, *sed nihil rebus necessitatis injungere,* id est, quod ipsa providentia necessitatem nullam rebus inducat. *Manebit (ut opinor) eadem voluntatis integra atque absoluta libertas.*

Sed præscientia, inquies, tametsi futuris eveniendi necessitas non est : id est, tu forsitan dices, « Tametsi », id est quam-

C vis, « præscientia non est necessitas eveniendi », id est causa necessitatis eveniendi, « futuris » rebus; *signum tamen est, necessario ea esse ventura.* Contra quod arguit. *Hoc igitur modo, etiam si præcognitio non fuisset,* id est, quamvis præscientia futurorum non præexstitisset in Deo, *necessarios futurorum exitus esse constaret,* id est, certum esset quod eventus futurorum de necessitate acciderent. *Omne etenim signum, tantum quid sit ostendit,* id est, signum quodcumque in quantum

D signum, dumtaxat « ostendit quid sit », id est, quid vere realiterque consistat, videlicet res quædam signata, *non vero efficit quod designat :* quod verum est tam de signo prognostico futuri, quam de signo memorativo præteriti. *Quare demonstrandum prius puto**, *nihil non,* id est omnia, *ex necessitate contingere, ut appareat prænotionem,* id est, quatenus videatur Dei præscientiam, *esse signum hujus necessitatis,* id est necessariæ eventionis futurorum, secundum quod ista tenet opinio.

* *est*

Tanquam dicat : Puto, imo et scio, quod ista opinio primo habet probare futura de necessitate accidere, antequam rationabiliter asserat quod providentia Dei sit signum necessitatis illius; quoniam ejus quod non est, non est aliquod signum, quum signum et signatum sint correlativa. Hinc subditur : *Alioqui si hæc nulla est*, id est, si nulla est necessitas futurorum eventuum et actuum humanorum, *nec illa quidem ejus rei signum poterit esse quæ non est* : hoc est, « nec illa », utpote præscientia, « poterit esse signum ejus rei quæ non B est », id est necessitatis non exsistentis.

Consequenter declarat Philosophia, quod ratio opinionis illius non est firma et efficax. *Jam vero constat*, id est, hoc modo « constat » et certum est, *probationem firma ratione subnixam*, id est argumentationem fulcitam ac stabilitam præmissis causis rationabilibus ac validis fundamentis atque motivis, *non ex signis*, id est levibus conjecturis et inefficacibus mediis, *neque* ex *argumentis petitis extrinsecus*, id est impertinentibus et topicis C locis, *sed ex convenientibus necessariisque causis*, id est ex causis formalibus, intrinsecis et propriis, quibus proprie competit ratio causæ, *esse ducendam*, id est formandam et concludendam. Causa quippe proprie appellatur, ad cujus esse sequitur aliud, vel qua posita ponitur effectus. Talis autem non est probatio præfatæ opinionis, quum procedat ex causa extrinseca, remota, universali, videlicet ex signo.

Deinde tangit Philosophia quod pro defensione illius opinionis posset quis dice- D re. *Sed qui*, id est quomodo, *fieri potest ut ea non proveniant quæ futura esse providentur*, id est, a Deo prænoscuntur esse ventura? Ad quod Philosophia respondet, hoc inutiliter iterari ac objici, quum hoc ipsa non dicat. *Quasi vero nos ea quæ Providentia futura esse prænoscit, non eventura credamus.* Ac si dicat : Quæstio illa sonat ac si nos concederemus et crederemus illa non esse futura quæ Deus futura agnoscit; quod minime dicimus.

A *Ac non illud potius arbitremur*, id est, non magis judicemus ac sentiamus, *licet eveniant, nihil tamen, ut evenirent, sui natura, necessitatis habuisse*, id est, quamvis contingat ut fiant, « nihil tamen necessitatis habuisse » ex propria sua natura ad hoc quod evenirent. Attamen dato quod a Deo prævisa sunt, non possunt non evenire, loquendo de eis formaliter et in sensu composito : tamen secundum se sumpta et quantum ad ea quæ ex propria natura conveniunt eis, eveniunt contingenter ac libere. Cujus subdit exemplum.

Quod hinc facile perpendas licebit : id est, licitum erit ut « perpendas », id est consideres, hoc « hinc », id est ex isto quod subditur. *Plura etenim, dum fiunt subjecta oculis, intuemur* : id est, nos « intuemur » corporalibus oculis « plura, dum fiunt subjecta », id est præsentialiter exhibita et ostensa, « oculis » nostris; *ut ea quæ in quadrigis moderandis atque flectendis facere spectantur aurigæ* : id est, sicut sunt « quæ aurigæ » conspiciuntur « facere in quadrigis », præsertim onustis, « moderandis », id est dirigendis, « atque flectendis », id est reducendis ad medium; *atque ad hunc modum cetera*, id est, his consimilia multa videmus in aliis. *Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit?* id est, numquid « necessitas ulla compellit quidquam illorum fieri ita », id est taliter dirigi et flecti? *Minime*, id est nequaquam, quum experimentaliter atque certissime constet omnia ista indeterminate accidere, libere fieri, et ex accidentalibus causis contingere. *Frustra enim esset artis effectus, si omnia coacta moverentur*, id est, operatio illa directoria ipsius aurigæ artisque suæ inanis esset, si currus et quidquid spectat ad ipsum, ut sunt equi, ex necessitate moverentur tali vel tali modo : sic enim aurigæ directio nihil juvaret in motu quadrigæ, id est, sive adesset sive abesset, quadriga eodem modo procederet.

Quæ igitur quum fiunt, carent exsi-

stendi necessitate, eadem priusquam fiant, A *sine necessitate futura sunt :* quod possit probari argumentis fundatis in loco a simili, et item in loco a proportione. Potest quoque ratio generalis ita formari : Nullum contingens ex sua natura, provenit ex necessitate. Sed universi effectus artis sunt contingentes : aliter ipsa ars frustra addisceretur. Amplius, ad idem possit adduci ratio Aristotelis, libro de Cœlo et mundo sic arguentis : Quidquid aliquando est, aliquando non est, possibile est esse, et possibile est non esse. Sed omnes effectus B artis, plures quoque effectus naturæ, interdum sunt, et interdum non sunt. Ergo sunt possibiles esse et non esse : non ergo de necessitate proveniunt. Sicque ratio ista non solum concludit de operibus artis, sed de operibus quoque naturæ, saltem in parte.

Hinc Philosophia concludit : *Quare sunt quædam eventura quorum exitus,* id est eventus seu progressio in esse et non esse, *ab omni necessitate sit absolutus,* id est ab omni necessaria determinatione ad unum C seu inevitabili futuritione. Nihilo minus in omni ente est necessitas aliqua quantum ad ea quæ sibi ex propria ratione atque intrinseca formalitate conveniunt. *Nam illud quidem nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc fiunt, priusquam fierent, eventura non fuerint :* imo hoc dicere, esset propriam vocem non intelligere, quum implicet contradictionem. *Hæc igitur, etiam præcognita, liberos habent eventus :* id est, contingentia ista, ut artificialia et naturalia quædam, quamvis D a Deo æternaliter invariabiliterque præcognita, attamen contingenter et libere accidunt. Ad quod additur ratio. *Nam sicut scientia præsentium rerum nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt necessitatis importat :* id est, sicut scientia rerum modo præsentium nihil necessitatis ingerit rebus præsentibus, ita præscientia futurorum nihil necessitatis invehit seu inducit rebus futuris. Quumque universa et singula Deus æternaliter intueatur in luce sapientiæ suæ atque in idealibus rationibus suæ mentis, tanquam sibi præsentia, constat quod scientia sua nullam rebus necessitatem influat seu importet : præsertim quia scientia et cognitio rei est secundum modum cognoscentis, non cogniti, ut in libro de Causis habetur, et infra clarius deducetur.

Consequenter tangit Philosophia replicam quamdam contra prædicta.

Sed, inquies,* id est, o Boeti, forsitan dices, *hoc ipsum dubitatur,* id est, incertum est, et nondum satis probatum, *an possit esse ulla prænotio,* id est aliqua præscientia, *earum rerum,* videlicet contingentium, *quæ non habent necessarios exitus,* id est certos inevitabilesque eventus. *Dissonare etenim videntur,* id est, hæc duo videntur invicem repugnare, aliquid præsciri, et tamen non necessario evenire. *Putasque, si provideantur, consequi necessitatem,* id est, tu putas sequi quod res necessario erunt, si prævideantur a Deo futuræ : jam enim dixisti te non velle fateri, quod aliquid sit a Deo præcognitum esse futurum, et tamen possit non evenire. *Si necessitas desit, minime præsciri :* id est, tu etiam putas, secundum quod verba tua præhabita sonant, aliquid « minime præsciri », id est non vere certitudinaliterque præcognosci, « si desit necessitas », id est, si non sit necessarium evenire id ipsum ; quia scientia est eorum quæ se aliter habere non valent, sicut istud jam sæpissime est prædictum. Ideo subditur : *nihilque scientia comprehendi posse nisi certum :* id est, tu (ut patuit) putas ac sentis « nihil posse comprehendi scientia », id est nihil scientialiter seu per scientiam posse cognosci, « nisi certum », quod scilicet aliter esse aut evenire non poterit.

Quod si quæ incerti sunt exitus, ea quasi certa providentur : id est, « si ea quæ sunt exitus incerti », id est, quæ habent exitum seu eventum incertum, id est non necessarium nec determinatum, « pro-

* inquis

Cf. p. 578 B et s.

Cf. p. 578 A' et s., 580 A' et s.

videntur quasi certa », id est, putantur præsciri ut certa ; putas *id esse caliginem opinionis*, id est ignorantiam seu errorem vel saltem obscuritatem « opinionis », quæ est assensus cum formidine de opposito, aut certe tenebrosa ac partim erronea cognitio, quamvis putetur certa atque totaliter vera notitia, *non scientiæ veritatem*, id est non veram et certam scientiam aut veræ scientiæ actualem notitiam. *Aliter enim ac sese res habeat* arbitrari, ab integritate scientiæ credis esse diversum :* id est, tu sentis esse extraneum et remotum « ab integritate », id est puritate ac veritate, « scientiæ, arbitrari », id est judicare seu affirmare, de re hac « aliter » quam « habeat sese ».

* habeant

Deinceps Philosophia exponit causam deceptionis putantium simul stare non posse certam et distinctam providentiam Dei, et libertatem arbitrii ac contingentiam rerum.

Cujus (videlicet præfati) *erroris causa est* alius error, ex quo iste consequitur : nam, sicut uno inconveniente dato, plura sequuntur, et sicut ex uno peccato per pœnitentiam non deleto, mox homo in aliud labitur ; ita ex uno errore oritur alter. Itaque alius iste error est, *quod omnia quæ quisque novit, existimat cognosci tantum ex vi atque natura ipsorum quæ sciuntur,* id est juxta proprietatem et quidditatem scibilium, et secundum modum rerum intellectarum et cognitarum : *quod totum contra est,* id est, econverso se habet, et veritati contrarium est. *Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem :* id est, omne quod apprehenditur, percipitur « non secundum sui vim » propriam, « sed potius secundum facultatem cognoscentium ». Cognitio namque est actus quidam seu actio cognoscentis. Sed omne agens agit secundum quod est in actu, et secundum modum suæ naturæ. Itaque modus agendi verificatur et conformatur et proportionatur modo essendi, ut non solum Peripatetici A sed Platonici quoque concorditer docuerunt. Unde subjungitur :

Nam ut hoc brevi liqueat exemplo, eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit, id est, sensus visus seu vis visiva, et sensus tactus, diversimode noscunt rotunditatem. *Ille eminus manens,* id est visus remote consistens, *totum simul jactis radiis intuetur,* id est, totam rotunditatem seu sphæricum corpus uno ictu, subito « intuetur radiis jactis », id est, speciebus visualibus seu B radiis luminis quod ad videndum requiritur et concurrit, diffusis per medium et multiplicatis usque ad oculum ; *hic vero cohærens orbi atque conjunctus,* id est tactus applicatus ac contiguus corpori rotundo, *circa ipsum motus ambitum,* id est per gyrum circumductus, *rotunditatem partibus comprehendit,* id est, successive percipit « rotunditatem partibus », id est per partes ipsius, successive tangendo unam post aliam. Visus ergo quo spiritualior seu interiori visioni propinquior, eo C inter exteriores sensus spiritualius, celerius perfectiusque cognoscit suum objectum. Rotunditas tamen inter objecta sensuum communia computatur, eo quod pluribus exterioribus sensibus apprehendatur.

Subditur demum de hoc secundum exemplum. *Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur,* id est, apprehendit ac noscit. *Sensus enim,* id est sensus exterior, ut visus, *judicat,* id est, D simplici apprehensione percipit, *figuram constitutam in materia subjecta,* id est sibi realiter ac præsentialiter præsentatam. De quo judicio in libro Job legitur : Nonne auris verba dijudicat, et fauces co- Job XII, 11.
medentis, saporem ? *Imaginatio vero,* id est vis imaginativa, quæ est sensus interior, judicat *solam figuram sine materia :* quia etsi in absentia rei imaginatur figuram (non tamen sine appendiciis conditionibusque materiæ), nihilo minus apprehendit etiam figuram in suo subje-

cto, quanquam et ultra hoc, modo sublimiori, cum quadam abstractione. *Ratio vero hanc quoque transcendit,* id est, altior est imaginatione, quum sit inorganica, immaterialis incorruptibilisque potentia cognitiva, super actum proprium reflexiva ; *speciemque ipsam, quæ singularibus inest, universali consideratione perpendit :* id est, ratio ipsa « perpendit », id est, scrutatur ac perspicit, « consideratione universali », id est in generali, abstrahendo ab hac ceterisque materiæ conditionibus, « ipsam speciem », id est naturam specificam, « quæ inest singularibus », non ut accidens : sunt quippe multi modi essendi in alio.

Intelligentiæ vero celsior oculus exsistit : supergressa namque universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. Quidam exponunt ista de intelligentia quæ est substantia separata seu angelus ; nec dubium quin mens illa angelica multo limpidius, purius, eminentius intelligat quam ratio humana. Litteralius tamen dictum videtur de intellectu hominis, qui quamvis realiter sit idem quod ratio, ratione tamen differt ab ea : ita quod eadem vis ratio appellatur secundum quod est discursiva, intellectus vero secundum quod simplici intuitu immaterialium est intuitiva ; quæ vis insuper intelligentia nuncupatur quantum ad supremum quod competit ei, videlicet prout respectum habet et vultum ad summa, estque signaculum Lucis increatæ et Creatoris imago supra tempus atque continuum elevata, habens sibi impressam synderesim, et instar intelligentiæ separatæ divinorum contemplativa, præsertim per raptum et immersionem in divitias gloriæ Dei, ita quod vita et contemplatio ejus ad punctum et ad modicum talis est qualis est æternaliter vita mentis divinæ ac increatæ, ut Aristoteles breviter tetigit, et Plato plenius est locutus. Quam contemplationem divinus Dionysius mysticam nominat theologiam et anagogicam intuitionem : in qua mens nequaquam phantasmata speculatur, ut quidam imaginantur. Itaque, « intelligentiæ », id est intellectivæ potentiæ taliter sumptæ, est « oculus celsior », id est contemplatio sublimior atque divinior : « supergressa namque » intelligentia ista desuper illustrata « ambitum universitatis », id est gyrum et ordinem totius universi sensibilis ac mundi inferioris ; vel, « ambitum universitatis », per omnimodam supergressionem abstractionis stando in ipsis purissimis rerum formis, quidditatibus essentiisque simplicibus ac metaphysicalibus : ideo Philosophia effatur, quod « pura mentis acie », id est divino et elevato cacumine, « formam simplicem contuetur », id est contemplatur, imo et formam illam purissimam cuncta formantem, et ideales rationes ipsius, de quibus prædictum est : Tu cuncta superno ducis ab exemplo. p. 372 C.

(De Theol. myst. c. 1.)

Consequenter tangit Philosophia quoddam notabile circa inducta, pro declaratione eorum inferens proprietatem ad omnia tota potestativa spectantem.

In quo, puta in eo quod dictum est de variis modis cognoscendi eamdem rem per diversas prætactas potentias, *illud maxime considerandum est* quod subditur : *nam* * *superior comprehendendi vis,* id est altior potentia cognoscitiva, *amplectitur inferiorem,* id est, comprehendit et includit in se vim et actum inferioris cognitivæ potentiæ, cognoscendo quæ ista, verumtamen per modum sublimiorem quam ista : *inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit,* id est, vis inferior nequaquam pertingit ad perfectionem et actionem superioris cognitivæ virtutis. Et idem judicium est de appetitivis potentiis, puta de appetitu sensitivo et intellectivo.

* *quod*

Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, id est, sensitiva vis apprehensiva nullatenus potest aliquid sensibiliter noscere, « extra materiam », id est immateriale objectum : quod nec exterior neque interior sensus potest ; *vel universales species imaginatio contuetur,* id est,

nec vis imaginativa potest in se recipere atque inspicere « species » aut similitudines « universales », id est prorsus abstractas a materia et appendiciis ejus, quum tales species sint spirituales et immateriales, quæ subjectari aut esse in vi organica et materiali subjecto non possunt. Insuper imaginatio nequit cognoscere « species universales », id est naturas specificas et communes, quæ sunt intellectivæ potentiæ objecta, nec cognoscuntur in universali nisi per species intelligibiles prorsus abstractas. Verumtamen suprema vis sensitiva interior cognoscitiva, utpote vis cogitativa, quæ et tertio de Anima nuncupatur intellectus passivus, apprehendit naturam ut in supposito. *Vel ratio capit simplicem formam,* id est, potentia rationalis, quæ realiter idem est cum vi intellectiva, tamen quantum ad actum, gradum seu officium quo ratio nominatur, hoc est, in quantum discursiva est, non intelligit essentiam simplicem, juxta sensum quo hoc convenit intelligentiæ, sicut modo expositum est. Itaque in his abnegatio illa « neque » cadit super totum hoc sequens inductum.

Sed intelligentia, id est intellectiva potentia quantum ad apicem ac supremum sui, quo intelligentia nominatur, *spectans,* id est contemplans, *quasi desuper,* id est ex arce eminentiæ suæ, qua cum intelligentiis separatis communicat, *concepta forma, quæ subsunt etiam cuncta dijudicat :* id est, discernit, intelligit, judicat « etiam cuncta quæ subsunt », id est inferiora, videlicet objecta rationis et imaginationis ac sensuum, quæ cognoscit modo excellentiori quam vires illæ inferiores, et hoc, « forma concepta », id est ipsa simplici essentia intellecta. *Sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterat, comprehendit,* id est, intelligentia comprehendit et inspicit illa inferiora intuitu puro ac simplici quo et ipsam conspicit quidditatem, quemadmodum etiam mentes angelicæ cuncta inferiora conspiciunt : quanquam communiter

A dicatur per reflexionem hoc fieri, et interdum sic fiat.

Nam et rationis universum, et imaginationis figuram, et materiale sensibile cognoscit : id est, ipsa intelligentia « cognoscit universum rationis », id est universale quod a ratione abstrahente concipitur et universa individua seu particularia sua complectitur et includit ; cognoscit quoque « figuram imaginationis », id est figuram circa quam vis imaginativa versatur ; item cognoscit « materiale sensibile », id

B est sensibilia sensuum exteriorum objecta, attamen abstractive et quidditative, secundum quod metaphysicus considerat omnes prædicamentales essentias. Propter quod subditur : *nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed illo ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens,* hoc est, cuncta pure intelligens secundum excellentiæ suæ modum, non instar virium inferiorum, puta « formaliter », sicut et intelligit simplicem formam. Ex quibus evidenter probatur,

C quod mens humana seu intelligentia ista apicis mentis nequaquam in omni sua intellectione, intuitione seu contemplatione speculatur phantasmata ; imo speculatio illa esset ut fumus limpiditatem intelligentiæ offuscans : nisi forte quis volens effugere, dicat hæc esse intelligenda non de intelligentia humana, sed separata. Nec tamen ita evadet, quoniam et de ratione, quæ est utique potentia animæ, subditur :

Ratio quoque quum quid universale ita

D *respicit :* id est, dum « ratio » abstrahens universale a particularibus, inspicit « ita », id est tam abstracte, aliquod « universale » in sua universalitate, sine reflexione ad particulare et ad phantasma, quia natura communis sufficienter resplendet ac repræsentatur in specie et similitudine sua depurata et abstracta, in lumine rationis consistente ac posita, juxta quod ait Philosophus, quod lapis non est in anima, sed species lapidis. Cujus speciei depuratæ puritas, per intuitionem phan-

tasmatis tanquam labem contraheret materialitatis cujusdam. *Nec imaginatione nec sensibus utens :* quod verum non esset si specularetur phantasmata. Attamen potentiis illis sensitivis usa est, a sensitiva cognitione ad intellectivam ascendendo, in inchoatione et adeptione intellectivæ notitiæ : qua adepta, libere utitur ea sine inspectione phantasmatis ; quemadmodum qui per scalam ascendit solarium et per navem mare transfretavit, jam exsistens in loco optato, operatur ibidem sine adminiculo scalæ seu navis. *Imaginabilia vel sensibilia comprehendit* secundum modum suum in hujusmodi elevatione, instar mentis angelicæ, insensibiliter et non imaginarie, prout illa comprehenduntur in simplici forma ac specie.

Hæc, utpote ratio, *est enim quæ conceptionis suæ universale,* id est universale a se conceptum et cognitum, *ita definit : homo est animal rationale bipes,* cui scilicet ex sua natura competit bipedem esse : quod tamen non est differentia hominis vera, quamvis loco differentiæ assignetur. *Quæ quum universalis notio sit :* id est, quamvis illa definitio hominis « sit notio universalis », id est notificatio generalis, conveniens omni individuo hominis, etiam si unipes seu multipes exstet ; *tamen imaginabilem sensibilemque esse rem nullus ignorat,* id est, nemo intelligentium nescit « rem » significatam per illam definitionem « esse imaginabilem » atque « sensibilem », ita quod cadit sub imaginatione et sensu, quamvis diversimode et per diversa, sicut jam patuit. *Quod illa,* utpote ratio, *non imaginatione vel sensu, sed rationali conceptione considerat :* id est, ratio considerat rem illam communem non consideratione sensitiva aut imaginaria proprie et directe (sed bene per reflexionem), « sed conceptione rationali », id est intellectuali et abstractiva : quod convenit sibi directe. Tamen, ut dictum est, ratio per reflexionem ad phantasmata potest id quod sensus et imaginatio, ut Avicenna ait.

Imaginatio quoque, id est vis imaginativa, *tametsi,* id est quamvis, *ex sensibus sumpsit exordium visendi,* id est frequenter videndi seu recolendi, *formandique,* id est intra se describendi, *figuras,* id est lineamentorum protractiones, similitudines, phantasmata rerum ; *sensu tamen absente, sensibilia quæque collustrat, non sensibili sed imaginaria ratione judicandi :* hoc est, imaginatio « collustrat », id est, sua cognitione circuit et intuetur, « sensibilia quæque », id est sensuum exteriorum objecta quæcumque, quorum similitudines a sensu communi immediate et ab exterioribus sensibus mediate accepit, « non ratione judicandi » (id est cognoscendi et discernendi) « sensibili, sed imaginaria », id est, non per modum cognoscendi quo cognoscunt sensus exteriores, sed prout competit ei ex sua natura : et hæc imaginatio facit, id est, facere potest et aliquando facit, « sensu absente », id est exteriori sensu remoto a suo objecto ; vel, « sensu absente », id est, exteriori sensatione cessante, seu ipsa sensitiva potentia cessante a suo actu.

Ex prædictis Philosophia concludit intentum. *Videsne igitur,* id est, nonne, o Boeti, ex prædictis intelligis, *ut cuncta,* id est omnia supposita cognoscentia, seu potentiæ cognoscentes, *utantur in cognoscendo* res ipsas *potius sua facultate,* id est potestate, natura ac dispositione, *quam* facultate *eorum quæ cognoscuntur* ab ipsis ? Cujus ratio subditur. *Neque id injuria* est, id est, istud non est contra rationem et jus. *Nam quum omne judicium,* id est ex quo omnis apprehensio, cognitio, discretio, *exsistat actus judicantis,* id est suppositi seu potentiæ « judicantis » seu cognoscentis (suppositum quippe est quod agit, quoniam agere ac pati proprie sunt suppositorum, secundum Philosophum primo Metaphysicæ ; potentia vero est quo agit, id est per quod), *necesse est,* id est, oportet et necessario sequitur, *ut quisque,* id est quicumque cognoscens, *perficiat operam suam,* id est,

propriam operationem exsequatur ac impleat, *non ex aliena potestate*, id est non vi alterius, *sed ex propria* potestate, loquendo de potestate proxima actum eliciente atque intrinsece producente. Attamen illam potestatem quisque aliunde sortitus est, id est, a sua causa productiva accepit, præsertim a prima causa, in cujus virtute agitur omne agens, secundum illud libro de Causis : Causa prima plus influit quam quæcumque causa secunda.

Interea objici posset, quia qui rem aliter intelligit quam est, false intelligit eam; si autem cognitio rerum est secundum modum et naturam cognoscentis, non cogniti, videtur quod homo aliter intelligit rem quam est : ergo non vere eam intelligit. Quod probatur : quia si ratio et intellectus agnoscunt sensibilia et variabilia insensibiliter, invariabiliter et abstracte, intelligunt rem aliter quam est, ergo et false. Dicendum, quod hoc quod dicitur « aliter » referri potest ad actum cognoscendi seu cognoscentem. Sic neganda est propositio, Qui cognoscit seu intelligit rem esse aliter quam est, intelligit eam false : quia oportet cognitionem esse secundum modum cognoscentis. Propter quod magnus Dionysius protestatur (De Divin. nom. c. VII), quod Deus cognoscit variabilia invariabiliter, sensibilia insensibiliter, mobilia immobiliter, temporalia æternaliter, materialia atque composita immaterialiter ac simplicissime. Idem fatentur Proclus et auctor libri de Causis. Secundo ly « aliter » referri potest ad modum, naturam ac proprietatem cogniti. Et sic propositio illa verificatur : qui enim intelligeret materialia et temporalia non esse talia, deviaret. Sed ita non est ad propositum objectio illa. Per quod patet ad probationem solutio.

Præterea, per hoc quod Philosophia as- A serit, ea quæ potest sensus, imaginationem quoque cognoscere posse, non econtra; itemque rationem posse quæ potest imaginatio, non vice versa : tangit naturam et proprietatem totorum potestativorum. Est enim multiplex totum, videlicet, totum essentiale, totum integrale, totum universale, et totum potestativum, cujusmodi totum est anima, habens in se multas vires. Talis autem totius potestativi natura est ista, quod ea quæ potest pars et potestas inferior, potest pars et potestas B superior, altiori utique modo quam inferior, ut in proposito : quemadmodum etiam quod potest subdiaconatus, potest diaconatus, et quod potest subdiaconatus et diaconatus, potest ordo sacerdotalis, non econverso. Idem censendum de potestate prælatica et de principatu civili, prout super quartum Sententiarum (dist. XXIV.) Thomas, Bonaventura, Petrus et Richardus frequenter testantur. De hoc etiam Albertus in libro de Missa et libro de Coæquævis (Cf. t. XXV, p. 33 C et s.) plenius scribit, quemadmodum in C potestate papali omnes inferiores ecclesiasticæ potestates virtualiter continentur, similiter in regia potestate inferiores potestates civiles. In talibus namque in suprema potestate et parte potestativa, potentiæ et vires cunctæ inferiores comprehenduntur : sicque, ut hic docet Philosophia, in potentiis animæ suprema vis, utpote intelligentia, potest quidquid vires inferiores. Hinc S. Dionysius protestatur (Cf. t. XVI, p. 260 D' et s.), quod supremum ordinis inferioris magnam convenientiam habet cum infimo ordinis su- D perioris : non tamen illud attingit. Proclus quoque : Omnium (inquit) divinorum ornatuum suprema inferiorum cum infimis superiorum magnam convenientiam sortiuntur et connexionem ; non tamen suprema illa infima hæc attingunt.

METRUM IV

Quondam Porticus attulit
Obscuros nimium senes,
Qui sensus et imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Ut quondam celeri stilo
Mos est æquore paginæ
Quæ nullas habeat notas,
Pressas figere litteras.
Sed mens si propriis vigens
Nihil motibus explicat,
Sed tantum patiens jacet
Notis subdita corporum,
Cassasque in speculi vicem
Rerum reddit imagines :
Unde hæc sic animis viget
Cernens omnia notio ?
Quæ vis singula prospicit ?
Aut quæ cognita dividit ?
Quæ divisa recolligit,
Alternumque legens iter,
Nunc summis caput inserit,
Nunc desidit in infima,
Tum sese referens sibi,
Veris falsa redarguit ?
Hæc est efficiens magis,
Longe causa potentior
Quam quæ materiæ modo
Impressas patitur notas.
Præcedit tamen, excitans
Ac vires animi movens,
Vivo in corpore passio,
Quum vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus instrepit.
Tum mentis vigor excitus,
Quas intus species tenet
Ad motus similes vocans,
Notis applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO METRI HUJUS QUARTI.

POSTQUAM in prosa præhabita docuit A et probavit Philosophia, quod cognitio rerum est secundum modum et naturam cognoscentium, non cognitorum, nunc in quarto hoc metro tangit quomodo quidam philosophi dixerunt oppositum.

Porticus, id est locus talis Atheniensis, *attulit quondam,* id est, olim in se continebat et exhibebat, *senes nimium obscuros,* id est quosdam studentes antiquos valde adhuc imperitos, in quibus sapientia exstitit parva, *qui credant sensus,* id est sensibilium formas seu sensationes, *et imagines,* id est similitudines rerum imaginarias seu ipsas imaginationes, *e corporibus extimis,* id est ab exterioribus, sensibilibus, corporeis objectis, *imprimi mentibus,* id est intellectibus nostris (unde apparet quod isti fuerint de crassioribus philosophis qui inter sensum et intellectum non distinxerunt), *ut quondam mos est,* id est, sicut aliquando est consuetudo, *figere,* id est inscribere, *litteras pressas,* id est firmiter impressas, *stilo*

celeri, id est graphio velociter exaranti, *æquore paginæ,* id est in planitie tabulæ seu papyri, *quæ* pagina *nullas habeat notas,* id est, nullas inscriptiones habuerit ante, seu nullas figuras aut litteras.

Consequenter Philosophia opinionem hanc improbat.

Sed, o philosophi, *si mens,* id est intellectus humanus, *nihil explicat,* id est, nihil agit neque prosequitur, *vigens propriis motibus,* id est, fortiter utens actibus et conatibus virium propriarum; *sed jacet,* id est, si dejecta est, *patiens tantum,* id est, solum passive se habens recipiendo impressiones formarum a rebus, *subdita notis corporum,* id est figuris et similitudinibus corporalium objectorum in eam agentium, et ipsa mens *reddit,* id est, repræsentat et exhibet, *imagines rerum,* id est species cognoscibiles « rerum » sensibilium, *cassas,* id est inanes, quæ in veritate non valent repræsentare essentias rerum abstracte communiterque acceptas, *in speculi vicem,* id est instar speculi, in quo apparet similitudo rei, non veritas. Hinc subditur :

Unde hæc notio cernens omnia, id est, « unde » et a quo ac qualiter « hæc notio », id est cognitio ista universalis, « cernens » ac intuens cuncta, utpote genera, species ac individua, *viget sic animis,* id est, vigorose ac valide relucet ac inexsistit hominum mentibus ? *Quæ vis,* id est quæ potentia animæ, *prospicit,* id est, desuper pensat atque intelligit, *singula,* id est, omnia etiam invisibilia, immaterialia, quorum similitudines non recipit directe et immediate a corporalibus rebus ? *Aut quæ* vis *dividit cognita ?* sicut ens dividitur in ens creatum et increatum, in substantiam et accidens, in ens absolutum et relativum, et sicut dividitur genus in species : quæ divisio fieri nequit per sensibiles formas et species. *Quæ* etiam vis *recolligit diversa**, reducendo species multas ad unam, et plura ad unum, multaque individua ad speciem unam, ad quæ requiruntur rationes valde A generales, et species abstractæ ac multum communes ? Et quæ vis *legens,* id est, carpens ac eligens, *iter alternum,* id est modum procedendi et investigandi jam istum, jam illum, *nunc inserit caput mentis,* id est, verticem suæ virtutis ac considerationis infigit, *summis,* id est primæ causæ ac substantiis separatis, *nunc descendit ad** *infima,* id est ad considerandum temporalia et terrena, et ad providendum necessariis vitæ ac fragili carni, *tum sese referens sibi,* id est, reflectens B se super se, et comparans se sibi ac propriam scrutans naturam per actus suos, sicque se immaterialem et immortalem esse cognoscens, *redarguit falsa,* id est, reprobat mendacia et errores, *veris,* id est per media vera et rationabilia argumenta ?

* divisa

* desidit in

Hæc, id est vis ista mentis, effectiva et elicitiva actuum horum et harum abstractionum et speculationum istarum, quæ est vis intellectiva, non sensitiva, *est causa magis efficiens, longe potentior,* id C est et efficacior et nobilior, *quam* vis illa *quæ modo* (id est instar) *materiæ patitur,* id est, passive et materialiter recipit, *notas,* id est figuras, *impressas,* sicut expositum est : quæ est vis organica.

Verum, sicut patebit, Boetius rursus videtur hic loqui juxta doctrinam Platonicorum, quod scilicet intellectus non est vis passiva, nec species rerum sumens ab extra, sed habens eas sibi inditas ab exordio ac innatas. Ideo subditur :

Præcedit tamen excitans, etc. Hic ex- D ponit Boetius mentis suæ intentionem, dicendo quod quamvis mens intra se habet, id est continet, species rerum, nihilo minus per exteriora objecta excitatur ad utendum actualiter hujusmodi speciebus. Itaque ait : *Tamen,* id est, quamvis mens actu intelligat sua vi nobiliori atque per similitudines rerum impressas actualiter et distincte, secundum Platonem, attamen *passio,* id est immutatio facta in sensu ab exteriori objecto, *in corpore vivo,* id est in corpore hominis adhuc vivente, *ex-*

citans ac movens vires animi, id est interiores potentias intellectuales, *præcedit* cognitionem intellectualem, illam videlicet qua anima experitur, percipit et advertit se intelligere : non tamen necessario præcedit intelligere abditum quod est in nobis. Quod dico exponendo mentem et modum loquendi Platonis, quemadmodum B. Augustinus in variis libris, potissime libro de Trinitate, sæpissime tangit ac sequitur, quemadmodum et Boetius in hoc libro totali frequenter : cujus tamen dicta retorqueri possunt ad primum intellectum, ut species dicantur nobis innatæ quantum ad habitus cognoscitivos primorum principiorum in speculativis et practicis, et quantum ad aptitudinem inchoationemque aliquam, prout etiam potentia appellatur quædam inchoatio sui actus.

Itaque passio talis præcedit, *quum vel lux* exterior *ferit,* id est immutat, *oculos, vel vox instrepit,* id est insonat, *auribus. Tum vigor mentis,* id est vis intellectiva, *excitus,* id est excitatus per tale objectum, *vocans species quas tenet intus ad motus* C A *similes,* id est ad conceptiones et apprehensiones rerum quæ sensibus apprehenduntur, *applicat* species seu similitudines illas *notis exteris,* id est exterioribus signis, figuris et formis, applicatione intellectuali, considerando interiores species ut similitudines rerum quarum formas et notas conspicit foris, et mens *miscet imagines,* id est exteriores similitudines, *formis introrsum reconditis,* id est speciebus intelligibilibus in intellectu latentibus, considerando et comparando eas ad in- B vicem.

Quamvis autem secundum Aristotelem, intelligere (quemadmodum et sentire) sit quoddam pati, in quantum fit per specierum receptionem; hoc tamen accipiendum est de passione communiter tantum sumpta et perfectiva, non corruptiva. Intellectus quoque possibilis, quamvis sit potentia quodammodo passiva, in quantum recipit similitudines rerum, nihilo minus per similitudines jam receptas vere agit, active intelligendo, discernendo, inquirendo et discurrendo.

PROSA V

QUOD si in corporibus sentiendis, quamvis afficiant instrumenta sensuum forinsecus objectæ qualitates, animique agentis vigorem passio corporis antecedat, quæ in se actum mentis provocet, excitetque interim quiescentes intrinsecus formas ; si in sentiendis (inquam) corporibus animus non passione insignitur, sed ex sua vi subjectam corpori judicat passionem : quanto magis ea quæ cunctis corporum affectionibus absoluta sunt, in discernendo non objecta extrinsecus sequuntur, sed actum suæ mentis expediunt ? Hac itaque ratione multiplices cognitiones diversis ac differentibus cessere substantiis. Sensus enim solus, cunctis aliis cognitionibus destitutus, immobilibus animantibus cessit (quales sunt conchæ maris, quæque alia saxis hærentia nutriuntur) ; imaginatio vero mobilibus belluis, quibus jam inesse fugiendi appetendive aliquis videtur affectus. Ratio vero humani tantum generis est, sicuti intelligentia sola, divini. Quo fit ut ea notitia ceteris præstet, quæ suapte natura, non modo proprium sed ceterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit. Quid igitur, si ratiocinationi sensus imaginatioque refragentur, nihil esse illud universale dicentes quod sese intueri ratio putet ? Quod enim sensi-

bile vel imaginabile est, id universum esse non posse : aut igitur rationis verum esse judicium, nec quidquam esse sensibile ; aut quoniam sibi notum sit plura sensibus et imaginationi esse subjecta, inanem conceptionem esse rationis, quæ quod sensibile sit ac singulare, quasi quoddam * universale considerat *. Ad hæc si ratio contra respondeat : se quidem et quod sensibile et quod imaginabile sit, in universitatis ratione conspicere ; illa vero ad universitatis cognitionem adspirare non posse, quoniam eorum notio corporales figuras non possit excedere : de rerum vero cognitione, firmiori potius perfectiorique judicio esse credendum. In hujusmodi igitur lite, nos quibus tam ratiocinandi quam imaginandi etiam sentiendique vis inest, nonne rationis potius causam probaremus ? Simile est quod humana ratio divinam intelligentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri. Nam ita disseris : Si qua certos ac necessarios habere non videantur eventus, ea certo eventura præsciri nequeunt ; harum igitur rerum nulla est præscientia : quam si etiam in his esse credamus, nihil erit quod non ex necessitate proveniat. Si igitur uti rationis participes sumus, ita divinæ judicium mentis habere possemus ; sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere judicavimus, sic divinæ sese menti humanam submittere rationem justissimum censeremus. Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen, si possumus, erigamur : illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri. Id autem est, quonam modo etiam quæ certos exitus non habent, certa tamen videat ac definita prænotio ; neque id sit opinio, sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas.

* quiddam
* consideret

ARTICULUS X

EXPOSITIO PROSÆ HUJUS QUINTÆ.

SICUT prosa et metro immediate præhabitis reprobavit Philosophia motiva dicentium, quod simul stare non valent certa et infallibilis providentia Dei et libertas arbitrii ac contingentia rerum, ita et in prosa hac hoc ipsum prosequitur diffusiusque declarat. Ordo et sensus verborum est :

Quod si, id est ex quo, *in corporibus sentiendis,* id est in hoc quod corpora sentiuntur, *animus non insignitur,* id est, intellectus non figuratur neque ab extra formatur, *passione,* id est transmutatione extrinseca per impressionem sensibilium formarum in ipsum, *sed judicat,* id est, apprehendit et discernit, *ex* sola *sua vi,* id est sola intellectuali virtute, *passionem subjectam corpori,* id est passibilem qualitatem a corpore dependentem eique inhærentem ; *quamvis qualitates objectæ forinsecus,* id est foris repræsentatæ exterioribus sensibus, *afficiant instrumenta,* id est, alterent organa, *sensuum,* sicut color et lux visum, calorque tactum, *passioque corporis,* id est immutatio sensuum, *antecedat vigorem animi agentis,* id est actum intellectus cognoscentis et super proprium actum se reflectentis, *quæ in se provocet actum mentis,* id est, actualem intellectionem excitet ad advertendum exteriora objecta, *excitetque interim formas quiescentes intrinsecus,* id est, ad talem

advertentiam et sensualium considerationem « excitet formas », id est species intelligibiles, « quiescentes intrinsecus », id est in intellectu manentes : *quanto magis ea,* id est multo amplius substantiæ incorporeæ, intellectuales, *quæ absoluta sunt,* id est immunia, a *cunctis affectionibus corporum,* id est ab omnibus immutationibus, passionibus et qualitatibus corporalium rerum, ut angeli, *in discernendo non sequuntur,* id est, non imitantur, *objecta extrinsecus,* id est exteriora objecta, cognoscendo et judicando secundum illorum variabilem modum compositamque naturam, *sed actum suæ mentis expediunt,* id est, expedite exsequuntur proprii intellectus actionem per ea quæ intra se habent, id est juxta simplicitatem et eminentiam suæ intellectualitatis ?

Hac itaque ratione multiplices cognitiones diversis ac differentibus cessere substantiis, id est, multi ac distincti modi et gradus ac species cognoscendi, sunt dati diversis rerum naturis atque suppositis (quorum quædam differunt solo numero, ut individua speciei ejusdem ; quædam specie ; alia genere, ut homo et angelus) : quia (ut patuit) operatio sequitur rei naturam, et unumquodque agit et cognoscit secundum modum, gradum ac dignitatem propriæ speciei. *Cf.* p. 594 D et s.

Sensus enim solus, cunctis aliis cognitionibus destitutus, id est segregatus ab omni cognitione alia ab exteriori notitia sensitiva, *immobilibus animantibus cessit,* id est, provenit ac datus est. *Quales sunt conchæ maris,* quæ ex se non moventur localiter : attamen motu dilatationis et constrictionis moventur. Quæ quum in littore aperuerint suam domunculam, cancer eis insidians jactat lapillum inter aperturam, sicque pede suo extrahit concham ac devorat eam, ut in Hexaemeron sanctus refert Ambrosius. Solusque tactus dicitur conchis inesse. *Quæque alia saxis hærentia nutriuntur,* id est, et « alia » animalia « quæ nutriuntur hærentia saxis », id est saxis affixa, et inde alimenta sumentia : ut sunt conchylia et ostreæ, quæ sunt pisces corium durum habentes. *Imaginatio vero,* id est vis imaginativa, cessit *belluis,* id est brutis, *mobilibus* loco, *quibus affectus aliquis fugiendi appetendive videtur jam inesse.* Fugiunt enim dum aliquid apprehendunt aut sentiunt ut afflictivum ; appetunt vero et insequuntur dum aliquid apprehendunt tanquam conveniens.

Ratio vero tantum humani generis est, id est, vis rationalis, a qua homo accipit speciem, non convenit nisi humano generi, sumendo rationem proprie, pro vi intellectuali discursiva a notis ad ignota. Aliquando vero communius sumitur, pro vi intellectuali ; sicque convenit angelis. Unde beatus ait Bernardus : Duas rationales creaturas condidit Deus, angelum scilicet et hominem. Porro S. Gregorius addidit in homilia, quod angelus rationale est animal : in quibus verbis tam rationale quam animal capitur multum extense. *Sicuti intelligentia sola, divini* (supple, generis), id est, intellectualitas « sola » et pura, simplici intuitu omnium cognoscitiva, est solum « divini » generis. Solis etenim separatis substantiis competit, quæ præ ceteris creaturis deiformes ac divinæ censentur : propter quod a philosophis intelligentiæ nuncupantur. Nec dubium quin superbeatissimo Deo intellectualis perfectio competat cum excellentia penitus infinita. Inest etiam animabus beatis, imo et hominibus virtuosis et contemplativis, secundum aliquem gradum et participationem, ut in prosa dictum est præcedenti. *Cf.* p. 595 C et s.

Quo fit, id est, ex quibus consequitur, *ut ea notitia ceteris præstet,* id est, quod ista notitia ceteris cognitionibus exstet præstantior, *quæ suapte natura,* id est propria naturalique dignitate, *cognoscit non modo,* id est non solum, *proprium* objectum, quod est ens seu verum, *sed objecta* * *quoque notitiarum ceterarum* cognitivarumque virium, utpote intellectualis cognitio, quæ et altiori modo cognoscit inferiorum potentiarum objecta

* *subjecta*

Cf. p. 596 C et s. quam ipsæmet, ut in præcedenti prosa expositum est, ubi hæc omnia continentur : quæ tamen hic repetuntur ut aliqua adjiciantur, sicque ex eis concludatur propositum. Unde subjungitur :

Quid igitur, id est, quid dicendum videtur, *si sensus imaginatioque,* id est sensitiva et exterior cognitio, imaginaria quoque notitia, *refragentur,* id est, repugnare et contradicere videantur, *ratiocinationi,* id est discursui et argumentationi conclusionique rationis, *nihil illud esse dicentes universale quod sese intueri ratio putet,* id est, ipse sensus et imaginatio, hoc est homo secundum sensum imaginationemque judicans, « dicentes nihil esse universale », hoc est naturam communem abstractive consideratam ? Et hoc propter rationem quæ subditur. *Quod enim sensibile vel imaginabile est, id universum* (id est universale) *esse non potest* *. *Aut igitur rationis verum esse judicium* (supple, constat), *nec quidquam esse sensibile,* hoc est, aut judicium rationis est verum, et per consequens nullum ens est « sensibile » vel particulare ; *aut quoniam sibi,* videlicet rationi, *notum sit plura sensibus et imaginationi esse subjecta,* id est multa esse particularia entia sub sensibus et imaginatione cadentia, ideo *inanem esse conceptionem rationis,* id est mendacem et vanam esse rationis considerationem qua universale per abstractionem considerat, *quæ quod sensibile sit ac singulare, quasi quoddam universale considerat,* id est, « quæ » ratio « considerat quasi quoddam universale » id « quod » in se et in subsistentia sua est quid « sensibile ac singulare ». Sed argumentatio ista non tenet, quia idem potest multipliciter considerari, hoc est magis et minus contracte. Ideo sequitur :

* posse

Ad hæc si ratio contra respondeat, id est, « si ratio respondeat » ad ista objecta « contra », id est ea negando, atque dicendo : *se quidem et quod sensibile et quod imaginabile sit, in universitatis ratione conspicere,* hoc est, si dicat se considerare « in ratione » et sub ratione universalis tam id quod est singulare quam id quod est imaginale, considerando ea per abstractionem ab hic et nunc et ab omni loco et tempore; *illa vero ad universitatis cognitionem adspirare non posse,* id est sensum et imaginationem non posse pertingere ad notitiam universalis et rationis communis, prout totum illud in præcedenti prosa expositum est, *quoniam eorum notio,* id est cognitio, *corporales figuras non possit excedere,* id est, non se potest extendere ultra ea quæ repræsentantur per figuras sensibiles et similitudines corporales, quæ in potentiis continentur organicis. Cf. p. 595 D' et s.

Consequenter tangit Philosophia cujus potentiæ cognitivæ judicio sit acquiescendum, dum potentiæ istæ sibi invicem repugnare videntur. *De rerum vero cognitione, firmiori potius perfectiorique judicio esse credendum :* hoc est, constat « credendum esse potius judicio firmiori », id est rationabiliori, ac magis perfecto, id est judicio rationis, « de cognitione rerum », an scilicet cognitio seu judicatio de re sit recta aut non. Unde mox subditur : *In hujusmodi igitur lite,* id est contradictione, quando diversæ vires diversimode judicant, *nos quibus tam ratiocinandi quam imaginandi etiam sentiendique vis inest, nonne rationis potius causam probaremus ?* id est, nos quibus data est vis sensitiva et imaginativa ac ratiocinativa, magis utique approbaremus « causam », id est tribunal seu judicium, « rationis » quam virium inferiorum.

Ex his Philosophia ostendit insufficientiam argumenti cujusdam præhabiti, quod scilicet contingentia et incerta non possint a Deo certitudinaliter præcognosci. Cf. p. 580 A' et s.

Simile est quod humana ratio divinam intelligentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri, id est, « quod humana ratio non putat divinam intelligentiam », id est mentem increatam, « intueri futura » aliter quam « ipsa » ratio « cognoscit ». *Nam ita disseris,* id est, sic di-

cis et arguis : *Si qua,* id est si aliqua, *non videantur habere eventus certos ac necessarios,* id est adimpletiones determinatas et inevitabiles, *ea certo eventura nequeunt præsciri; harum igitur rerum nulla est præscientia : quam si etiam in his esse credamus, nihil erit quod non ex necessitate proveniat,* id est, « si credamus » præscientiam « esse in » rebus « his », id est de rebus contingenter ac libere eventuris, sequitur quod « nihil erit », id est, quod nihil fiet, « quod non ex necessitate » eveniat. Quod argumentum jam toties exstat præhabitum et solutum, ut tædium pariat idem tam frequenter repetere. Boetius tamen hæc sub nomine Philosophiæ tam sæpe resumit, quoniam tempore suo materia ista non fuit tam evidenter discussa et declarata ut interim et modo. Unde adhuc plenius eam resolvit atque elucidat, subdens :

Cf. p. 591 A et s.

Si igitur uti rationis participes sumus, ita divinæ mentis judicium habere possemus : hoc est, si haberemus « judicium mentis divinæ », id est tam certam et perfectam rerum notitiam et censuram ut Deus, vel sicut Beati ipso fruentes, quorum intellectus valde est deiformis, quoniam vident Deum sicuti est, et cetera etiam futura quamplurima deiformiter in ipso, ut divinus Dionysius protestatur; *sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere judicavimus, sic divinæ sese menti humanam submittere rationem justissimum censeremus :* id est, tunc utique « censeremus », judicaremus « justissimum » esse « humanam rationem submittere sese menti divinæ » et ejus judicio, quum illa sit supercertissima, infallibilis ac prorsus indeviabilis regula, mensura et causa omnis veritatis, virtutis et æquitatis; imo et incomparabiliter plus quam « sicut judicavimus » modo « imaginationem » et « sensum oportere cedere », id est deferre et obtemperare, « rationi » et ejus judicio. Dicuntur autem sensus et imaginatio hoc facere, non formaliter ac directe, quum nec sensus nec imaginatio rationem cognoscant, sed ex consequenti, quoniam subjectum eorum, id est homo sensum imaginationemque habens, id facit.

De Cœlest. hier. c. v, vii; de Divin. nomin. c. i.

A

Consequenter Philosophia hortatur salubriter et optimum præstat consilium. *Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen, si possumus, erigamur :* hoc est, « quare », id est, quum præinducta ita se habeant, ideo « si possumus », id est, quia per Dei auxilium possumus, « erigamur », id est, per lumen naturæ et habitus scientiarum atque virtutum, præsertim per sapientiam ac Dei amorem, erigamus nos contemplando, imo potius Omnipotentem rogemus ut erigamur ab eo per lumen gratiæ et donum sapientiæ ac caritatem infusam, per mysticam theoriam et amorem flammigerum, « in cacumen », id est ad altitudinem, « illius intelligentiæ summæ », id est divinæ et increatæ Sapientiæ, cujus rationibus æternis contemplandis ac consulendis intendit ratio nostra superior, ut sanctus asserit Augustinus. *Illic enim ratio videbit,* id est, contemplatione altitudinis sapientiæ Dei intellectus noster conspiciet, *quod in se non potest intueri,* id est, quod intelligere nequit propria potestate aut lumine naturali. Et quid sit hoc, subditur :

B

C

Id autem est, quonam modo, id est qualiter, *etiam quæ certos exitus non habent,* utpote contingentia, *certa tamen videat ac definita prænotio,* id est, cognitio Dei « certa » et infallibilis « ac definita », id est absoluta seu absolute perfecta ac determinata in se, quamvis sit illimitata ac infinita, « videat », id est, intelligat illa certissime ab æterno; *neque id sit opinio,* id est, qualiter etiam illa cognitio Dei non exsistat « opinio », hoc est incerta notitia cum formidine de opposito, *sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas :* hoc est, « simplicitas » pura et infinita, videlicet « nullis terminis inclusa », id est non arctata nec comprehensa terminis ullis seu aliquo fine : simplicitas, inquam, « scientiæ summæ », id est scientiæ Dei altissimi, qui est ipsa sci-

D

entia sua. De quo scriptum est Regum A primo : Deus scientiarum Dominus est. (I Reg. II, 3) Qui loquitur per Osee : Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. (Ose. IV, 6) Porro infinita ista « simplicitas summæ scientiæ », realiter est ipsa simplicissima scientia Dei, qui essentialiter est ipsa sua scientia ; estque incomparabilis et immensa.

Præterea, volens intelligere qualiter Deus excelsus et gloriosus cognoscat variabilia, indeterminata, incerta, libera, contingentia, infallibiliter et supercertissime, debet B prætacto modo erigi seque erigere et item ascendere « in cacumen summæ intelligentiæ » ac sapientiæ Dei : non quod in hac vita valeat Deum in se ipso clare et immediate conspicere ; sed quantum ex creaturis et lumine naturali atque scientia acquisita (præsertim ex lumine gratiæ, dono sapientiæ, et fide illuminata ac illustratione superna) potest, debet se dare ad contemplationem Dei, et alis contemplationis ad ipsum volare, et considerare quemadmodum Deus sit ens primum et C summum, infinite simpliciterque perfectum, perfecte quoque, pure ac infinite simplicissimum, in quo penitus idem sunt intelligens et intelligentia, sapiens et sapientia, sciens et scientia, species intelligibiles et objectum, actio et substantia. Ideoque Deus supergloriosissimus, superessentialis sibique soli perfecte comprehensibilis, universa et singula, præterita, præsentia et futura, simplicia et composita, temporalia et perpetua, necessaria et contingentia, ac omnes omnium horum circumstantias, actus et accidentias, imo et omnia possibilia fieri, infinitasque species numerorum et infinita individua earumdem quæ nunquam fuerunt nec erunt, intelligit invariabiliter et æterne, unico et simplicissimo actu intelligendi, quasi præsentialiter ac prorsus independenter, juxta omnem excellentiam suæ naturæ, ex se, in se, et per se, eo quod universa et singula ista in sua superexaltata essentia atque in illimitata virtute seu omnipotentia sua contineantur, resplendeant et repræsententur omniformiter quomodolibetque perfecte. Quo hæc verba clarius intellexeris, eo limpidius poteris intelligere, cernere et contemplari totum passum hujus materiæ, et qualiter omnia ista variabilia, libera, contingentia et incerta, a supersanctissima, invariabili mente divina æternaliter et invariabiliter, simplicissime ac supercertissime cognoscuntur.

METRUM V

Quam variis terras animalia permeant figuris.
Namque alia extento sunt corpore, pulveremque verrunt,
Continuumque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga verberetque ventos,
Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.
Hæc pressisse solo vestigia gressibusque gaudent,
Vel virides campos transmittere, vel subire silvas.
Quæ variis videas licet omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
Atque levis recto stat corpore despicitque terras.

Hæc, nisi terrenus male desipis, admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis exserisque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
Inferior sidat mens, corpore celsius levato.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO METRI HUJUS QUINTI.

HOC est quintum et ultimum hujus A quinti libri metrum : in quo Philosophia nos admonet ad divinorum atque cœlestium contemplationem ex naturali dispositione et situ vultus corporisque humani, quod solum inter corpora animata staturam habet et faciem sursum erectas. Itaque ait :

Animalia permeant, id est, perambulant sive pertranseunt, *terras quam variis figuris,* id est, valde diversimode figurata in corporibus suis ac faciebus.

Alia namque sunt corpore extento : B id est, quædam animalia sortita sunt corpora in longum porrecta; *verruntque pulverem,* id est, commovent et sulcant arenam, per quam se trahunt, sicut serpentes, *incitataque vi pectoris,* id est mota (imo se ipsa moventia) virtute motiva consistente in pectore, id est, super pectora sua gradientia, prout Dominus ait serpenti,
Gen. III, 14. Super pectus tuum gradieris, *trahunt,* id est, motu suo faciunt et relinquunt, *sulcum continuum,* id est tale vestigium corporis sui in terra. Alia autem animantia C pedum terris imprimendo formam, relinquunt in terra vestigium non ita continuum, sed spatio intermedio intacto divisum et interceptum.

Sunt quoque, id est, quædam animalia sunt, utpote volatilia, *quibus,* id est ad quorum commoditatem, *levitas vaga alarum verberetque ventos,* id est, moveat ac dividat aerem : quidam enim putabant ventum esse aerem agitatum, ut dictum
Cf. p. 54 B. est metro primi libri secundo; *et enatet,* id est, instar natantis in aqua, volando pertranseat, *volatu liquido,* id est evidenti seu puro, *spatia longi ætheris,* id est aeris, qui summe est fluidus, utpote propriis terminis minime clausibilis. Hinc scriptum est : Avis transvolat in aere, *Sap.* V, 11.
sonitu alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem; commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius.

Hæc, id est quædam animalia, scilicet gressibilia, *gaudent pressisse vestigia solo,* id est in terra, hoc est, pedibus gradiendo, *gressibusque,* id est deambulationibus progressivis; *vel* gaudent *transmittere,* id est transcurrere, *campos virides* ex graminibus, foliis et herbis, *vel subire,* id est ingredi, *silvas.* De quibus in Psalmo : In ipsa (scilicet nocte) pertransibunt *Ps.* CIII, 20.
omnes bestiæ silvæ.

Quæ omnia animalia irrationalia *licet,* id est quamvis, *videas discrepare formis variis,* id est diversis figuris : ex quibus etiam noscitur substantialium formarum distinctio, prout ait Averroes, Sicut res differunt suis figuris, ita et suis formis specificis; *facies tamen prona,* id est vultus eorum proclivis ac depressus versus terram, *valet ingravare,* id est graves ostendere, *hebetes,* id est brutales ac rudes, *sensus* eorum, in quibus nulla est ratio. Aliqua tamen rationis participatio et satis mira calliditas in quibusdam brutis apparet, præsertim in lupo, in vulpe et simia. Unde et in Job Dominus sciscitatur, inquiens : Quis dedit gallo intelligentiam? *Job* XXXVIII, 36.

Consequenter tangitur excellentia hominis, propter quam ostendendam præhabita sunt præmissa. *Gens hominum unica,* id est sola progenies hominum, ut sit constructio intransitiva : sicut dum in
Act. xii, 11. Actibus loquitur beatissimus Petrus, Misit Dominus angelum suum, et eripuit me de omni exspectatione plebis Judæorum ; *levat cacumen celsum,* id est caput seu vultum, *altius,* id est magis erecte et alte versus cœlum quam alia membra ; *atque* gens hominum *levis,* id est facilis ad ascensum, *stat corpore recto,* id est sursum erecto. Verumtamen his objici potest, quod aliqui magni, ut Beda, Augustinus, et Magister in historiis, dicunt quod serpens, antequam hominem tentavit, gradiebatur erectus. In gestis item Alexandri Magni narratur, quod in India sunt aliqui serpentes qui ita se habent. Dici potest, quia quod modicum est, non reputatur. *Despicitque terras,* id est, gens ista non est contenta terram adspicere, scrutari et quærere.

Hæc figura corporis tui erecta *admonet* te, o homo, materialiter, id est, præbet tibi occasionem et materiam exhortativam, *nisi terrenus,* id est si non nimis carnalis ac terrenis inhærens, *desipis,* id est, insipienter sapis, *male,* id est erronee, non considerando te ad spiritualia et cœlestia esse finaliter ordinatum. Unde ait
I Cor. ii, 14. Apostolus : Animalis homo non sapit ea quæ sunt Spiritus Dei. Talis enim fuit qui dixit : Quum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura. Admonet, inquam, ut tu *qui vultu recto petis cœlum,* id est, versus cœlum erigis faciem, *exserisque,* id est, detegis et elevas, seu nudam et detectam exhibes, *frontem,* in qua, secundum Augustinum, est sedes pudoris. Propter quod
Jer. iii, 3. inverecundo dicitur apud Jeremiam : Frons mulieris meretricis facta est tibi. Ideo erubescas carnalibus deturpari et vitiis inhærere. *Feras quoque animum in sublime,* id est, intellectum tuum eleves ad considerandum salubria, ad contem-
Is. xl, 26. plandum divina : juxta illud Isaiæ, Levate

A oculos vestros in excelsum, et videte quis creavit hæc ; *ne mens gravata* vitiis carnalibusque affectibus (juxta illud : Filii Ps. iv, 3.
hominum, usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ?) *pessum,* id est deorsum, videlicet terrenis et turpibus ac vilibus involuta, *sidat,* id est, sita sit atque resideat, *inferior,* id est subjecta carni et concupiscentiis ejus, *corpore celsius levato,* id est prælato ipsi animæ, ita quod carnalia et terrena magis quam spiritualia et æter-
B na appetantur et exquirantur, quum tamen tanto instantius ac ferventius affectanda ac requirenda sint spiritualia ac divina quam carnalia et terrena, quanto rationalis anima est dignior corpore, et ipsa divina quam terrena, ac vita beata perpetua quam vita hæc præsens brevis et incerta. Propter quod hortatur Apostolus ad Hebræos : Deponentes omne pondus Hebr. xii, 1.
et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.

C His concordat illud Ovidii, Metamorphoseon primo :

> Pronaque quum spectent animalia cetera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque videre
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Idem ait Tullius ; Seneca quoque, et addit : Majori corporis sarcina animus alliditur et minus est agilis. Quantum potes, tuum corpus circumscribe et frena, et animo locum laxa. Quidquid feceris, cito a corpore redi ad animam ; illam diebus
D noctibusque exerce. Modicis alitur corpus. Exercitationem animæ nec frigus nec æstus nec senectus impediat. Illud bonum cura quod vetustate fit melius. Ne permittas ancillam suæ dominæ principari, id est carnem animæ : quod prorsus esset præposterum et contra ordinem omnem naturæ.

De hac demum oculorum constitutione in capite, de eorum harmonia et utilitate et fine, ut scilicet per eos intueamur circumvolutiones cœlestes ac ea quæ con-

sistunt in cœlis, ad contemplandum in A illis sapientiam ac omnipotentiam Creatoris, loquitur Plato diffuse in secundo Timæi : cujus verba obscura exponit Chalcidius. Quibus concordat quod Anaxagoras cur natus consisteret requisitus, cœlo sideribusque monstratis, Ad horum, inquit, contemplationem.

Interea, circa ea quæ dicta sunt in principio metri hujus de motu reptilium ac serpentium, pensandum quia ut Thomas, Bonaventura, Richardus, et alii quidam, super secundum Sententiarum, distinctio- B ne quintadecima, scribunt, animal reptile appellatur, quod ad motum toto se corpore rapit. Cujus generis animalium est multiplex species : prima, eorum quæ se rapiunt et movent virtute costarum, sicut serpentes ; secunda, eorum quæ se movent vi annulorum, ut sunt animalia annulosa ; tertia, eorum quæ rapiunt et movent se vi oris, ut aliqui vermes, qui ore suo terræ affixo, totum corpus suum post se trahunt ; quarta, eorum quæ virtute pennularum quarumdam se movent, C ut pisces. Quo constat quod reptilium quædam exstant terrestria, quædam aquatica.

Postremo, per animalia erecti colli, spiritualiter designantur superbi, juxta quod
Job xv, 26. in Job dicitur de superbo : Cucurrit adversus Deum erecto collo. Cui superbo ibidem dicitur : Quid te elevat cor tuum, *Job* xv, 12, 13.
et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ? Quid tumet contra Deum spiritus tuus ? In Ecclesiastico quoque increata Sapientia loquitur : Superborum et sublimi- *Eccli.* xxiv, 11.
um colla, propria virtute calcavi. Per serpentes et reptilia, recte designantur avari et libidinosi, qui assidue adhærent carnalibus et terrenis : qui, ut ait Scriptura, declinaverunt oculos suos ne adspicerent *Dan.* xiii, 9.
cœlum. Ideo rite designantur per porcos, quorum effigies oculorum est taliter situata quod ad cœlestia corpora nequeunt attolli. Isti « trahunt continuum sulcum », dum nunquam aut raro ad spiritualia ac divina se levant. Per volatilia vero hic designantur vane gloriosi et qui jactant se ipsos, qui undique evagantur et leves sunt corde : qui petunt « virides campos » (dicendo illud Sapientiæ, Nullum pratum sit *Sap.* ii, 8.
quod non pertranseat luxuria nostra), aut « silvas », id est loca umbrosa. Per gressibilia autem, quæ procedunt gressibus pedum, intelligi possunt hypocritæ, qui simulando justitiam, videntur quasi ordinate procedere, sed labuntur in foveam. Sicque omnium horum aggravatus et hebes est sensus, depressi oculi, quoad ea quæ sunt divini honoris ac suæ salutis. De his, quia frequenter sunt introducta, pertranseo.

PROSA VI

QUONIAM igitur, uti paulo ante monstratum est, omne quod scitur, non ex sua sed ex comprehendentium natura cognoscitur ; intueamur nunc, quantum fas est, quis sit divinæ substantiæ status, ut quænam etiam scientia ejus sit possimus agnoscere. Deum igitur æternum esse, cunctorum ratione degentium commune judicium est. Quid sit igitur æternitas consideremus : hæc enim naturam nobis pariter divinam scientiamque patefecerit.

Æternitas igitur est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Quod ex collatione temporalium clarius liquet. Nam quidquid vivit in tempore, id præsens a præteritis in futura procedit. Nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti : sed crastinum quidem nondum

apprehendit; hesternum vero jam perdidit; in hodierna quoque vita non amplius vivitis quam in illo mobili transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit unquam esse nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul (infinitæ licet) vitæ spatium comprehendit atque complectitur; sed futura nondum transacta, jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur; idque necesse est, et sui compos præsens sibi semper adsistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde non recte quidam, qui quum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque enim Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentarium statum, infinitus ille temporalium rerum motus imitatur; quumque eum effingere atque æquare non possit, ex immobilitate deficit in motum, ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem. Et quum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcumque præsentiam hujus exigui volucrisque momenti : quæ quoniam manentis illius præsentiæ quamdam gestat imaginem, quibuscumque contigerit id præstat ut esse videantur; quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit : eoque modo factum est ut continuaret eundo vitam, cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo. Itaque, si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum vero dicamus esse perpetuum. Quoniam igitur omne judicium, secundum sui naturam quæ sibi subjecta sunt comprehendit, est autem Deo semper, æternus ac præsentarius status; scientia quoque ejus, omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque, si præsentiam pensare velis qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.

Quid igitur postulas ut necessaria fiant quæ divino lumine lustrentur, quum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? — Minime. — Atqui, si est divini humanique præsentis digna collatio, uti vos vestro hoc temporario præsenti

quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura provenient; nec rerum judicia confundit, unoque suæ mentis intuitu tam necessario quam non necessario ventura dignoscit : sicuti vos quum pariter ambulare in terra hominem et oriri in cœlo solem videtis, quanquam simul utrumque conspectum, tamen discernitis, et hoc voluntarium, illud esse necessarium judicatis. Ita igitur cuncta despiciens divinus intuitus, qualitatem rerum minime perturbat, apud se quidem præsentium, ad conditionem vero temporis futurarum. Quo fit ut hoc non sit opinio, sed veritate potius nixa cognitio, quum exstiturum quid esse cognoscit, quod idem exsistendi necessitate carere non nesciat.

Hic si dicas, quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse, quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere; meque ad hoc nomen necessitatis adstringas : fatebor rem quidem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis, nisi divini speculator, accesserit. Respondebo namque, idem futurum, quum ad divinam notionem refertur, necessarium; quum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ sunt etenim necessitates : simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales ; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est : quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit : hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem : quamvis eum tamen*, quum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid Providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis; per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt.

* tum

Fient igitur procul dubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit. Sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio : quæ quamvis eveniant, exsistendo tamen propriam naturam non amittunt ; quæ* priusquam fierent, etiam non evenire potuissent. Quid igitur refert non esse necessaria, quum propter divinæ scientiæ conditionem, modis omnibus necessitatis instar eveniant? Hoc scilicet, quod ea quæ paulo ante proposui, sol oriens et gradiens homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt; eorum tamen unum, prius quoque quam fieret, necesse erat exsistere, alterum vero minime. Ita etiam quæ præsentia Deus habet, dubio procul exsistunt; sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud vero de potestate facientium. Haud igitur injuria diximus, hæc si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta. Sicuti omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, universale est; si ad se ipsum respicias, singulare. Sed si in mea (inquies) potestate situm est mutare propositum,

* qua

evacuabo providentiam, quum quæ illa prænoscit, forte mutavero. Respondebo, propositum te quidem tuum posse deflectere, sed quoniam et id te posse, et an facias, quove convertas, præsens providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam * non posse vitare : sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te in varias actiones libera voluntate converteris. Quid igitur? inquies. Ex meane dispositione scientia divina mutabitur, ut quum ego nunc hoc nunc illud * velim, illa quoque noscendi vices alternare videatur? Minime. Omne namque futurum divinus præcurrit intuitus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet ac revocat. Nec alternat, ut existimas, nunc hoc nunc illud prænoscendi vices, sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit atque complectitur. Quam comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum proventu rerum sed ex propria Deus simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resolvitur quod paulo ante posuisti, indignum esse si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis præsentaria notione cuncta complectens, rebus omnibus modum ipsa constituit, nihil vero posterioribus debet.

* præsentium
* aliud

Quæ quum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrii libertas ; nec iniquæ leges solutis omni necessitate voluntatibus præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus ; visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque, quæ quum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est (si dissimulare non vultis) necessitas indicta probitatis, quum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO SEXTÆ ET ULTIMÆ PROSÆ.

In hac ultima hujus totius libri prosa, A inducit Philosophia quædam valentia ad omnium intelligentiam prædictorum ; et quoniam dictum est, quod cognitio rerum est secundum modum atque naturam cognoscentium, non cognitorum, ideo jam ostendit qualis sit natura et consistentia Dei : ex quo innotescit qualiter res cognoscantur ab eo.

Cf. p. 594 D et s.

Quoniam igitur, uti (id est sicut) *paulo ante monstratum est, omne quod scitur, non ex sua sed ex comprehendentis* * *natura cognoscitur,* id est, omne ens quod B intellectus apprehendit, agnoscit ipse intellectus non secundum modum rei in se ipsa, sed juxta modum et exsistentiam ipsius intellectus seu intelligentis, ut jam sæpe expositum est ; *nunc intueamur,* id est consideremus, *quantum fas est,* id est possibile aut licitum, non præsumendo scrutari majestatem ultra quam decet, sed cum reverentia ac moderamine procedendo, *quis sit divinæ substantiæ status :* hoc est, « quis status », id est proprietas, habitudo, immutabilitas, « sit » summæ et increatæ essentiæ. Denique, ut quinto

* *comprehendentium*

libro de Trinitate asserit Augustinus, et Magister primo libro allegat, nomen essentiæ magis proprie convenit in divinis quam nomen substantiæ. Essentia namque dicitur ab essendo ; esse autem propriissime ac eminentissime convenit Deo. Propter quod sanctus ait Hilarius : Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis generis proprietas. Substantia vero dicitur a substando ; et constat quod substare non convenit proprie simplicissimæ Deitatis naturæ, quæ est purus actus. *Ut quænam etiam scientia ejus sit possimus agnoscere :* id est, quatenus valeamus secundum parvitatis nostræ capacitatem intelligere « quæ sit scientia » Dei, id est, quid sit in re, et qualis sit excellentia ejus.

dist. VIII A et s.

Judicium igitur commune, id est generalis affirmatio et universale sentire, *cunctorum degentium ratione,* id est manentium in lumine rationis, *est Deum esse æternum,* id est, quod verus Deus sit absolute æternus. Omnes etenim dicunt, quod Deus sit primum et summum ens : sed primum ens nullatenus potuit esse ab alio, quia sic illud fuisset prius eo. Ideo primum ens est increatum, incausatum, independens, ac ens per essentiam, habens esse a se ipso : quod exponendum est negative, hoc est, non ab alio. *Quid sit igitur æternitas consideremus : hæc enim,* id est ista cognitio æternitatis, *patefaciet* *, id est reserabit, *nobis naturam divinam,* secundum quod competit capacitati nostræ in via hujus exsilii, *pariterque scientiam,* id est, etiam patefaciet nobis quæ et qualis sit scientia ac sapientia Dei. Hinc sequitur æternitatis descriptio.

* patefecerit

Æternitas igitur est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Circa hanc definitionem loquitur Thomas in prima parte Summæ suæ, quæstione decima : Sicut ex rebus compositis devenimus in cognitionem simplicium, ita ex notitia temporis consurgimus in agnitionem æternitatis. Porro tempus est mensura motus,

A

in quo est successio secundum prius et posterius, hoc est unius partis post aliam : ex qua successione consideramus temporis rationem, dicentes quod tempus est mensura seu numerus ipsius motus secundum prius et posterius. Unde per modum oppositum, considerando rem indesinenter eodem modo se habentem ac uniformiter stantem, accipimus rationem æternitatis, dicentes : Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Sicque ex duobus notificatur æter-

B

nitas : primo, per hoc quod id cujus ipsa est mensura, est interminabile, carens termino tam a parte ante quam a parte post ; secundo, per hoc quod æternitas est tota simul, tanquam successione omnimoda carens. Ex quibus probatur, quod solus Deus proprie sit æternus, quum cetera omnia ab ipso profluxerint, sicque terminum habeant a parte ante. Nec his obstat quod nunc stans æternitatis, dicitur facere æternitatem, quoniam hoc non est nisi secundum nostram considerationem.

C

Imo in re nunc æternitatis est ipsa æternitas, quæ est ipse Deus æternus : neque enim æternitas est mensura Dei quasi sit aliquid diversum ab eo. Æternitas quoque, secundum nostram considerationem, consequitur immutabilitatem, cui repugnat successio ac nova in esse productio. Hinc sicut soli Deo convenit incommutabilitas omnimoda et perfecta, ita Deo propria exstat æternitas. — Quamvis etiam æternitas dicatur quædam duratio, æternitas tamen hic definitur esse possessio potius

D

quam duratio : quia in nomine durationis notatur quædam protensio, quæ non convenit esse divino ; possessio autem significat stabilem et quietam rei habitudinem, quæ potissime convenit Deo. Rursus, æternitas definitur esse possessio interminabilis vitæ magis quam interminabilis esse, ad insinuandum quod esse Dei est suum perfectum et invariabile vivere.

Juxta hæc, definitionem hanc æternitatis proprie sumptæ Philosophia consequenter declarat.

Quod ex collatione temporalium clarius liquet, id est, æternitatem sic esse definiendam, evidentius patet ex comparatione ejus ad tempus ac temporalia. quemadmodum communiter, opposita juxta se posita evidentius innotescunt, ita quod unum contrariorum per comparationem ad aliud, certius noscitur : sicut qui novit, præsertim per experientiam, quid sit ægritudo, melius scit quid sit sanitas ; conformiter qui novit et passus est inopiam, perfectius scit quid sit opulentia.

Nam quidquid vivit in tempore, ita quod suum esse et vivere ipso tempore mensuratur, *id præsens a præteritis procedit in futura :* id est, tale ens temporale, præsentialiter, vel potius præsenter jam exsistens, a tempore præterito, quod effluxit et esse jam desiit, progreditur, currit ac properat ad futurum tempus, quod nondum est ; et ita est in fluxu et cursu continuo. *Nihilque est in tempore constitutum, quod totum suæ vitæ spatium,* id est totam suam durationem, *pariter possit amplecti,* id est totum simul habere ac possidere. In quibus verbis vita accipi possit multum extense, pro esse seu exsistentia, quum et omnia dicantur vivere Deo. *Sed crastinum quidem nondum apprehendit,* id est, nondum attigit neque habet : nihil enim habemus actu de tempore nisi nunc. *Hesternum vero jam perdidit :* quia præteritum tempus effluxit. *In hodierna quoque vita non amplius vivitis,* id est, in actu et fluxu vitali præsentis diei non vivitis diutius, *quam in illo mobili transitorioque momento,* id est quam in ipso indivisibili nunc, quod tamen fluxibile est, non stans : propter quod mobile ac transitorium nominatur, extense loquendo de mobili ; nam indivisibile et incorporale proprie non movetur, secundum Philosophum. Nunc quoque transitorium dicitur, quoniam fluxu suo ac transitu efficit transitorium tempus, ut infra dicetur : attamen ipsum nunc secundum substantiam manet idem.

Ex his Philosophia concludit, et aliqua A quæ putantur esse æterna, a vera æternitate excludit.

Quod igitur temporis patitur conditionem, id est, quod subjacet proprietati, fluxui naturæque temporis, *licet illud nec cœperit unquam esse,* id est, quamvis illud nullo tempore de novo inceperit, ita quod ante non fuerit, *nec* unquam *desinat* esse, per corruptionem, *vitaque* (id est exsistentia) *ejus tendatur,* id est, per durationem coextendatur, *cum infinitate temporis,* quod Aristoteles putavit non B incepisse : unde subditur, *sicut Aristoteles censuit,* id est judicavit, *de mundo,* quantum ad corpora cœlestia et elementa et intellectuales substantias. Quod tamen Aristoteles non censuit cum absoluta assertione, sed magis cum quadam probabili opinione, sciens rationes suas ad hoc inductas, non esse demonstrativas : quia revera sunt debiles valde, ut supra ostensum est. (*Cf.* p. 371 B'.) Propter quod ipsemet in libro disseruit Topicorum, quod problema de mundi æternitate est problema neutrum, C id est pro utraque parte probabile, ut dictum est plenius ante. *Nondum tamen tale est,* id est ita stabile, invariabile et perfectum, *ut credatur jure,* id est, rationabiliter existimetur, *esse æternum,* prout sumitur modo æternitas. *Non enim totum simul (infinitæ licet) vitæ spatium comprehendit atque complectitur :* id est, nequaquam tale ens « comprehendit » et « complectitur » intra se « totum simul spatium vitæ », id est integram suæ consistentiæ durationem, « licet infinitæ », D id est, quamvis vita ejus esset infinita seu durans in infinitum : non enim habet nec possidet eam simul et sine successione ; *sed futura nondum transacta, jam non habet,* id est, adhuc nondum habet præsentialiter durationem, consistentiam et dispositionem sibi futuram.

Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit nec præteriti fluxerit, id est, cui jam nil abest quod ei postea aderit adesseve

poterit, et a quo nil abiit quod aliquando fuit in eo, *id æternum esse jure perhibetur,* id est, tale ens recte et rationabiliter asseritur esse æternum. *Idque necesse est et compos* *, id est potens esse, *adsistere* (id est ad adsistendum) *semper sibi* ipsi *præsens,* ita quod invariabiliter sibi ipsi sit præsens, ideoque non possit corrumpi, nec dividi, nec aliquo modo a se ipso elongari aut transmutari; *et* potens esse quoque *infinitatem temporis mobilis,* id est instabilis, *habere præsentem,* id est, simplici intuitu cognoscere et quasi præsentialiter intueri tempus quantumcumque diuturnum aut infinitum.

* sui compos

Insuper ex his Philosophia redarguit modum loquendi quorumdam. *Unde quidam* putant *non recte,* id est, opinantur non vere, *qui quum audiunt visum* esse, id est apparuisse, *Platoni, mundum hunc,* id est universum, *nec habuisse initium temporis,* id est exordium temporale, *nec habiturum esse defectum,* id est corruptionem aut finem subsistentiæ suæ, *putant hoc modo,* id est ex hac ratione, *mundum conditum fieri coæternum,* id est sequi quod coæternus sit, *Conditori. Aliud est enim per interminabilem duci vitam,* id est, durare et per durationem extendi per vitam nec principium durationis habentem nec finem, *quod mundo Plato tribuit,* id est, mundo adscripsit; *aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam :* id est, « aliud » ab eo quod dictum est, « præsentiam », id est quietam ac fixam possessionem, « interminabilis vitæ esse complexam totam pariter », id est simul esse comprehensam ac præsentialiter inexsistentem seu plene præsentem; *quod divinæ mentis proprium esse manifestum est,* hoc est, clarum est quod istud sit proprium menti increatæ seu Deo.

Joannes. — Circa hæc mihi dubia oriuntur : primo, de hoc quod Philosophia affirmat Platonem sensisse mundum non incepisse, quum tamen Plato in primo Timæi apertissime scribit quemadmodum

A Deus mundum produxerit ex confusa et fluitante materia præexsistente. Denique Aristoteles refert, quod solus Plato genuit mundum, hoc est, de novo generatum perhibuit. Secundo, de eo quod reprehenduntur qui, stante illa Platonis opinione, fatentur mundum Deo coæternum, quum et in libro de Causis intelligentia dicatur esse æterna seu cum æternitate. Salomon quoque : Terra (inquit) in æternum stat. Imo *Eccle.* I, 4.
et in Evangelio, ignem inferni Christus *Matth.*
vocat æternum. XXV, 41.

B Dionysius. — Ad primum horum vicissim hinc inde responsum est, atque ex *Cf.* p. 379 C' et s., 383 D' et s.
verbis Augustini ac Procli ostensum, quod secundum Platonem mundus fuerit ab æterno. Quod autem in Timæo conscripsit de processione materiæ confusæ, quidam exponunt de processione, non temporis, sed ordinis naturæ aut generationis. Porro, quod Plato dicitur mundum genuisse, potest referri ad illud quod juxta superficiem litteræ loquitur in Timæo de generatione mundi, vel de mundo inferiori, quem magno anno expleto asseruit renovari, et corrupta regenerari. — Ad secundum dicendum, quod æternitas tam a philosophis quam a theologis multipliciter sumitur. Primo, proprie, sicut jam exstitit definita, et Deo est propria. Secundo, pro ævo seu æviterno, quod est æternitas participata : unde in libro de Causis habetur, quod omne esse superius, aut est ante æternitatem, aut cum æternitate, aut post æternitatem et supra tempus. Philosophi demum qui putabant mundum ab æterno fuisse, quamvis dixerint quædam creata ab æterno fuisse, non tamen dixerunt ea proprie esse æterna, sed participative; quum vero dixerint mundum Deo coæternum, sumpserunt æternum non prorsus univoce. Quandoque etiam æternitas capitur pro sæculo, seu longa quavis duratione, sicut in cantico Moysis : Dominus regnabit in æternum et *Exod.* XV,
ultra. 18.

(C and D section markers in gutter)

Joannes. — An ergo æternitas dicatur de Creatore et creaturis æquivoce?

Dionysius. — Sicut alia quæ dicuntur de

Deo et rebus creatis, dicuntur de eis non prorsus æquivoce, sed potius analogice, ut esse bonum, sapientem, potentem, quæ per prius et eminentiori modo enuntiantur de Deo ; ita de æternitate censendum est.

Consequenter Philosophia respondet quæstioni simplicium magis quam peritorum, qui quærere solent an Deus fuerit ante mundum, an sit antiquior mundo, et ubi fuerit antequam quidquam creavit.

Neque enim Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, id est, nemo debet sentire quod Deus sit « antiquior » et prior mundo « quantitate temporis », id est diuturnitate temporalis durationis : tum quoniam ante mundum non fuit tempus, sicut nec modo extra mundum est locus, nisi imaginarie (juxta quem modum ait Gregorius, quod Deus est intra omnia non inclusus, et extra omnia non exclusus ; aliqui quoque dicunt, quod Deus est extra mundum per spatium infinitum, quum tamen extra mundum non sit spatium nisi imaginarium, nec debemus superaltissimi Dei immensitatem ruditer imaginari per modum quantitativæ extensionis) ; tum quoniam esse Dei nequaquam tempore mensuratur. *Sed* Deus est prior et antiquior mundo *proprietate potius simplicis naturæ,* id est infinita eminentia simplicissimæ suæ essentiæ, utpote prioritate naturæ ac dignitatis, imo causalitatis, atque duratione æternitatis. Verumtamen antiquitas non convenit proprie Deo, in quo nulla est successio, nulla protensio, quum et Apostolus fateatur : Quod antiquatur et senescit, est prope interitum. (*Hebr.* VIII. 13.) Idcirco, quod Daniel ait propheta, Antiquus dierum sedit, (*Dan.* VII. 9.) metaphorice de Deo exponitur : qui vocatur Antiquus dierum, quoniam sua æternitate omni tempori coadsistit, omneque tempus includit et excedit, prout libro de Divinis nominibus (cap. X.) magnus Dionysius ait.

Consequenter tangitur qualiter etiam tempus æternitatem quodammodo imitatur.

Hunc enim vitæ immobilis præsentarium statum, infinitus ille temporalium rerum motus imitatur : id est, incessabilis « motus temporalium » atque mobilium « rerum imitatur » per quamdam assimilationem « statum præsentarium vitæ immobilis », id est consistentiam Dei invariabilem, indesinenter præsentem, in eodem instanti immutabiliter permanentem. Quem statum motus et tempus imitantur in hoc quod incessabiliter durant successione, præsertim secundum philosophos qui motus cœlestes posuerunt nunquam cessaturos. *Quumque eum effingere atque æquare non possit :* id est, quum infinitus iste temporalium motus non valeat « effingere », id est explicare ac repræsentare, « atque æquare », id est perfecte assimilare, statum illum æternitatis ; *ex immobilitate deficit in motum,* id est, ab « immobilitate » æternitatis « deficit » in tantum, quod cadit in rationem et speciem motionis (nam et omnis creata essentia incomparabiliter plus deficit a Creatoris perfectione quam ei assimiletur), *ex simplicitate præsentiæ,* id est a simplicissima præsentia qua Deus sua æternitate jugiter sibi est præsens ac omnia tanquam præsentia intuetur, *decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem,* id est, in tantum occumbit, quod extenditur in perpetuam extensionem a præterito in futurum.

Et quum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, id est, ex quo tempus non valet simul habere totam et plenam exsistentiam suam (ejus enim partes sunt : præteritum, quod fuit et nunc non est ; atque futurum, quod erit et nondum est), *hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit,* juxta sensum expressum (in Apocalypsi tamen vere asseritur, Quia tempus ultra non erit, (*Apoc.* X, 6.) videlicet motu cœli cessante), *illud quod implere atque exprimere non potest,* id est æternitatem, quam non valet repræsentare evidenter, stabili mansione ac fixa duratione, *aliquatenus videtur æmulari,* id est, aliqualiter

multumque imperfecte imitatur ac repræsentat per continuationem suæ successionis : unde subjungitur, *alligans se ad qualemcumque præsentiam hujus exigui volucrisque momenti,* id est, ipsum tempus se connectens ad instans seu nunc præsens, cujus tamen præsentia est imperfecta, celeriter fluens ac defluens tanquam velocissima avis.

Quæ quoniam manentis illius præsentiæ quamdam gestat imaginem, id est, ex quo debilis ista præsentia momenti seu nunc temporis, habet et repræsentat defectuosam ac modicam seu vestigialem similitudinem « illius præsentiæ » æternitatis invariabiliter permanentis, *quibuscumque contigerit id præstat ut esse videantur,* id est, præsentia hæc temporis confert partibus suis ut quodammodo sint per connexionem suam ad tempus : quod etiam de rebus temporalibus potest exponi. *Quoniam vero manere non potuit,* id est, quia ista hujus momenti præsentia non valuit stabilis esse, *infinitum temporis iter arripuit,* id est incessabilem fluxum et cursum perpetuum ; *eoque modo factum est ut continuaret eundo vitam,* id est, taliter contigit effective ex ordinatione et dispositione divina, quæ unicuique speciei rerum largita est quod ei ex propria convenit ratione ac specie, ut nunc temporis « continuaret » et conservaret « vitam », id est consistentiam suam, « eundo », id est fluendo a præterito in futurum, *cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo,* id est, cujus exsistentiæ totalitatem nequivit habere atque includere stabiliter persistendo ut ea quæ sunt permanentis naturæ.

Itaque, si digna rebus nomina velimus imponere, id est, si cupimus unumquodque designare convenienti proprioque vocabulo, *Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum vero dicamus esse perpetuum,* id est, Deum certissime vocemus æternum, mundum vero perpetuum, sequendo in hoc Platonis doctrinam. Verumtamen agnoscendum, quod etiam secundum sanctissimæ fidei nostræ veritatem dicimus mundum esse perpetuum, aliter tamen quam secundum Platonis Aristotelisque intentionem. Nempe secundum fidem, mundus perpetuus est, et hoc, absolute ac sine distinctione loquendo : quoniam habet principium sui esse, tam principium productionis, quod est Deus, quam principium suæ durationis, quoniam ab æterno non fuit. Sed juxta illos philosophos, non habuit nisi principium productivum : quod simpliciter falsum est.

Consequenter Philosophia diffusius declarat jam dicta, videlicet æternitatis naturam ac proprietatem, et increatæ scientiæ modum, qualiter rebus non aufert contingentiam ac libertatem.

Quoniam igitur omne judicium, secundum sui naturam quæ sibi subjecta sunt comprehendit : id est, quia « omne judicium » seu cognitio « comprehendit », id est, formaliter noscit, « secundum naturam sui », id est secundum propriam naturam et dispositionem cognoscentis, « quæ subjecta sunt sibi », id est sua objecta, et non secundum modum rei cognitæ, ut dictum est sæpe ; Cf. p. 612 A. *est autem Deo semper, æternus ac præsentarius status,* id est, status invariabilis, præsens ac æternalis (intelligendo per statum modum essendi) convenit Deo : *scientia quoque ejus, omnem temporis supergressa motionem,* id est, increata sua cognitio transcendens omnem instabilitatem, conditionem ac differentiam temporis, *in suæ manet simplicitate præsentiæ,* id est, æternaliter perseverat in simplicissima sua præsentia atque in præsentissima sua simplicitate, universa et singula sciens ac intuens in se et per se tanquam præsentia sibi, sicut visus noster fertur in id quod in sua consistit præsentia ; *infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens,* id est, simul cognoscens innumerabilia spatia, durationes, successiones quascumque cujuscumque temporis præteriti et futuri, tam veri quam imaginarii, *omnia quasi jam gerantur, in sua simplici co-*

gnitione considerat, id est, unico simplicissimo mentis intuitu omnia conspicit ac si jam præsentialiter sint, aut fiant ipso cernente.

Itaque, si præscientiam * *pensare velis qua cuncta prænoscit* *, id est, si recte et profunde pensaveris « præscientiam » illam æternam qua Deus cuncta prænoscere dicitur, *non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis*, id est, vere senties illam præscientiam Dei esse « scientiam instantiæ », id est præsentiæ seu rei præsentis, saltem quoad esse suum cognoscibile et exemplare quod habet in mente divina.

* [illegible]
* [illegible]

Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, id est, quum omnia sint Deo quasi præsentia, illa cognitio aptius nuncupatur « providentia », quæ et præsentia comprehendit, quam « prævidentia », quæ proprie concernit futura. Verumtamen, si objiciatur quod modus loquendi obtinuit ut illa Dei cognitio dicatur prævidentia ac præscientia; dicendum, quod quamvis in se ipsa sit simplex et unica, non diversa et multiplex juxta diversitatem et multitudinem præstitorum aut prævisorum, attamen per relationem ad ista præstita, et quoad reale eorum esse quæ nondum sunt, vere præscientia et prævidentia nuncupatur. Proprie autem providentia nominatur propter causam quæ subditur : *quod porro ab rebus infimis constituta*, id est eo quod « rebus » eventibusque futuris ac declivibus ineffabiliter superexaltata infiniteque eminens, *quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat*, id est, universa cognoscat a summo throno ac vertice sapientiæ et excellentiæ suæ, sive a cœlo empyreo, in quo specialiter esse ac residere perhibetur. Propter quod scriptum est : Dominus de cœlo prospexit super filios hominum. Sicque dicitur « porro », id est a remoto, non quod loco, sed dignitate et eminentia distet a creaturis, præsertim inferioribus ac futuris. Unde habetur in Esdra : Domine, cujus oculi in superiora porrecti. Salomon quoque ait : Domine, respice de cœlo, de sublimi solio gloriæ tuæ. Aliqua vero fertur Deus a longe cognoscere, ut ea quæ reprobat, juxta illud Psalmi : Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. Circa quod loquitur Augustinus : A longe cognoscit, sed non ignoscit. Quemadmodum etiam dicitur longe esse ab illis, secundum illud Proverbiorum : Longe est Dominus ab impiis.

Ps. XIII, 2. — IV Esdr. VIII, 20. — II Par. VI, 30; III Reg. VIII, 49. — Ps. CXXXVII, 6. — Prov. XV, 29.

Ex præinductis ostendit Philosophia insufficientiam objectorum contra præscientiam ac providentiam Dei factorum.

Quid igitur postulas, id est, quum prædicta ita se habeant, « quid postulas », id est, cur irrationabiliter petis concedi, *ut necessaria fiant*, id est, de necessitate contingant et necessaria fieri affirmentur, *quæ divino lumine illustrantur* *, id est, ab increata luce mentis divinæ limpide cognoscuntur, *quum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant*, id est, ex quo cognitio hominum nullam influat necessitatem his quæ præsentialiter coram hominum visu fiunt, quum tamen cognitio Dei conformis sit cognito multo plus quam cognitio hominum ?

* lustrentur

Num enim, id est numquid, *tuus intuitus*, id est præsentialis tua cognitio, *addit*, id est influit, *necessitatem aliquam* absolutam *eis* rebus et effectibus *quæ cernis præsentia*, id est coram oculis tuis accidere ? Ad quod Boetius : *Minime* : quia nostra inspectio nihil mutat in natura rerum quas cernimus (quamvis necessitas conditionata ibi esse dicatur), quia sensus directe non fallitur circa suum objectum. Et Philosophia : *Atqui*, id est pro certo, *si* (pro quia) *est collatio digna*, id est comparatio apta seu decens, loquendo de comparatione et proportione imitativa, *divini humanique præsentis*, id est inter præsens seu nunc æternitatis ipsius Dei, et inter præsens et nunc hominis : quia (ut patuit) tempus et nunc temporis aliqualiter imitantur æternitatem et nunc æternitatis ; *uti vos vestro hoc temporario præ-*

senti quædam videtis, id est, sicut « vos » homines « videtis quædam » in « hoc vestro præsenti temporario », seu in instanti et nunc temporis : quod nunc suo fluxu causat tempus ; *ita ille omnia suo cernit æterno,* id est, sic Deus omnipotens universa contemplatur et videt in suo præsenti et nunc æternali.

Quare hæc divina prænotio, id est, ergo præcognitio ista mentis divinæ, *naturam rerum proprietatemque non mutat,* id est, non aufert « rerum » a se cognitarum « naturam » et « proprietatem » naturalem : imo est causa et conservatrix earum, quoniam supersublimis Deus per suam scientiam et omnipotentiam est prima rerum causa et conservator ordinis, differentiarumque rerum non ablator aut destructor, sed auctor et conservator ; *taliaque futura apud se præsentia spectat,* id est, « futura » conspicit in sua æternali præsentia, imo et suæ notitiæ æternaliter « præsentia » exsistentia, « talia », *qualia in tempore olim,* id est aliquando, *provenient. Nec rerum judicia confundit,* id est, inordinate non miscet rerum cognitiones et discretiones ita quod erret judicando de entibus, *unoque suæ mentis intuitu tam necessario quam non necessario ventura dignoscit,* id est, clarissime intuetur unico mentis prospectu tam ea quæ fiunt necessario quam ea quæ contingenter ac libere ; *sicuti vos quum pariter ambulare in terra hominem et oriri in cœlo solem videtis,* id est, sicut vos homines quando simul conspicitis in aurora solem oriri in sua sphæra et hominem transire in terra, quorum unum fit necessario, aliud contingenter, *quanquam simul utrumque conspectum, tamen discernitis,* id est, res simul visas ab invicem per intellectum distinguitis, *et hoc voluntarium, illud esse necessarium judicatis,* id est, affirmatis quod hominem ambulare, sit ex voluntate procedens, et liberum ac contingens, atque quod solem oriri, sit necessarium secundum naturalem cursum ac ordinem : quamvis sanctus Job fateatur, Deus præcipit *(Job IX, 7.)*

A soli, et non oritur ; quod superbenedictissimo Creatori perfacile est, et supernaturaliter fieri valet.

Ita igitur cuncta despiciens divinus intuitus, id est, intuitio Dei « cuncta despiciens », id est, deorsum omnia videns, *qualitatem rerum minime perturbat,* id est, nequaquam confundit, destruit aut deordinat proprietates, differentias dispositionesque rerum : imo et si quid in rebus supernaturaliter operetur (sicut in libro Sapientiæ legitur, In aqua plus ignis vale- *(Sap. XVI, 17, 23.)*

B bat, hic autem iterum etiam suæ virtutis oblitus est), hoc non est contra sed supra rerum naturam ; « rerum », inquam, *apud se quidem præsentium,* id est in lumine suæ cognitionis immutabiliter evidentium ac stantium, *ad conditionem vero temporis futurarum,* id est, venturarum quantum ad suum reale exsistere, per comparationem « ad conditionem », id est differentiam, « temporis ». *Quo fit,* id est, ex quo sequitur, *ut hæc* non sit opinio,* id est, quod ista præscientia Dei non sit opinativa seu *(* hoc)*

C incerta apprehensio, *sed veritate potius nixa cognitio,* id est, notitia magis « nixa », id est firma et certa, in « veritate », *quum exstiturum quid esse cognoscit,* id est, dum Deus agnoscit « quid », id est aliquid, « esse exstiturum », id est futurum, *quod idem exsistendi necessitate carere non nesciat :* id est, « quod » futurum « idem » Deus « non nesciat », id est, certissime agnoscat, « carere necessitate exsistendi », id est, contingere esse futurum.

Consequenter Philosophia resumit obje-

D ctionem Boetii, ut eam clarius solvat.

Hic si dicas, id est, si hoc loco objicias, *quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse, quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere* (istud argumentum frequenter prætactum est, et ordo verborum est clarus) ; *meque ad hoc nomen necessitatis adstringas,* id est, virtute argumenti istius velis « me » arctare « ad hoc nomen necessitatis », id est, ut concedam in his rebus nomen necessitatis seu ipsam necessitatem locum habere : *(Cf. p. 604 D.)*

fatebor quidem, id est, pro certo dicam A et affirmabo, *rem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis, nisi divini speculator, accesserit*, id est, responsionem atque sententiam tantæ difficultatis ut « vix aliquis » homo ei « accesserit », id est, per intellectum clarum appropinquaverit, « nisi speculator divini* », id est siderum mysterii ac Verbi æterni et cœlestis eloquii.

Respondebo namque, idem futurum, id est eumdem venturum effectum, *quum ad divinam notionem refertur*, id est, dum comparatur ad præscientiam intui- B tionemque Dei, *necessarium* esse, id est necessario eventurum et certissimam causarum connexionem inevitabilemque even- *Cf.* p. 518 B et s. tum habere, prout hoc supra de effectu fatali et operibus Providentiæ æternalis diffuse expressum est ; *quum vero in sua natura perpenditur*, id est, quando consideratur in se ipso et secundum ea quæ sibi conveniunt per comparationem ad causas naturales, immediatas et proximas, *liberum prorsus atque absolutum videri*, id est, vere de ipso cognosci quod libere C seu contingenter eveniat, sicque absolutus sit, id est immunis ac alienus a necessitate : et ita de eo est judicandum simpliciter, quia judicium atque cognitio de rebus sumuntur a propria natura et propriis ac proximis causis.

Denique Philosophia istud consequenter declarat.

Duæ sunt etenim necessitates : simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales. Hoc est : « Duæ sunt necessitates », loquendo in generali, ita D quod duæ sunt species necessitatis. « Una » est necessitas « simplex », id est simpliciter dicta, quæ et communiter nominatur necessitas absoluta, non secundum quid : ut omnem hominem esse mortalem ex sua natura, ratione corporis mixti ; et hoc, secundum cursum naturæ : quamvis primi parentes fuerunt sic instituti quod potuerunt non mori (quod fuit supernaturale), neque obiissent nisi peccassent ; glorificati vero non potuerunt mori. Mortale quippe non est vera differentia. *Altera conditionis*, id est, alia est necessitas conditionalis seu conditionata, ut si asinus volet, habet pennas : quæ est necessitas secundum quid. *Ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est :* id est, « si » certitudinaliter noscas « aliquem ambulare, necesse est » ex illa hypothesi eaque stante, quod ambulet. *Quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit*, quamdiu sic noscitur, quia scientia est impossibilium aliter se habere, præsertim scientia universalium.

Sed hæc conditio, id est necessitas ista conditionata, *minime secum illam simplicem trahit*, id est, nullatenus infert neque concludit « illam simplicem » necessitatem. *Hanc enim necessitatem*, utpote conditionalem, *non propria facit natura*, id est, non causat neque inducit ipsa rei « natura », aut species, aut aliquid ei per se conveniens, *sed conditionis adjectio*, id est accidentalis additio « conditionis » aut circumstantiæ rei. *Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate* * *gradientem*, id est, nulla absoluta et pura necessitas cogit eum ambulare qui ambulat ex propria voluntate, quæ et absolute cogi non valet, sed bene secundum quid et ex finis præsuppositione : sicut necesse est voluntatem Deo subjicere, si debeat homo salvari ; aliquod quoque est voluntarium involuntario mixtum, sicut mercium in mare projectio. *Quamvis eum tum quum graditur, incedere necessarium sit* ex suppositione et conditione : non sic quin possit a gressu cessare, sed quoniam impossibile est ut simul gradiatur et non gradiatur.

Eodem igitur modo, si quid Providentia præsens videt, id esse necesse est necessitate conditionis, *tametsi*, id est quamvis, *nullam naturæ habeat necessitatem*, id est, ex propria natura non « habeat necessitatem » ad hoc quod nunc sit sive futurum sit. *Atqui*, id est certe, *Deus ea futura quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur*, id est

* voluntarie

præsentialiter, seu quasi præsentialiter coram se essent, ut jam sæpe expositum est. *Hæc igitur ad intuitum relata divinum,* id est futura et contingentia ista per comparationem ad Dei cognitionem, *necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis,* id est, rationem cujusdam necessitatis conditionatæ sortiuntur ex proprietate et certitudine scientiæ Creatoris, cui omnia in se præsenter atque clarissime refulgent et constant; *per se vero considerata,* id est secundum propriam naturam pensata, *ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt,* id est, non deficiunt « a libertate naturæ suæ absoluta » (id est immuni et inobligata ad necessitatem), hoc est a contingentia et indeterminatione.

Cf. p. 615, 617 D' et s.

Fient igitur procul dubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit. Sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, ut ea quæ homines ex deliberatione atque proposito operantur; *quæ quamvis eveniant* sicut Deus prævidit aut etiam præordinavit, *exsistendo tamen propriam naturam non amittunt,* id est, per hoc quod fiunt et sunt, non amittunt libertatem et contingentiam eis generalem (nam et Deus prævidit et præordinavit ac statuit quod sic fierent et sic essent), *qua* eorum propria natura *priusquam fierent, etiam non evenire potuissent* simpliciter loquendo, id est per comparationem ad proprias ac proximas causas.

Cf. p. 579 D' et s.

Vera et catholica ista solutio superius habita est per distinctionem magis philosophicam, qua est dictum, quod de prævisis, præcognitis, prædestinatis, præscitis, de electis, de virtuosis et vitiosis, possimus loqui dupliciter : primo formaliter, utpote secundum quod tales sunt; secundo materialiter, prout sunt creaturæ quædam secundum se consideratæ, libero arbitrio decoratæ. Itaque primo modo de eis loquendo, non possunt non evenire, seu non salvari aut non damnari, secundum quod a Deo præcognitum est : sic enim considerantur per relationem ad providen-

A tiam seu præordinantiam, et sortiuntur necessitatem conditionalem. Porro materialiter de ipsis loquendo, possunt aliter evenire, et potest prædestinatus damnari ac virtuosus perire, vitiosus quoque pœnitere et adipisci salutem. Ideo tales propositiones, Prædestinatus potest damnari, et, Præscitus potest salvari, distinguuntur : et in sensu composito seu modali negantur; in sensu autem diviso conceduntur, ut supra inductum est : sic etenim attenduntur res istæ secundum propriam

B suam naturam.

Deinde Philosophia in persona Boetii tangit quasdam replicationes contra jam dicta.

Quid igitur (inquies) *refert non esse necessaria,* id est, tu forsitan dices, « Quid refert », id est interest, futura quidem ac liberi arbitrii opera non evenire de necessitate, *quum propter divinæ scientiæ conditionem,* id est propter certitudinem et infallibilitatem scientiæ Dei, *modis omnibus necessitatis instar eveniant,* id est,

C certissime accidant instar necessitatis et ad similitudinem eorum quæ vere ex necessitate contingunt? Etenim dictum est, quod per comparationem ad præscientiam Dei tam inevitabiliter fiant quam impossibile est Dei præscientiam falli.

Ad quod Philosophia respondet : *Hoc scilicet,* id est, istud refert, *quod ea quæ paulo ante proposui, sol oriens et gradiens homo,* id est, quod duo hæc, sol oriens et homo ambulans, quantum ad propositum attinet, *quæ dum fiunt, non fieri non*

D *possunt,* id est, dum sol oritur, non potest non oriri, et dum homo ambulat, non potest non ambulare, loquendo de his formaliter et in sensu composito. Quum namque propositio de possibili possit poni in esse, si homo posset non ambulare dum ambulat, hæ duæ essent de eodem homine pariter veræ, Homo ambulat, et, Homo non ambulat. *Eorum tamen unum, prius quoque quam fieret, necesse erat exsistere,* secundum cursum ordinemque naturæ, videlicet solem oriri; *alterum ve-*

ex minime, id est, hominem ambulare A non fuit necesse antequam fieret. *Ita etiam quæ præsentia Deus habet*, id est, ea quæ Deus intuetur tanquam in præsentia suæ mentis constituta, quamvis adhuc futura, *procul* (id est sine) *dubio exsistunt ; sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit*, id est, quoddam illorum necessario fit, ut cœlum moveri, *illud vero de potestate facientium*, id est, quoddam ipsorum provenit ex libera facientium voluntate.

Ex quibus infert Philosophia : *Haud* B *igitur injuria diximus*, id est, non injuriose nec false protulimus, ita quod dicendo quod subditur, non sumus locuti injuriam, id est injuriosum quid, contra Deum et veritatem : *hæc*, utpote futura contingentia, *si ad divinam notitiam* (id est ad Dei præscientiam) *referantur, necessaria*, id est necessario eventura ; *si per se considerentur*, id est in propria natura, *necessitatis esse nexibus absoluta*, id est immunia et libera a necessario eventu, utpote contingentia. Cujus sub- C jungitur simile. *Sicuti omne quod sensibus patet*, id est omne sensibile ac particulare, *si ad rationem referas*, id est per comparationem ad rationem abstrahentem, et illimitate considerantem ac sine reflexione ad phantasmata, *universale est*, id est generale, seu communis natura ; *si ad se ipsum respicias*, id est, si id attendas secundum quod in se ipso consistit, *singulare* est. Propter quod asserit Commentator : Universale dum intelligitur, singulare dum sentitur. Unde D et in libello de Unitate et uno scribit Boetius : Omne quod est, ideo est quoniam unum est. Ideo quoque juxta Philosophum, esse (utique actualis ac realis exsistentiæ) est suppositorum.

Deinde tangit Philosophia secundam replicam contra præhabita. *Sed si in mea (inquies) potestate situm est mutare propositum :* id est, tu « inquies, Si situm est », id est constitutum, « in mea potestate », id est libertate, « mutare propositum », id est mentis meæ intentionem ; *evacuabo providentiam*, id est, præcognitionem Dei faciam irritam et frustratam, *quum quæ illa prænoscit, forte mutavero*, id est, dum forsitan proposuero agere quod agere ante non proponebam.

Respondebo ego Philosophia, *propositum quidem tuum te posse deflectere*, id est mutare, *sed quoniam et id te posse, et an facias, quove convertas, præsens providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam non posse vitare :* id est, dicam « te non posse vitare », evadere, fallere aut frustrari, « præscientiam » Omnipotentis, quoniam ipse scit infallibiliter quod tu possis mutare tuum propositum, scit quoque an id mutabis, et si mutaveris, præscit ad quid potius te vertes et flectes seu inclinabis. Hoc itaque « intuetur veritas præsens providentiæ », id est vera providentia Dei præsens ubique et universa in se ipsa præsentialiter intuens, *sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum*, id est, quemadmodum non potes evadere inspectionem oculi alicujus hominis tibi adstantis et apertos oculos super te habentis, *quamvis te in varias actiones libera voluntate converteris*, id est, quidquid effeceris manendo in præsentia oculi in te fixi : quia potentia sensitiva necessario immutatur a suo subjecto sibi proportionabiliter applicato.

Sequitur replica tertia. *Quid igitur? inquies :* id est, dices, « Quid igitur » restat? *Ex meane dispositione scientia divina mutabitur*, id est, utrumne « ex dispositione mea », id est ex varia propositi mei altercatione, « mutabitur » Dei « scientia », *ut quum ego nunc hoc nunc aliud velim, illa quoque*, utpote scientia Dei, *noscendi vices alternare videatur*, id est, agnoscatur « alternare vices noscendi », id est variare modos circumstantiasque noscendi vicissitudinemve sciendi, ita ut noscat uno momento aut tempore quod alio nescit?

Minime, id est, nullatenus hoc concedam. *Omne namque futurum divinus præ-*

currit intuitus : id est, intuitio seu cognitio æterna mentis divinæ (de qua in Timæo subtiliter asserit Plato : Deus ut mens cujus intuitus contemplatioque intellectus, etc.) « præcurrit », id est, ab æterno præcedit, « omne futurum » quod nunc est aut unquam fuit futurum ; *et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet,* id est, omne futurum « retorquet », id est flectit, a proprietate suæ futuritionis quasi « ad » quamdam « præsentiam » coram se : ideo additur, *ac revocat,* id est, in suo conspectu præsentialiter statuit : quia (ut patuit) cognitio rerum est secundum naturam et modum cognoscentis, non cogniti. *Nec alternat, ut existimas, nunc hoc, nunc illud, prænoscendi vice* : hoc est, scientia Dei seu scientissimus Deus non « alternat », id est, suam cognitionem nullatenus mutat, « vice », id est vicissitudine seu modo aut circumstantia temporis, « prænoscendi nunc hoc » futurum, « nunc illud » ; *sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit atque complectitur :* id est, Deus seu præscientia ejus, in se « manens » invariabilis et immobilis, « prævenit », id est, æternaliter præscit, « atque complectitur », id est, plene includit et omnifarie comprehendit, « uno ictu », id est uno præsentiali intuitu, « tuas mutationes », id est cunctas tuas variationes et varietates, imo te ipsum, et cetera universa cum omnibus eorum contingentiis, circumstantiis, actibus et accidentiis, ut supra ostensum est; nec aliter posset consistere hominum judex.

* vices

Cf. p. 606 A et s.

Quam comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum proventu rerum sed ex propria Deus simplicitate sortitus est : id est, « Deus » supersapientissimus « sortitus est », id est, habet ac possidet, nec aliunde suscepit, « præsentiam » hanc « visendi », id est præsentialem universorum notitiam ac virtutem visendi, id est indesinenter videndi, et « comprehendendi omnia », tam genera quam species ac individua (quum et nos multa talium cognoscamus, A et ipse Aristoteles libro de Anima pro inconvenienti habeat, quod Deus dicatur ignorare quæ nos scimus), « non ex proventu », id est impletione seu exsistentia, « rerum futurarum » (sic enim, quod absit, scientia superbenedicti, superperfecti et supergloriosissimi Creatoris dependeret ex creaturis, imo et ipsemet Deus, quum sua scientia sit sua essentia et ipsemet sciens), « sed ex simplicitate propria », id est ex sua simplicissima natura, eminentia et perfectione. Ipse enim B est essentialiter actualissimus et honoratissimus intellectus, ut duodecimo Metaphysicæ fatetur Philosophus ; et sua supersplendidissima ac supersancta essentia est omnium rerum idea, species, ratio et exemplar, in qua cuncta relucent plenissime, ut patuit supra, beatusque Augustinus libro LXXXIII Quæstionum prosequitur. Juxta hunc modum loquendi Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica loquitur, quod universa catena deorum non est comparabilis αὐταρχῇ, id est C summo ex se et per se Deo : tantam (inquit) ille excellentiam super omnia est sortitus. Hinc item in libro de Causis habetur : Primum (id est causa prima) scit res omnes per suam essentiam.

Cf. p. 372 C et s.

Præterea, prætactæ distinctioni Philosophiæ, quod quædam necessario fiant et aliqua contingenter, atque quod quædam sunt temporalia et quædam perpetua et suo modo æterna, concordat quod in primo Timæi disseruit Plato : In primis dividendum quid sit quod semper est D generationeque carens, quid item quod gignitur nec est semper. Alterum intellectu perceptibile est ductu et investigatione rationis, semper idem ; alterum vero opinione et irrationali sensu apprehensibile. Hinc iterum ait ibidem : Solitariæ * (id est divinæ, singulari et summæ) naturæ non recte partes temporis adscribimus. Dicimus enim, Fuit, et est, et erit. At esse solum competit ei juxta veram sinceramque rationem ; fuisse vero et fore ei deinceps non competunt : hæc

* sempiternæ

quippe geniture temporis sunt propria. A

Ex quo illud quoque resolvitur, id est, ex dictis clare et resolutorie declaratur, *quod paulo ante posuisti, indignum esse,* id est, quod in hoc libro quinto asseruisti, (Cf. p. 580 B et s.) esse indecens Deo adscribere, *si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur,* id est, quod opera nostra ventura « dicantur præstare causam scientiæ Dei », hoc est, quod hujusmodi eventus perhibeantur esse causa et ratio præscientiæ Dei, prout videntur sensisse qui dicunt, non ideo aliquid esse venturum B quoniam Deus præscit hoc esse futurum, sed econverso, quoniam hoc futurum est, Deus id præscire. Verumtamen qui hoc dixerunt, non intenderunt hunc sensum, nec hanc admisissent sequelam. Origenes quoque, homo profundissimi et quasi angelici intellectus, quamvis in suis scriptis hinc inde suspectus, dixit hoc ipsum super epistolam ad Romanos, loquens extreme contra quosdam hæreticos omnia necessario evenire dicentes. Contra quos dixit, non ideo futura evenire (supple, C ex necessitate) quia prævisa sunt, sed quoniam futura sunt, omnia ea præsciri : intelligendo per « quoniam » causam a posteriori, seu causam sine qua non ; quæ causa denotat signum seu effectum causæ, non proprie causam. Sic in Psalterio fertur de Christo : (*Ps.* XLIV, 3.) Diffusa est gratia in labiis tuis ; propterea benedixit te Deus in æternum. Non enim est dubium quin benedictio Dei fuerit causa gratiæ diffusæ in labiis Christi. Et rursus in psalmo eodem : (*Ibid.* 8.) Dilexisti justitiam, et odisti ini- D quitatem ; propterea unxit te Deus, etc. Unctionem etenim Christo collatam secundum naturam suam assumptam, ipse non meruit, sed ex mera superpiissima benignitate in primo suæ incarnationis instanti suscepit : ideo per dilectionem justitiæ et odium pravitatis non meruit gratiæ unctionem ; verum unctio illa plenitudoque gratiæ, caritas quoque infusa, fuerunt causa actualis dilectionis justitiæ ac odii mali culpæ.

Denique ratio additur cur rerum eventus non sint causa scientiæ Dei. *Hæc enim scientiæ vis,* id est virtus et proprietas ista divinæ scientiæ, *præsentaria notione cuncta complectens,* id est, omnia comprehendens cognitione præsentiali intuitiva in se ipsa, non ex rebus concepta, prout istud jam sæpe expositum est, *rebus omnibus modum ipsa constituit,* id est, ipsamet increata scientia, propria et consubstantiali sibi virtute præordinavit, impressit, præfixit « omnibus rebus modum », id est differentiam certam, gradum et speciem ; *nihil vero posterioribus debet.* Itaque quædam sunt contingentia, quædam necessaria ; quædam temporalia, quædam perpetua : nec providentia rerum aufert rebus proprietates differentiasque hujusmodi.

Ex quibus Philosophia quasi epilogat atque finaliter intentam conclusionem infert, dicendo :

Quæ quum ita sint, id est, quum præinducta ita se habeant, *manet intemerata mortalibus arbitrii libertas,* hoc est, « libertas arbitrii », id est liberum arbitrium, manet intemeratum, id est inviolatum et integrum, seu potius a necessitatione et coactione immune, quanquam in primis parentibus per originale peccatum læsum fuerit et suo modo infectum : propter quod status naturæ humanæ post originale peccatum vocatur status naturæ corruptæ, status vero naturæ ejusdem ante illud peccatum, status naturæ integræ, prout secundo Sententiarum Magister asserit et (*Cf.* dist. XXIV D, XXV H.) doctores.

Sequitur secunda conclusio. *Nec inique* leges solutis omni necessitate voluntatibus præmia pœnasque proponunt :* (* iniquæ) id est, lex divina et naturalis ac positiva non « inique », id est non injuste, « proponunt », id est, cum certitudine prædicunt, « voluntatibus » creatis « solutis », id est immunibus et religatis, ab « omni necessitate », id est coactione et limitatione in agendo, « præmia » voluntatibus justis, si usque in finem perseverent, et « pœ-

nas » voluntatibus pravis, nisi pœniteant. Sic namque ait Salvator : Ibunt mali in ignem æternum, justi autem in vitam æternam. Si autem omnia necessario evenirent, leges hujusmodi essent injustæ. Etenim per præmiorum pollicitationem homines alliciuntur ad meliora, et per comminationem pœnarum a vitiis retrahuntur. Principaliter tamen ex puro Dei amore agenda sunt bona, et mala jugiter fugienda : alias magis diligeremus nos ipsos ac præmia nostra quam Deum. Ista demum secunda conclusio directe ex prima consequitur.

Matth. xxv. 46.

Sequitur conclusio tertia. *Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus :* hoc est, omnipotens Conditor immobiliter perseverat super omnia, cuncta conspiciens et « præscius » omnium futurorum, providentiam habens universorum, ut jam diffuse et copiose probatum est.

Cf. p. 509 D et s., 617 C' et s., 623 C'.

Quarta conclusio est : *Visionis ejus quoque præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit :* hoc est, « æternitas visionis ejus », videlicet Dei, id est æterna cognitio Creatoris, jugiter « præsens », id est, cuncta præsenter inspiciens, atque in omnibus per essentiam, præsentiam potentiamque consistens, « concurrit », id est, simul stat, « cum futura qualitate », id est temporalitate, mutabilitate et contingentia, « actuum nostrorum », nec unum horum derogat alteri, imo compatiuntur se invicem, sicut hoc modo ostensum est ; *bonis præmia, malis supplicia dispensans,* id est, ordinate et juste distribuens, quemadmodum fertur in Apocalypsi : Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua.

Cf. p. 618 B' et s.

Apoc. xxii. 12.

Quinta conclusio est : *Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque,* id est, fideles non inaniter ponunt in Deo spem suam et ipsum exorant. Nempe, quum ipse sit fidelissimus, piissimus, optimus, et omnia sciens, nequaquam relinquet sperantes in se spe formata, hoc est confidentia per caritatem ornata. Spes quoque informis disponit de congruo, non de condigno, ad impetrandum spei effectum : sicut et cetera opera bona ex genere extra caritatem exhibita, de congruo disponunt aliquo modo ad gratiam, quantum in ipsis est. Hinc sanctus loquitur Jeremias : Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus ; beatus etiam Isaias propheta : Deus judicii Dominus, beati omnes qui exspectant eum. Sic firmissime speravit in Deo electus ille Job, loquens : Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Hinc Ecclesiasticus nos monet : Respicite et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? Aut quis invocavit illum, et despexit eum ?

Jer. xvii, 7. *Is.* xxx, 18. *Job* xiii, 15. *Eccli.* ii, 11, 12.

Quæ quum rectæ sunt, id est, dum spes et preces « sunt rectæ » et justæ, *inefficaces esse non possunt.* Tunc autem preces sunt rectæ, quando spiritualia ad salutem necessaria, primo et principaliter petuntur, et hoc perseveranter : quia ut ait Salvator, Oportet semper orare et non deficere ; Paulus quoque, Sine intermissione (inquit) orate. Deinde petenda sunt alia in quantum expediunt ad salutem. Rursus, orare oportet cum omni attentione, ferventi affectione, cordiali compunctione, contrito et humili corde, cum reverentia et timore. Imo, ut sanctus vir Joannes Climacus, abbas montis Sinai, in suo sententioso asserit libro, qualiter Deum invocare debemus, discere possumus a reis mortis, qui si aliquam habeant spem impetrandi veniam a judice, videmus quam lacrimose, quam humiliate, quam indesinenter et affectuosissime invocent eum : quanto magis Deum æternum, Judicem summum, taliter invocare debemus, qui toties æternam damnationem meruimus, atque æternam ab eo beatitudinem adipisci precamur ? Spes item est recta, dum divinæ pietati principaliter innititur, et meritis propriis secundario : spes enim est certa exspectatio

Luc. xviii, 1. I *Thess.* v, 17. *Cf.* t. XXVIII, p. 470 D.

futuræ felicitatis ex gratia Dei meritisque A procedens.

Postremo Philosophia compendiosam facit admonitionem. *Aversamini igitur vitia,* id est, peccatis resistite et fugite ea : Eccli. xxi, 2. juxta illud Ecclesiastici, Quasi a facie colubri fuge peccata; Jacob. iv, 7. et illud Jacobi, Resistite diabolo, et fugiet a vobis. *Virtutes colite,* id est, amate et exercete. Hoc est quod Ps. xxxvi, 27. dixit Psalmista : Declina a malo, et fac bonum. *Ad rectas spes animum sublevate,* id est, cor vestrum erigite ad sperandum in Domino, ipsum virtuosis actibus hono- B rando, ne sit spes sine operibus. Ideo ait Osee xii, 6. Osee propheta : Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. Quocontra dicitur præsumptuoso ac arroganti : II Mach. vii, 34, 35. Noli extolli vanis spebus ; nondum enim Omnipotentis judicium effugisti. Et Jere- Jer. xvii, 5. mias testatur : Maledictus qui confidit in homine. Verumtamen in Sanctis Dei speramus, præsertim in beatissima Virgine, quæ est vita, dulcedo et spes nostra : non quasi in principali objecto, sed secundario, in quantum est mediatrix et auxiliatrix no- C stra apud Deum ad impetrandam gratiam ad salutem. *Humiles preces in excelsa porrigite :* id est, Deo in excelsis residenti preces ex humilitate manantes offerte, tam ex consideratione propriæ defectuositatis et culpæ, quam ex contemplatione infinitæ excellentiæ atque justitiæ Dei ; cum profunda et stabili humiliatione invocetis Altissimum, quum in Ecclesiastico scriptum Eccli. xxxv, 21. sit : Oratio humiliantis se nubes penetrat. Ps. ci, 18. In Psalmo quoque de eo asseritur : Respexit in orationem humilium, et non sprevit D precem eorum.

Sequitur saluberrimum documentum. *Magna vobis est (si dissimulare non vultis) necessitas indicta probitatis :* hoc est, o homines mortales cito morituri, « magna necessitas probitatis », id est obligatio et opportunitas ad virtuose vivendum, « est indicta », id est præfixa et commissa, « vobis » (ista tamen est necessitas conditionata, non absoluta, quia salutem consequi non valemus nisi insistendo virtutibus), « si non vultis dissimulare », id est negligenter et inadvertenter surda aure præterire, quemadmodum hi qui sciunt et non faciunt, qui habitualiter norunt et actualiter non perpendunt, qui tepidi sunt et remissi : de quibus S. Jacobus in sua Canonica, Scienti bonum facere et non fa- Jacob. iv, 17. cienti, peccatum est illi; Salomon quoque, Qui mollis et dissolutus est in opere suo, Prov. xviii, 9. frater est sua opera dissipantis. *Quum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis :* hoc est, quia « agitis », id est, vivitis, et quidquid cogitatis, appetitis, loquimini, exercetis, negligitis, totum committitis aut omittitis, « ante oculos », id est in conspectu et coram præsentia sapientiæ ac scientiæ atque justitiæ, « Judicis cuncta cernentis », id est, omnia clarissime ac diligentissime inspicientis, ponderantis ac judicaturi. Ad cujus contemptum et vilipensionem pertinet quod insensata ac misera creatura audet, ipso præsente, intuente, prohibente ac comminante, transgredi ejus præcepta, quum et judex terrenus hoc reputaret sibi valde injuriosum.

Istud debet nos incessanter timoratos, sollicitos et custoditos efficere, quia tota conversatio nostra intus et extra, est ubique et semper coram oculis supersanctissimi Dei. Hæc consideratio parit sapientialem pudorem turpiter operandi viliterque vivendi, negligenter et inhoneste agendi. Si ergo vis in vera cordis stabilitate proficere, divini judicii assiduam commemorationem habere, omnem acediam, turpitudinem negligentiamque vitare, satage indesinenter aut saltem frequenter attendere Dei præsentiam et adspectum, cum sanctis quoque viris Elia et Eliseo sæpius intra te dicere illud libri Regum : Vivit III Reg. xvii, 1; xviii, 15; IV Reg. iii, 14; v, 16. Dominus in cujus conspectu sto hodie. Ideo sanctus rex David psalmo vicesimo quarto deprompsit : Oculi mei semper ad Ps. xxiv, 15. Dominum. Et iterum regius ille propheta David psalmo centesimo octavodecimo asseruit : Servavi mandata tua et testimo- Ps. cxviii, 168. nia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Præterea B. Bernardus docet, hoc multum prodesse homini proficere cupienti, ut assidue meditetur sibi esse præsentem aliquam personam virtuosam ac sapientem, quam veneretur, et coram qua verecundaretur se male habere, negligenter, acediose, incomposite agere, opus Dei irreverenter solvere, seque in omnibus regat ac si videret illam sibi præsentem seque inspicientem. De hoc Seneca in libro de Copia verborum * disseruit : Aliquis vir bonus eligendus est nobis et ante oculos semper habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo judice faciamus. Maxima vitiorum pars tollitur, si peccanti testis adsistit. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum efficiat sanctius. O felicem, qui aliquem sic veretur ut ad ejus memoriam se componat ac ordinet! Qui sic aliquem veretur, cito erit verecundus. Insuper in suis ait Proverbiis : Non aliter vivas in solitudine quam in publico, id est non negligentius nec inverecundius. Ideo rursus deprompsit : Nullum locum putes consistere sine teste. Verumtamen, si tam utile est et salubre, tam proficuum ad virtutes, virum bonum et sapientem habere aut imaginari præsentem, quanto magis advertere et pensare Deum omnipotentem sibi incessabiliter esse præsentem, intentum et eminentem, imo et angelum sanctum? Quem utique Deum certum est cunctis creatis esse in infinitum venerabiliorem, terribiliorem, digniorem ac sanctiorem. Hinc decima epistola loquitur Seneca : Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

* Epist. lib. I, ep. 11.

A B C D

Joannes. — Grates Altissimo, quia completa est expositio voluminis hujus. Verum (ni fallor) adhuc quædam vis addere de providentia Dei ex nonnullis doctoribus. Sed (precor) responde quid moralissimus Seneca de fato et providentia senserit.

Dionysius. — De tanta re inter varias opiniones fluctuasse videtur, attamen ad id quod securius fuit, amplius divertisse. Sic quippe sextadecima ait epistola : Nemo beate vivere potest sine sapientiæ studio, in quo perseverandum est tibi, et assiduo studio robur addendum. Sed dicet aliquis : Quid mihi prodest philosophia, si fatum est? Quid prodest, si Deus est rector? Quid prodest, si casus imperat? Nam mutari certa non possunt, nihil quoque præparari potest adversus incerta; sed aut Deus meum præoccupavit consilium, decrevitque quid facerem, aut consilio meo fortuna nihil permittit. Quidquid ex his sit, mi Lucili, vel si hæc omnia sunt, philosophandum est. Sive nos inexorabili lege fata constringunt, sive Deus arbiter universi cuncta disponit, sive casus res humanas sine ordine impellit et jactat, philosophia nos debet tueri. Hæc adhortabitur ut Deo pareamus libenter, fortunæ contumaciter; hæc docebit ut Deum sequaris, et casum feras.

Joannes. — Supra induxisti pulchra quædam ex dictis Guillelmi Parisiensis de providentia atque fato, plura inferius te dicturum inde insinuans : illa (si placet) prosequere.

Cf. p. 535 C et s.

ARTICULUS XIII

EX SCRIPTIS GUILLELMI PARISIENSIS EPISCOPI, LIBRO PRIMO DE UNIVERSO, DE PROVIDENTIA ET REGIMINE DEI.

LIBRO de Universo Guillelmus effatur : Consequens est prosequi quæstiones circa providentiam Dei. Quarum prima est hominum insipientium et stultorum qui quærunt qualiter possibile est Creatori tantam rerum multitudinem, diversitatem

et varietatem regere et curare. Cui quæstioni respondet Apuleius Platonicus : Quemadmodum (inquiens) rex unus aut dux regit exercitum innumerabilium bellatorum, et ad unum clangorem buccinæ alii ad arma, alii ad equos, alii ad machinas currunt, et circa unumquodque istorum tam multa tamque varia opera fiunt; sic totam multitudinem creaturarum unus nutus Creatoris perinde regit ac si singulæ creaturæ illum audiant ac sentiant. Exsequitur unaquæque res vices suas, sciens seu quasi dignoscens sibi a Creatore inditam legem, quemadmodum in exercitu quantumlibet magno scit unusquisque præsentium quid ad ipsum pertineat, et illud exsequitur dato signo. Sicque considera tantam multitudinem ac tantam officiorum varietatem una voluntate regia gubernari, quam buccinæ innuit clangor. Quid igitur mirum, si Rex et Dominus sæculorum sua omnipotentissima et imperiosissima voluntate cuncta commovet concitatque creata, ita quod universa et singula aggrediuntur et prosequuntur operationes pertinentes ad se, et leges atque officia quæ edidit ac posuit eis ? Sic quoque irrationabiles creaturæ ex irradiatione et adspersione luminositatis sapientiæ Dei cognoscunt naturali notitia quædam eis necessaria, ad suam consistentiam conservationemque spectantia. Et hæc illuminatio modica ac participatio quædam luminis divinæ scientiæ, est eis quasi lex et liber ac lucerna, qua tendunt ad convenientia ac necessaria suæ naturæ : ut quod aranea sic texit retia sua. — Insuper aliam responsionem ad quæstionem inductam dedit quidam ex sanctis et sapientibus Christianorum doctoribus : ut dum rex terrenus præcipit sibi construi civitatem, ad unum ejus imperium procedunt tot et tantæ operationes operariorum, mechanicorum, cæmentariorum, fabrorum ; et non hominum tantum, sed et brutorum deferentium onera. Quod si de toto regno considerationem feceris, similitudinem expressiorem invenies : præsertim si regem tam

A sapientem et potentem imaginaveris, ut totum regnum suum habeat sibi sine ulla rebellione subjectum, totis quoque præcordiis injustitias detestetur. Hic ab initio ornabit totum regnum suum magistratibus sapientissimis, ministris obedientissimis legibusque justissimis; de omnibus ad pacem et prosperitatem regni pertinentibus sagaciter providebit. Hic igitur solo nutu seu signo suæ optimæ voluntatis movebit in primis adsistentes sibi, deinde præsides provinciarum, ac ceteros officiatos, sub

B quibus erit multitudo populi ordinate gubernata, obediens, bene pacata. Videbis hunc regem de solio suo regentem universos et singulos homines regni sui. Si autem quidam perversi noluerint subdi, et injustos sibi elegerint præsidentes vixerintque inique, hoc eorum perversitati, non regis imperfectioni, erit attribuendum. Ita est in regimine universi, atque in principatu Ecclesiæ militantis, quam Dominus et Salvator in principio optime ac sapientissime instituit gubernandam

C per gloriosos Apostolos ac evangelicæ legis præcepta, documenta, consilia, a quibus multi exorbitaverunt abusionesque varias induxerunt. Hæc Guillelmus : qui et tertium ponit exemplum de palatio regis optime disposito variisque officiis et officiatis pulchre distincto, quemadmodum tertio Regum narratur de palatio Salomonis. Porro per sanctum et sapientem quem allegat nec nominat, intelligit Augustinum, cujus et verba allegat, dicentis : Nihil fit in tota rerum universitate tanquam III *Reg.* x, 4, 5.

D in universali republica, quod non ab intelligibili aula summi Imperatoris aut jubendo aut permittendo procedat. Et de hoc auctoritates Augustini sunt supra plenius introductæ. *Cf.* p. 420 D et s.

Insuper doctor iste assignat quatuor vias, rationes seu motiva, ex quibus quidam philosophi atque hæretici dixerunt omnia de necessitate evenire, et nihil esse libere nostra in potestate, imo impelli nos necessitate ad omnia quæ facimus, et prohiberi impossibilitate ab omnibus quæ

non facimus. Primum motivum illorum A est infallibilitas divinæ providentiæ omnia distincte præcognoscentis ac ordinantis : de quo jam dictum est satis in libris quarto et quinto. Secundum est motus cœlorum, et figurationes ac ceteræ dispositiones stellarum et luminum. Tertium fuit imarmene*, quam quidam vocabant implexam et indeficienter currentem seriem causarum, dependentiamque necessariam unius ex alia. Quartum est fatum. Quibus motivis objicitur, quia ex ipsis concluditur quod actus hominum non sint virtuosi B nec vitiosi, nec futurum sit judicium Dei, injustæ quoque sint leges positivæ et pœnitentiæ. Et breviter, opiniones istæ stultissimæ sunt et contra experientiam omnem : ideo contra istum errorem non est tam ratione disputandum, quam igne et gladio præliandum ; quumque pœnas nullas asserat infligendas, pœnis maxime indiget. Pulchre autem quidam amicorum meorum irrisit unum illorum rogantium ipsum ut iret secum ad quemdam : Stulte (inquiens) rogas me ut tecum pergam. Tu C enim dicis, cuncta quæ fiunt, necessario evenire, et quæ non fiunt, impossibile fieri : ergo vel impossibile est me pergere tecum, aut necessarium est ut tecum vadam ; et sic preces tuæ sunt cassæ. Qui ita irrisus et illusus, suum cognovit errorem.

Cf. p. 509 D et s., 578 A et s.

* εἱμαρμένη

Consequenter procedam ad destructionem imarmenes, quam quidam erronei dixerunt esse implexam seriem causarum, quemadmodum et Mercurius in libro de Deo deorum. A quibus primo quærendum D quid dicant hanc. Et si vocent eam, connexionem causantium et causatorum, a primo causante usque ad ultimum continuo et necessario fluentium, objicitur quod primum causans est libere operans, et non per modum naturæ, quia secundum Philosophum, natura agit per modum servientis, nec liberum ei est facere et non facere : quod longe est a nobilitate et gloria Creatoris. Causæ quoque superiores post primam causam, sunt intellectualis naturæ, et libere atque ex electione agentes ; nec aliter virtuose ac laudabiliter agerent. Non ergo est series ista causarum implexa a primo agente usque ad inferiora per modum necessitatis, sed liberæ potius causalitatis. Nec causæ istæ intellectuales necessitate feruntur ad ea quæ faciunt : imo intellectualiter norunt et discernunt quid agere, quid non agere debeant. Insuper, si ex tali implexa serie causarum necessario agerentur quæ in inferioribus fiunt, cuncta vitia hominum viderentur causis cœlestibus inexcusabiliter adscribenda. Si autem dicatur necessitas ista causari ex concursu et aggregatione omnium causarum et adminiculorum adjuvantium eas, scito quod multa impeditiva possunt occurrere ; nec inferiora recipiunt superiorum influxum secundum uniformitatem et infallibilitatem superiorum, sed causæ superiores influunt inferioribus secundum inferiorum capacitates et dispositiones, nec universis æqualiter ; neque voluntas inde compellitur. Et quamvis inceptio operis necessaria esset, non tamen continuatio et consummatio ejus, quum et voluntas assidue possit immutari. Idcirco, secundum Aristotelem, quædam eveniunt necessario, quædam frequenter, quædam raro et præter intentionem, sicut fortuita.

Post hæc transibo ad investigationem fati et fatationis, et personarum quæ vulgo dicuntur fatatæ ac potestatem fatandi habere, utrum sint, et quid sit fatatio secundum intentionem eorum qui eam posuerunt. Itaque fatum uno modo idem est quod fortuna seu diffortunium, prosperitas sive adversitas alicui præordinata in sua nativitate aut ante : juxta quem modum astronomi scientiam judiciorum suorum fatidicam nominant. Et dicitur fatum abusive a for, faris, tanquam constellatio nativitatis aut conceptionis, vel alterius horæ præcedentis conceptionem vel nativitatem, hæc fata sive locuta fuerit præsignando sive præsignificando. Alio modo fatum intellexerunt cultores multitudinis deorum, præordinatum et prædictum a

diis quos coluerunt : prædictum, inquam, A denuntiative. Opinabantur enim deos multipliciter loqui, videlicet commonitorie, comminatorie et denuntiative : et ea quidem quæ commonitorie aut comminatorie protulissent, posse averti ne evenirent; denuntiative vero prolata, necessario evenire, tanquam decreta et statuta deorum : unde nominabant fata, tanquam dicta et prædicta deorum. Sicque fatum, secundum horum intentionem, est deorum assertio, fando expressa et denuntiata mortalibus, de magnis alicujus eventibus. Interea fuit B quidam ex Italicis philosophis, cujus eloquentiam usque hodie tota latinitas non immerito admiratur (et inter Italicos sapientiam ejus reputo et arbitror admirandam), qui dixit fatum et imarmenen idem esse, nec distinxit inter ea nisi nominibus, dicens fatum esse causas colligatas, per quas res rebus connexæ serie oriuntur aut fiunt. Et denuo ait : Fatum est ex æternitate fluens veritas sempiterna. Quibus sermonibus quamvis veritatem explicare sibi visus fuerit, rationem tamen et explicatio- C nem nominationis præteriit, nec nobis apparet nec facit nos scire quare fatum sic sit appellatum.

Adverte ergo quod Deus Pater Verbo suo primogenito et æterno, ante rerum creationem se ipsum dixit et universa futura, ita ut nullus ex eventibus rerum et hominum sit quem eodem Verbo illo non protulit; similiter in Verbo illo æterno nec ordo nec modus in tota serie sæculorum ab eo est prætermissus aut tacitus. Inde ergo videri potest primogenitum Ver- D bum esse vocatum fatum, utpote a Patre primo locutore prolatum. Hæc itaque videtur ratio nominis fati, atque congruere soli Verbo Patris æterni, in quo et per quod constituit et ordinavit apud semetipsum ante sæcula totam seriem sæculorum omniumque causarum, omnes quoque eventus hominum qui fortunæ aut infortunia appellantur, universa etiam bona naturæ et gratiæ ac gloriæ, imo et bona corporalia ac temporalia, inter quæ sunt mala pœnalia, hominibus multipliciter commodosa. Porro mala culpæ, in se dixit esse futura, et prævidit. Nec voluit ut essent ex ipso, vel per ipsum, aut ab ipso : quia non decet bonitatem et gloriam ejus quod sit talium causa. Statuit tamen apud se, in Verbo suo omnipotentissimo et per ipsum, ea non penitus prohibere esse, sed limitare ac ordinare et moderari : limitare quidem, ne eousque prosilirent quocumque homines pravi ac dæmones vellent atque suggererent; moderari vero multiplicibus repressionibus ac resistentiis, quas omnes sola ejus sapientia totaliter novit; ordinare quoque, ut non ante vel prius fierent quam ipse utilitates illas ex eis eliceret propter quas ipse ea permittenda potius elegit quam quominus essent avertenda seu penitus prohibenda.

Denique hoc Verbum Dei, Veritas est æterna, et omnis alterius veritatis causa fontana. Verumtamen veritas multipliciter dicitur. Primo, prout distinguitur contra signum : sicque veritas non est nisi res ipsa significata. Secundo, prout opponitur falsitati, quæ est apparentia rei non exsistentis : et secundum hunc modum dicuntur falsi, homines qui prætendunt exterius contrarium ejus quod habent interius ; quæ falsitas simulatio nuncupatur. Tertio, veritas est puritas ab admixtione contrarii : quemadmodum dicitur verum, aurum quod est purum, et tanto verius quanto purius. Quarto, ipsum esse rei uniuscujusque, hoc est esse residuum a tota varietate et circumvestione accidentium : et hoc est esse quod explicat definitio. Quinto, veritas dicitur esse Creatoris, cujus comparatione omne aliud dicitur falsitas : juxta quod Aristoteles in libro Metaphysicorum asseruit unum solum esse cujus nulla est causa, et illud est veritas, cujus respectu omne aliud est vanitas seu falsitas, utpote ex se possibile esse. Quemadmodum enim non dicitur verum argentum quod exterius tantum argentum est, sic unumquodque citra Deum exterius tantum est et a foris, habens esse adventicium : quo-

niam esse quod prædicatur per hoc ver- (A) bum *est*, quo esse unumquodque est, de unoquoque creato dicitur accidentaliter, sive per participationem, et de solo Deo essentialiter. Ab omni namque alio est separabile actu aut ratione ; a Deo autem nullatenus, alioqui esset ei acquisitum. Sexto, veritas dicitur veritas enuntiationis : quæ, secundum Avicennam, est adæquatio orationis et rerum, id est affirmationis et negationis. Orationem vero intelligit Avicenna tam exteriorem, vocalem scilicet vel scriptam, quam mentalem. Et sive dicatur æquatio, sive æqualitas, sive similitudo, non refert quantum ad Avicennæ intentionem. — Hæc Guillelmus.

ARTICULUS XIV

DE FATO ET PROVIDENTIA EX DICTIS S. THOMÆ.

Cf. p. 512 B et s., 542 B et s.

UT tactum est supra, de fato (ut fertur) (B) edidit Thomas speciale opusculum, in quo inter cetera protestatur : Fatum primo dicitur mors dispositione periodorum inducta. Secundo, dispositio divinæ providentiæ de futuro progressu esse et vitæ inferiorum : quæ dispositio est æterna.

Tertio fatum dicitur forma ordinis esse ac vitæ inferiorum, causata in ipsis ex periodo cœlestis circuli, qui suis radiationibus ambit nativitates inferiorum. Quæ forma non est forma substantialis dans (C) esse, sed potius forma cujusdam universalis ordinis esse ac vitæ, in essentia simplex, ac multiplex in virtute. Etenim simplex esse habet a simplicitate circulationis circuli communis, multiplicitatem autem virtutis a multitudine eorum quæ continuo a circulo fluunt : fluit * quippe a multis stellis et sitibus et spatiis et imaginibus et conjunctionibus et præventionibus, et multiplicibus angulis, qui describuntur ex intersecationibus radiorum cœlestium corporum productioneque radiorum super (D) centrum, in quo est sol. Atque ut asserit Ptolemæus, per adspectum solis omnes virtutes eorum quæ sunt in circulo cœlesti congregantur et ad unam formam uniuntur. — Quæ forma medium est inter necessarium et possibile. Necessarium enim est quidquid est in motu circuli cœlestis, possibile vero quidquid est in generabilium corruptibiliumque materia : sed forma ex circulo cœlesti causata et generabilibus corruptibilibusque inhærens, media est inter utrumque. Omne enim quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum potestatem et dispositionem recipientis, non recepti seu causæ a qua est. Quod patet in bonitatibus quæ procedunt a Deo, ut sunt esse, vita, ratio, lux, sapientia : quæ quanto longius a primo procedunt secundum diversos entium gradus, tanto mutabiliora materialioraque fiunt, quamvis in Deo simplicissime, immutabiliter æternaliterque consistant, ut divinus Dionysius libro de Divinis nominibus docet. [cap. v.] Conformiter est de forma ordinis esse ac vitæ : quæ in cœlesti circulo necessaria est, et incommutabilis, hoc est inalterabilis ; in rebus vero generatis, propter mutabilitatem esse ipsarum, est mutabiliter ac contingenter recepta. Unde quarto de Consolatione Boetius [*Cf.* p. 515 B' et s.] multos figurat circulos, in quorum centro ordo est et causa fati atque fatalium : et in circulo primo propinquo centro, est immutabilitas fati secundum quod refertur ad causam ; in circulo autem distante, in quo continentur generabilia et corruptibilia, est ejusdem fati

* fit

contingentia ac mutabilitas per esse ge- A neratorum et corruptorum. Sicque centrum est dispositio esse et vitæ in mente primi motoris : circulus vero juxta centrum propinquus, est eadem forma dispositionis prout est in periodo circuli cœlestis ; circulus demum a centro distans, designat formam dispositionis eamdem prout mutabiliter est in rebus generatis atque corruptis. Forma quoque hæc, quum sit imago periodi, virtualiter ac potentialiter continet totum esse et operationem et durationem generatorum B et corruptorum : sicque quamvis sit ex necessario, nihilo minus est variabilis et contingens. Cujus causam optime assignat Ptolemæus in Quadripartito : Virtutes (dicens) stellarum per aliud et per accidens fiunt in inferioribus. Per aliud quidem, quia per sphæram activorum et passivorum, per quorum qualitates activas et passivas inhærent inferioribus ; per accidens autem, quia hæc forma, etsi a necessaria effluat causa et immutabili, accidit ei habere esse in rebus contingentibus C ac variabilibus. Itaque ex duobus habet mutabilitatem, puta : ex qualitatibus elementorum, per quæ defertur ad generata ; et ex esse generatorum, in quibus est sicut in subjecto. — Hinc dispositio fatalis exclusibilis impedibilisque consistit per oppositas dispositiones in materia sensibili exsistentes, per dispositiones quoque oppositas in anima sensitiva inventas. Hoc namque faciunt apprehensa in virtutibus animæ sensitivæ, quod dispositiones qualitatum activarum et passivarum D in corporibus. Ex imaginatione enim mulieris intensa, totum corpus ad venerea transmutatur. Propter quod etiam asserit Avicenna, quod quidam ex imaginatione lepræ leprosus effectus est. Patientibus quoque sanguinis fluxum, dissuadet Galenus rubicundorum adspectum. Si igitur apprehensa sint motui cœlesti contraria, excludunt cœli effectum : per convenientes vero cœlesti motioni dispositiones corporales apprehensionesque animales juvatur cœlestis effectus. Propter quod Mesalon * dixit : Cœlestis effectus [qui vocatur *alatre*] juvatur a sapiente astronomo, sicut in productione terræ nascentium juvatur aratione et seminatione.

* Maschallah

Sed his objici potest, quoniam somnia ex quibus prognosticamus futura, ut dicit Macrobius, sive sint oracula, sive intelligentiæ, sive prophetiæ, tripliciter fiunt in nobis, ut etiam Aristoteles ait secundo de Somno et vigilia *, puta, per signum, per causam, aut per accidens, in quantum actus est accidens per se, non accidens communiter. Est autem somnium passio somni : idcirco per aliquid dormitionis accidit somnium dormienti. Accidens autem dormitionis quod est prognosticum futuri, non potest causari a calido et frigido, humido et sicco, quæ sunt in materia : oportet ergo quod causetur a forma aliqua, quæ est forma ordinis et regula vitæ inferiorum. Nec forma hæc potest esse nisi a circulo cœlesti : cui formæ inferiora de necessitate subjecta videntur. Dicendum, quod non de necessitate inferiora subjacent illi formæ. Cujus duplex causa prætacta est. — Porro de illuminatione intellectus est duplex responsio. Una Stoicorum et Platonicorum, dicentium quod omnis substantia nobilior per imperium habet movere inferiorem, et quod inferior illi obedit : sicut in fascinationibus anima unius inspiciendo alium ligat et impedit operationes illius. Dicunt namque, quod virtute alicujus naturæ superioris, sive intelligentiæ sive stellæ, anima unius ponitur in gradu superiori, et anima alterius in gradu inferiori ; tuncque inferior nata est immutari ab apprehensione superioris, et sic fiunt fascinationes. Hoc vero secundum Peripateticos non bene convenit, quoniam inter agens et actum, movens et motum, oportet esse immediationem et conjunctionem secundum contactum. Unde dicimus, quod sicut calor digestivus duplicis est virtutis, unamque habet in quantum est calor ignis, cujus est alterare et separare ea quæ diversi

* primo de Divinatione

sunt generis atque decoquere ; alteram A habet in quantum instrumentum est animæ, quæ est principium vitæ, secundum quam terminat dirigendo* ad formam viventis : sic et motus cœlestis duplicem habet virtutem, unam in quantum est motus corporis orbicularis, et sic movet aliqua corpora ; aliam prout est instrumentum intelligentiæ moventis, et ita effectus ejus fit in anima sensitiva per formas corporum, et in anima intellectiva per formas illuminationis.

* digerendo

Itaque, juxta præhabita, fatum mutatur B duplici de causa : propter quod nullam rebus necessitatem imponit, sed inclinat ad effectus cœlestium, si non sit dispositio fortior in materia ad contrarium movens. Idcirco hujusmodi moventia assimilat Aristoteles, secundo de Somno et vigilia, duplicibus consiliariis. Superiores quippe consiliarii ex rationibus certis suadent aliquid utiliter faciendum, quod tamen inferiores propter diversos casus obviantes dissuadent. Unde ait, quod supervenientibus aliis consiliis, consilia frequenter C mutantur. Propterea, secundum Ptolemæum, duæ sunt partes astronomiæ. Una de sitibus et motibus corporum superiorum, et quantitatibus eorum et passionibus propriis : ad hanc per demonstrationem pertingitur. Alia est de effectibus astrorum in inferioribus, qui in rebus mutabilibus mutabiliter recipiuntur : ideo ad hanc non nisi per conjecturationem pervenitur. Hinc astronomiam in hac parte dicit secundum aliquid physicum esse, et ex signis mutabilibus generare habitum mi- D noris certitudinis quam sit scientia sive opinio. Quum enim hujusmodi signa sint communia et mutabilia, non demonstrant, eo quod nec in omnibus nec in pluribus includunt significatum, sed quantum est de se, sunt indicia quædam, multis ex causis mutabilia. Ideo astronomus sæpe dicit verum, et tamen quod dixit non evenit : quoniam dictum suum secundum dispositionem cœlestium fuit verissimum, sed hæc dispositio mutatione inferiorum causarum exclusa est. — Hæc Thomas in præfato tractatu.

Insuper, ut superius quoque inductum est, in Summa contra gentiles, libro tertio, Thomas diffuse inde conscripsit : quæ a studiosis ibi possunt requiri. Ubi et inter cetera refert : Sciendum quod ad probandum effectus cœlestium corporum ex necessitate procedere, Avicenna in sua Metaphysica tali utitur ratione : Si effectus cœlestium corporum impeditur, oportet quod hoc sit per aliquam causam voluntariam aut naturalem. Omnis autem causa inferior, tam voluntaria quam naturalis, ad aliquod principium cœleste reducitur : ergo impedimentum effectuum cœlestium corporum procedit ex aliquibus cœlestibus principiis. Si ergo totus ordo causalitatis cœlestium corporum simul accipiatur, impossibile est quod ejus effectus in inferioribus istis cassetur. Hæc autem ratio, ut secundo Physicorum Aristoteles tangit, fuit quorumdam antiquorum philosophorum casum fortunamque negantium, eo quod unumquemque effectum dicebant esse ab aliqua causa determinata ; posita autem causa, necessario ponitur et effectus. Quam rationem ipse Aristoteles sexto Metaphysicæ solvit, duas propositiones negando quibus ratio ipsa innititur. Quarum una est, quod posita causa quacumque, necessario ponitur et effectus. Hoc enim non oportet in omnibus causis, quoniam aliqua causa quamvis sit per se et proprie causa sufficiens alicujus effectus, potest tamen impediri ex concursu alterius causæ, ut non sequatur effectus. Alia propositio quam negat, est : Omne quod quocumque modo est, citra Deum, habet causam per se. Quod dicit solum verum esse de his quæ sunt per se ; quæ autem sunt per accidens, non habent aliquam causam per se : sicut esse musicum, habet causam in homine ; quod autem homo sit simul albus et musicus, non habet aliquam causam per se. Quæcumque enim sunt simul propter aliquam causam, habent inter se ordinem

Cf. p. 169 D' et s.

cap. 86.

ex causa illa; quæ vero per accidens sunt, A ordinem non habent ad invicem. Sic ergo, proposito aliquo effectu, dicemus quod habuit aliquam causam, ex qua non de necessitate sequebatur, quoniam poterat impediri ex alia causa per accidens concurrente. Et licet causam illam concurrentem oporteat reducere in causam altiorem, tamen concursum qui impedit non est reducere in aliquam causam. Ideo dici non potest, quod impedimentum hujus vel illius effectus procedit ex aliquo cœlesti principio. Hinc dicendum non est, B quod effectus corporum cœlestium ex necessitate proveniant in inferioribus istis. Hæc ibidem.

Quocirca sciendum, quod Avicenna et Algazel ac alii multi Peripateticorum, dicentes ab uno primo simplici uniformiter et immutabiliter se habente, non procedere immediate nisi unum, dixerunt unam intelligentiam creatam ab alia, et animas rationales omnes ab intelligentia infima : quod Guillelmus asserit fuisse de Aristotelis mente. Ideo consequenter dixerunt C intelligentiam illam ultimam posse consistere causam electionum et volitionum nostrarum. Quæ opinio est prorsus erronea : quoniam et creare Deo est proprium, et quum Deus gloriosus ac summus sit omnium causa liberrima per intellectum et voluntatem, ideo sicut plura et omnia simul uno actu intelligit et vult, sic unico actu simul plura producit et creat, et tot ac tanta et taliter, quot, quanta et qualiter; nec ex hoc variabiliter habet se. Denique de his etiam Henricus, tam in D Summa quam in Quodlibetis, diffuse scribit et eleganter ; similiter Alexander, Bonaventura, et alii, et Thomas (ut tactum est) in plurimis locis. Quorum omnium sententiæ, quantum ad præsentem spectat tractatum, satis contentæ videntur in nunc dictis et expositione totius voluminis hujus.

Joannes. — De fato ergo et providentia satis dixisse videris ; sed quoniam materia ista de divina providentia proxima est tractatui de prædestinatione Dei quantum ad electos, et præscientia ejus quantum ad reprobos, precor ut de prædestinatione ac præscientia hujusmodi aliquid compendiose subjungas.

Dionysius. — Forsan non expedit, quia materia est profunda ; nec istud secretum omnibus est pandendum, capacitatemque superat puerorum.

Joannes. — Nosti quod etiam laici multi frequenter incaute loquuntur de materia ista, et imaginantur prædestinatum non posse perire, nec præscitum salvari, nec interesse an bene an male vivant, quasi prædestinatio et præscientia Dei imprimant libero arbitrio necessitatem. Nonne ergo expediens est ut fideles discipuli et capaces scholares super his salubriter informentur, ut bene fundati, ab intimorata loquacitate reprimantur, atque occulta Dei vereantur ac venerentur judicia, sicque in sanctitate et justitia suo deserviant jugiter Creatori, incaute quoque et imperite loquentes reprimant et informent?

Dionysius. — Tam rationabili persuasione convictus, quod postulas pro viribus adimplebo.

ARTICULUS XV

DE PRÆSCIENTIA ET PRÆDESTINATIONE.

Ad horum intelligentiam prænotandum, quod primo Sententiarum, distinctione tricesima quinta, ait Magister : Sapientia seu scientia Dei quum sit una et simplex, tamen propter varios rerum status et ob diversos suos effectus, nomina sortitur plura ac diversa. Dicitur namque non solum scientia, sed etiam præscientia seu prævidentia, dispositio, prædestinatio, et providentia. Et est præscientia sive prævidentia non de futuris tantum, sed de omnibus, utpote de bonis et malis; dispositio vero de faciendis, prædestinatio de salvandis.

De hoc Bonaventura in Breviloquio plenius loquens : De sapientia (inquit) Dei tenendum est, quod ipsa limpidissime cognoscit omnia bona et mala, præterita, præsentia et futura, actualia et potentialia, ac per hoc incomprehensibilia nobis et infinita : ita tamen quod ipsa in se nequaquam diversificatur, quamvis diversa nomina sortiatur. In quantum enim est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia sive cognitio; in quantum est cognoscitiva omnium quæ in universo fiunt et sunt, dicitur visio; in quantum cognoscit omnia quæ bene fiunt, dicitur approbatio; in quantum cognitiva est futurorum, vocatur præscientia sive prævisio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ a Deo fienda sunt, dispositio appellatur; in quantum cognitiva glorificandorum, prædestinatio nuncupatur; in quantum cognoscit damnandos, reprobatio nominatur. Quumque ipsa sapientia et increata Dei scientia non solum sit cognoscitiva, sed etiam ratio cognoscendi : idcirco in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur lux; in quantum est ratio A cognoscendi visa et approbata, dicitur speculum; in quantum est ratio cognoscendi visa et disposita, vocatur exemplar; in quantum est ratio cognoscendi prædestinata et reprobata, dicitur liber vitæ. Est igitur liber vitæ respectu rerum ut redeuntium, exemplar ut exeuntium, speculum ut entium, lux respectu omnium. Ad exemplar spectat idea, verbum, ars et ratio : idea, secundum actum prævidendi; verbum, secundum actum proponendi; ars, secundum actum prosequendi; B ratio, secundum actum perficiendi, quoniam superaddit finis intentionem. Verumtamen, quia hæc omnia unum sunt in Deo, unum frequenter sumitur pro alio. Quamvis etiam Dei sapientia ratione scitorum et cognitorum diversa sortiatur vocabula, non tamen diversificatur secundum rationem intrinsecam : imo ipsa cognoscit contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præsentialiter, temporalia æternaliter, dependentia independenter, creata increate, alia a se, in se et C per se. Quum contingentia infallibiliter noscat, simul stant vertibilitas et libertas voluntatis humanæ, cum providentia et prædestinatione ac præscientia Dei. Hæc Doctor devotus.

Hic quæritur primo, quid sit prædestinatio secundum rem. Ad quod Albertus in Scripto primi, distinctione quadragesima : Prædestinatio est quid increatum, ita quod sive sumatur ex parte prædestinantis, sive ex parte prædestinati, non est nisi ipsemet Deus prædestinans. Si D namque sumatur quantum ad id quod est ipsa prædestinatio, sic nihil ex tempore ponit; et quamvis tempore suo effectum habeat in prædestinato respectu cujus est,

hoc est ex parte connotati effectus. Prædestinatio quippe quantum ad modum significandi, est quasi medium inter prædestinantem et prædestinatum; prædestinatio quoque dicit habitudinem Dei proponentis salvare ad salvandum. Hinc prædestinatio ponitur in prædestinato prout ipse est in luce et scientia Creatoris. Quum ergo quis dicitur prædestinatus, non significatur ibi passive nisi quoad modum et quantum ad nos. Est etenim sensus : Iste est prædestinatus, id est prævisus salvari ; et ly prævisus non ponit aliquid quod sit extra prævidentem, quamvis ponat respectum ad aliquid quod erit in futuro.

Præterea, si quæratur, quid sit prædestinatio secundum rationem seu definitionem; dicendum juxta Albertum, quod definitio ejus est multiplex. Una est : Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Secunda est Augustini in libro de Fide ad Petrum : Prædestinatio est gratuitæ donationis præparatio. Tertia rursus est Augustini libro de Prædestinatione Sanctorum : Prædestinatio propositum est miserendi ; et item : Prædestinatio est alicujus in finem destinatio. Alia demum est magistrorum, dicentium : Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Harum descriptionum expositionem, brevitati studens, pertranseo.

Tertio igitur quæro, an merita aut præscientia meritorum rationalium creaturarum sint causa aut ratio prædestinationis earum, et utrum demerita reproborum sint causa reprobationis eorum. — Quocirca sic argui potest : Deus justus ac sapiens nil irrationabiliter agit neque injuste : ergo est aliqua ratio cur potius elegit et prædestinavit unum quam alium; nec videtur alia ratio posse assignari, quam præcognitio alicujus boni in uno magis quam in alio. Insuper, secundum B. Augustinum, reprobatio est nolle misereri quibusdam. Hujus autem nolle præ- A scientia demeritorum ratio esse videtur : alioqui videretur esse crudele. Amplius, ratio comparatur regi, voluntas tyranno : si ergo sola Dei voluntas sit causa aut ratio hujus, videtur esse tyrannicum. Insuper, quum Deus non sit personarum acceptor, non videtur prædestinasse unum magis quam alium, seu alium reprobasse, nisi propter majorem idoneitatem unius quam alterius. In oppositum est doctrina Sanctorum.

Ad hoc Bonaventura respondet : In B prædestinatione tria intelliguntur. Primum est æternum propositum miserendi atque salvandi. Secundum est temporalis gratificatio. Tertium, perpetua glorificatio. Similiter in reprobatione sunt tria, videlicet, æternum propositum non salvandi seu odium reprobi æternale, temporalis obduratio, sempiterna damnatio. Horum trium duo ultima, videlicet pœna et gloria, cadunt sub merito ; primum autem, puta æternum propositum, non cadit sub merito. Sed quantum ad medium, quod est C gratificatio seu obduratio, differenter est respondendum. Obduratio quippe simpliciter sub demerito cadit ; gratificatio vero nec simpliciter cadit sub merito, nec simpliciter extra meritum est. Est etenim meritum congrui, meritum digni, meritumque condigni. Meritum congrui est, quando peccator facit quod in se est et pro se ; meritum vero digni, dum justus agit et orat pro alio ; meritum condigni, dum justus operatur et deprecatur pro se ipso, quia ad hoc ex condigno gratia ordinatur. D Gratia vero alteri promerenda non ordinatur penitus ex condigno, quia peccator omni bono indignus est ; nec solum ex congruo, eo quod justus dignus sit exaudiri. Gratificatio ergo sub merito congrui cadere potest quantum ad gratificandum ; sub merito digni, quantum ad alium virum sanctum ; sub merito vero condigni, quantum ad neutrum : et hoc proprie loquendo est meritum. Itaque prædestinatio et reprobatio, quantum ad principale significatum, quod est æternum propositum,

non cadunt sub merito ; sed quantum ad A connotatum, reprobatio sub merito cadit simpliciter, prædestinatio secundum quid.

His præmissis, ad propositum magis accedens Bonaventura sciscitatur, utrum prædestinatio et reprobatio habeant aliquam rationem motivam in Deo ex parte ipsius. Quæ quæstio in ea quæ nunc mota est continetur.

Ad quod respondet : Dum quæritur, utrum æternum Dei propositum, prædestinatio seu reprobatio, habeat causam aut rationem in Deo, hoc non intelligitur B quantum ad voluntatem divinam, vel ejus actum, qui Deus est, sed quantum ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem. Et si quæratur ratio causalis aut meritoria, respondetur quod non habeat rationem. — Si autem quæratur ratio congruitatis seu condecentiæ, respondent quidam, quod ipsa Dei voluntas sibi ipsi est causa seu ratio, neque est ratio alia quare istum elegit, nisi quia sibi sic placuit: et hoc est sufficiens ratio per omnia, quoniam ipsa est causa causarum et ratio rationum ; atque C eo ipso quod ei quid placet, rectum et bonum est propter summam rectitudinem ejus, quum et ipsa sit regula ac mensura omnis justitiæ. Sed cavendum est ne dum voluntatem Dei commendare volumus, ei potius derogemus. Si enim non esset alia ratio quare Deus istum elegit, non illum, nisi quia ei sic placet, jam non essent judicia Dei occulta, sed manifesta, quum unusquisque facillime hanc capiat rationem ; nec dicerentur mirabilia, sed voluntaria potius. Idcirco dicendum, quod D propositum illud æternum (sicut loquitur Augustinus et habetur in littera) et voluntas illa rationabilissima est rationemque habet, et sicut ab æterno fuit, ita ab æterno habuit rationem, non aliam propter essentiam, sed propter connotatum. Quæ autem sit ratio illa, nec omnino est notum, nec prorsus ignotum.

Ideo advertendum, quod quædam sunt opera quæ a divina exeunt voluntate cum alio ad hoc ordinato ordine necessitatis, sive necessitatem sumamus in causando, sive in merendo vel disponendo: ut pluere vel remunerare, sive damnare et salvare. Et respectu talium divina voluntas habet rationem in generali et speciali. Nempe si quæratur, cur Deus vult pluere, respondetur quod propter nostram utilitatem. Similiter si interrogetur, quare vult quosdam remunerare, respondetur quod propter gloriam suam. Similiter habent hæc rationem in speciali : ut si quæratur, cur Deus vult pluere in hieme, non in æstate ; respondetur, quia in hieme magis abundant vapores aquosi. Item si sciscíteris, cur magis vult salvare Petrum quam Judam ; respondetur, quoniam Petrus exstitit justus et opera habuit virtuosa, Judas iniqua. — Quædam autem sunt opera quæ sunt a voluntate divina cum alio ad hoc ordinato ordine congruitatis : sicut est nostra gratificatio seu justificatio, quæ est a divina voluntate cum cooperatione liberi nostri arbitrii. Propter quod asserit Augustinus : Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Quod dictum est secundum congruentiam : Dei enim adjutores sumus, 1 *Cor.* III, 9. secundum Apostolum. Verumtamen Deus quosdam justificat sine præparatione et cooperatione : ut patet de justificatis in utero, et ut aliqui dicunt, de Paulo. Et respectu operum talium habet voluntas divina rationem in generali et speciali, sed certam in generali, occultam in speciali. Si namque quæratur, cur Deus vult quosdam justificare, respondetur quod ad misericordiæ suæ ostensionem. Et si quæratur, cur non vult omnes homines justificare voluntate beneplaciti, respondetur quod ad justitiæ suæ ostensionem. Unde libro de Civitate loquitur Augustinus : Si manerent omnes in pœna, non appareret gratia misericorditer redimentis ; et si omnes de tenebris transferrentur ad lucem, in nullo appareret districtio ultionis : in qua pœna sunt plures quam in gratia seu gloria quantum ad homines, ut appareat quid omnibus debebatur. Si vero quæratur in speciali, cur potius vult unum justificare

quam alium, duobus similibus demonstratis ; quoniam multæ possunt esse rationes congruentiæ, ideo non est certitudo ex parte rei. Quumque cognitio nostra a rebus dependeat, nemo potest certam inde invenire rationem neque id scire, nisi per revelationem divinam : et quia non fuit nobis expediens ista cognitio, imo utilior fuit nescientia ; idcirco ob nostram humiliationem noluit nobis Deus plus inde revelare. Apostolus quoque non audebat interrogare, sed ostendit nobis defectum
Rom. xi, 33. intelligentiæ nostræ, exclamando : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Itaque, quamvis Scriptura sacra rationem prædestinationis et obdurationis assignet voluntatem ac beneplacitum Dei, non tamen sequitur quod alia non sit ratio : quia non omnia scripta sunt, sed utilia ac necessaria nobis sunt scripta ; fuitque nobis expediens illam rationem assignari, ut discamus Deum timere, et nobis ipsis nihil meritorum tribuere. Postremo his consonat quod in libro Retractationum loquitur Augustinus : Deus proponit, eligit, reprobat veritate certissima, atque a nostris sensibus remotissima. Ideo nullus debet eam in hac vita inquirere, quia ad eam non possumus pervenire. Hinc in recognitione humili insufficientiæ intelligentiæ nostræ claudendus est sermo noster de
Ibid. iii, 19. prædestinatione, ut omne os obstruatur, et subditus fiat Deo omnis mundus : cujus judicia sunt inscrutabilia, non scrutanda, sed formidoloso silentio veneranda. — Hæc dominus Bonaventura : cujus responsio videtur moderata et sobria.

Porro Alexander circa hæc sciscitatur, utrum præscientia qua Deus scit quosdam bene usuros gratia sua, sit causa seu ratio prædestinationis eorum. Respondet : Secundum rem idem in Deo sunt præscientia et prædestinatio quantum ad principale significatum, tamen secundum rationem intelligendi distinctæ sunt : ideo unum potest esse ratio alterius, sed non causa. Propter quod dixit Augustinus : Voluntas Dei ex ratione est. Damascenus quoque, Voluntas, inquit, rationalis est appetitus : quod de voluntate divina potissime veritatem sortitur. Denique, quod nobilius est, adscribendum est Deo. Voluntas vero agens ex ratione nobilior est quam illa quæ ex ratione non operatur : ergo sicut Dei voluntas est nobilissima, ita et rationabilissima. Quæritur ergo, quæ sit ratio voluntatis divinæ. Videtur quod præscientia. Voluntatis namque quæ ex ratione est, scientia præcedens est ratio : quumque in prædestinatione intelligatur voluntas præparativa gratiæ, videtur quod ratio ejus sit præscientia. Ad hoc valet quod ait Apostolus, Romanorum octavo :
Quos præscivit, hos et prædestinavit. Et *Rom.* viii, 29.
rursus quod Dominus dixit ad Abraham :
Num celare potero Abraham quæ gestu- *Gen.* xviii, 17, 19.
rus sum, quum præcepturus sit domui suæ ut custodiat pactum meum? Ambrosius etiam super epistolam ad Romanos in Dei persona loquens : Dabo, inquit, gratiam ei quem scio toto corde reversurum ad me post errorem. — Verum his objici potest, quod in libro de Prædestinatione Sanctorum loquitur Augustinus : Non quia nos tales esse futuros præscivit, ideo nos elegit, sed ut tales essemus. Et respondendum, quod si hic *ideo* dicat causam, verum est ; si rationem, falsum est, quoniam præscientia meritorum dicit rationem voluntatis : non tamen sequitur quod merita sint causa aut ratio voluntatis divinæ. — Sed rursus objicitur : Præscientia meriti est ipsum meritum in præscientia, et hoc est Deus, aut non. Si sic, ergo idem est ratio et causa sui ipsius, quia prædestinatio illa activa est ipsemet Deus ; si non, ergo aliquid aliud a Deo est causa et ratio Dei. Respondetur, quod merita in præscientia Dei, sunt ipsa præscientia eorumdem, illaque præscientia est ipse Deus præsciens : non est tamen idem penitus ratio sui. Nam etsi quantum ad principale significatum sint idem re præscientia et voluntas, differunt tamen secundum intel-

ligentiæ rationem et quantum ad connotata : nam præscientia meritorum potest esse ratio collationis gratiæ et gloriæ. Hæc Alexander.

Cujus responsioni videtur consentire Henricus quarto Quodlibeto, quæstione nonadecima ; quanquam in alio Quodlibeto, quæstione qua sciscitatur, utrum Paulus ante suam conversionem poterat occidi, aliter sensisse videatur, dicendo : Prædestinatio respectu alicujus, non est respectu ipsius solius in se et absolute, sed cum tota coordinatione omnium aliorum effectuum seu non effectuum qui ordinantur ad illum ; quumque bonus gratiæ usus inter illa contineatur, constat quod ipse etiam sit prædestinationis effectus, non causa aut ratio ejus. — Albertus demum in aliquibus scriptis videtur responsioni Alexandri favere, in aliquibus autem non ita.

Interea responsio tantorum doctorum, præcipue Alexandri, grandem mihi ingerit admirationem et timorem, quoniam apertissime protestatur, præscientiam meritorum rationem esse collationis gratiæ et gloriæ ; auctoritatemque Augustini præallegatam exponit sic, quod præscientia Dei qua præscivit nos tales (utpote justos) futuros, non est causa sed ratio quod et quare elegit nos. Hæc quippe videntur esse contra intentionem Augustini et Patrum : quia ex his sequi videtur, quod præscientia meritorum sit ratio prædestinationis quantum ad connotata, non pura et mera bonitas ac liberalitas Dei ; et item, quod gratia non detur pure ac penitus gratis, sed intuitu meritorum. Nec videtur ista responsio multum differre ab opinione prava ac condemnata dicentium quod gratia datur propter merita saltem futura, atque quod merita sunt causa prædestinationis seu ratio. Nec enim qui hoc dixerunt erant tam rudes et imperiti, quod opinabantur merita temporalia ac gesta creaturarum esse causam effectivam aut antecessivam prædestinationis æternæ, quæ est ipsemet Deus ; sed hoc intendisse vi-

A dentur, quod præcognitio meritorum fuerit ratio prædestinationis, id est, cur Deus voluerit atque decreverit seu præparaverit gratiam dare his quos præscivit justos futuros, seu gratia Dei bene usuros.

At vero Thomas super his ait in Scripto primi Sententiarum : Præscientia meritorum nullo modo est causa prædestinationis divinæ. Quod patet, si consideretur totum quod est in prædestinatione de ejus essentia. Tamen nil prohibet effectum prædestinationis, videlicet gratiam et gloriam, quæ

B in prædestinationis descriptione ponuntur in obliquo, habere aliquam causam ex parte operum nostrorum. De essentia quippe prædestinationis sunt præscientia Dei et voluntas ejus de aliquorum salute. Præscientia autem de salute illorum, non est a cognitione operum nostrorum. Voluntas quoque Dei quum liberrima sit, non habet causam nisi finem sui, qui est bonitas sua. Idcirco dum quæritur, quare Deus hoc vult ; convenienter respondetur, propter suam bonitatem, non quia hoc scivit

C vel quia hoc factum est. Attamen effectus suæ voluntatis, scilicet ipsum volitum, potest procedere ex aliqua causa quam Deus ab æterno præscivit ; istumque ordinem causæ ad causatum Deus vult, et vult quod effectus sit, quoniam causa est : non sic, quod causalitas referatur ad voluntatem divinam, sed ad volitum. Et causa hæc voliti, non volendi, vocatur ratio quædam voluntatis ex parte effectus. Verum hæc causa in quibusdam habet rationem causæ completam, interdum vero est dis-

D positio tantum. Ita etiam ad duplicem effectum prædestinationis diversimode habent se opera nostra : quoniam opus meritorium gratia informatum, causa est meritoria gloriæ, sed opus bonum gratiam præcedens, non est causa meritoria gratiæ, sed dispositio quædam. Hinc patet quod prædestinatio causam non habet, rationem vero habet ex parte effectus, secundum quem rationabilis appellatur ac justa. — Ad auctoritatem ergo Ambrosii *Cf.* p. 638 B'.
respondendum, quod in ea non designatur

quod opus nostrum sit causa voluntatis A divinæ, nec etiam quod sit causa collationis gratiæ, sed solum dispositio quædam : ita ut hoc intelligatur non de opere gratiam consequente, quod virtutem merendi habet a gratia, et nec est causa ejus neque dispositio ad ipsam, quoniam sequitur eam ; sed de opere præcedente, quod dispositio consistit ad gratiam. Illi namque Deus gratiam proponit infundere quem scit se præparaturum ad gratiam : non tamen propter præparationem, quæ non est sufficiens gratiæ causa, sed propter B suam bonitatem. Vult tamen quod iste habeat gratiam, quia se præparavit, juxta modum loquendi quo dicitur, quod Deus dat gratiam illi quoniam præparavit se ad eam, ita ut conjunctio illa denotet dispositionem, non causam. Tamen respectu actus volendi ipsius Dei, non potest designare dispositionem nec causam : non enim ideo voluit quoniam iste se præparavit, sed solum quoniam bonus est. — Quum ergo arguitur, quod ad justitiam pertinet æqualibus dare æqualia, etc. : di- C cendum, quod in homine justo causa eliciens actum volendi, finis est voluntatis ; sed ex parte effectus, accipit causam ex opere hominum quod discretionem facit in eis: ut si quæratur a judice justo, Quare vis plus dare huic quam illi ? si velit respondere causam voluntatis, dicet, Propter bonum justitiæ quod relucet in opere isto; si autem voluerit causam operis assignare, dicet, Quoniam iste est dignior. Verumtamen prædestinatio respectu gloriæ habet rationem justitiæ distributivæ, D quia secundum exigentiam meritorum Deus eam largitur ; sed respectu primi effectus ipsius prædestinationis, videlicet gratiæ, potius habet rationem liberalitatis quam æquitatis, quoniam gratia datur gratis, nec redditur meritis : unde ex parte recipientis non est assignare causam quare dignus sit gratia, sed dispositionem dumtaxat. Hæc Thomas in Scripto.

Insuper in prima parte Summæ, quæ- art. 5. stione vicesima tertia : Prædestinatio, inquit, voluntatem includit. Idcirco sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio voluntatis divinæ. Non est autem assignare causam voluntatis divinæ ex parte actus volendi, sed ex parte volitorum, in quantum Deus vult unum propter aliud. Itaque nemo tantæ fuit insaniæ ut diceret merita esse causam prædestinationis divinæ ex parte actus prædestinationis. Verum tunc quæritur, utrum ex parte effectus prædestinatio aliquam habeat causam, hoc est, an Deus præordinaverit se daturum prædestinationis effectum alicui propter merita ejus. Dicendum, quod quidam dixerunt quod imo, videlicet propter merita præcedentia in alia vita : ut Origenes, qui dixit, omnes animas rationales simul creatas, atque in cœlo quasdam peccasse, ac juxta diversitatem meritorum suorum diversos in hoc mundo status sortiri. Verum istam opinionem excludit Apostolus ad Romanos, dicendo de Jacob et Esau : Quum nondum nati essent aut Rom. ix, 11, 12. aliquid egissent boni aut mali, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est : Quia major serviet minori. — Alii ergo, ut Pelagiani hæretici, dixerunt quod merita præexsistentia in hac vita, sunt ratio et causa effectus prædestinationis : dicentes, initium bene faciendi ac promerendi esse ex nobis, consummationem vero ex Deo. Quorum error patet ex verbis Apostoli ad Corinthios asserentis : Non sumus sufficientes cogitare aliquid II Cor. iii, 5. a nobis quasi ex nobis. Nullum autem principium actualiter promerendi potest esse in nobis ante cogitationem. Ideo dici non valet, quod aliquod initium in nobis exsistat quod sit ratio effectus prædestinationis. — Unde fuerunt alii qui dixerunt, quod merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis : ita quod ideo Deus dat vel dare decrevit seu præordinavit alicui gratiam, quoniam præscivit illum bene usurum gratia sua, quemadmodum rex dat militi equum, quoniam scit quod eo bene utetur. Sed hi videntur distinxisse inter id quod est ex

gratia, et id quod est ex libero arbitrio, A quasi idem esse nequeat ex utroque. Manifestum est autem quod id quod est gratiæ, est prædestinationis effectus ; nec hoc potest poni ut ratio prædestinationis, quum hoc sub prædestinatione concludatur. Si ergo aliquid aliud ex parte nostri sit ratio prædestinationis, hoc erit præter prædestinationis effectum. Sed non est distinctum quod est ex libero arbitrio et ex prædestinatione, sicut non est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima : divina quippe providentia producit effectus per B secundarum operationes causarum. Hinc et id quod est per liberum arbitrium ex prædestinatione procedit.

Dicendum ergo, quod prædestinationis effectum possumus considerare dupliciter. Primo, in particulari ; et ita nil prohibet unum prædestinationis effectum esse causam et rationem alterius, utpote : posteriorem prioris, secundum rationem causæ finalis ; priorem vero posterioris, secundum rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ : ut si C dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod præordinavit se alicui præstaturum gratiam ut gloriam mereatur. — Secundo considerari potest prædestinationis effectus in communi : sicque impossibile est quod totus prædestinationis effectus aliquam habeat causam ex parte nostri, quoniam quidquid est in homine ordinans ipsum ad salutem, totum comprehenditur sub prædestinationis effectu, etiam præparatio ipsa ad gratiam : neque enim hæc D fit nisi per divinum auxilium, juxta illud Threnorum, Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. (Thren. v, 21.) Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione bonitatem divinam, ad quam totus prædestinationis effectus ordinatur tanquam in finem, ex qua et procedit tanquam ex primo movente principio. Itaque bonus usus gratiæ præcognitus, non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.

Denique, ex bonitate divina sumi potest ratio prædestinationis aliquorum reprobationisque aliorum. Sic etenim dicitur Deus omnia propter bonitatem suam fecisse, ut in creaturis divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem ut divina bonitas in se simplex et una, multipliciter repræsentetur in rebus : ideo ad completionem universi instituti sunt diversi entium gradus. Et ut multiplicitas graduum in rebus conservetur, permittit Deus fieri aliqua mala, ne multa bona impediantur. Sic ergo considerando totum genus humanum, voluit Deus in aliquibus repræsentare suam bonitatem per modum misericordiæ, ut in prædestinatis ; in aliis per modum justitiæ, ut in præscitis et reprobis. Ad quod insinuandum dicit Apostolus ad Romanos : Volens (Rom. IX, 22, 23.) Deus ostendere iram (id est justitiæ suæ ultionem), et notam facere potentiam suam, sustinuit (id est permisit) in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. Sed quare in particulari hos elegit et illos reprobavit, non habet rationem nisi voluntatem divinam. Quemadmodum in rebus naturalibus potest ratio assignari, quum materia prima sit tota in se uniformis, cur una pars ejus est sub forma ignis, alia sub forma terræ, a Deo in principio condita : ut scilicet sic sit diversitas specierum in universo. Verum quare hæc pars materiæ est sub ista forma, et illa pars sub alia forma, dependet ex simplici Dei voluntate : sicut ex simplici artificis voluntate dependet quod iste lapis sit in hac ædificii parte, et ille in alia. Nec tamen ob hoc exstat iniquitas apud Deum, quia inæqualia (Ibid. 14.) non inæqualibus præparat. Hoc quippe derogaret justitiæ, si prædestinationis effectus ex debito præstaretur et non magis ex gratia. In his vero quæ ex gratia dantur, potest quis ex libito suo dare cui vult plus, et cui vult minus, absque præjudicio justitiæ, dummodo nulli subtrahat debitum. Propter quod paterfamilias apud Matthæum ait : Tolle quod tuum est, et vade. (Matth. XX, 14, 15.)

Volo autem et huic dare sicut et tibi: an non licet mihi quod volo facere?

His scriptis Thomæ omnino concordant scripta Ægidii de his super primum Sententiarum, scripta quoque Richardi et scripta Petri. Imo Richardus contra positionem quam sequitur Bonaventura sic arguit: Si qua ratio fuit in Deo, cur potius prædestinavit ipsum Jacob quam Esau, seu istum quemcumque, quam alium signatum, ergo rationabilius fuit prædestinare ipsum Jacob quam Esau; sed inconveniens est Deum facere quod minus rationabile est, omisso eo quod rationabilius est: ergo impossibile fuit quod Deus prædestinasset ipsum Esau et reprobasset Jacob. Necessarium ergo fuit Deum prædestinare Jacob et non prædestinare Esau. Ait namque Anselmus primo libro Cur Deus homo: Sicut in Deo quodlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas, ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, sequitur necessitas. Concordat Durandus.

Inter has tres responsiones videtur responsio Alexandri et Henrici minorem difficultatem et admirationem includere, ac magis valere ad satisfaciendum vulgaribus; sed, sicut ostensum est, non videtur consonare Scripturis et dictis Sanctorum. Porro positio S. Thomæ Scripturis consonantior esse videtur, quum et in Exodo *Exod.* XXXIII, 19. Dominus ad Moysen dixerit: Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Apostolus itidem ad Romanos de hac re disputando concludit: *Rom.* IX, 18. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Et multa ibidem de his scribit metuenda et cum ingenti tremore pensanda magis quam discutienda. Ita et Christus *Matth.* XI, 25. quum dixisset, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti *Ibid.* 26. ea parvulis; pro ratione subjunxit: Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. *Ps.* CXL, 3. In his ergo ponamus custodiam cordi et ori nostro, et ostium circumstantiæ labiis *Philipp.* II, 12. nostris; atque cum metu, timore et tremore nostram operemur salutem: certi quod Dominus Deus noster omnipotens sit essentialiter bonus et bonitas, cujus voluntas est substantialiter sapientia sua et sanctitas ac pietas infinita, realiter quoque justitia prorsus immensa, idcirco nec irrationabilis nec injusta consistere potest.

Hinc etiam positio illa Bonaventuræ rationabilior esse videtur propter motiva præhabita; et quantum salva veritate Scripturæ fas est, amplius mihi placet. Nec imperscrutabilia perscrutari præsumo. Unde et Scotus post multa difficilia, subtilia et profunda quæ circa hæc tangit, ita abrumpit: De his omnibus quia Apostolus disputat ad Romanos, ego in fine disputationis totum tanquam imperscrutabile derelinquo, dicens cum ipso Apostolo: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! etc. *Rom.* XI, 33.

JOANNES. — De proposita materia diffuse tractasti, et de ea me instruxisti; magis tamen perterruisti, eo quod omnium Pater, Dominus et Creator sic dividat inter fratres, quosdam ad inæstimabilem beatitudinem eligens ac perducens, quosdam (imo plures valdeque plurimos) reprobans, deserens et condemnans.

DIONYSIUS. — Non solum hoc, sed et utrumque in multiplici gradu efficiens. Sunt enim quidam electi, quidam electiores; nonnulli electissimi, quorum tota vita est quasi continuum Dei obsequium incessabilisque profectus in Dei amore ac omni virtute. Ita et reproborum ac impiorum quidam sunt vitiosi, quidam vitiosiores, quidam vitiosissimi. Quemadmodum enim supersanctissimus Deus statuit ac decrevit omnipotentiam, sapientiam bonitatemque suam multipliciter declarare in naturalibus, in diversis rerum ordinibus, speciebus ac gradibus; sic misericordiam suam atque justitiam voluit multiformiter repræsentare in rationalium creaturarum suppositis.

JOANNES. — Terrorem et admirationem hoc auget ; et ut potius puto, non expedit homini de tam incomprehensibili mysterio loqui aut cogitare, nisi ingens cogat necessitas.

Eccli. XXXVII, 31. DIONYSIUS. — Non omnibus omnia expediunt ; et quod unum sanat, alium lædit. Æstimo itaque, quod præinductorum consideratio timorata ac sobria mirabiliter valeat ad humiliandum se ipsum, ad metuendum Altissimum, ad reprimendum omnem dissolutionem, vanitatem et periculosam securitatem, ad reprimendum B incauta judicia, ad vitandum proximorum contemptum. Et de hoc sic ait Cancellarius Parisiensis Joannes : Hæc consideratio judiciorum Dei, qui terribilis est in consiliis suis super filios hominum, si cum superba curiositate recenseatur, præcipitat in illam Sapientis damnationem : Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Exterminat omnem bonæ consolationis virtutem ; denique in reprobam de Deo desperationem, et in odiosas, rabidas ac insanas demergit blasphemias. Hoc in viatoribus aliquibus, hoc in damnatis omnibus operatur. Si vero cum debita humilitate ac reverentia assumatur, nullam existimo potiorem vel efficaciorem ad obtinendum consolationem divinam et gratiam ac salutem. Verum in hoc jugiter omnis immoderantia est vitanda, et juxta doctrinam Apostoli, redigendus est intellectus in obsequium Christi subjectionemque fidei.

Ps. LXV, 5.

Prov. XXV, 27.

II Cor. X, 5.

JOANNES. — Satisfecisti jam abundanter desiderio meo in opere tanto : unde et gratias pro viribus ago ; quanquam unum sit quod doleo omissum.

DIONYSIUS. — Et quid est hoc ?

JOANNES. — Divisiones : de quibus quamvis te supra excusaveris, attamen quia in scholis jam consueverunt præmitti, utinam saltem breviter tangeres eas.

DIONYSIUS. — Etiam in hoc acquiescam. Verumtamen huic operi hic finem imponam ; atque de omni quod bene prolatum est, grates offero Patri misericordiarum, Deo totius consolationis : cujus providentia nos in hujus vitæ curriculo tam paterne ac pie gubernet et consoletur, ut ad torrentem voluptatis supernæ, ad superesplendidissimum fontem vitæ æternæ, C ad possessionem inamissibilem luminis gloriæ, decurso stadii hujus exsilio perducamur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Ibid. I, 3.

Ps. XXXV, 9, 10.

FINIS COMMENTARIORUM IN LIBROS B. SEVERINI BOETII
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

III REGUM.

IV REGUM.

TOBIÆ.

JUDITH.

ESTHER.

JOB.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

AMOS.

JONÆ.

MICHÆÆ.

NAHUM.

ZACHARIÆ.

MALACHIÆ.

I MACHABÆORUM.

II MACHABÆORUM.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

INDEX ANALYTICUS

A

B

C

D

E

F

H

J

L

M

N

O

P

Q

S

T

U

V

INDEX GENERALIS

ENARRATIONES IN QUINQUE LIBROS
B. SEVERINI BOETII
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

ENARRATIONES
IN LIBRUM PRIMUM.

ENARRATIONES IN LIBRUM QUARTUM.

ENARRATIONES IN LIBRUM QUINTUM.

Emendanda. — Pag. 95 C', lin. 4 : eis, *lege* ei; — 121 D, lin. 4 et 5 : ab occidente in orientem,... ab oriente in occidentem ; — 161 B, lin. 10 : ipsis,... ipse ; — 178 D, lin. 7 : ejus,... quid ; — 213 A', lin. 3 : S. Eugenio,... Eugenio ; — 215 B', lin. 6 : manutentia,... manutenentia ; — 249 B, lin. 9, 271 C', lin. 7, 342 C', lin. 2 : gestis,... Gestis ; — 295 D', lin. 4 : eodem,... eadem ; — 301 A, in margine, *lege Cf.* Pros. lin. 3 et 9 ; — 332 A', lin. 7 : ora,... ore ; — 341 C, lin. 12 : de,... Dei ; — 494 A', lin. 7 : minus,... nimis ; — 513 C, in margine, *lege Cf.* t. XX, p. 416 D et s., 580 D' et s. ; — 542 B, lin. 12 : Anticlaudiano,... Ovidio ; — 575 A, lin. 8 : claritate,... a claritate.

Dubia. — Pag. 348 C, lin. 12 : sublimorum, *forsan* sublimiorum ; — 528 C, lin. 1 : regio,... legio.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

